


IACOBI SALIANI AVENIONENSIS E SOCIETATE IESV, DE AMORE DEI LIBRI SEDECIM,

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deut. 6.5.

Synopsis totius Operis post Præfationes religioso Lectori exhibebitur.



LVTETIÆ PARISIORVM.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XXXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



DEO OPTIMO MAXIMO,

DIVINI AMORIS FONTI VBERRIMO, AC MVNIFICENTISSIMO Largitori, Sacrum.



HOc quoque opus, quod Diuini Amoris inuitamenta, laudésque pollicetur, Tibi, Deus Opt. Max. cupio esse consecratum: nimirum vernaculum tuum, natum eductúmque in domo, & familia tua; quódque nunc primùm, officiosissimè obstetricante manu tua, suauissimam lucem aspexit, quamuis longissimè ab ea perfectione, & absolutione distet, quam infinita maiestas tua meritò postularet, & tanti dignitas argumenti. Neque enim beatissima illa sola terrarum vltimarum, ac ne cælestes quidem illi orbes, cælitésque omnes, quidquam habent in bonis suis diuino Amore diuinius; adeò vt si Dei Amor in cœlo, à Dei contemplatione, diuina

vi ſecerneretur, vt ſeiungi cogitatione poſſunt, optabilius eſſet Deum amare, quàm intueri. Hæc quippe viſio, rei creatæ bonum eſt; ille autem Amor fertur in bonum tuum, quem ſyncerè diligit, cuique infinita illa ſua bona gratulatur. Hic Amor vnum te procreatorem agnoſcit ac parentem, quo maximè exhilaratur cœlum, quo terra immortalibus veriſſimiſque diuitiis locupletatur. Sacrum tibi eſſe, deſidero; imò ſacrum tibi eſſe, planéque tuum palam profiteor, omnique iure ac ratione tuum: neque gratiæ vox iſta eſt, aut beneuolentiæ, ſed iuſtitiæ & æquitatis. Fructus enim arboris, quam ſeuiſti in horto tuo, alteri ſeculo fortaſſe profuturam, tui omnino ſunt, ſicut & arbor ipſa, ipſúmque ſolum, quo ſuſtentatur & viuit. Tui ſunt, inquam, fructus iſti, & à te expetunt, expectántque copioſam benedictionem, cuius mirifica efficacitate, non inanem in populo iactationem habeant, ſed in nobis primùm ipſis, deinde in animis dilectorum tuorum egregiam ſementem faciant, vnde læti quamprimùm, vberéſque fructus colligantur. Eam gratiam ſi nobis fueris impertitus, iidem fructus pulchritudine placebunt intuentibus, manus iucundo odore perfundent, & animi palatum gratiſſima dulcedine commouebunt.



Clarissimo, ornatissimóque Domino,

D. IACOBO HALÆO,

REGIO CONSILIARIO,

ET INTEGERRIMO REGIARVM Rationum Magistro S.

DIV à te desideratum, atque expetitum opus de Amore Dei, idémque multis nominibus, quæ me pudor tuus recensere vetat, tibi iampridem debitum, iurè ad te verecundéque proficiscitur. Et proficiscitur illud quidem iure meritóque, tanquam ad virum diuini Amoris amantissimum; cui nihil sit antiquius illo amore, qui pridem honestissimum in eius corde domicilium collocauit, qui omnia quæ ad ipsum quoquo modo pertinent, legitimo imperio, suauissimóque moderatur: qui denique ne illo careat, rerum omnium iacturam æquo animo patiatur: rectè profectò. Dei enim præpotentis Amor, sine ipso Deo aut amitti, aut acquiri non potest. Verecundè nihilominus ad te proficiscitur. Conscius

quippe ſum mihi, quàm longè abſit iſta noſtra diſputatio, ab illa abſolutione, quam dignitas poſtulat argumenti; quáque ornatam eſſe oporteret, vt præſtanti iſti ſapientiæ, pietati, atque eruditioni par eſſe, & tuæ tuorúmque neceſſariorum expectationi vſquequaque reſpondere poſſet. Verùm id non parum me recreat, quod planè confidam ſingularem tuam erga me, conſtantémque beneuolentiam, mihi iam pridem probatam & cognitam, & meritiſsimò in Annalibus noſtris populo Chriſtiano teſtatam, facilè omnia excuſaturam, melioremque in partem accepturam. Patere igitur, Halæe clariſsime, vt in nobiliſsima bibliotheca tua locum aliquem habeat hoc volumen; & in numero tot egregiorum monimentorum, quæ viri ſanctiſsimi ſeculis omnibus poſteritati reliquere, ſe gaudeat eſſe collocatum; vt ei ſit ex tam illuſtri ſocietate gloria: aut medios certè Annales, Amor Timórque Dei, vt ſobolem parentes, dextra, ſiniſtráque complectantur. Vale.



PRÆFATIO
DE AVTORIS IN HOC OPERE instituto.

CANDIDO LECTORI S.

OPERÆ precium videtur, atque, vt arbitror, opportunum, religiose Lector, vt tecum familiariter aliquid de instituto meo proloquar. I.

Quæ causa scriptionis huius.

Cùm enim singulari Dei ac Domini nostri benignitate, & optatissimo sanctissimæ Dei matris auxilio, Annales Ecclesiasticos veteris Testamenti in Christiani orbis theatrum spectandos ante annos aliquot dedissemus, *in quibus ex sacra, profanáque historia*, res gestæ ab orbe condito, ad Christi Domini natiuitatem & mortem, per annos sex & octoginta, supra quater millenos digeruntur, & explicantur; cùm hæc, inquam, pro virium nostrarum mediocritate, aut tenuitate potiùs, aliquando confecta essent, egere mecum nonnulli de fratribus, amicis, ac necessariis meis, vt aliquid pij operis susciperem, quo Dei gloriam, & animarum salutem promouerem. Affirmabant illi seriò, & in causa sua ponebant, hanc esse Dei voluntatem, neque de ea dubitandum videri, quando qui vitam, sanitatem, ac vires sexagenario dederat, vt tam multarum vigiliarum opus ad optatum finem contentioso labore perduceret, easdem nunc septuagenario non vulgari benignitate conseruet, vtique ad aliquam Ecclesiæ suæ vtilitatem. Quòd si literatis hominibus, vt plerique putant, in illis Annalibus opera aliqua nauata fuerat, par esse vt in gra-

tiam eorum, qui literis studiisque grauioribus, aut nullam, aut modicam operam dedissent, contribueremus aliquid, & in commune conferremus ad eorum pietatem, si quo modo possemus, suauiter promouendam.

II. *Alia scribendi incitamenta.*

Poterant & prædictis addere, consentaneum esse huic ætati, imminente iamdudum, vt apparet, curriculi mei meta, illam vt nutriendæ, fouendæque hominum pietati, studiosè ac liberaliter impenderem; eadémque opera me ipse, ad reddendam magno Iudici, de tota anteacta vita rationem, accuratius præpararem. *Beatus enim ille seruus, quem, cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem; amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Et quamuis alia opera ad diuinam gloriam suscepta, non exigui sint meriti apud munificentissimum Deum: istius tamen modi scriptorum genus, hòc potiore conditione cæteris esse solet, quòd in his elaborando, sensim sine sensu Scriptoris animus incitatur, ad plurimarum virtutum, nominatimque diuini Amoris actus eliciendos, quibus nihil est in hac vita fructuosius: quod raro admodum, scribendis Annalibus, aut Philosophicis, Theologicísque subtilitatibus inuestigandis, contingere solet.

Mat. 24. 46

III. *Vtilitas istiusmodi piarum scriptionum, puta de Amore ac Timore Dei.*

Hæ, aliæq; id genus rationes, & incitamenta perpulerunt me, vt libellos duos iampridē sepositos, qui de Timore Dei, atque Amore scripti erant, resumerem in manus, atque recognoscerem. Rebar enim fieri posse, vt prior ille iis esset adiumento, qui de vita rectiùs instituenda cogitationem suscepturi sunt, aut iam susceperunt; posterior autem iste vsui esset iis, qui virtutis iter ingressi, enituntur, atque elaborant vt longius progrediantur in dies. Geminis hisce quasi rotis currus animæ nostræ versatur, pérque salutis viam trahitur. Eò timor, quasi iniecta manu, improbos trahit, & corrigit: Amor exceptos, emendatósque conseruat, regit, locupletat, & ad metas felicitatis adducit. Timor dat operam ne Iudex, Magister, Dominus deinceps offendatur: Amor liberali famulatu Deum vt parentem obseruat, vt sponsum amplectitur, vt necessarium, optiméque de se meritum in oculis ferre solet. Timor si sumatur ex vulgari

vsu

vſu cum hac vita terminatur; neque enim locum hic inuenire poteſt, vbi nihil ſit formidandum; diuini Amoris nullus eſt terminus, nullus finis; nullóque loco, præterquam Tartaro excluditur; vbique reperit dilectum ſuum, maximéq; in beata illa regione, in qua eum reuelata facie contemplatur, complectitur, & in omnem poſſidet æternitatem.

Quoniam verò, iuxta gratiæ ordinem & naturæ, timor amorem antecedit, eique viam munit, rationi conſentaneum fuit, vt quæ ad timorem pertinebant, prius emitterentur in lucem; nunc conſequenter optarem, ſi diuinæ maieſtati gratum fuerit, mortales illos ad diuinum amorem allicere, quos Dei timor, & peccati, ex Ægyptia ſeruitute extraxiſſent, *in manu forti, & brachio extento, in ingenti pauore, in ſignis atque portentis*; meritò quippe peccatoris conuerſio in ſignis atque portentis numerari poteſt. Vellem diuinum illud charitatis manna eis deguſtandum præbere, vt cibo recreati, quo nullus eſt in hac vita dulcior, nullus palato gratior, nullus ſtomacho fructuoſior, non allia ſolùm, ac porros Ægypti, ſed ollas etiam carnium faſtidirent. Vellem denique perſuadere peccatori, eum in perpetuo deinceps luctu, vt nonnulli inſipienter putant, ac timore minimè victurum; ſed porcorum ſiliquas, vt ille prodigus, in vitulum ſaginatum mutaturum; ſi modò ſe priùs cum illo ad pedes humaniſſimi parentis abiecerit, madentibus oculis, gementi pectore, & vultu pudore ſuffuſo.

IV. *Quis eorum ordo.*

Deut. 26. 8.

Luc. 15.

Non ſum porro neſcius, vt vulgari multorum obiectioni occurram, multa huius ipſius argumenti volumina in manibus hominum verſari, quæ autores habent illuſtres viros, huius ac ſuperioris ætatis, facilè principes, qui multo vberiore ſpiritu diuinitus afflati, eodémque ſibi fine propoſito, melioribus etiam naturæ doctrinæque præſidiis inſtructi, de diuino Amore ſcripſerunt, noménque ſuum, magno cum animarum fructu, omnium ſeculorum poſteritati conſecrarunt; diuerſa tamen operis animo concepta deſignatio, diuerſáque ratio tractationis, inſtituto meo patrocinabitur, occurret tædio, nouámque antiquæ perſonæ faciem inducet. Sic & infirmorum curatores, & eorum qui ciborum

V. *Num ſuperflui videri poſſint.*

Granat.
Epiſcop. Gebcn.
Bonad.

fastidio laborant, variis eosdem cibos apparant condimentis, diuersósque non diuersæ carni sapores ingerũt, vt ægros vtiliter, ac bono dolo fallant.

VI. *Seruator diuersis modis se nobis accommodat.*

Dominus ac magister noster Iesus Christus, Dei hominísque verissimus filius, æterna sapientia, & singulare diuini Amoris obiectum, hanc nobis industriam exemplo suo patefecit, dum nostrum in ipsum amorem tot rationibus, támque discrepantibus inter se viis sapientissimè prouocauit.

Ephes. 5. 29. Carnem suam, vt alteram partem sui quisq; diligit, nec est, Apostolo teste, qui eam odio habeat: Seruator noster, vt nostræ se infirmitati attemperaret, carnem induit, *& Verbum caro factum est.* Vitæ consuetudo, mutuáque familiaritas non mediocre vinculum est ad voluntates mortalium copulandas; ipsè *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch. 3. 38. Parentes diligimus, & consanguineos, ipse pater noster est, & futuri seculi pater, discipulósque suos appellat fratres. Magistros nostros doctorésque iure diligimus, quorum opera quidam tanto præstant cæteris hominibus, quanto isti bestiis antecedunt. At Seruator, *Vocatis me,* inquit, *magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Nunquam* enim *sic locutus est homo,* nemo vnquam sublimiora docuit, aut sanctiora. Ioan. 13. 13. ca. 7. 46.

VII. *Omnibus factus est omnia, vt ab omnibus amaretur.*

Principes nostros, & qui supremo imperio pollent vltro diligimus; vicariam enim Dei potestatem in terris, gubernandis nobis exercent, nósque liberos ab hostibus, incolumésque conseruant. *Confidite,* ait Seruator, *ego vici mundum, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ioan. 16. 33. & 12. 31. Colos. 2. 14 Ipse proprio sanguine debita nostra dissoluit, deleuítque chirographum, quo tyranno illi eramus obligati, & turpissimæ addicti seruituti, asseruítque in libertatem filiorum Dei. Sponsum sponsa diligit; ipse se sponsum Ecclesiæ, sibique dilectarum animarum sigillatim exhibet. Caput suum membra honorant, amántque: Deus filium suum *dedit caput supra omnem Ecclesiam,* quæ est corpus eius. Ephes. 1. 22 Oues amant pastorem suum; ipse est *Pastor bonus.* Amici amicos diligunt, eisque sui cordis secreta committunt. Ioan. 15. 15. Audi Seruatorem, *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vo-*

bis. Vitam diligimus, & quæ ad eam conseruandam valent; ipse in cibum se potúmque immortalitatis conuertit; Denique ipse omnia factus est omnibus, vt omnium in se amorem conuerteret.

Itaque de amore differendum est nobis, nihil eo dulcius, nihil amabilius; & de amore diuino, nihil eo sanctius, atque diuinius: nihil quod cum eo de necessitate possit, aut iucunditate certare; nihil quod hominem magis deceat, quem Deus ex amore condidit ac redemit, ex amore conseruat, & reddet aliquando ex amore gloriosum. Explicandus est nobis amor, non profanus ille ac vulgaris, sed sanctus ac cœlestis: non turpis & incontinens, sed castitatis & integritatis parēs: non cæcus & agrestis, sed angelicus, & plenus sapiētiæ perspicacis; non nudus, non opum vacuus & pudoris, sed verecundia, modestiáq; tectus, diuitiisq; cœlestibus locuples; non puerulus expers prudentiæ, sed in ætate florida grādæuus; seculis quippe omnib⁹ prior, & rerū productioni æqualis: non volucer & malè pennatus amor, sed constans atque perpetuus, de quo Dominus per Prophetā, *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans*, miserans inquam te, stulto & inani rerum creatarū amore perditum, ac profligatum.

VIII. *Vtilitas & delectatio huius argumenti.*

Antithesis duorum amorum.

Ier. 31. 3.

Denique de amore dicendum est nobis, non qui homines mancipat stultissimæ seruituti, & qui diuos iactat impudēs, hominésq; triumphatos, sed qui stultū illum amorem conculcauit, cui diuulsit alas, exinaniuit pharetram, cōfregit arcum ac sagittas. Id pius quidam poëta cecinit, & nobili trophæo ad Crucifixi pedes excitato, hoc subscripsit elogium,

IX. *Diuini de prophano victoria.*

Dius amor postquam impurum subiecit amorem,
Fregit & in stygiis spicula nata plagis:
Imbuit innocuas rediuiuo fonte sagittas,
Viuificóque ictu corda ferire parat.
Pande sinus pia turba Deo, sacra vulnera perfer,
Viuere & ô discas saucia, vt antè mori.

Facessat amor noctis amator & tenebrarum, quibus occultet turpitudinem suam, & oculos vitet pudoris & honestatis amātes, quales in deliciis habet diuinus Amor, quo etiam diuini verbi religosa suggesta meritò resonare possunt. Est

enim argumẽtum ea domo dignum, quæ ſacroſancta Chriſti corporis præſentia, & ſacrificio ſubinde ſanctificatur, piorum precibus, ac ſuſpiciis, quaſi incenſis odoribus ſuauiſſimè fragrat, & dulci ſanctarum lachrymarum ſtillicidio irroratur: dignum denique caſtiſſimis auribus, & innocentiſſimis oculis argumentum. Amor diuinus nullam ætatem reſpuit, nullum tempus excludit; nullus enim eſt dies, qui antiqua eius beneficia non refricet, aut noua promittat. Qui amor Deum deduxit in terras, ille idem omnia fidei noſtræ myſteria perpetrauit in terris, mutuúmque amorem mortalium, melle verborum allexit, beneficiorum prodigiis incitauit, crudeli ac pudenda morte ſuccendit, glorioſæ reſurrectionis & aſcenſionis triumpho, diuinum reddidit & immortalem.

XI. *Amor diuinus legis epitome.* Deut. 6. 6. 7. &c. Rom. 13. 10. Matth. 22. 40.

Præcepit Dominus, vt ipſius legem dies noctéſque meditemur, vt oculis noſtris illa perpetuò obuerſetur, neque vnquam è manibus elabatur; charitas ſuccus eſt eliquatus, & medulla ſuauiſſima diuinorum mandatorum, & ſumma ſcriptorum omnium, quæ noua veterique lege continentur, *plenitudo enim legis eſt dilectio*: & ex Amoris præcepto *vniuerſa lex pendet, & prophetæ.* Cùm ergo hic amor ſit epitome omnium, quæ Deus à nobis exigit, & liber cui ſtudere, quem diurna, nocturnáque manu verſare debemus, nónne par eſt vt in eo acquirendo, augendóque curæ noſtræ omnes euigilent, omnia ſtudia verbáque collocentur; donec ita ſacer hic ignis accendatur, vt flamma non ad quinquageſimum vſque cubitum, aut ad ſummam cœlorum cauitatem euolet, ſed ad illius vſque tribunal, qui vi Amoris infinita miſſus eſt in mundum. *Sic* enim *Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ioan. 3. 16.

XII. *Ad eum nos creata omnia inuitãt.*

Creata omnia, quæ cœlo, terráque continentur, quæ ſpiritu, corpore, vel vtroque conſtant, quæ ſimplicia ſunt, aut pluribus coagmentata partibus, quæ vita & ratione carent, vel vtramque participant, ad hunc nos Amorem inuitant, & quoties debita nobis officia perſoluunt, toties diuina in nos beneficia, quaſi elata voce ſignificant, & plena manu congerunt, totidémque ſunt diuini Amoris incitamenta. Quo-

niam ergo rebus istis continenter vtimur, terrâ, ex qua conflatum est hoc corpus, quæ illi quotidianam annonam suppeditat; quæ vita functum intra viscera, quasi depositum cohibet, & in supremum diem custodit; aqua, quæ sitientes potat, æstuantésque refrigerat; igne, qui frigus calore tepefacit, & omnia pene artis, ac naturæ opera perficit; aëre, qui spiritu ductus alit & sustentat animantes; cœlo, quo illuminamur, quódque erit aliquando theatrũ gloriæ, quam præstolamur: Angelis, qui vitam nostram, tanquam nauigium in mundi huius tempestate moderantur, docent nos, dies noctésque custodiunt, nobisque suis precibus, sicut & reliqui cælites æternam felicitatem procurant; nónne perpetuo ingrati animi crimine constringimur, si eum, cui hæc omnia famulantur, & propter ipsum nobis, cessamus aliquando diligere, eáque vel legere, vel meditari, quæ tam iustum in nobis, támque nobilem amorem accendant?

Discunt homines, & pene à puero eas artes exercent, quas cupiunt tota vita profiteri. Pictores crebro imagines varias rudibus lineamentis informant. Medicinæ candidati herbaria simplicia inuestigant, poëtæ carmina versant, cantillántque; geometræ figuras in arena, aut lithostilbea scandula describunt; musici, concentus semper aliquos, aut alienis, aut suis auribus insusurrant; Astrologus Sphæras tractat, & Astrolabia. Denique homo literatus libris se facilè addicit, & miles armis equisque gaudet, & quidem sæpe ad exiguum tempus singuli, quia *ars longa, vita breuis*; sæpe etiam nunquam exercent, quæ diu ac laboriosè didicerunt, diuina prouidentia hominum studia aliò vertente, adeò vt piscatores & publicanos in Apostolos mutet, & Euangelistas; vt olim pastores pecorum in Prophetas, ac populi duces. Quidni ergo artem aliquam diuini Amoris addiscamus, quam oporteat infinitis aliquando seculis exercere? XIII. *Eius scientia ad perpetuũ vsum addiscenda.*

Gemina porrò est huius tyrocinij palæstra, geminúsque istius thesauri acquirendi modus, extraordinarius vnus, Deo mirabiliter præueniente aliquos, & in nouos homines repente commutante, vt Paulo contigit, qui cùm maximè minas spiraret, & cædes in Christi gregem, eius factus est se- XIV. *Ratio extraordinaria eius acquirendi.*

ctator, propugnator, & paſtor. Legimus aliquos de Sanctis ab ipſa prima pueritia, aut etiam infantia, hoc modo diuinitus occupatos, vt ſanctiſſimum Præcurſorem, vt Nicolaum Myrenſem Antiſtitem, vt Catharinam Senenſem, quam diuinis etiam viſis prolectauit ac cepit. Nam & illiteratos aliquando, & humano præſidio deſtitutos, ſuauiſſimo gratiæ guſtu allicit ad ſe, & mirifico amore deuincit, ac copioſè locupletat, adeò vt & intellectus inſolito ſplendore illuſtretur, & voluntas hoc precioſiſſimo monili diuinæ Charitatis abundanter ditetur. Quo in numero rectè poſuerimus ſanctiſſimum parentem noſtrum Ignatium Loyolæum, qui primo ipſo conuerſionis initio, de homine militari, literarum, & religioſarum virtutum inſolenti, repente factus eſt theodidactos, atque adeò militiæ ſpiritalis magiſter.

XV. *Via ordinaria.* Altera via ordinaria eſt, multorúmq; communis, quæ propria induſtria & labore conſtat, diuinæ motioni ſtudioſius obſecundante, legendo, audiendo, meditando, orando, maximéq; diuini huius Amoris actiones frequentãdo, quę huic igni accendendo, inſtar ſunt folliũ. Et quia lectio nõ multorũ eſt pauciorum etiã accurata meditatio. Amor autem hic omnium eſſe debet, quibus quæſo rebus Concionatorum pulpita reſonare debent, quàm vocibus, & enarratione rerũ, quæ ad hunc ignem, in quo vita noſtra poſita eſt, accendendum valent? Quòd ſi vires vltra concioni, ac contentioni pares eſſe non poſſunt: ſcribendo iis opem ferre pulcherrimum eſt, qui eo munere fungi poſſunt: & videlicet pleriſque religioſis animabus, quæ cùm foras prodire non poſſint, muto hoc concionatore, quantũ, quoque modo videbitur, perfruentur.

XVI. *Autoris in hoc opere inſtitutum.* Supereſt nunc vt pium ac religioſum Lectorem, de noſtro in hoc opere inſtituto, per ſumma capita doceamus. Principiò, Deo noſtro, ſanctiſſimáque illius parẽte bene propitiis, veram amicitiam Deum inter & homines reperiri docebimus: eámque eſſe admirabilem, ac votis omnibus ambiendam, & diuinæ gratiæ fundamento nixam; quam gratiam cũ dico, inæſtimabilis pretij margaritam dico, animæ ratione

vtentis singulare decus & ornamentum, vberem, nobilémque materiam, & dignam, quæ lucem aliquam popularis scriptionis accipiat, in gratiam illorũ, qui Theologicis studiis minus fuerint instituti. Inde explicandum erit quinam intra nobilissimæ huius amicitiæ fines admitti possint, quiq; non possint. Hoc erit primum disputationis nostræ caput, quod duo alia consequentur, quæ sunt totidem diuini amoris incitamenta, diuina scilicet pulchritudo, & bonitas, quibus ad gloriosam illam amicitiam incitamur, atque impellimur. Nec sunt incitamenta duntaxat, sed duo fontes vberrimi, ex quibus ille hauritur, scaturit, atq; ingeneratur in nobis; sed duo sponsi *vbera meliora vino, fragantia vnguentis optimis*: sed fornaces duæ, in quibus excuditur ille amor, & vehementius inardescit, flammásq; suas ad empyreum vsq; cœlum vrget, ac prouoluit; sed duo ingentia maria, alterum Mediterraneum, in quo hic pię animæ multa cum voluptate natant, alter est infinitus Oceanus, vbi immortales deliciis æterni principis felicissimè absorbentur. *Eiusq; partes primariæ Dei amicitia.* Cant. 1.

XVII. *Pulchritudo & bonitas.* Dabimus igitur operam, vt hanc diuini spiritus pulchritudinem, mētibus hominum non contemplandam, sed certis indiciis coniiciendam exhibeamus; idque hoc studiosius conabimur, quo minus à Doctoribus, in hoc argumento ad populi captum accommodando, videtur elaboratum. Idipsum conabimur in diuina bonitate, tam in seipsa considerandа, quàm referenda ad res creatas. Eóque perfuncti munere, tanquam in theatrum deducemus Matronam principem, vocabulo Charitatem, duodecim liberorum suorum comitatu cinctam; eósque omnes spiritali vestitu, ac mysticis ornamentis induemus, quæ sunt totidem Diuini Amoris effecta, quæ singuli ordine suo accuratè explicabunt. Qui omnes vbi muneribus suis diligenter perfuncti fuerint, diuinum in nos amorem per summa illa duodecim capita recognoscemus, & hominis obligationem ad redamandum Deum; totúmque opus feruida sanctissimi huius amoris postulatione claudemus. *Diuini Amoris attributa duodecim.*

XVIII. *Obiectio.* Hoc ego nunc propositum habeo, Lector humanissime, & tale quodpiam munus offerre cupio diuini amoris candi-

datis: etsi mihi ipsi sum maximè conscius, quanto interuallo ab illius amoris absolutione distem, cuius artificium quoddam explicandum suscipio; nec ignorem oportere *ex abundantia cordis os loqui.* Plantæ enim & animalia non priùs sibi similia producunt, quàm debitam suo generi perfectionem attigerint. Perfectorum artificum est, opera eximiæ artis edere, tyronum, rudia & inchoata. Pictorum nouitij informem operis speciem rubrica, vel carbone designant, primúmve coloris corium inducunt, vel in vestiaria pictura, aut topographica elaborant, quæ conuenientiæ potiùs, quàm necessitati seruiant. At pictor ipse vultum informat, magistrámque adhibet manum in extremæ operæ ductu, viuos applicat ac spirantes colores. Denique, vt verbo rem colligam, peritum omnino esse oportet artis, quam docere velis.

XIX. *Differentia perfectionis naturæ, artis, & virtutis.*

Fatendum tamen est perfectionem morum non parum à naturali, aut artificiosa dissidere; ars enim & natura adeptam iam perfectionem ponunt, moralis virtus, non item. Natura quippe certis est definita limitibus, quos vltra citráve vim suam exerere non potest. Neque enim animal quouis tempore sibi simile producere potest, nec pictor quauis ætate excellere; oculi, manus, phantasia, hebetiora fiunt in dies, & languidiora, quàm vt perfecto officio fungi possint. At moralis perfectio immensum quoddam habet, infinitúmque curriculum; eáque in studiosis virtutis, & diuini Amoris imprimis, tota vita augeri potest, si eam vel ad finem vsque mundi produxerint. Paulus Apostolus negat se ad illam perfectionis metam, in quã intuebatur, peruenisse, in stadio autem decurrere: & quæ retro sunt obliuiscentem, ad anteriora extendere sese, destinatúmque supernæ vocationis brauium. Quid ergo ipsi de nobis statuere debemus, qui ab Apostoli perfectione, & charitate tanto interuallo distamus? Hic nimirum valet illud vulgò iactatũ, hominem fieri faciendo. Valeat saltem illud in causa nostra,

Phil. 3.14.

---fungar vice cotis, acutum,
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Et hactenus prolocuti fuerimus, nunc transgressi vestibulum, ingrediamur in ædes.

SYNOPSIS

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS de Amore Dei.

TRIA omnino sunt huius Operis summa capita. Primo demonstratur Deum inter & homines veram existere amicitiam; eam esse admirabilem, ac votis omnibus ambiendam, & sanctissimo diuinæ gratiæ fundamento niti; qui denique huius amicitiæ finibus contineantur. His primo & secundo libro explicatis, duo alij consequentur, qui totidem diuini Amoris incitamenta declarabunt, diuinam scilicet pulchritudinem, ac bonitatem; quod est alterum totius operis caput. In tertio subiicientur diuini Amoris proprietates, effectúsve duodecim, qui quasi totidem filij Charitatis, ab ea in conspectum ducentur, spiritali omnes vestitu, ac mysticis ornamentis instructi. Hæc porrò sunt eorum nomina, Dulcis-Amor, Ingeniosus-Amor, Fortis, Liberalis, Mitis, Sollicitus, Vniens, siue Socialis, Actuosus, Feruidus, Æmulator, siue Zelotes, Vigil, & Officiosus; qui singuli has ipsas proprietates singulis libris ita explicabunt, vt declarata breuiter earum natura, Deum ipsum doceant amare nos, & illustribus exemplis suum in nos amorem Dulcem, Fortem, Ingeniosum, Mitem, Sollicitum, Liberalem, & ita de cæteris prodidisse: vicéque versa viros sanctos Dei amicos suum in Deum amorem, iisdem proprietatibus præditum, præclaris facinoribus, quæ ex sacris codicibus, & historia Ecclesiastica, vt quæque fuerint in suo genere illustrissima, depromemus, egregiè demonstrasse. Et vtrimque nos ad Dei optimi maximi amorem inflammari oportere. Quæ omnia librorum & capitum subiectus index studioso Lectori cumulatiùs indicabit, atque distinctiùs.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius literis cautum, ne quis in regno ipsius, aliisue locis eius ditioni subiectis, intra sex proximos annos à die impressionis primæ inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur, IACOBI SALIANI *è Societate* IESV *Sacerdotis, de Amore Dei libri sedecim*, præter Sebastianum Cramoisy Bibliopolam Iuratum Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis, eundem Librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisue pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 16. Ianuarij 1629.

Signatum, De mandato Regis, SENAVLT.

Approbatio R. P. Prouincialis.

IONNES FILLÆVS Prouincialis è Societate IESV in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R.N.P. Præposito Generali MVTIO VITELLESCO, facultatem concedo, vt P. IACOBI SALIANI *è Societate* IESV *Sacerdotis, de Amore Dei libri sedecim*, eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio probati, typis excudantur. Datum Parisiis die 5. Ianuarij 1630.

IOANNES FILLÆVS.

Editio prima perfecta est 15. Iulij, 1631.



INDEX LIBRORVM ET CAPITVM DE AMORE DEI.

LIBER SECVNDVS.

De Diuini amoris obiecto, siue,
Quinam Diuina amicitia comprehendantur.

LIBER TERTIVS.

De diuina pulchritudine, primo ad diligendum
Deum inuitamento.

LIBER QVARTVS.

De Diuina bonitate, altero ad diligendum Deum incitamento.

LIBER QVINTVS.

De Diuini Amoris dulcedine: qui & Dulcis Amor.

LIBER SEXTVS.

De Solertia Diuini Amoris, qui & Ingeniosus Amor.

LIBER SEPTIMVS.

De Diuini amoris Fortitudine, qui & Fortis Amor.

LIBER OCTAVVS.

De Liberalitate Diuini Amoris.

LIBER NONVS.

De Mansuetudine Diuini Amoris.

LIBER DECIMVS.

De Sollicitudine Diuini Amoris.

LIBER VNDECIMVS.

De Vnione Diuini Amoris.

LIBER DVODECIMVS

De Actione Diuini Amoris.

LIBER DECIMVS-TERTIVS.

De Feruore ac Diligentia Diuini Amoris.

LIBER DECIMVS QVARTVS.

De Zelo Diuini Amoris.

LIBER DECIMVS-QVINTVS.

De Vigilantia Diuini Amoris.

LIBER DECIMVS-SEXTVS.

De Comitate Diuini Amoris.



PRIMA DE AMORE DIVINO DISPVTATIO, SIVE LIBER PRIMVS,

De vera Deum inter & homines Amicitia, eiúſque fundamento.

CAPVT I.

Quæ conditiones ad veram amicitiam requirantur.



QVI olim Philoſophi ſapientia cæteris atque eruditione præſtiterunt, & Amicitiæ vim ac naturam accuratiùs perſcrutati ſunt, in primíſque Ariſtoteles in libris de moribus, Plato in ſympoſio, in Lælio Romanus orator, & poſt eos Doctor Angelicus, in eo facilè conſentiunt, vt Amicitia tribus maximè ex rebus eﬄoreſcat, vna ex parte beneuolentia, amore mutuo ex altera, quæ boni alicuius media communione iungantur; vnde exiſtit illa definitio, Amicitia, mutua quædam relatio eſt inter aliquos, boni cuiuſpiam nixa fundamento. Si quis aliquem amore proſequitur, priuſquam ametur viciſſim, dici non poteſt inter eos coaluiſſe

Num. I. *Amicitia tria requirit.* Lib 8. c.9. *Beneuolentiam.*

amicitiam, neque illum amicitia complecti alterum, ſed beneuolentia; quia bene ei vult, bonúmque aliquod illi deſiderat. Sic parentes filios diligunt, etiam in matris vtero exiſtentes, quippe quibus deſtinant omnes fortunas ſuas. Dei quoque non amicitia, ſed beneuolentia eſt erga electos ſuos, ſiue priuſquam illi nati fuerint, ſiue poſtquam mortiferi cuiuſpiam ſceleris maculam caſu aliquo contraxerunt.

II. *Mutuum amorem, & boni alicuius communionem.*

Cùm autem qui eſt in amore poſterior, prioris beneuolentiæ reſpondet, & ignis vnus, amor enim ignis eſt, produxit alterum, extrema duo relationis exiſtunt, quæ re quapiam indigent, quæ ſit communis ambobus, qualis eſt ſanguis, qui amicitiam conſanguineorum connectit; qualis affinitas, qua affines inter ſe communicant, amántque: qualis armorum tractatio, ſub eodem duce, inter commilitones: aut eiuſdem communio doctrinæ inter condiſcipulos: aut ſimilis morum, ingenijque habitus inter æquales. Sed procedit etiam res iſta longiùs; nam linguæ atque idiomatis communicatio, eos coniungit amicitia, qui ſunt nationis eiuſdem; quod facilè agnoſcitur, ſi quando alter alterum offenderit in regione longinqua. Maximè autem virtus inter bonos, veriſſimas fundat ſtabilitque amicitias; ſic religioſi cuiuſpiam ordinis vocatio, religioſáque profeſſio, connectit religioſos; & Chriſtianiſmus ipſe Chriſtianos. Tantáque in hoc genere vis eſt religionis, vt qui aliquam eius duntaxat vmbram retinent, vim eius aliquam ſentiant, vt in Mauris ac Mahumetanis, Iudæis, atque hæreticis cernere licet, qui ſub eiuſdem religionis ſpecie, mutuò amant, tuentur & iuuant.

Vis religionis.

III. *Amicitia cognitionem requirit.*

Dixerit aliquis nihil vltra ad amicitiam requiri; duo tamen præterea deſiderat amicitia; vnum vt ſit amicitia, & quoquo modo id nomen recipiat, alterum vt vera ſit amicitia, támque ſancto nomine digna ſit. Amicitia ergo requirit omnino mutuæ agnitionem beneuolentiæ inter amicos. Si enim mutuus eſt amor, & qui vtrumque lateat, non hæc amicitia eſt, ſed fortuitus geminæ beneuolentiæ concurſus, quæ eſt doctrina Philoſophi. Ionathas, regio ſanguine ac virtute iuuenis, diligebat Dauidem animaduerſo heroico illo ipſius aduerſus Goliathum animo, atque facinore. Dauid quoque Ionatham eximia virtute præſtantem diligebat; inter eos tamen non prius coaluit amicitia, quàm mutuum ipſi amorem colloquendo agnouerunt, quem deinceps muneribus, fœdere, promiſſíſque arctius conſtrinxerunt, factáque eſt amicitia omnibus numeris abſoluta. Qui theſaurum ingentem iampridem terra obrutum domi habet, ſed ignotum, vtique diues non eſt; & qui diligitur, alieni in ſe amoris inſcius, amicum non habet; deficiente enim cognitione, nec ille theſaurum poſſidet, neque iſte amicum.

Lib. 8. Eth. c. 1 fi.
1. Reg. 18. 1.

IV. *Et vera amicitia virtutis fundamentum.*

Sed aliud etiam quiddam in vera amicitia requiritur, vero nimirum vt virtutis fundamento nitatur. Si enim amicitia virtus eſt, vt viſum eſt M. Tullio, non poteſt in turpi, aut vitioſo fundamento ſubſiſtere, quin nomen amittat amicitiæ, fiátque coniuratio, qualis Catilinæ cum ſociis

quondam fuit; qualis esse solet inter prædones, piratásque conspiratio, & eorum qui apud Sapientem dicunt, *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ, quod enim infirmum est inutile inuenitur.* Talis fuit Absalonem inter & Achitophelem amicitia, quæ mitissimi Dauidis ruinam propositam habebat; talis Alcimi & Bacchidis, quæ fortissimi Machabæi spectabat interitum: talis Ionadabi & Ammonis patruelium, de eripiendo Thamaris pudore turpiter conuenientium: talis denique filiorum Iacobi Patriarchæ, in mortem Sichemi, & Sichimorum vastitatem, & in fratris innocentissimi perniciem conspirantium.

Sap. 2. 10. 2. Reg. 15. 12. 1. Mach 7. 10. 2. Reg. 13. 3. 4. Gen. 34. & 37.

V. *Tria bona, totidémque amores.*

Quemadmodum autem tria sunt bonorum genera, alia vtilia, vt opes & copiæ, alia iucunda, quæ hominem sensus suauitate deliniunt, vt ludi, epulæ, horti, odores, fidium concentus, cantus harmonici, aliáque id genus. Alia denique sunt honesta, in quibus principem locum virtus tenet, cui si placet scientia, quæ virtus est intellectus, addi potest; ita triplex est amor, qui ad illa fertur, emolumenti, delectationis & honestatis; sed priores duo cupiditatis sunt, tertius beneuolentiæ, qui veram amicitiam gignit, & continet. Primus amor vulgarium est hominum. Nam, vt quidam ait, *Vulgus amicitias vtilitate probat*; Alter est eorum qui voluptati famulantur, etsi ea homini est communis cum bestiis; tertius proborum est, qui solus constantiam habet & firmitatem; cæteri caduci sunt & incerti, nec tam in nostro consilio positi, quàm in fortunæ temeritate, qua homines ludificante, amor, qui vtilitate nititur, aut voluptate, corruit atque euanescit; tertius perennis est, ac de ipsa quoque morte triumphat. Nam Dauid etiam extinctum Ionathan dilexit, & amorem suum, beneficentia in Miphibosethum, qui nihil habebat amabile, nisi quod tali parente natus erat, mirificè demonstrauit.

Duo cupiditatis.

Cic. in Lælio.

Tertius beneuolentiæ. 2. Reg. 9.

VI. *Qui solus amicitiam procreat.*

Illud præterea liquet, vbi nulla est beneuolentia, ne amicitiam quidem vllam existere; beneuolentia, inquam, qua quis, vt fert nominis ipsa notatio, alicui bene vult, bonúmue aliquod ipsi desiderat, bonitatem, sapientiam, sanitatem, formam, vires, gratiam, honores, dignitates, opes, & si qua sunt alia, quæ censentur in bonis; quæ omnia amicis desiderare possumus, si absint, aut illis de eorum possessione gratulari. At si quid amamus, cuius bonitatem ad vsum nostrum, commodúmque referre velimus, vt vini suauitatem, equi vires, ædium pulchritudinem, industriam, fidémque famulorum, non est hæc beneuolentia, aut amicitia quæ in famulos, cæteráque bona referatur, sed amor cupiditatis, qui spectet nosmetipsos, quibus ea bona cupimus. Ridiculum enim est, vt ait Philosophus, dicere, aliquem bene velle vino, non sibi ipsi, cui vini bonitas naturæ lege destinatur. Ex quibus perspicuè intelligitur qualis sit multorum amicitia, qui contrahendis affinitatibus, opes duntaxat, aut voluptatem spectant, non bonum aliquod earum, quas se singulari amicitia complecti mentiuntur.

CAPVT II.

Deum inter & homines veram existere amicitiam.

I. *Adest beneuolentia ex parte Dei.* QVÆ iacta sunt hactenus disputationis huius fundamenta facilè demonstrant, veram germanámque amicitiam Deum inter hominésque reperiri; dispiciamus rem propius, si placet, non enim longum est iter ad singula; dispiciamus, inquam, Dei aduersus homines beneuolentiam; ea illustrissima est, atque certissima. Id Sapiens in eius præsen-
Sap. 11. 25. tia confitetur. *Diligis*, inquit, *omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*, bona quippe sunt, nec bonum odisse quisquam potest: *neque ex odio quidquam constituit aut fecit*; neque enim naturam dedisset qua sunt, aut conseruaret: sed illis id bonum voluit, quod vltro ac sponte dedit. Quæ autem ratione, vel intelligentia vtuntur in rebus creatis, non quoquo modo ab autore suo diliguntur, sed ita diliguntur, vt bonum ipsis sum-
1. Tim. 2. 4. mum sempiternúmque desideret. *Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & vias rationésque sectari ad felicitatem obtinendam necessarias, quæ omnia Seruatoris nostri incarnatione, vita, ac morte, pro omnium salute obita, continentur.

II. *Sitne in Deo amor cupiditatis.* At enim, inquies, à Sapiente scriptum est, Dominum vniuersa propter semetipsum operatum esse; Cùm ergo in rerum omnium molitione, cæterísque suis operibus, seipsum Dominus spectauerit, omnia ad seipsum
Prou. 16. 4. retulerit; adeóque per Apostolum iusserit, vt *siue manducamus, siue bibi-*
1. Cor. 10. 31 *mus, siue quid aliud facimus*, omnia in Dei gloriam faciamus, videri potest eius amor beneuolentiæ non esse, sed cupiditatis. Respondeti nihilo-
Deus amicus, & finis vltimus. minus rectè potest, Deum ad hominem geminam habere rationem, & quasi geminam sustinere personam, amici & vltimi finis; vt amicus ei beatitudinem desiderat, ac beneuolè procurat; vt vltimus autē finis, vult omnia ad suam gloriam referri, quod saluis veræ amicitiæ legibus cōtingere potest. Id enim & honestum est per sese, & ipsi amico fructuosum, vt omnia sua, séque ipsum referat ad vltimum finem. Hîc autem ex accidente est, vt vnus idémque & amicus sit, & supremus omnium rerum finis.

III. *Adest & beneuolentia hominis in Deum.* Neque verò humana deest isti amicitiæ beneuolentia. Certum enim est in Ecclesia catholica, quam rectè, ac verè appellamus sanctam, plurimos sanctitate præstare, puróque Deum amore prosequi, synceróque; quippe ipsius vnius causa, infinitæque bonitatis, qua incitatus est ad nos beneficiis, sine vllo suo emolumento, obruendos; sunt & qui eius amicitiæ non renunciarent, quamuis nullam ab eo mercedem expectarent, nec desinerent debitis officiis Deo famulari, vt nulla esset pœna proposita delinquenti. Omnibus etiam seculis extitere quamplurimi, qui supremum amoris gradum aduersus Deum demonstrarunt, sanguine proprio vitáque profusa, ne eius amicitiam vllo scelere violarent. At constat, ipsius

Seruatoris oraculo, neminem maiorem habere charitatem eo, qui vitam, atque animam ponit pro amicis suis.

IV. *Quî possimus Deo benevelle.* Psal. 15.1. Verùm, inquies, quę bona Deo amici eius velle, aut desiderare potuerũt, qui bonis omnibus plenissimus est? cui regius psaltes canit, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Verùm hunc scrupulum facilè adimunt Doctores, cũ aiunt diuinorum bonorum duo esse genera, quædam enim in ipso Deo, eiúsque natura existunt, alia foris sunt, quæ tamen ad ipsum referuntur. In illo ordine potentia, sapientia, bonitas, pulchritudo, aliæque perfectiones numerantur, quas ipsi verissimo amore volumus, cũ perplacet nobis quod Deus talis ac tãtus sit, cùm eam segetem gloriæ, ac lætitiæ nostræ ducimus, cùm gratias agimus ei propter magnam gloriam eius, paratíque sumus ad eam, si quomodo amitti posset, mille mortibus redimendam. In altero ordine sunt honor, reuerentia, obedientia, cultus, timor, amórque, quæ sunt in hominibus, à quibus Deus honoratur, amatur, & colitur; quæ bona lætamur ad eum referri; gaudemus enim Deum honorari, coli, amari, vt reuera honore, amore, cultúque dignissimus est, & verbis, exemplis, omníque animi contentione conamur amorem eius, laudem, cultúmque promouere; de amore autem eius, honore, cultúque violato, veri amici aut filij more, contristamur, ac gemimus.

Gemina Dei bona.

V. *Gratia fundamentum diuinæ amicitiæ.* 2. Pet. 1.4. *Hæc communio variè repræsentata.* Ca. 2.19. Matth. 28.10. Rom. 8.17. Reperitur postremò certum ac solidum huius diuinæ amicitiæ fundamentum. Deus enim cum hominibus, gratia eius interueniente, communicat, eáq; homo *diuinæ naturæ consors* efficitur, vt princeps Apostolorum loquitur, & ad statum erigitur natura humana superiorẽ; adeo vt eiusdem gloriæ, qua angeli, Deúsq; ipse beatus est, particeps esse possit. Itaque nobilis ista communio, in sacris literis repræsentatur, ea quæ inter ciues ac domesticos esse solet. Ephesios enim recens ad fidem conuersos negat Apostolus esse hospites & aduenas, *sed ciues sanctorum, & domesticos Dei.* Aliquando per eam necessitudinem, quæ cum fratribus atque hæredibus intercedit. Nam Seruator ipse Discipulos suos appellat fratres; & Paulus Seruatorem *primogenitum in multis fratribus*, testatúrque eos Dei hæredes esse, vt filios, cohæredes autem Christi, vt fratres: qui ad huius amicitiæ firmitatem adiecit fundamentum consanguinitatis, atque affinitatis, assumpta carne nostra & sanguine, quæ cum diuina persona coniunxit.

VI. *Adest quoque mutua amoris cognitio.* Reliqua itaque videtur, ad huius amicitiæ integritatem, mutua cognitio beneuolentiæ amicorum: sed ea ex parte Dei clarissima est, atq; certissima, qui intima cordium cognitione peruadit, omnésque eorum motiones, cogitationes, consilia, voluntates; perspicuéque videt an gratia, quam in anima ipse produxit, perseueret: & amor noster beneuolentiæne sit, an cupiditatis. Nos vicissim certò scimus nos ab eo amatum iri, si eum dilexerimus. *Si quis diligit me*, ait Christus Dominus, *diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et rursum ibi, *Pater amat vos, quia vos me amastis.* Et diuina Sapientia, *Ego*, inquit, *diligentes me diligo.* Si ergo testis nobis est conscientia, nostri in Ioan. 14.21. Ca. 16.27. Prou. 8.17.

eam amoris, certum est amari nos ab ea, cùm illius amor nostrum, vt
1.Ioan.4. causa effectum, antecedat, *quoniam Deus prior dilexit nos*, nec poteramus
19. eum, nisi amore eius & gratia suauiter præueniente, diligere. Verum quidem est nos non habere cognitionem in hac vita nostri in eum amoris tam certam, vt ei falsum subesse non possit, sed habere tamen maximè probabilem, nec minorem ea, quæ hîc veros inter amicos existit.

CAPVT III.

Quæ dubiam hanc amicitiam facere videantur; & primùm defectus consuetudinis vitæ.

I. *Vitæ consuetudo ad amicitiam necessaria.* Lib.8.Eth. c.5.& l.9. c.5. 1.Mach. 12. 10. *Quæ in diuina deesse videtur.*

SVNT quidem hæc omnia valde, vt arbitror, consentanea veritati; non pauca tamen sunt, quæ in hac amicitia desiderari videantur. Si qua enim futura est amicitiæ longinquitas, inter amicos aliqua vitæ consuetudo requiritur, vt docet Philosophus; ipsáque experientia probat, amicitias diuturna absentia disiungi, atque interire. Cui malo amici absentes occurrunt frequentia, & quasi colloquio literarum. Id olim Ionathas magnus Hebræorum sacerdos, & populi princeps significabat, cùm literas ad Spartanos longo ex interuallo daret. Quæ autem vitæ consuetudo mortalibus cum immortali Deo? qui non nisi in cœlo visitur, nos non nisi in terra versamur, neque eum vel manu tangere, vel oculis cernere, vel vllo sensu percipere possumus. Deus spiritus est, nos nihil nisi corporis interuentu agnoscere possumus, à quo sola materiata dignoscuntur. Habitat ille inaccessam lucem in cœlis, nos in terris ignorantiæ tenebris circunfundimur, & peccati.

II. *Isti incommodo per incarnationem Verbi prouisum.*

Verùm admirabilis Dei prouidentia huic incommodo cumulatè prouidit, mysterio sacrosanctæ Incarnationis suæ. Postquam enim *Verbum caro factum est, habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius*, & in ea, quasi in crystallino speculo, Dei gloriam, perfectionésque nobilissimas, proximè ad diuinæ naturæ similitudinem repræsentatas. Id Ecclesia non obscurè significat, cùm in sancto Missæ sacrificio crebrò illud vsurpat, *quia per incarnati Verbi mysterium, noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.* Cùm autem ab incarnata sapientia didicerimus filium
Ioan. 14. 9.10. esse in patre, & patrem vicissim in filio, & qui videt filium videre etiam patrem, certè quæ nobis est vitæ consuetudo cum filio, cum patre quoque, ac Spiritu sancto censeri meritò potest.

III. *Et Eucharistiæ sacramentum.*

Et ne fortè suspicaremur, Christo post gloriosum de morte triumphum in cœlum recepto, amicitiam, quæ eius opera, præsentiaq; coaluerat, per eius absentiam dissipatum iri, sub discessum discipulos suos, qui

ad vltimam vſque mundi periodum victuri erant in terris, monuit ſe cum ipſis perpetuo fore, non vt Deum ſolum, ſed etiam vt hominem; inſtituto in eum finem diuino, planéque admirabili Euchariſtiæ Sacramento, cuius interuentu ipſum Chriſti corpus, quale in cœlo eſt, animúſque glorioſus, cum ipſa diuinitate, reipſa in Eccleſiis catholicis reſidet, eorúmque pectoribus infunditur, qui ipſum ſacramenti velo tectum recipiunt. Si ergo inter amicos conuiuia celebrantes vitæ conſuetudo non deeſt, quomodo nobis diuinæ menſæ accumbentibus, ipſúmque Emanuelem intra viſcera noſtra recipientibus, ipſum alloquentibus, eíque noſtram inopiam, infirmitatem, miſeriáſque omnes demonſtrantibus; & ipſo vice verſa cor noſtrum alloquente, ſuámque voluntatem ei patefaciente, quomodo, inquam, vitæ conſuetudo deeſſe poteſt? Matth. 28. fin.

IV. *Qui fiat conuerſatio cum Deo.*

Et vt abeſſet iſta familiaritas atque conuictus, vti prioribus illis ſeculis aberat; in illis tamen Deus amicos ſemper aliquos habuit in terris, vt Adamum diuinæ gratiæ reſtitutum, vt Abelem, primum iuſtitiæ & innocentiæ exemplum, vt Sethum, & Enoſum filium eius, qui ritu ſolenniore *cœpit inuocare nomen Domini*: vt Henochum, qui cum Deo ambulaſſe, id eſt familiariter vixiſſe creditur, vt Noëmum, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, alióſque patriarchas, quorum plurima extant etiam nunc cum Deo colloquia, ſacris deſcripta monumẽtis, maximè autem cum Moyſe, cæteríſque prophetis, quibuſcum Deus familiariter verſabatur, vt amicus cum amico ſolet, quod nominatim de Moſe ſcriptum, cæteris poteſt proportione concedi. Quibus illud etiam non iniuria tribuerimus, quod Paulus de ſe, ſuíque ſimilibus dicebat, *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* vbi ſcilicet eſt ipſorum theſaurus. Quòd ſi imperfectus eſt iſte vitæ vſus, atque familiaritas, meminerimus eam huic exilij loco conuenire, expectemúſque in patria amicitiam, omnéſque illius delicias omnibus numeris abſolutas.

Gen. 4. & 5. Exod. 33. 11. Phil. 3. 20. *Quæ hic imperfecta.*

CAPVT IV.

Altera dubitatio, de perſonarum, ſiue amicorum inæqualitate.

I. *Magna Dei hominíſque inæqualitas.*

OBIICITVR etiam huic diuinæ amicitiæ magna perſonarũ inæqualitas, cùm tamen à ſapientibus rectè dictum ſit, maximum eſſe in amicitia, ſuperiorem parem eſſe inferiori: & eos qui ſunt in amicitiæ, coniunctioníſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debere: inferioribus autem minimè dolendum eſſe, ſe à ſuis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari. Quid habet probabilitatis Regem aliquem præpotentem amicitiam contrahere cum infimæ plebis opifice, aut diuitem aliquem epulonem, cum mendico Lazaro. Cic. in Lælio.

Eſt tamen nonnulla inter homines iſtos proportio; ſunt enim vtrique homines, ſed finiti ad infinitum, quæ poteſt eſſe proportio? Hoc nimirum Dauidem egit in ſtuporem, cùm diceret, *Quid eſt homo quod memor es eius? aut filius hominis, quia reputas eum?* (Pſal.8,10.)

Non bene conueniunt, ait poëta quidam, *& in vna ſede morantur,*
Maieſtas & amor;

Amor enim vel maieſtatem nimium deiicit, vel nimium attollit humilitatem amantis.

II. *Facta eſt quædam inter eos æqualitas.* Fatendum eſt quidem certè Deum inter & hominem immenſam eſſe, infinitámque diſtantiam; at neque negandum eſt hominem ad infinitam quandam euectum eſſe dignitatem, quando humanitas diuinitati in perſona Verbi coniuncta eſt, itáque factum, vt Deus homo fieret, & homo viciſſim fieret Deus, matrimonio quodam mirabili, quod in maximum totius humani generis honorem redundaret. Quin & ſinguli homines, qui gratia diuina donantur, in ſtatum profectò excitantur omni humanæ naturæ conditione ſuperiorem, ac planè diuinum; vt inter Deum atque hominem reperiri queat amicitia, quam eminentiæ vocant, qualem fatentur exiſtere inter patrem & filium, diſcipulum & præceptorem. (*Amicitia eminentiæ.*)

III. *Quam ſapientes ethnici agnoſcunt.* Nec illi ſapientes perſonarum in amicitia inæqualitatem omnem excludunt, cùm fatentur amicum amico ingenio, fortuna, dignitate præſtare poſſe, ſed modeſtiam eorum commendant, qui cùm ſuperiores ſint ſummittunt ſeſe. Commendant & benignitatem, qui inferiores amicos beneficiis extollunt, faciúntque ſuæ amplitudini ſuppares. Quòd ſi nihilominus apparet inæqualitas, valeat illud S. Hieronymi, *Amicitia pares accipit, aut facit.* (In cap.7. Mich.) Et ſicut vas aureum cum terreo artificioſè inaurato æqualitatem quandam habet, ſic anima quæ gratia diuina, quaſi auro obducitur, aut lumine gloriæ illuſtratur, quandam acquirit æqualitatem, vt ad tam nobilem amicitiam cum Deo, & ad claram contemplationem ac poſſeſſionem eius admitti poſſit.

CAPVT V.

Tertium diuinæ amicitiæ impedimentum, mutuæ communicationis defectus.

I. *Bonorum communicatio fouet amicitiam.* OCCVRRIT etiam aliud ſanctiſſimæ huius amicitiæ impedimentum, quod inter hos amicos mutua bonorum communicatio eſſe non poſſit; quam tamen in amicitia requiri, docet iactatum vulgo prouerbium, *Omnia amicorum eſſe communia*, quod ad fortunæ bona duntaxat referri non debet, ne præcipua amicorum inter ſe officia, auxiliáque tollamus. Latinus certè orator his finibus in amicitia vtendum arbitratur,

tur, vt cùm emendati fuerint mores amicorum, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, & voluntatum, sine vlla exceptione communitas. Totos se amicorum suorum esse cupiunt, proptereáque munera inter se missitant, quæ sui ipsorum vice fungantur; illúdque etiam addunt elogium, *Hæc tibi dat, qui se iam dedit ante tibi.* *Munerum vsus.*

Si ergo pauperis cum diuite amicitia ægrè coalescit, quòd mutua inter eos liberalitas exerceri non possit, quomodo cum Deo possit existere, qui hominibus perpetuo dare potest, ab iis recipere nihil potest; cùm ipsorum bona omnia multis nominibus Dei esse constet. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi*, inquiebat Dauid, cùm Deo ingentes thesauros offerret ad templum illud augustissimum diuinæ maiestati construendum. 1. Par. 29. 14.

II. *Quî diuites cum pauperibus cõmunicare possint.*

Verùm ne hic quidem defectus isti amicitiæ officere potest. Cùm enim non in solis opibus & copiis posita sit ista communitas, vt diximus, nihil vetat pauperes cum diuitibus amicitiam contrahere, & mutua liberalitate fouere; sic vt vna ex parte fortunæ bona, ex altera mentis ingeniique tribuantur; iuxta illud Apostoli, *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Et alibi, *Si spiritualium eorum*, qui scilicet sunt Hierosolymis, *participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Diues ergo victum pauperi vestitúmque suppeditabit, & peccata sua eleemosynis redimet; pauper illi preces apud Deum, lacrymásque tribuet; Diues eum proteget, & tutum ab improborum audacia conseruabit, pauper diuitem, colet, obseruabit, gratias aget, eiúsque beneficentiam vbique prædicabit. Quo fere modo Dauid & Ionathas amicitiam viuo Saule coluerunt. 1. Cor. 9. 11. Rom. 15. 27. 1. Reg. 18.

III. *Et homines cum Deo.*

Certum quidem est nos nihil Deo offerre posse, quod multis nominibus non sit illi debitum. Quæ tamen bona ab hominibus possidentur, iusto legitimóque diuinæ donationis titulo possidentur, cum onere tamen reddendæ rationis ad eius supremum tribunal. Itaque si quando ista offerimus Deo, ea nobis ipse accepta refert, & tanquam nostra muneratur, quãuis eadem ipsa prius accepta fuerint ex thesauris eius. Quod si nihil illi largiri possumus, nihil ne illis dare possumus, qui ipsius locum tenent? de quibus tam seriò dixit, *Quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Ne dixeris igitur ô sancte Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* habes enim quibus eius nomine retribuas, filios eius, famulósque pauperes. Qui vt deessent, reddes honorem Domino, reddes cultum, laudem, gratiarum actionem. *Eruam te*, inquit ipse, *& honorificabis me.* Psal. 115. 3. Psal. 49. 15.

CAPVT VI.

Quartum impedimentum eiusdem amicitiæ, ex amicorum multitudine petitum, diruitur.

I. *An amicitia inter multos constare possit?* SVPEREST non leuis difficultas in hac disputatione nostra, & quæ hoc amicitiæ genus validè impugnat, quod amicitia singularitatem requirere videatur. Amor enim in plures particulas, personásque diuisus, tenui riuulo ad singulas allabitur, itaque nec temporis longinquitati resistet, nec firmam gignet amicitiam, atque constantem. Igniculus beneuolentiæ, flatu auræ leuis extinguitur, & arbor nouella rerum aduersarum torrenti facilè cedit, ac sternitur. Itaque obseruatum est ex omnibus seculis vix tria aut quatuor amicorum paria nominari, quibus ex Romana historia Scipionem & Lælium, ex sacra Dauidem & Ionatham licet adiungere; amicorum autem triadem vix est qui prodat. Cuius rei signum est quod Dionysius Siciliæ tyrannus, in amicis Damonis & Pythiæ tertius esse desiderarit. Denique *ita contracta res est*, inquit Tullius, *& adducta in angustum, vt omnis charitas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur.* Multos filios pater familias vtique diligit, sed vnicum multò magis. Et hæc fortassis vna causa est, cur Deus matrimonium duorum duntaxat esse voluerit.

paria amicorum. Valer. l. 4. c. 7.

II. *Amicitia Christiana omnes amplectitur.* At charitas quæ est amicitia Christiana mundum amplectitur vniuersum, nec alienigenas, quamuis barbaros, neque ignotos, ac ne inimicos quidem excludit: quando legislator noster lege lata constituit, vt diligeremus inimicos, & benefaceremus iis qui oderunt nos. Deus autem ipse non vnum aliquem eximia sanctitate virum amicitia complectitur, sed omnes omninò bonos, & gratia diuina decoratos, quorum numerus in cœlo, terráque, ab omnibus retrò seculis, maximéque à Christi Domini aduentu in terras, tantus est, vt arenam maris, & guttas oceani superare possit; præsertim cùm immensus ille beatarum mentium exercitus eo numero contineatur. Quid ergo probabilitatis habet Dei amicitia cum homulo ex argilla & luto ficto, id est folio arboris, quod à vento rapitur? Quid habet, inquam, proportionis folium vnum ad syluam densissimam, & dierum aliquot amplitudine diffusam? *In populo magno non agnoscar*, inquit Sapiens, *quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* *Totum mundum aspicite*, ait Magnus Gregorius, de solis martyribus agens, *martyribus plenus est. Iam penè tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus.* Sic magnus ille Pontifex.

Deus omnes bonos diligit.

Eccl. 16. 17. Hom. 27. in Euang.

III. *Multitudinē nihil officere* Nihilominus rectè affirmare possumus ac verè, ne hanc quidem conditionem huic amicitiæ deesse; siue Deum ipsum, siue homines attendamus. Cùm enim Dei amor, sicut & Deus ipse, sit infinitus, æquè mul-

ti millia simul atque vnum aliquem amplecti potest: sicut & innumerabiles sanctorum legiones æquè beatas reddere, atque vnum de multis homuncionem. Quidni autem possit, cùm sol ille corporeus, natura, magnitudine, potestate finitus, nunc non minus omnes homines, qui versantur in terris, illuminet, quàm olim par illud hominum in Edenis horto commorantium? Neque enim vel ista lux, vel illa beatitas, aut diuinus amor in partes distrahitur, sed toto singuli sine vlla imminutione potiuntur. Sic & Seruator eadem charitate dilectum Euangelistam morte sua, cruciatibúsque redemit, ac reliquos omnes omnium temporum regionúmque mortales. *diuina amicitia, ex parte Dei.*

Quod ad homines attinet, quicunque Deum vero amore prosequitur; ita prosequitur, vt eius participem primario nomine faciat omninò neminem, sed solus Deus cor omne, virésque vniuersas animi & corporis occupet; adeo vt neminem quidquam amare patiatur, quod hoc amore non includatur, aut referatur ad ipsum. Purissimus est hic amor, solúmque intuetur Deum, cui omnia sine vlla exceptione tradit, sed eo tamen includuntur omnes, qui ad Deum pertinent, & apti sunt vt hoc diuino amore diligantur. Pertinent autem, vt filij, vt amici, vt ab eo conditi, vt eius vicem gerentes: sic & amicorum nostrorum filios, amicos, cognatos diligimus, vt qui ad eosdem amicos modo quodam pertinent, ad eósque referuntur. Sic Dauid Miphibosethum dilexit, quamuis alioqui parùm amabilem, quia filius erat amici sui Ionathæ, quem in ipso intuebatur, & in ipso diligebat. Atque ita fit vt vnus sit amor, qui referatur ad plures, qui rationem vnius habeant, & vno primario comprehendantur amoris obiecto, eíque inferiores sint & subiecti. IV. *neque hominum.* 2. Regum 9.

CAPVT VII.

Quàm admirabilis sit, quámque expetenda hæc diuina amicitia.

EXISTIT ergo amicitia Deum inter & homines, res creatas, & ipsarum autorem, & molitorem Deum. *Quid est* autem *homo*, vt illud Dauidis iteremus, *quod memor es eius*? mirum est dignari te meminisse hominis, quantò ergo admirabilius est affici eum honore amicitiæ tuæ? Méne amicum esse Dei! me, Dei! quis est Deus, aut quis ego sum? fieri ne id potest? non possum, fateor, neque debeo ea de re dubitare. Audio enim vnum de illo ipso numero amicorum id apertè profitentem, vt qui dicat eos qui infinito sapientiæ thesauro vsi sunt, participes factos esse amicitiæ Dei. Audio & alterum, *Nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quoties in admirabili illo epithalamio sponsi ac sponsæ, id est Dei & animæ I. *Testimonia diuinæ amicitiæ.* Psal. 8. 5. Sap. 7. 14. Psa. 138. 17.

religiosæ, iterantur amici, dilecti, & sponsi voces, & quæ illis ex aduerso respondent? *Dico autem vobis*, inquit Seruator ipse, *amicis meis, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus.* & alibi rursum. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis.* Communicatio ista, fiduciáque, veram germanámque inter personas amicitiam apertè testatur.

Luc. 12. 4. Ioan. 15. 15.

II. *Quàm sit mirabilis.* Hom. 27. in Euang.

Dubitare itaque non possum de ista amicitia, sed nec possum cum magno Gregorio non admirari. *O quanta est*, inquit, *misericordia conditoris nostri! Serui digni non sumus, & amici vocamur!* Quanta est dignitas hominum, qui in amicis Dei numerari possunt! Regni proceres, principésque ipsi seruos se regis, famulósque appellitant, nec satis saperet, qui regem diceret amicum suum, aut vnum de amicis suis. Quid est autem rex ad Deum, aut angelum, aut minimum eorum qui regnant in cœlis? Tanti tamen fit amicitia principum, vt ad eam acquirendam aulici, adeóque Dynastæ ipsi omnem lapidem moueant. Quid dico amicitiam? imo gratiosum oculorum coniectum, amicam appellationem, aut aliquam beneuolentiæ testificationem. Ab ea porro si casu aliquo exciderint, quid non moliuntur, vt amissam gratiam recuperent, aut stabiliant labefactatam? quorum amicorum operam, industriam, solertiam, fidem, gratiam non adhibent? quamuis leui sæpe momento, ac sine culpa sua, illius gratiæ iacturam faciant.

III. *Querela de huius amicitiæ contemptu.*

Quæ cùm ita sint, nónne prodigiosum est plerosq; ad regis regũ, ipsiúsque Dei amicitiam acquirendam, vel conseruandam, ne exiguam quidẽ operam nauare velle? O mirabilem cordis humani cæcitatem! ô mentes in rerum caducarum inanitatem demersas, ac perditas, & tanto thesauro, qui pluris est mundo vniuerso, quique hominem ad tantam euehit dignitatem, vt nulla ei conferri possit in terris, indignissimas. Dilectus ipse Christi discipulus tantam nobilitatem admiratur. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus!* quidni & amici? Nam filij apud patrem familias primi amicorum iure censentur. S. Thomas agnito Christo Domino à mortuis excitato exclamauit, *Dominus meus, & Deus meus*; potuit ille, possumus & nos addere, tu pater es, tu sponsus, tu amicus animæ meæ.

1. Ioan. 3. 1.

Ioã. 20. 28.

IV. *Et ad eam adhortatio.* 1. Mach. 9. 10.

Cùm ergo tam nobilis amicitia in summum nostrũ decus, ac gloriam singularem redundet, *ne inferamus crimen gloriæ nostræ*, vt dicebat olim magnanimus ille Machabæus, per ignauiam ac socordiam nostram; omnem potiùs animi contentionem adhibeamus, ad fouendam, augendámque diuinam hanc amicitiam. Ne desideretur, cùm tam illustri támque amabili amico, vitæ consuetudo ac familiaritas, cùm liceat eum adire, alloqui, imò & cum illo quotidie epulari, nullo satellite, nullo excubitore, nullo præsidio prohibente; præsertim cùm hanc ipsemet expetat familiaritatem, & delicias suas cum filiis hominum esse fateatur. Eam gra-

Prou. 8. 31.

tiam alterna liberalitate foueamus: cúmque nec sibi ipse, nec suis parcat opibus; regiæ quoq; suæ aulicos adhibeat ad commoda nostra, salutémque promouendam, nos vicissim ingenti studio quidquid in nobis erit impendamus, ad eius cultum, & gloriam amplificandam. Exultemus lætitia, quod tanta pulchritudine principem, tanta bonitate, præstantia, nobilitate, potentia præditum habeamus. Triumphemus gaudio, quod tantum Deum, ac Dominum, & quod caput est, amicum intimum, nostríque studiosissimum iactare possimus. Ambiamus incrementum honoris eius & gloriæ in rebus omnibus, quæ eum habent, agnoscúntque conditorem. Lugeamus, intolerantérque doleamus quòd à plerisque mortalium amore debito, cultu, atque honore fraudetur; imò verbis factísque lacessitus continenter offendatur; nec tamen propterea suæ ipsum benignitatis tædeat, neque cesset de improbis, ingratísque bene mereri. *& quomodo colenda sit.*

CAPVT VIII.

Explicatio fundamenti diuinæ cum hominibus amicitiæ, quæ est diuina gratia.

QVOD superiùs attingimus, in amicitiæ vi naturáque explicanda, de virtutis istius fundamento, pleniorem, vt arbitror, orationem, disputationémque desiderat. Si enim id consequi dicendo possemus, vt cælestis huius gratiæ pulchritudinem, pretium, dignitatem satis æstimare possemus, illam, inquam, gratiam, qua communicamus cum Deo, *& diuinæ efficimur naturæ consortes*, in eius amorem sine dubio vehementer incalesceremus, & ad eam acquirẽdam, tuendámque, corporis animíq; vires contenderemus, si non pro illius dignitate satis, pro nostra certè vtilitate multo amplius; eadémque opera infinitum quoddam odium in peccatum lethale conciperemus, à quo vno tantus illis thesaurus eripi potest. Dicamus ergo aliquid de vi ac natura gratiæ istius, tum effecta eius aliqua, proprietatésque attingamus, ad eorum maximè captum, qui plus operæ in amore Dei acquirendo, quàm peruolutandis Theologorum voluminibus posuerunt. I. *Explicatio diuinæ gratiæ necessaria.* 2. Petr. 1. 4.

Etsi autem omnia, quæ diuina benignitas mortalibus impertitur, omniáque beneficia, quibus de corporibus animísque nostris bene meretur, gratiæ dici possint; sicut & illæ quibus, eximia eiusdem gratuitáque beneficentia, ab iis malis immunitatem accepimus, sub quorum pondere plerique mortales noctes diésque gemunt, & quidem præter meritum accepimus, etsi improbum illatũ vsum liberalis ille dominus longe antè prospiciebat: non tamen istam hoc loco gratiæ notionem accipimus, quippe quæ Dei amicitiam, qua de agimus non constituit, & in multis reperitur, qui ne fide quidẽ cognoscunt Deum, quales sunt infideles, & vt fidẽ habeant, Dei tamen amorem, & charitatem non habent, vt peccatores, qui sæpe sanitate, pulchritudine, virib. corporis: ingenio, industria, II. *Diuersæ gratia Dei extra amicitiam.*

iudicio; honoribus, fortunæ commodis, gratia principum abundè potiuntur, qui nihilominus in Dei inimicis, sathanæque mancipiis numerantur.

III. *Gratia iustificans.* Verùm naturales sunt istæ gratiæ, neque hominem supra naturæ modum aut ordinem euehunt, de quibus non est nunc à nobis suscepta disputatio, sed de iis potiùs, quæ cùm naturæ minimè debeantur, eam altiùs attollunt, quàm ipsa se possit euehere, etiam generali superioris causæ adiuuante concursu. Talis fuit gratia illa, quæ primis olim parentibus data fuit, & iustitia originis continebatur, quæ non ipsum modò faciebat gratiosum Deo, sed vniuersam quoque illius posteritatem Deo gratam redditura erat. Talis ea quoque, qua donati sunt angeli, primo ipso suæ creationis initio, illa vt adiuti destinatam sibi felicitatem promererentur. Talis denique est, quæ in animam peccatoris resipiscentis infunditur, qua filius Dei & amicus, Dæmonis victor, Christi membrum, *alia à gratis datis.* & particeps hæreditatis eius efficitur. Ab ea porro distinguitur, quæ quasi proprio nomine & suo *gratis data* nominatur, quæ non cadit sub meritum, & in aliorum potiùs refertur vtilitatem, quàm eius qui ea donatus est: qualis est gratia miraculorum, prophetiæ, conuersionis peccatorum, aliæque quas recenset Apostolus. *1. Cor. 12. 8.*

IV. *Gratia habitualis diuinæ amicitiæ fundamentum.* Gratia igitur, de qua suscepta est ista disputatio, singulare Dei donum est, proprium amicorum eius, qualitas diuini ordinis, more habitus animo inhærens, quæ nos sic erigit, vt beatorum instar, diuinæ bonitatis, pulchritudinis, reliquarúmque perfectionum eius participes efficiamur, adeóque ipsius naturæ diuinæ, cuius interuentu Deus nos suis amicis aggregat, imò in amantissimis filiis, & æternæ felicitatis heredibus adnumerat. *Vide D. Th. 1. 2. q. 110. ar. 2. ad 2.* Num ea substantia quædam est? minimè, adesse enim & abesse potest, absque interitu subiecti. Neque natura rei est, vel pars illius, quippe quæ ordinem naturæ transcendat. *esse accidens.* Accidens ergo est mutabilitati, in huius vitæ inconstantia, obnoxium; & quod in Deo, cui nihil accidit, substantia est, homini accidit, eiúsque animæ diuinitus ingeneratur, fitque hoc ipso particeps bonitatis eius ac naturæ; sicut ferrum in ardentem fornacem coniectum, quamuis graue, opacum ac frigidum, ignis calorem, leuitatem, lucémque participat; ab eodémque igne aqua calorem concipit, & motum à natura sua alienum.

V. *Quantum distet ab humana amicitia fundamento.* Longè porrò abest ista gratia ab hominum beneuolentia mutua, quæ nihil boni in amici animum iniicit, sed ibi inuentum probat, ac diligit. Hæc autem gratia vera germanáque qualitas est, reuera inhærens animæ diligentis Deum, quam reddit amore atque honore dignissimam, quamuis cæterarum virtutum comitatu destituta foret. Ea non euanescit, vt fulgur puncto temporis; id enim proprium est earum gratiarum, quæ *Est principium actionum supernaturalium.* raptim mentem illuminant, impellunt, excitant, subitóque præteruolant, sed in ea insidet, inhabitátque, instar virtutis aut scientiæ, reddítque animum habilem ad eliciendos actus, ad quos assurgere sine gratia natura

non poteſt, vt ſine vita corporis, vitales actus motionum, aut ſenſuum exerceri nequeunt; huiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, charitatis, religionis, aliarúmque virtutum. Nec mirum; eſt enim gratia animi vita, vt peccatum interitus eiuſdem. Eſt denique internus quidam in anima vigor, cuius ope illa fit habilis ac prompta ad omne bonum, fortis ac valida aduerſus omnes hoſtium petitiones, atque inſultus.

Gratia itaque non conſtituit hominem in ſenatoribus, aut patronis, in nobilibus aut dynaſtis, in principibus aut regibus, ſed eum ſuper vniuerſum naturæ ordinem, inter cæleſtia collocat & diuina. Vt ſi quem Rex in nobilium ordinem adſciſcit, eum ſupra plebem euehit, multóque reddit quàm antea præſtantiorem; ſic & doctor ſcholaſticum inſigniter eruditum, & ab illiteratorum, atque inſulſorum grege abductum, in doctorum ordinem cooptare ſolet, ſolenni doctrinæ teſtimonio donatum. Et ſicut diſcipuli ſcientia ſpecie eadem eſt cum doctrina præceptoris, ídque opinionum ac notionum ſimilitudo haud obſcurè teſtatur; numero tamen ſubiectíſque differunt: ſic gratia iuſtitiáque, quam intelligimus in Deo, alia eſt ab ea, qua iuſti, Deóque grati reddimur, quam ipſemet producit in nobis; quæ cùm diuini ſit ordinis, cœleſtes etiam reddit ac diuinos; Idque ea Seruatoris verba ſignificant. *Aqua*, inquit, *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 4. 14.

VI. *Euehit hominem ad ſupernaturalem ordinem.*

Quid eſt in eo fieri, in anima videlicet, intimáque illius eſſentia, & quaſi medulla naturæ generari; ibi enim domicilium ſuum thronúmque collocauit, ſicut virtutes in eiuſdem facultatibus ſedem habent. Quod Doctor Angelicus hac comparatione illuſtrat. Sicut enim rationis naturalis lumen, in intima reſidet natura animæ humanæ, & naturæ ordine ſcientias omnes, virtutéſque naturales antecedit, quæ in facultatibus animæ procreantur, earúmque principium eſt, & caput. Sic & in ſupernaturali ordine, ad quem homo per gratiam adoptatur; vbi animam illa intimè poſſederit, fit ei cœleſte principium, & origo virtutum omnium infuſarum. Quemadmodum autem virtutes naturales hominem reddunt in ſtatu naturæ perfectum, ſic & ſupernaturales, illum in ordine, qui ſupra naturam eſt, præclarè nobilitant, cuius gratia primum principium eſt, & cauſa.

VII. *In animæ eſſentia inhæret.*

Quando igitur animus noſter huius gratiæ dignitate ita nobilitatur, vt ſupra naturæ ordinem vniuerſum euehatur, quî fieri poteſt vt aliquis, tam vili abiectóque animo, reperiatur, vt turpi quæſtu, aut fœda voluptate peccati, ab tanta nobilitate deiici ſe ac deturbari patiatur? imò mutis, ſtupidíſque animantibus aggregari non moleſtè ferat? Nonne id iam olim lamentabatur Dauid, *Homo*, inquit, *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. 13. 21. Num quis toto terrarum orbe reperiatur tam ſtupidus ac vecors, qui prandij vnius voluptate, aut centum aureorum lucro, aliòve quantouis nobilitatem ſuam velit plebeia conditione mutare? nonne tantam cala-

VIII. *Peccator è nobiliſſimo ſtatu deiicitur.*

nobilitas quid homini tribuat. mitatem omnibus fortunis, vitáque ipsa redimeret? Nec tamen aliquid est in homine nobilitas, quàm externa denominatio, quæ nihil in animo, aut corpore ponit: nec fere quidquam in ea supra vulgus, præter politiorem aliquam educationem, institutionémque puerilem, reperitur. Ecquis ergo tàm ignauus sit, ac fatuus, vt pro re nihili diuinam nobilitatem, quæ facilè transcendit, quidquid in hac vita esse potest egregium, delectabile, fructuosum, missam faciat, & peccator fiat, id est vile peccati mancipium, quia *omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*, Dæmonisque, qui turbidos illius animi motus vertit in laqueos, vt eum ferino ritu constringat, & constricto pro arbitrio suo, omnem in partem abutatur. Ioan. 8. 34.

CAPVT IX.

De gratiæ diuinæ pulchritudine, vtque ea sit singulare animi ornamentum.

I. *Gratiam nobilitare atque ornare animam.* EO spectabat proxima disputatio, vt animæ, quæ gratiæ diuinæ facta esset particeps, nobilitatem demonstraremus, nunc quàm insigne illa sit decus eius, & ornamentum ostendendum est. Pulchritudo nobilitatem in vtroque sexu fere comitatur; frons, oculi, totus oris habitus, incessus, motúsque omnis, ipséque orationis modus id facilè testantur, vt comam, vt arma, vt vestimenta præteream, quæ omnia magna ex parte aliquid habent, præ vulgi conditione, præstantius. Animus quoque, quem gratia diuina nobilitat, eximiam acquirit pulchritudinem, & decorem mirabiliter allicientem ad amorem sui, si quis oculos habeat, quibus eum spectare possit. Tam potentes enim radios támque pellaces eiaculatur, vt Dei ipsius oculos perstringere, & cor eius vulnerare videatur. Hinc illa suauissima, *concupiscit Rex decorem tuum, &, vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum suorum, in vno crine colli tui.* Hæc eius species gratiam instillat ac decorem in aspectum eius, in neglectum capillum, in locutionem & incessum, in omnia eius dicta, facta, cogitata. Itaque rursum dilectus eius, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Psal. 44. 12. Cant. 4. 9. Cant. 2. 14.

II. *Id exemplo S. Catharinæ illustratum.* Memoriæ proditum est sanctissimam virginem Catharinam Senensem humum deosculari solitam, in quam diuini verbi præcones vestigia impressissent. Causam rogata respondit, Dominum sibi aliquãdo ostendisse pulchritudinem animæ, quæ diuina gratia ornata esset: cáque visione exarsisse cupiditate, vt omnes animæ tam præstanti pulchritudine fulgerent, beatósque existimasse illos, qui isti ornandarum animarum officio insudarent, quales sunt qui ad populum Christianum de superiore

riore loco verba faciunt, in primísque qui fatentibus peccata sua præbent aures, qui proximè eorum conuersioni, ac sanctificationi dant operam. Quid autem mirum est eam animæ faciem, in quam Pater, Filius, ac Spiritus sanctus particulam aliquam infinitæ pulchritudinis suæ deriuarunt, admirabili decore fulgere, & posse vel ipsos Dei spectatores Angelos ad amorem sui tam potenter allicere, cùm honestum, quod naturæ viribus philosophi agnoscere, atque adamare potuerunt, ea forma sit, vt si oculis cerneretur mirabiles, vt ait Plato, sapientiæ amores excitaret. In Phædro. Cic. in off.

III. *Et multiplici similitudine pueri elegantis, & idiota.*

Hic ornatus quibusdam similibus coniici, atque explicari quoquo modo potest. Quantum discriminis est inter rudem aliquem puerũ, qui, cùm primum fari potuit, & ambulare, vaccarum atque ouium assiduus custos fuit, boni æq; inscius ac mali, vrbanitatis ac decori penitus insolẽs, qui nihil agere possit, quod placeat viris liberaliter educatis; quid inquã discriminis est inter insulsum hunc puerum, & nobilem adolescentem, qui vultu ipso pre se fert nobilitatem, egregiè cultum atque informatum institutione puerili, qui legere, scribere, loqui possit eleganter: nec fidium sit aut musices imperitus, qui gratus sit omnibus, & ab omnibus ad magna natus æstimetur. Tantumdem est differentiæ inter animam gratia ornatam, & eam quæ gratiæ ornamento destituta sit, quæ nihil agere, loqui, cogitare potest, quod Deo aut sanctis eius acceptum sit, aut teruntio valeat ad felicitatem: cùm illa propter gratiæ ornamentum Deo omnibúsque cœlitibus grata sit, & omnes eius, quæ ex gratia profectæ sunt, actiones, eisdem placeant, magnúmq; habeant, propter dignitatem personæ, dignitatis incrementum; denique ad omne opus bonum apta sit, meritúmque felicitatis æternæ.

IV. *Atque adeo improbi.*

Maius etiam agnoscemus discrimen, si res ipsas iuxta consuetam earum conditionem sumamus. Sumpsimus enim insulsum puerum ac rusticanum, cuius tota malitia est lapidibus petere capras arbusculis insultantes; at qui gratia caret, peccator est, & mortiferi cuiuspiam criminis reus, in Deum, proximum, aut seipsum perpetrati; cui Deus exprobrabit quòd abominabilem reddiderit decorem suum, & fœdissimarũ rerum quibus adhæserit, turpitudinem contraxerit: qui, inquam, gratia caret, iuuenis est aliquis fortasse profligatus, ac perditus, ludi, gulæ, libidinúmque mancipium, assecla ganeæ & popinæ, factus ad rixas & iurgia, & turbandam contumeliis quietorum pacem: pronus ad temerè deierandum Deum, pulsandos obuios, eósque vi aut fraude spoliandos, patibulo destinatus & coruis. Ille autem alter gratia decorus, eiusdem ope aptus est ad omnem virtutem, quidquid eius impulsu aggreditur rectum est, quidquid desiderat honestum est, quidquid agit pulchrum, decorum, ac probandum est, & ingenti mercede dignum. Ezech. 16. 25. Osee 9. 10.

V. *Scientiã, & virtus, corporis defectus tegunt.*

Addamus & comparationem aliam, quæ doceat quanto plus diuina gratia ornamenti animis afferat, quàm scientia, non solùm quæ literis

humanioribus continetur, sed quæ disciplinis etiam mathematicis, quæ medicinæ facultate, iurísque prudentia, quæ philosophicis, theologicisq; doctrinis comprehenditur, quamuis lautis, elegantibus, & exquisitis. Nam si quis aliquam adeat Academiam, ista omni, aut penè omni literarum supellectili egregiè instructus, cuius abstrusæ sint ac reconditæ disputationes, responsa subtilia, promptáque, enarrationes apertæ & enucleatæ, oratio elegans & polita; quæ voce minimè absona, actione composita, & affectu, qui rebus ipsis congruat, animetur, si hisce animi opibus, accedat in congressu comitate condita grauitas, & in omni vitæ consuetudine moderatio, nemo est qui talem virum honore, beneuolentiáque non prosequatur, quamuis alioqui naturæ quopiam defectu, oculi puta, vel pedis laboret. Animi quippe pulchritudo, quæ multò potioris est conditionis quàm forma corporis, vitium illud occultat, atque obruit, & vulgarem contemptum in extraordinariam commiserationem mutat.

VI. *Multóque magis gratia.*

Eodem modo anima, quæ rationis primùm, deinde nobilissimi huius ornamenti, & diuinæ qualitatis est compos, tum cæterorum donorum ac virtutum infusarum, quæ eam comitantur, & tanquam spiritalia monilia omnes animi facultates exornant, anima, inquam, vsque adeò grata spiritalibus oculis, acceptáque redditur, exquisitæque pulchritudinis, vt quamuis cæteris animi, corporísque præsidiis destituta sit, angelorum tamen oculos, ipsiúsque regis ipsorum trahat ad sese, & ad eius formæ contemplationem rapiat, itáque rapiat vt generis eius & originis obliuionem inducat, & sceleris ab eius parentibus olim perpetrati. Si ergo scientia in eo prodit præstantiam suam, quod sapientum iudicio magna corporis vitia obtegere potest: quantò maior est huius gratiæ dignitas, quæ, Dei ipsius iudicio sufficit, ad defectus scientiæ, cæterorúmque naturalium habituum, corporeæ pulchritudinis, sanitatis, roboris, diuitiarum dissimulandos? quin & peccata ipsa, quæ animam illam aliquando occuparunt? quia *charitas*, vt ait Apostolus, *operit multitudinem peccatorum.* (1. Pet. 4. 8.)

CAPVT X.

Alia declaratio pulchritudinis animæ diuina gratia exornatæ.

VII. *Parabola principis diligentis puellam pauperem.*

PLACET institutum nostrum, Seruatoris exemplo, declarare parabola. Si quis diceret extitisse aliquando in regione quadam tam præstanti pulchritudine virginem, vt nobilissimus iuuenis, idémque princeps sapientia, diuitiis, forma, cæterísque naturæ præsidiis locuples, nuptiis eius potiundi causa, paternam domum occultus, & ementito habitu relinqueret, & in eiusdem virginis domum seruiendi causâ insinuaret sese, quamuis illa paupere admodum, atque humili loco nata

esset, diceremus vtique iuuenē hunc cæteris rebus magis, quàm sapientia instructum esse. Quod si minimè dubia esset eius sapientia, diceremus certè necessariò, puellæ huius virtutem ac pulchritudinem tam excelso loco sitam, nihil vt ei comparari possit: neque Saram aut Rebeccam, Rachelem, aut Iuditham, Hesterem, aut Abigailem, Thamarem, aut Susannam, Helenam aut Lucretiam, neque cætera prodigia formæ, quæ celebrauit antiquitas, esse digna quæ in istius pedissequis numerentur. Aut postremò fateremur aliquid esse in ista narratione mysterij, quod intelligentia consequi non possemus.

Nunc istam si placet parabolam euoluamus. Princeps hic, vnigenitus est Dei opt. max. filius, cuius si pulchritudinem quærimus, *Candor est lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis.* Splendor paternæ gloriæ, &c, *speciosus formâ præ filiis hominum*: si nobilitatem, prophetæ & euangelistæ respondebunt, eum originem ab æterno patre ducere, ab ipso principio æternitatis. Omnes cœli ac terræ principes sunt ipsius clientes, eiúsque supremum agnoscunt, directúmque dominium: si diuitias cogitamus, audi quàm lautam à patre acceperit hæreditatem. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, vt scriptum reliquit rex quidam potentissimus, qui ei à secretis fuit: si sapientiam, ipse est *in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* Dei parentis eius.

II. *Christo applicatur.* Sap. 7. 26. Psal. 44. Psal. 2. Colos. 2. 3.

Princeps hic relicta paterna domo, vestem induit famulatem. Nam *cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, in regionem à cœlo longè positam venit, suam illam quidem, sed tunc excusso Domini sui iugo, rebellem. Quæ est ista virgo? Nónne anima rationis particeps, quæ admodum pauper est, vt quæ educta ex nihilo, nihil habet proprium & suum, præter ipsum Nihil. Omnia mutuò accepta sunt, aut gratis accepta ab ipsius molitore Deo: Neque pauper est modò, sed etiam ignobilis, in infimo gradu posita rerum intellectu præditarum; & præterea arctissimo affinitatis nexu, stupido corpori ac mortali, quod ab ipsa impotenter diligitur, cōniugata. Quæ est igitur illa pulchritudo? quod venustatis miraculum? quod ipsum Dei filium ad hanc serui formam, ad hunc humanum habitum impulit, & trium ac triginta annorum seruitutem, vt animæ sanctæ nuptiis & pulchritudine, quæ ab hac diuina gratia proficiscitur, frueretur.

III. *Qui animã gratia ornatam deperit.* Phil. 2. 6. 7.

Est quidem in hac comparatione non exigua dissimilitudo, sed ea partim causam nostram iuuat, partim regiam filij Dei bonitatem, in sua aduersus animas charitate, demonstrat. In hoc porrò posita est dissimilitudo, quod in illius parabolici principis amore, præstans illa forma effulget in virgine, priusquàm diligatur, & magnetem habet in oculis, qui vel ferreos homines ad se trahat. Animæ autem pulchritudo non est in ipsa, priusquàm à filio Dei amatore suo diligatur, sed ille officiosa be-

IV. *Imò nondũ ornatam.*

neuolentia & comitate certat prior, gratiámque infundit, qua tam speciosa fit, tam amabilis, vt angeli ipsi, qui idoneis ad hoc spectaculum luminibus præditi sunt, admirantes exclament, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Itaque Dei filius cogitatione præcipiens, & quasi in tabella intuens, quàm pulchra futura sit ista anima, vbi in eam radius ille diuinitatis affulserit, in eius amorem incalescit, eámque ipsam gratiam illi summa beneuolentia largitur.

Cant. 8.5.

V. *Gratia pulchritudo non cadit sub sensus.*

Hinc ergo facile est intelligere quanta sit diuinæ gratiæ pulchritudo, quæ reddit animam tam illustri forma præstantem, vt angelos, vt dixi, atque adeo ipsum angelorum Dominum eius sponsum, in stuporem egisse videatur. Quid enim aliud illa verba significant? *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Et rursū, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* At dicat aliquis paulo rudior, Si tanta est ista gratiæ pulchritudo, quantam iamdudum prædicamus, nónne possemus eam oculis intueri? Minimè sanè, dum animæ nostræ oculi velo corporis huius obnubentur: sed si gratiæ huius fidi amatores, & studiosi custodes fuerimus, eam aliquando, ac multo etiam præstantiora visuri sumus. Nec tamen est quod interea humilius aliquid de ea, vel abiectius sentiamus. Ecquis enim harmonicum musicæ concentum, aut humanarum vocum suauitatem, aut citharam, magistra manu pulsatam cernere valeat? Persuasum sit ergo nobis alias esse pulchritudines, ab iis, de quibus oculi carnei iudicare possunt, & quidem tanto exquisitiores, quanto animæ oculus, qui est intellectus, huic terrenæ moli præstat, oculísque eius. Cùm enim animus sublimioris sit ordinis quàm corpus, oportet illius proprietates ac facultates, & earum obiecta, corporeis longè multúmque præstare.

Cant. 1.14. & ca. 4.7.

nec minus tamen excellit.

VI. *Similia de aduentitio artis ornatu.*

Quid efficit ingeniosa mens & manus nobilis sculptoris in rudi aliquo saxo, vt ex eo conficiat doricum, aut corinthiacum columnæ capitellum? Quid potest egregium ingeniosi aurificis artificium, in aspera quapiam auri vel argenti massa, vt in egregium monile, aut sacrum calicem, aut regiam coronam conuertatur? Quantum est discrimen inter annosam nucem, quæ in extremo agro, ad viam regiam sedet, distortam, nodosam, & prætereuntis populi saxis laceratam, & abacum vasarium anaglyphorum ornamentis instructā, cæterísque toreuticæ lignariæ deliciis elegantem? Quantum differunt bombycinus glomus conuolutus, & textum aliquod bombycinæ vestis, rasæ aut villosæ, densæ vel multitiæ, vel damasceno more foliis, aut floribus illusæ, in quo præstantis opificis industria vigiliæque elaborarint? Quid denique distat lutulenta lana ouium è stabulo prodeuntium, à tapetio sumptuosi texti, magnificíque operis, à phrygionio aulæorum pictore perfecto? nemo tantam distantiam satis æstimare possit.

VII. Quod ergo sculptor in lapide, aurifex in metallo præstat, quod toreu-

tes in ligno, bombycini textor in serico, phrygius pictor in lana, hoc diuina gratia in animis hominum facit. Dignam enim reddit quæ cœli columnis quasi capitellum insideat, quæ tanquam filia aut sponsa regis æterni coronetur, audiátque, *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis*. Anima peccatrix informe saxum est, aut metallum asperum, vel nodosum distortúmque lignum, aptum incendio tartarorum; sed quæ gratia ornatur, cæterísque monilibus, quæ illam comitantur: abacus est, in quo Deus thesaurorum suorum opes explicabit. Animus reus glomus est, quem dæmones in aquis feruentibus inferorum euoluent, quem autem ornat gratia, vestis est nuptialis, qua Christus ipse vestietur, sicut vicissim illa Christum induerat, cùm desideria carnis exuerat. Peccatrix anima instar est lanæ sordidæ, ac cœnosæ, sed abluta fonte baptismatis, vel pœnitentiæ lacrymis, Christíque tincta sanguine, fiet peristroma, quo cœli aulæ vestientur.

Anima ornata gratia accommodatur.

Cant. 4. 8.

CAPVT XI.

Effectus aliqui diuinæ gratiæ, ex eius cum aqua viua, siue decurrente comparatione.

I. SERVATOR mundi, qui factus homo nos reconciliauit Patri, & Dei cum hominibus amicitiam, gratiámque promeritus est, eam olim per Isaiam prophetam promittebat, sub specie aquæ viuæ, qualis est aqua fontiū, cùm diceret, *haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*: qualem olim Moses, quasi per figuram postulabat. *Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ*, quam Christus Dominus offerebat vltro mulieri Samaritanæ, *Si scires*, inquiebat, *donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*. Dicamus & nos omnibus Christianis, O si sciretis quale donum est, & qualis thesaurus gratia Dei! si satis æstimare possetis eius pulchritudinem, pretium, efficacitatem tantam, vt nihil ei in rerum natura comparari possit, quásque opes in animam congerat, maiore illam contentione animi postularetis, maiore cura ac solicitudine seruaretis adeptam.

Gratia aqua viua confertur.

Ca. 12. 3.

Num. 20. 6.

Ioan. 4. 10.

II. Hanc nos contentionem & curam in hominibus accendamus, si possumus, gratiæ effectis ex similitudine cum aqua viua consideratis. Tres primarios effectus habet aqua viuens ac decurrens, primus est expurgare sordes corporis, vt manibus pedibúsve abluendis; gratia sordes animorum ablutas detergit, adeo vt sacramenta omnia, quæ delent peccata, non aliter deleant, quàm gratia peccatori tribuenda. Hanc enim gratiam per Ezechielem Dominus promittebat, cùm dice-

Primus vtriusque effectus purgare.

Eza. 36. 25. ret, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hanc ipsam petebat Dauid, post geminum illud

Psal. 50. crimen perpetratum, *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Signum nobilis huius aquæ viuæ apparet in oculis, lacrymarum imbre defluentibus, quas dolor de peccatis excutit, ac profundit foras, quas par est studiosè procurare peccatorem, atque ab offenso Deo postulare.

III. *Cum quadruplici differentia.* Quadruplex tamen reperitur discrimen inter aquam corpus emundantem, & gratiam animas abluentem. Principiò vulgaris hæc aqua ita sordes abluit, nullam vt mundiciem nouam corpori, aut vasi afferat quod emundat. At gratia peccati sordes ita detergit, vt non solùm natiuam illi mundiciam restituat, sed aliam quandam supra naturæ vim afferat, vt si vas aliquod aqua rosacea mundaretur. Id videtur Dauid significare voluisse cùm diceret, *lauabis me, & super niuem dealbabor.* Nihil est quod superet candore niues; ait ergo se dealbatum iri ab hac diuina aqua, supra quam natura possit efficere. Alterum discrimen est, quòd aqua nullam nouam ingenerat pulchritudinem in eo qui abluitur, sed antiquam reparat. Gratia verò non solùm pristinam animæ speciem, natiuámque reddit, quæ non pœnitenda est, vtpote quæ diuino expressa est penicillo, ex prototypo diuinæ faciei; sed nouum etiam decorem affert, quo amabilis redditur, non modò vt creata res conditori suo, sed vt parenti filia, vt coniugi sponsa. Itaque aqua ista mirabilis, & mundat, & formam natiuam reponit, & simul eam illinit auro. Nec absurdum est respexisse sanctarum animarum sponsum, ad geminam hanc earum pulchritudinem, cùm dicebat, *Ecce tu pulchra es amica mea,* & iteratò repetebat, *ecce tu pulchra es.*

1.

Psal. 50.

2.

Cant. 1. 15.

IV. *Declaratio secunda differentia.* Quòd si inter cætera naturæ miracula, etiam fons reperiretur, cuius aqua non solùm faciem, manus, totúmque corpus emacularet, sed adderet etiam eximiam pulchritudinem, naturæ defectibus emendatis, quæ luridum colorem aut fuscum, in blandum ac niueum commutaret, qui vndique concursus ad eum fontem fierent? quantæ haurientium turbæ densarentur? quæ rixæ orirentur potantium, seséque protrudentium? quomodo ad eum mixti mercatoribus famuli, famulæque perreptarēt, si vel in summis alpibus, aut apennino scaturiret, modicéque stillaret? & quāti in vrbibus venderetur. Eiusmodi est diuinæ gratiæ aqua in abluendis, decorandísque animabus, quarum decor tanto interuallo speciem corporum antecedit: nec tamen ad eam obtinendam ad inaccessos montes adrependum est, aut vis ingens pecuniæ profundenda: Pœnitentiæ sacramentum eam copiosè suppeditat, si quis debitam ad illud præparationem afferat. Et tamen, prô dolor! tam multi in suis malunt computrescere sordibus, & horrori esse filiis Dei, quàm tam admirabilem aquam ex fontibus Seruatoris haurire.

V. Tertium discrimen est, quod aqua vulgaris, dum emundat sæpe de-

bilitat, ac deterit, vt contingit in pannis. Aqua verò gratiæ emundando corroborat, lætificat, & instar aquæ quam vitalem dicunt, viuidum animum vegetúmque reddit. Hæ sunt aquæ, quas gloriosè commemorat Isaias scissas in deserto, & quasi torrentes solitudinem inundasse, eóque Dei beneficio, in Christi gratiæ autoris aduentu, confortatas esse manus dissolutas, & genua debilia roborata. *Optimum est*, ait Apostolus, *gratia stabilire cor, non escis*, quarum hoc est munus, *quæ* tamen *non profuerunt ambulantibus in eis*, Iudæis scilicet, escis sacrificiorum pacificorum vtentibus, eísque multum tribuentibus. Et alibi, ait se, ope Diuinæ gratiæ robur sibi tribuentis, plus omnibus laborasse. Postrema differentia est quod aqua decurrens ita emundat, vt abeat vna cum sordibus, at gratia ita purgat, vt nihilominus intimo in sinu animæ resideat, indéque in eius facultates exundet, fiátque *fons aquæ salientis in vitam æternam*. Et Paulus ait charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Hæc quoque causa est cur rebus permanentibus comparetur, vt semini, vnctioni, sigillo, pignori, aliisque rebus.

Tertia differentia. cap. 35. Hebr. 13. 9. 1. Cor. 15. 10. Ioan. 4. 14. Rom. 5. 5. 2. Cor. 1. 21. 22. 1. Ioan. 3.

VI. *Conclusio primi effectus.*

Cùm ergo ita à natura facti atque instituti simus, vt munditiam diligamus, nec lutum in facie quamuis innoxium ferre valeamus, ac ne in veste quidem aut cubiculo, vixque propemodum in vico nostris ædibus obiecto, quomodo peccati sordes, quibus nihil æque noxium, pestilens, execrandum ferre possumus, non in manibus aut vestimento, sed in ipsis animæ oculis, ac medulla? Quomodo non amabimus hanc aquam, quæ ita mentem emaculat, vt non solùm natiuam ei pulchritudinem restituat, sed cælestem insuper addat ac diuinam? quæ purgando roborat redditque indomitam labori: quæ residet constanter in nobis, Deíque oculos allicit ad contuitum paternum. Indignaris culinæ notas apparere in fronte aut genis filij tui, & tibi non succenses, qui diaboli notas in animæ tuæ vultu circunferas, fuligine, & atro carbone tetriores. Ad tam præstantem igitur aquam accurrendum est, quæ niue candidiores reddet, & ipsis Adoniis & Absalonibus pulchriores.

VII. *Secundus effectus aquæ & gratiæ fœcundare.*

Secundus aquæ effectus est reddere terram fertilem, ac fœcundam, & plantis omnibus, earúmque fructibus nutriendis idoneam. Quo fit vt Africanum solum aquis pluuiis destitutum, & à fluminibus longè sepositum sterile sit; Et contra *terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*, vt ait Paulus. Hanc ipsam similitudinem videtur expressisse Dauid, cùm ait virum iustum fore sicut *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet; & omnia quæcunque faciet prosperabuntur*. Et alibi ait peccatoris animam esse *sicut terram sine aqua Deo*: quæ cumulatius ab Isaia describuntur. Nec aliò respiciebat idem Dauid, cùm fateretur se à Deo in loco pascuo, & super aquam reficientem collocatum atque educatum. Sed est in hac similitudine non exigua differentia, qua gratiæ vis manifestè deprehendatur.

Hebr. 6. 7. Psal. 1. Psal. 142. cap. 35. Psal. 22. 2.

VIII. *Cum quadruplici discrimine.* Primum aquæ beneficio aridæ arbores non reuirescunt, sed potius computrescunt, nec terræ fertilitatem affert sterilitate abstersa, vt patet in arena, quæ ad ripas fluminum iacet : cùm gratiæ aqua animas peccato mortuas ad vitam excitet. Audiamus enim Apostolum. *Deus*, inquit,
1.
Ephes. 2. 4. *qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati.*
2. Deinde ita solum fertile reddit, vt suos quælibet planta fructus afferat, iuxta speciem suam & naturam, nam mala & pira, ficus & racemi ex
Matt. 7. 16. vite nascuntur & ficu, piro & malo, non contra. *Nunquid* enim *colligunt*, aiebat Seruator, *de spinis vuas, aut de tribulis ficus*? At quos gratia diuina rigauerit fructus afferunt, qui omnes naturæ vires transcendunt, quale est Christi fidem cum vitæ, ac fortunarum dispendio profiteri, futura præsentibus, & iis quæ patent sensibus, obscura atque intellecta mercari : inimicos diligere, & benefacere iis qui oderunt nos.

IX. *Tertium discrimen.* Tertiò non est hoc positum in aquæ viribus, vt arbor quæ syluestres edit, amarósque fructus, dulces rigata proferat, atque domesticos. Quòd si contingat mutari fructus, deteriores euadunt, atque degeneres, crispati flores simplices renascuntur, & hordeum abit in auenam. Inde ille agricolæ gemitus,

Grandia quin etiam committimus hordea sulcis
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

At gratia diuina satis habet efficacitatis, vt terra nostra, quæ ipsa per se, à peccato, non nisi fructus maledictionis ferre potest, opera carnis &
Gal. 5. 19. sanguinis, opera mortis & tenebrarum, facta Christi sponsa, & fecun-
Eccl. 24. 23. ditatem adepta, fructus afferat benedictionis, & æternæ vitæ, & possit cum Sapiente dicere, *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, &
4. flores mei fructus honoris & honestatis.* Quartò aqua non ita fœcundat arborem, vt ea diuersorum generum fructus ferre possit, neque enim oliua, quantumuis cœlesti rore perfusa, oliuas, pira, mala, racemos & ficus feret, sed oliuas duntaxat. At gratia magnam fructuum diuersitatem & copiam elicit, charitatis, gaudij, pacis, patientiæ, ac cæterorum.

X. *Tertius effectus, sitim restinguere cum duplici discrimine.* Tertius aquæ effectus in restinguenda siti, & gratiæ in ardore concupiscentiæ restinguendo consistit, & mundani amoris contemptu, vt cernere est in plurima iuuentute, quæ remisso vanitati nuncio vitam angelicam in religiosis cœnobiis viuit. Est porro nonnulla etiam in hoc effectu differentia eáque duplex, prior quod aqueum hoc elementum
1. hic epotum non liberat ab æterna siti, vt epulo ille euangelicus experimento suo didicit, docuitque mortales : sed aqua fontium Saluatoris hausta hic, & ad vitæ finem conseruata, omnem sitis molestiam in perpetuum eripit, & hominem mirificè consolatur, vt Lazarus ille probauit.
2. Posterior est quod aqua illa deficit atque consumitur, ideóque subinde resumenda est recurrente siti, nec fit fons in eo qui illam potat. Gratia verò fons est in homine apud Deum gratioso, omnium bonorum ope-

rum,

rum, quibus æternæ vitæ præmia consequatur, id enim est *fieri fontem salientem in vitam æternam.*

XI. *Gratia fons aquæ in vitam æternã salientis.*

Vide autem quàm id consentaneum sit ac congruens aquarum naturæ. Vt enim aquæ fontium quæ ex editis collibus in planiora loca deducuntur lateritiis plumbeísve tubis, in tantam possunt altitudinem assurgere ex quanta descenderunt; Ita gratiæ aqua, quæ cœlitus sacramentorum quasi tubis deriuatur in terras, ad cœlum vsque conscendit. Vice versa inexplebilis ille diuitiarum ardor, & sitis existit ab inferis, sicut & ipsæ diuitiæ, quas auri sacra fames pene ad inferos vsque perscrutando quærit iuxta illud, *---- Itum est in viscera terræ*

Auaritia defluit ad inferos.

Quásque recondiderat, stygiisque admonerat vmbris
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Ergo eodem illæ trahunt amatores suos, vt ad illum perueniant, cuius erat olim scelerata illa vox, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Nec minus qui flagitiosis libidinum sordibus volutari amant, ad ea loca descendent, ad quæ omnes mundi sordes, tanquam in cloacam, cum reprobis aliquando confluent. Matth. 4. 9.

CAPVT XII.

Gratiæ diuinæ cum lumine comparatio.

I. *Gratia lux à doctoribus dicta.*

CREDO equidem nullam me filiis lucis molestiam aspersurum, si paulo amplius in gratiæ naturam ac proprietates excurrero, eam cum lumine componendo, quando eam sancti Patres, ipsáque sacra volumina lucem appellant. Nam S. August. in libro de Natura & Gratia, *Præuaricatorem*, inquit, *legis diuinæ lux deserit veritatis, qua desertus vtique fit cæcus.* S. Cyprianus gratiam quam in baptismo recepit, vocat *purum lumen, desuper se in expiatum pectus infundens.* S. Dionysius eam vocat *candidissimæ lucis processum, à patre in nos manantem.* & alibi, *luminis largitatem à patris liberalitate profectam, radium diuini fontis, longe sese, latéque fundentis*, more luminis à Deo nascentis, & tanquam à speculo repercussi radij, resilientis, atque emicantis. Denique omnis mirabilis huius doctoris oratio, quæ gratiam attingit, nihil celebrat præter lumen, splendorem, radium, fulgorem, gloriam, claritatem; quæ illustribus vbique adiunctis extollit.

cap. 22. L. 2. ep. 2. ad Donat. de cœl. hier. c. 9. de diuin. nom. c. 4.

II. *Et in Scripturis sanctis.*

Christus ipse gratiam appellat *lumen vitæ*, quam sequentibus se promittit. S. Iacobus Deum authorem gratiæ *patrem luminum* vocat. S. Petrus scribens ad Christianos, à lege Mosaica ad legem gratiæ conuersos, ait eos esse positos, *vt annuncient virtutes eius, qui de tenebris eos vocauit in admirabile lumen suum.* S. Paulus ait Deum, qui iussit de tenebris lucem splendescere, eundem esse, qui *illuxit in cordibus nostris*, per

Ioan. 8. 12. Iacob. 1. 17. 1. Petr. 2. 9. 2. Cor. 4. 6.

Rom. 13. 12. fidei videlicet, & gratiæ lumen. Et alibi tempus peccati noctem vocat, gratiæ autem diem, & opera temporis illius opera tenebrarum, huius autem opera & arma lucis. *Nox præceßit, dies autem appropinquauit; abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Eandémque

Ephes. 5. 8. ob causam Christianos Ephesios vocat lucem ac filios lucis, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sic & Thessalonicenses; *Omnes,* inquit, *vos filij lucis estis, & filij Dei.* Denique eadem ratio est, cur discipulos suos Seruator appellet *lucem mundi*, velítque eorum lucem in hominum oculis emicare, vt inde gloria Deo tribuatur.

1. Thess. 5. 5. Matt. 5. 14. 16.

III. *Luminis & gratiæ parallelus.*

Lucem ergo cum gratia paucis quasi parallela componamus, vt intelligamus quanta sit inter vtramque affinitas. Principiò lux qualitas est omnium præstantissima, quæ sub sensum oculorum cadunt, aut subiecto corporeo hærere possunt. Gratia qualitas est omnium, quas mortalis hominum vita capere potest, longè nobilissima. 2. Lux qualitates omnes corporum, quæ sunt infra Lunam, eminenter continet, & nobiliore modo quàm corpora ipsa; sicut regia maiestas, subiectas omnes dignitates, Ducum, Comitum, Baronum, reliquorúmque dynastarum præstantiore modo comprehendit: & sacerdotium omnes infra se positos ordines. Sic & gratia virtutes omnes potestate continet; est enim quasi commune principium, ex quo virtutes omnes producuntur, res autem in principiis suis sublimiter continentur. 3. Lux pulcherrima est oculísque gratissima, & inferiorem hunc mundum, quasi vestra aurea circunfundit. Gratia pulcherrimum est animorum ornamentum, & decus, illáque vestis aurea, qua Regina Dei sponsa induitur. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate*, vt canit Propheta regius, in spirituali suo Christi & Ecclesiæ epithalamio.

1. *Ratione excellentiæ.* 2. *amplitudinis.* 3. *pulchritudinis.* Psal. 44.

IV. 4. *manifestationis.* Gen. 1.

Quartò iacent omnia tenebris obruta, ac sepulta, nisi inde à lumine educantur, vt cerni possint, vt quotidie contingit, quando *rebus iam color redit vultu nitentis syderis*, vt canit Ecclesia: contigitque iam in ipsa rerum origine, quando *tenebræ erant super faciem abyßi*, iussítque Deus emicare lucem, cuius splendore cœlum, aqua, & terra, & cætera, quæ deinceps condita sunt, cerni cœperunt. Gratia denudat opera tenebrarum, eorúmque malitiam ac turpitudinem prodit. Id videlicet causæ est, cur quæ olim à nobis, sine vllo metu, aut religione fiebant, nunc clarescente gratiæ luce, patefacta eorum fœditate, in desuetudinem abierint. Qui est in tenebris, per cœnosa loca transit, & preciosa quæque conculcat imprudens. Et peccator in cœnosis vitiorum lacunis volutatur intrepidè, & per summam cæcitatem, res sanctas, religiosásque conculcat.

cæcitas peccatoris.

V. 5. *Originis è cœlo.*

Quintò luminis origo, propriúsque locus est cœlum, & vbicunque datur aliquis cœli conspectus, ibidem aliquid lucis infunditur. In terris autem lux quodammodo peregrinatur, & alternis cum nocte regiones omnes obambulat. Gratiæ origo, propriúsque locus est cœlum, cuius

ciues omnes filij sunt Dei gratiæ autoris; neque illic cuipiam vicissitudini obnoxia est gratia, quæ hîc, prô dolor! peccato extinguitur, statimque peccator illud Dauidis vsurpare potest, *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Peccatum enim illi oculos eripit, cogitque in tenebris vitam agere, obuia quæque incertis manibus tentare, & subinde offensare pedibus, allidi toto corpore, & in terram, vt sors tulerit, proruere, dum in externas inferorum tenebras præceps ruat. Psal. 37. 11.

Sextò mira est luminis fœcunditas ac beneficentia, adiecto calore illo viuifico, quem secum lux deferre solet. Omnium enim animantium corporibus vigorem præbet, dum spiritus vitales instaurat, quò fit vt ægri melius interdiu quàm noctu habeant: plerique etiam, propius ad nos reuertente Sole, & vernum tempus reparante, ab hybernis morbis, in quibus diu iacuerant, conualescunt. Gratia mentis est sanitas, vita, virtus, & vigor, & pro magnitudine, tenuitate, aut mediocritate gratiæ, mediocris est, tenuis, vel insignis animi sanitas, virtus, & vigor: eadémque causa est cur eam Christus Dominus *vitæ lumen*, vti diximus, appellarit, & Paulus dixerit, *melius esse cor stabilire ac confirmare gratia, quàm escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* VI. *6. fœcunditatis, ac liberalitatis.* Ioan. 8. 12. Hebr. 13. 9.

Postremo lumen vbique gentium velocissimè peruolat, ac mirabili celeritate se explicat: quæ fuit D. Ambrosio causa, vt diceret à Deo productam lucem sine pondere, numero, ac mensura. Totam suam sphæram puncto temporis peruadit, quòd nihil habeat, quod eius incitationem remoretur, aut tardet, præter ipsum corpus luminosum à quo spargitur, quod momento ferri non potest. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, vt ait idem Ambrosius, in cuius rei signum, quo tempore descendit Spiritus sanctus in Apostolos, *factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Et sicut lumen nullam in aëre præuiam dispositionem requirit. Sic Deus nulla eget præparatione in anima, nisi quam ipse attulerit, quàm puncto temporis, quæ est immensa eius potentia, producere potest. Liberum autem arbitrium, quod Deus vult secum agere, sibíque assentiri, momento temporis consensum suum proferre potest. Et hæc de diuinæ amicitiæ fundamento dicta sufficiant: nunc de personis, inter quas illa coalescere potest, altero volumine disseremus. VII. *7. celeritatis in agendo.* Act. 2. 2.

Primi Libri finis.



LIBER SECVNDVS,

De personis quas amicitia diuina complectitur, & charitatis præcepto continentur.

CAPVT I.

De Deo, vt primario diuinæ amicitiæ, ac charitatis obiecto.

I. *Cur Deus amorem Dei præceperit.*



CVM diuina bonitas & sapientia statuisset amicitia complecti subditos illos suos, quos ad eam idoneos, ratione illos, atque intelligentia ornando, reddidisset, amicitia, inquam, quæ illos ad inæstimabilem dignitatem eueheret, & singularibus, verissimísq; bonis cumularet, non putauit satis esse indidisse in natura pondus, quo inclinarentur ad amandum Deum, & illi amori admirabiles illecebras addidisse; neque voluit prouidentissimus pater tantum filiorum suorum bonum eorum lubricæ & inconstanti permittere libertati, sed amicitiam hanc præcepti suauissimi vinculo censuit constringendam, vt tanto difficilius violari ac dissolui posset, quanto pluribus nodis, nexibúsque teneretur. Ne quo igitur modo inscriptum humanis mentibus præceptum, malis moribus obscurari, ac pene obliterari posset, illud ipsum mortalium oculis obiici voluit, atque auribus insonare, dum suo ipse digito lapideis illud tabulis inscripsit, pérque angelum suum electo à se populo, maximo apparatu, ingentíque fragore recitauit. (Exod. 20. 6. & Deut. 6. 5.)

II. *Qui eo præcepto contineantur.*

Amoris itaque præceptum in lege olim Mosaica promulgatum, & à Seruatore in lege gratiæ repetitum, probatum, propriáque autoritate firmatum, satis ostendit quosnam diuina hæc amicitia complectatur, Deum scilicet ipsum in primis, & eos qui nomine proximi continentur, quæ erit secundi huius voluminis proposita ad explicandum materia. Clarum porro est Deum in hoc mandato principem locum tenere, est enim in hæc verba conceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto* (Matth. 22. 37. 39.)

corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, aut, vt eſt apud Mathæum, *in tota mente tua, Hoc eſt maximum*, inquit Legiſlator noſter, *& primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum*, ſiue, vt eſt in Leuitico, *amicum tuum, ſicut teipſum*. Illud autem priùs, quod directò fertur in Deum, tam iuſtum ac rationi conſentaneum eſt, tam nobile & excellens, tam facile ac ſuaue, tam vtile ac neceſſarium, vt ei nullum præceptum omnium, quæ vnquam data ſunt hominibus, aut dabuntur aliquando, conferri poſſit. cap. 19. 18. *eius perfectiones.*

III. *Deus præ bonis omnibus amabilis.*

Amabiles ſunt fœcundæ ſegetes, omnéſque terræ fruges, quæ in ſubſidium humanæ infirmitatis è terra funduntur. Amabilia ſunt bona corporis, robur, ſanitas, pulchritudo, generis nobilitas, longitudo vitæ, quæ Deus mortalibus, ſæpe ne rogatus quidem elargitur. Amabilis eſt ſcientia, ſapientia, virtutes, ipſáque diuina gratia, quibus Deus in hac vita non raro filiis ſuis gratificari ſolet. Amabilis eſt beatitudo, quæ eſt æterna poſſeſſio ſummi boni, quod omnia bona ſuo complexu coercet ac continet, quæ eſt perfecta quies, atque expletio omnium deſideriorum, portus nauigationis noſtræ, pugnantium præmium, corona triumphantium, tellus immortali vita fruentium, vbi Deus perpetuò expoſitas habet diuitias gloriæ ſuæ. Verùm obiectum & cauſa beatitudinis huius, cæterorúmque bonorum omnium, illa infinitis partibus excedit, eiſque amabilior eſt. Ædium quippe Dominus pluris eſt ipſa domo, & omnibus quæ in ea continentur. Hebr. 3.3.

IV. *Omnibúſque perſonis.*

Amabilis eſt vterque parens, à quibus editi ſumus in lucem, quique Dei ipſius erga nos vices gerunt, & legatariam præfecturam; Sponſo amabilis eſt ſponſa ſua, & vxori coniux, quando diuina lege vterque parentes ſuos deſerit, vt ſimul vitæ conſuetudinem ineant, & ad mortem vſque, perpetuo nexu atque amore iungantur. Amabiles ſunt, planéque ſuauiſſimi liberi, qui parentibus ſuis timorem, honorem, amorem, & cultum amabiliter exhibent: ſunt enim coniugij finis, ac præcipuum bonum; finis autem media omnia, quæ ſunt ad finem, longè multúmque bonitate antecedit, vt medicinam ſanitas, ſtudium ſcientia, prælium victoria. Amabilis eſt patria, vt enim cari ſint parentes, cari liberi, propinqui, familiares, *omnes omnium caritates patria vna complexa eſt*, vt ait Romanus Orator. Sed multo eſt amabilior Deus Opt. Max. propter quem, & in quo, cætera ſunt amabilia. Interior eſt enim nobis cum eo arctiórque colligatio, quàm cum parentibus, fratribus, ac propinquis; ipſe bonum noſtrum eſt, vires noſtræ, virtus, ſapientia; ipſius eſt gratia quam acquirimus, ipſius gloria quam expectamus. Cætera amabilia ſunt in pondere, numero, & menſura, Deus noſter ſine modo, ſine numero, ſine menſura, toto corde, tota anima, totis viribus amandus eſt, ſic vt nullius rei amor, amorem in Deum aut exſuperet, aut exæquet. 1. Offic. ante med.

CAPVT II.

An præceptum de amando Deo perfectè in hac vita à nobis obseruari poßit.

I. *Non videtur posse obseruari.* AT enimuero, dicat aliquis, num fieri potest vt Deum in hac vita toto corde, tota anima, totísque viribus diligamus? qui amorem cordis nostri in tam multa, quæ paulo antè dicebamus, dispertimur. Totæ illæ vires, in acquisitione potiùs cæterorum bonorum impenduntur, cùm desiderium placendi Deo sæpenumero tam debile sit ac languidum, etiam inter sanctos ac perfectos viros, quàm ipsimet passim queruntur ac plangunt. Hæc nimirum causa est cur S. Augustinus dixerit, hoc præceptum ad vitam immortalem pertinere; huic autem conuenire illud Apostoli, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentiis eius.* Quasi dicat, resistite ac repugnate totis viribus, dum militiam huius vitæ militaris: quoniam, vt idem alibi disserit, dum inest aliquid carnalis concupiscentiæ, quod continentiæ freno indigeat, Deus tota anima non diligitur. S. quoque Bernardus eum secutus existimat hoc præceptum perfectè in hac vita obseruari non posse. Abit in eandem sententiam Doctor Angelicus.

Ex Doctorum sententia. L. de Spir. & lit. c. vlt. & li. de perfectione Iust. Rom. 6. 12. Serm. 5. in Cant. 2. 2. q. 44. ar. 6.

II. *Posse obseruari, & quomodo.* Nihilominus cùm sapientum iudicio leges & præcepta de iis esse debeant, non solùm quæ fieri quoquo modo possunt, sed etiam quæ facilè fieri possunt, præsertim quæ promiscuè populis, communitérque feruntur, in quibus magna pars imperfectorum est atque insipientium, minimè credibile videtur Deum in hac vita, graui proposita pœna iussisse, quod à sanctis ipsis impleri non possit. Itaque idem doctor affirmat Deum ex toto corde duobus modis amari posse; primùm ita, vt cor hominis continenter Deum, ac sine vlla interpellatione cogitet, & amore in ipsum feratur, & amor huiusmodi patriæ reseruatur; altero modo potest cor hominis ita ferri in Deum, eius gratia pectus ipsius inhabitante, nullam vt rem amabilem in contentionem cum Deo venire patiatur, & hic amor huius vitæ est, & solus in hoc charitatis præceptum cadit.

III. *Facile esse, Scriptura teste.* Deuter. 30. 11. Facile omnino præceptum, quod & à sapientissimo legislatore datum est, & datum populo rudi, ac querulo, seruilis ingenij, nec obtrectationum insolenti. Quid quod facile esse legislator ipse apertè profitetur? *Mandatum hoc*, inquit, *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas. Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque de-*

ferre, vt poßimus audire & facere, quod præceptum est, sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Facile est præceptum cùm Deus ipse vires ad illud obseruandũ polliceatur. *Circumcidet,* inquit, *Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* v. 6.

IV. *Quæ docet à multis obseruatum.*

Quid? Num dubitare quis possit obseruari posse in hac vita præceptum de Deo ex toto corde diligẽdo, cùm illud à plerisque obseruatum fuisse Scriptura testetur? Nam de Dauide Sapiens, *De omni corde suo,* inquit, *laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum.* Ahias propheta, imo per prophetam Deus, dum Ieroboamo exprobrat impietatem suam, eum per quandam antithesim opponit Dauidi. *Non fuisti,* inquit, *sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me, in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Laudat quoque eodem nomine Scriptura Iosiam. *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.* Quæ laus illi cum Ezechia communis est in sacris literis. In quibus illud etiam affirmatur, Asam, omnémque populum eius quæsisse Dominum Deum patrum suorum, *in toto corde, & in tota anima sua,* & renouato cum Deo fœdere, in omni corde suo iurasse in eius cultu, ac famulatu constantiam, denique tota voluntate quæsisse eum, & inuenisse. Candidè nimirum illi, atque ex animo sese Deo colendo, amandóque, repudiata penitus idololatria, dediderunt.

Dauide. Eccl. 47. 10. 3. Reg. 14. 8. *Iosia.* 4. Reg. 23. 25. 4. Reg. 18. 5. 6. *Ezechia.* 2. Paral. 15. 12. &c. *Asa cum suo populo.*

CAPVT III.

Præceptum de diligendo Deo iustißimum esse, itémque nobile, facile, necessarium.

I. *Æquitas præcepti huius.*

DICEMVS aliquantò pòst qua ratione diuinus amor, cum aliarum rerum amore, possit integer inuiolatúsque consistere. Nunc placet animaduertere quàm sit æquum, ac rationi consentaneum infinitam diligere bonitatem, quæ nos, sine vllo nostro merito, ab infinita retro æternitate dilexit, & ad immensa bona prouidentissima liberalitate destinauit, nulla ratione habita peccatorum, quæ nos in eius iniuriam patraturos videbat: illam, inquam, diligere bonitatem, cui debemus quidquid habemus, quidquid possumus, quidquid sumus, quidquid boni fecimus, quidquid mali obliterauimus, quidquid præmij habituri sumus aliquando. Illam bonitatem, quæ commouit mitissima illa viscera patris misericordiarum, & Dei totius consolationis, vt mundo filium suum vnigenitum daret, vt ipsũm in eo agnosceremus, eiúsque operâ patris illius portento similem bonitatem digito tangeremus, qui

Deus quàm dignus amore.

filium morti tradidit, vt mancipium liberaret: bonitatem denique, quæ ingratum hominem tanti beneficij, sceleris arguit ab omni æuo inauditi.

II. *Eiúsque filius Christus Dominus.* *Sap. 7.* Quàm iustus ergo est, ac debitus in istum ipsum filium amor? aut quid diligimus cùm illum diligimus? vtique filium Dei viui, Deum simul & hominem; exemplar absolutissimum diuinæ maiestatis, omniúmque perfectionum, quæ cœlo terráque continentur, candorem lucis æternæ & speculum sine macula bonitatis ac pulchritudinis Dei, thesaurum sapientiæ ac scientiæ Dei, principem omnium electorum ciuium Hierosolymæ cœlestis, cœli amores, terræ delicias. *Illius tituli aliquot.* Quid diligimus cùm Dominum Iesum diligimus? nisi fontem omnium gratiarum huius ac futuræ vitæ, dulcedinis ac suauitatis oceanum amicis suis, & abyssum misericordiæ pœnitentibus inimicis: Quid diligimus in illo, nisi fratrem amãtissimum, imò patrem, matrem, sponsum, caput, aut si quod est hisce nominibus amabilius? Quid amamus, nisi ducem, doctorem, medicum, & capitis nostri, pretio sui sanguinis, honorísque redemptorem? Quid, nisi eum, qui delicias suas esse ducit, esse cum filiis hominum, eorum amore, ac vitæ consuetudine perfrui, illis intimè copulari, & exquisitissimo cibo continenter epulari cum ipsis.

III. *Præcepti huius dignitas.* Quod si vt quæque res quæ sub præceptum cadit, præstantior est, hoc nobilius est præceptum atque excellentius, cùm nihil sit in terris, quod possit cum diuino amore, vel charitate de dignitate contendere, est enim omnium virtutum diuinarum atque humanarum regina, plane consequens est, quod dicit æterna Sapientia, *hoc esse primum, maximúmque mandatum.* *Mat. 22. 38.* Charitas supremum habet atque exercet in omnes virtutes imperium, quibus eximium splendorem, pulchritudinémque tribuit, quas quodammodo aureo tectorio circumuestit, & ad diuinum statum euehit. Opem ferre pauperibus, ex mero humanitatis affectu, multo vilius est atque abiectius, quàm si idem ex charitate diuina fiat, *Charitas alias virtutes nobilitat.* quia scilicet gratum est Deo, vt famulis eius subsidio veniamus. Patientia, quæ cruciatibus, ad recipiendam sanitatem, exercetur, longissimo interuallo ab ea distat, quæ in fide ac religione propugnanda cernitur, & ita de cæteris. Qui diuinum amorem imperat, simul imperat teneri habenas currui, qui mundum, carnem, & dæmonem deuictos, afflictósque agit in triumphum, & sensus omnes corporis, animi facultates, motiones, habitus, perturbationes, pro arbitrio suo moderatur, & regit.

IV. *Charitatis præceptum facile ac suaue.* Iam verò quàm facile sit, ac suaue charitatis præceptum, ex eo facilè intelligi potest, quod interiore aliqua voluntatis nostræ actione illud possumus exhaurire: voluntatem autem, eiúsque actiones ita omnes habent in sua potestate, nullum vt tempus, nulla occasio, nullus locus eius imperium circumscribere, aut definire possit; non iactura vel emolumentum, non cruciatus aut voluptas, non mors aut vita, non angeli aut archangeli, non principatus aut potestates, non vlla earum rerum

quæ

quæ habent atque agnoſcunt molitorem Deum. Facilis & procliuis eſt actio, quæ nos ad obiectum trahit modis omnibus amabile: adeo vt Deum cognitum non amare multis partibus difficilius ſit; ſi quis rationis ingenitæ ductum ſequi velit, quàm illum diligere. Validè enim ad ſe corda noſtra, tribus quaſi vncinis trahit, immenſæ bonitatis, ſtupendæ pulchritudinis, & innumerabilium beneficiorum. Itaque Paulus aduerſus ingratos iuſtiſſima indignatione commotus, *Si quis*, inquit, *non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*, id eſt à Deo, boniſque omnibus alienus, iræ iuſti Iudicis, maledictioníque ſubiaceat. 1. Cor. 16. 22.

V. *Quibus ſit difficile.*

Iſtis nimirum prodigioſis hominibus graue ſit ac difficile charitatis præceptum. *Si quis* enim *diligit me*, ait idem Dominus, *ſermonem meum ſeruabit.* & quidem facile. *Vbi* enim *eſt amor non eſt labor, ſed ſapor.* Deus tamen pro eximia bonitate ſua, amoris præceptum quaſi in re difficili dedit, iuxta illud pſalmographi, *qui fingis laborem in præcepto.* Quin & illi, quaſi valde laborioſo, mercedem addit, ſeipſo nihilo minorem, Abrahamo enim amico ſuo dicebat. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*: nec tamen incongrua. Rationi enim conſentaneum eſt, vt ille Deum adipiſcatur, qui nihil præter Deum quærebat; ſicut viceverſa illi exhauſti & inanes aliquando reperientur, qui graui corde dilexerunt vanitatem, & quæſiuerunt mendacium: res ſcilicet quæ felicitatem ſe daturas mentiebantur, quam tamen neque dare poterant, neque auferre. Ioan. 14. 23. Idiotæ contemplat. c. 4. Pſal. 93. 20. Gen. 15. 1. Pſal. 4. 3.

VI. *Facile eſſe ex inclinatione naturæ.*

Quod ad nos etiam attinet facile eſt hoc præceptum, cùm Deus ſit centrum, ad quod ſponte fertur natura rationis compos, ſicut prono impetu grauia ad mundi centrum feruntur, ſi ſuæ naturæ permittantur. *Amor meus*, aiebat S. Auguſt. *pondus meum; eo feror quocunque feror.* Ipſe eſt borealis cœli cardo, ad quem acus nauigationis noſtræ perpetuo vertitur, neque alibi conquieſcere vſquam poteſt. *Feciſti nos ad te*, inquiebat idem Sanctus, *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Electrum paleas ad ſe innata vi rapit, & magnes ferrum; quanto maiorem vim habet ſummum bonum pertrahendi ad ſe corda mortalium, & funiculis, qui ſub aſpectum non cadunt, conſtringendi, ſiue ſtraminea leuitate prædita fuerint, ſiue ferrea duricie ac grauitate.

VII. *Præcepta mundi aſpera, & difficilia.*

Difficile admodum foret amore complecti aliquem, qui amore noſtro, viribúſque eius abuteretur, rebus aſperis & pernicioſis præcipiendis, quod profanis hominibus quotidianum eſt, quorum leges ſunt, pro rebus nihili ſuſcipere inimicitias ac fouere, quibus ampliſſimæ familiæ conſumuntur, animæ cum corporibus pereunt; opes & copias quo iure quáue iniuria quærere, ambitioſam loci prærogatiuam ferro tutari ac ſanguine, & in veſtigio occumbere potiùs, quàm cedere. Nónne valde luctuoſum eſt, non paucos aliquot de fece vulgi, ſed ingentes virorum nobilium turmas, tali domino, aut tyranno potiùs crudeliſſimo, famulari, qui amicos ſuos ſicarios efficit, & gladiatores? Cùm Deus è con-

trario homini ratione vtenti, vitam duntaxat præcipiat ex præscripto rationis institutam, & armis à natura destitutum iubeat amare pacem, rixas iurgiáque defugere, nocere nemini, omnes sibi obligare beneficiis, opem ferre miseris, summo amore summum bonum, & hominem sibi similem suppari secum amore complecti; ad quæ omnia suscipienda peragendáque, natura ipsa inclinante, procurrimus.

VIII. *Diuina facilia, ex gratiæ auxilio.* Phil 4.13. Matt. 11.29. Hanc porro facilitatem, etiam in natura corrupta, quæ in bonum refractaria est, & in malum præceps, mirificè amplificat auxilium diuinæ gratiæ, quæ in nobis residet, & nobiscum laborat, & cui nihil arduum, aut difficile factu est. *Omnia possum*, inquit Apostolus, *in eo qui me confortat*, & gratia sua, quasi oleo ad luctam, roborat. Seruator quoque legem suam iugum appellat, vúltque vt illud humeris nostris imponamus, *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos*, sed altera in parte, ad oneris societatem se ipse collocat. Quod si quid occurrit corruptæ naturæ asperum, qualis est vltro suscepta paupertas, perpetua castitas, obedientia *Difficilia suadet, non præcipit.* numeris omnibus absoluta, ad id satis habet hortari homines, etsi mereretur obedientiam etiam in difficillimis, asperrimísque mandatis. Et hæc tanti Domini lenitas atque facilitas demerita est sibi multorum millium voluntates sexus vtriusque, vt rem consilij, arbitriique liberi, in præcepta, ea sponte vouendo, conuerterent.

IX. *Ardua amore fiunt obuia.* Rom. 13. 10. 1. Tim. 1. 9. Rom. 2. 14. Vis videre quàm facile sit, miniméque arduum hoc præceptum? *Dilige*, inquit Augustinus, *& fac quod vis*, eodémque pertinet illud Apostoli, *plenitudo legis est dilectio.* Charitatis lex quam Spiritus sanctus fidelium cordibus solet inscribere, persuadet ea sponte facere, quæ lex reliquo populo imperat. Quæ causa est cur idem Apostolus dicat, legem non esse iusto positam, sed iniustis, & probos sibi ipsis esse legem quòd vltro, ac natura duce ea faciunt, quæ legis sunt. Magnum *Charitas mortificatione efficacior.* porro est operæ compendium cum charitate laborare. Vides agrum spinis vndique, tribulisque conuestitum? si sigillatim noxias hasce plantas coneris euellere, non priùs ad agri finem perueneris, quàm primæ illæ repullularint, & irritum pene laborem reddiderint, quod si placet vepres vrticásque incendio populari, breui mundus erit ager. Idem pene de mortificationis labore continenti, & igne charitatis dici potest, qui puncto temporis omnes animi labes absumit, vt in martyrio, heroico supremi amoris actu, contingit.

X. *Necessitas obseruationis præcepti huius.* Luc. 10. 26. 27. Matt. 19. 16. 17. Denique vsque adeo necessarius est hic amor, & præcepti charitatis obseruatio, vt hæc vnica sit ad salutem via. Id Seruator ipse apertè docuit, cùm doctorem illum legis alloqueretur, à quo rogabatur quid opus esset facto, ad æternam vitam consequendam; eóque hoc charitatis præceptum recitante, responsum accepit, *hoc fac & viues*, æternam scilicet, de qua ille quæsierat, vitam. Eadem est ad illum adolescentem responsio, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & videlicet in istis, illud maximè, quod omnia suo ambitu comprehendit, ex

cuius obseruatione petitur bonorum ac malorum distinctio, & hircorum ab ouibus separatio, quorum hæ dexteram Iudicis, illi sinistram occupabunt. *Nisi tantùm*, ait Augustinus, *impertiatur cuique Spiritus sanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistra non transfertur ad dexteram.* Et sanctus Bernardus, *Perire necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita vt ardeat*; cæteráque exequatur, quæ Paulus Apostolus Corinthiis copiosè & luculenter enarrat.

L. 15. de Trin c. 18. Ser. 2. de S. Michael. 1. Cor. 13. 3. 4.

CAPVT IV.

Diuinam amicitiam proximi quoque beneuolentiam suo ambitu coërcere.

DILIGENDVS quidem est Deus toto ex corde, totáque anima, & omnibus viribus atque facultatibus; nihilominus diligendus est proximus, sicut nos ipsi diligimus. Necesse est nostram aduersus Deum proximúmque amicitiam instar auri mundissimi expurgatam esse, & affectibus carnis & sanguinis denudatam, quia *caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, vt ait Apostolus. Quid Dauid? *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ* seu fictili in vasculo *purgatum septuplum.* Eloquia enim hominum nec pura sunt neque sincera, sed plena calliditatis, & fraudis. Dei eloquia, Dei promissa sunt, quæ immutabilia sunt, vt Deus ipse, & à scopo suo aberrare non possunt. Homo autem neque apud Deum satis, neque apud homines promissorum tenax est; notum enim est illud, *omnis homo mendax.*

I. *Dei amor à quouis alio expurgãdus.* 1. Cor. 15. 50. Psal. 115. 2.

Eloquia Dei mandata quoque Dei sunt, iuxta illud Dauidis, *Vidi prænaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* & rursum, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Quæ autem est ista lex, quod præceptum Dei, nisi id quo diuina lex vniuersa continetur, diuini amoris, & charitatis mandatum, purum, castum, aduersarum rerum igne probatum, vt in aurea charitate nihil plumbi aut stanni, ac ne argenti quidem, nedum scoriæ remaneat. Extat enim apud Esaiam hæc Dei promissio. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum,* qui est vtique vanitatis amor, & superfluum, atque inutile studium rerum creatarum.

II. *Iuxta Scripturas.* Psal. 118. Ca. 1. 25.

Deus cupit cor nostrum plenè perfectéque possidere, quod cùm sit in triangulum efformatum, sanctissimæ Trinitati respondere potest;

III. *Deus non fert æmulũ sui amoris.*

globo mundi huius adæquari non potest. Deus socium in lecto cordis humani ferre non potest: *coangustatum est* enim, ait Propheta, *ita vt alter decidat: & pallium breue, vtrumque operire non potest.* Duo patres familias, vnam domum simul rectè gubernare nequeunt, diuersa sunt eorum iudicia, voluntatésque discordes, nec famuli satis intelligunt vtri debeant obtemperare; itáque tota familia, quasi in diuersorum ventorum tempestate subinde fluctuat. Quin & ipsa experientia docet homines hôc minore in Deum amore sursum ferri, quò maiore deorsum amore in res creatas degrauantur. Itaque qui animum suum ab omni amore alieno ac peregrino purgare moliuntur, & Deum solum diligere, non raro anguntur animis, cùm se amore parentum, liberorum, amicorum ac necessariorum sentiunt implicatos, incerti profanus ne sit amor, an cœlestis; quod nobis deinceps explicandum est.

Esa. 28. 20.

IV. *Non videtur ferre posse proximi amorem.*

Apparet enim profectò Dei amorem, si cuius aliquando pectus penitùs occuparit, nullum planè alium ferre posse: sicut exoriens sol, & nocti syderibus illustri succedens, suum eis fulgorem eripit: ingens tonitru, & sonoro fragore cuncta concutiens, minores tota vrbe sonos facilè obscurat: eximium aliquod ac præstantissimum formæ genus, vulgarem abiicit, ac quotidianam venustatem, nullóque numero esse patitur. Grauissimus aliquis dolor, timor, ægritudo, minorum sensum, memoriámque elidit. Lætitia de maximo quopiam bono, præter spem omnem acquisito, ita exundat, vt cæteras non magni momenti obruat, nec emicare sinat. Magna quæpiam deflagratio minores ignes vorat, & magnus oceanus, omnia circumquaque flumina inexplebilis exhaurit. Eadémque causa est, cur nec beatos in cœlo luctus aliquis, nec addictos tartaro vlla lætitia tangere aliquando possit.

V. *Quod ex S. Augustino cõfirmatur.*

Quî fieri ergo potest vt diuinus amor, qui in obiecto subiectóque infinitus est, cui nihil est in rebus humanis quod vlla in re comparari queat, non obscuret ac dissipet splendorem ac decus, pulchritudinem & bonitatem cuiuscunque rei creatæ, eámque inamabilem reddat? Cùm igitur tam amabile, támque potens amoris obiectum omnes animi vires ad se, facultatésque pertraxerit, nihil ei reliquum faciet, quod amare possit, non parentes, non consanguineos, non virum, non vxorem, non liberos, non necessarios, non bene meritos de nobis. Quæ videtur aliquorum sanctorum doctrina, in primísque S. Augustini, vt suprà attigimus. Et rursum in libro de doctrina Christiana, *Hæc regula dilectionis,* inquit, *diuinitus constituta est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Deum verò ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cùm autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Sic magnus ille Doctor.

ca. 2. n. 1. to. 3. l. 1. c. 22.

Neque verò mens huius sanctissimi viri est, proximi amorem excludere, sed negare eum sui causa diligendum esse; id enim esset eo frui, sed Dei tantùm gratia, qui est finis vltimus noster proximíque nostri. Itaque addit. *Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet habere, vt etiam ipse toto corde, tota anima tota mente diligat Deum. Sic enim diligens eum tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur.* Hactenus S. Augustinus. Amor itaque noster totus fertur in Deum, nec minuitur quamuis per proximum transeat. Vtriusq; enim amor in Deo terminatur, sicut & ab eo ducit initium: cuius amor per Christum deducitur ad nos, propter quem, & in quo diligimur à Patre. VI. *Qua sit S. Augu. mens.*

Neque verò diuersa charitate Deum proximúmque diligimus, sed vna eadémque, quæ principiò in Deum, tanquam obiectum primarium, tum in proximum, quasi ei subiectum fertur. Sic eadem beneuolentiâ amicum nostrum, eiúsque liberos prosequimur. Sic Raguel iuniorem Tobiam complexus est lacrymans, memor senioris Tobiæ cognati sui, quem tenerè diligebat, *& plorans super collum eius, dixit, Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Sic Iesus diligebat Lazarum, quia Mariæ & Marthæ frater erat. Et sicut idem est naturalis amor, quo patrem, matrem, fratres, sorores amplectimur, idem ciuilis quo omnes ciues, sic & idem cœlestis est amor, quo in Deum ferimur, eiúsque filios & amicos, & omnino eos omnes, qui ad eandem nobiscum beatitudinem conditi sunt, ac redempti. VII. *Amor Dei & proximi vnus idemq; est.* Tob.7.6.7.

Itaque minimè existimandum est nostrum in Deum amorem tantum minui, quantum parentes diligimus, cognatos, affines, necessarios. Non enim dixit S. Augustinus solùm, *minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat,* sed sapienter addidit, *quod propter te non amat.* Propter te, non tantùm quia præcepisti, vt hunc in modum alia à te diligerentur, quod ad obedientiam pertinet; aut quia vltimus es finis, ad quem feruntur omnia, qui esset actus à charitate imperatus, & non elicitus: sed immediatè propter te, & bonitatem tuam, quæ relucet in homine, quem fecisti mecum, idoneum ad participandam bonitatem tuam, & beatitudinem æternam. Denique quia ad te pertinent, te patronum clientes agnoscunt, te dominum famuli, te obærati, nexique redemptorem; plurimísque aliis titulis facti sunt tui. VIII. *Nec alter altero minuitur.*

CAPVT V.

Multiplex amor proximi supernaturalis, & ex Charitate.

PRINCIPIO secludenda nobis est omnis amicitia, licet eam virtus honestásque copularint, quæ alio quopiam quàm diuino funda- I. *Qua amicitia à vera charitate excludatur.*

Primus charitatis amor in proximũ. L. 1. c. 1. n. mento nititur, qualis est liberorum cum parentibus, quam consanguinitas coagmentauit, aut affinium, quam iunxit affinitas, aut ciuium, commilitonum, condiscipulorum, peregrinantium, & id genus aliæ, quas initio attigimus. Primùm ergo ex charitate diligimus proximum, quando ipsum non eius bonitate incitati diligimus, sed increata & diuina, quæ in homine ab ipso Deo creata elucet. *Cultus imaginum.* Quo modo veneramur atque honore prosequimur imagines Christi Domini, beatissimæ Virginis, aliorúmque Sanctorum, non propter earum pulchritudinem, aut materiæ præstantiam: neque enim eis venerationem negaremus, quamuis aut à materia, aut ab artificio parum commendabiles forent, sed propter solam excellentiam Seruatoris, & sanctissimæ Virginis, ac Sanctorum, quæ in imaginibus represẽtatur; paríque ratione, si qua iniuria violatæ fuerint, ignominia omnis in prototypum redundat.

II. *Improbos ex charitate diligimus.* Hinc consequens est posse nos improbos ex charitate diligere, hæreticos, inquam, infideles, Iudæos, & qui nos capitali odio prosequuntur. Nam diuinus Christi Domini amor, amorem nostrum, *cùm adhuc* Rom. 5. 10. *inimici essemus*, anteuertit, & implicatos peccatis, clementer vocauit ad se, præbuit manum, traxit è cœno, & plagis contrucidatos, ac semimortuos reddidit sanitati. *Ex Dei bonitate.* At dicat aliquis fortasse, cùm bonitas quæ in Deo est non efficiat hominem bonum, quî fieri potest vt bonitas, quæ in homine non est, eum reddat amabilem, quandoquidem sola bonitas ad amandum inuitat? Respondeo in peccatore semper inesse aliquid boni, puta creatum esse à Deo, & ad illum pertinere, qui nos amicitia sua dignatur cohonestare. Et quamuis gratiæ bonitate careat, vtpote peccator, ad eam tamen est idoneus, & illam ei desiderare possumus, quæ est beneuolentia singularis. Et quoties peccatorum conuersionem desideramus, & dolemus ab ipsis offendi Deum, quem rogamus vt illis oculos aperiat, nequando in morte obdormiant, charitatem exercemus, réque ipsa docemus eos à nobis vera diligi charitate, qui nos fortassis hostiliter oderunt.

III. *Dilectio inimicorũ verissima est charitas.* Vera, inquam, germanáque charitate; hæc enim omnium purissima est, ac syncerissima charitas, omnísque humani affectus expers, si inimicos diligimus, & de iis bene meremur, à quibus malè accipimur. Nihil enim est in tota natura, quod nos ad hunc amorem ferat; imo tota ab illo penitus auocat. *Cur difficilis sit.* Pugnat enim contrà propriæ amor excellentiæ, cuius natura sumus appetentissimi, si eam violauit inimicus: pugnat desiderium vltionis, quod pectoribus mortalium altius natura inseuit; pugnat desiderium conseruandi sui, quod est in homine maximum atque antiquissimum. Amor itaque inimicorum totus è cœlo est, nihil eius sibi natura terrena decerpit; charitas est, quæ vires suggerit, reddítque animosos, ad illa omnia conculcanda: purissimus Dei amor est, cuius regnum augeri cupimus, per spiritalem animarum curam, quas ad felicita-

tem aliquando fruendam Deus amantissimè condidit. Qui autem ruinæ inimicorum potiùs inhiant, quàm emendationi, Deum, quantum in ipsis est, priuare cupiunt perpetua laude, quam ei pereuntes offerrent.

IV. *Alterũ charitatis obiectum in proximis.*

Secundo loco proximum ex charitate diligimus, si in statu gratiæ fuerit ac charitatis; est enim tunc supernaturalis dilectionis obiectum. Quo in ordine principem tenet locum Seruator noster, quatenus homo est, quippe qui omnium hominum & angelorum iustissimus est atque sanctissimus, omnique gratiarum genere cumulatissimè locuples. Inde mater eius, virgo sanctissima atque beatissima, tota pulchra, tota plena gratiarum. Deinde omnes cœli ciues, ac domestici Dei. Ad eundem ordinem pertinent boni omnes, & amici Dei, qui peregrinantur in terris, & erunt aliquando ciues Hierosolymæ cœlestis. Pertinent & paruuli baptizati, qui absconditum in animá gloriæ semen ferunt, & pignus hereditatis æternæ. Pertinent postremo qui à peccatis, per debitam pœnitentiam resurgunt, & iter vitæ melioris arripiunt.

Vide August. serm. 53. de temp.

V. *Tertium, bona naturalia quomodo ex charitate diligantur.*

Postremo proximos ex charitate diligimus, propter eam, qua ornati sunt naturæ, morúmve perfectionem. Etsi enim bonum, quod in eis diligimus, naturale est, supra naturam tamen est id quod nos ad amandum mouet, & ab hoc principio motus, actus amoris accipit naturam suam, fitque supernaturalis. Nimirum si quam fortè personam diligimus egregiis naturæ præsidiis instructam, lætamúrq; ea dona ad Dei gloriam cultúmque promouendum impendi, aut desideramus impendi, aut dolemus illa in huius vitæ nugis ineptiisque sectandis insumi, vnde erumpat ille gemitus. Quàm dolendum est tam nobile ingenium, tam eximia talenta, tot egregias animi corporisque dotes, non esse ad præpotentis Dei famulatum, à profana mundi vanitate sordibúsque translatas.

VI. *Docetur exemplis Augustini, & Bernardi.* Epist. 39. in fine.

Hic erat olim sensus, hoc pium S. Augustini desiderium, cùm ad discipulum quendam suum nomine Licentium scriberet. *Ornari*, inquit, *abs te diabolus quærit. Si calicem aureum inuenisses in terra, donares illum Ecclesiæ Dei, Accepisti à Deo ingenium spiritaliter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipsum.* Et rursum, allato S. Paulini exemplo, *Vade in Campaniam, disce Paulinum egregium & sanctum Dei seruum, quam grandem fastum seculi huius, tanto generosiore, quanto humiliore ceruice incunctanter excusserit, vt eam subderet Christi iugo, sicut subdidit, & nunc illo moderatore itineris sui quietus & modestus exultat. Vade, disce quibus opibus ingenij sacrificia laudis ei offerat, refundens illi, quidquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, si non in eo reponat, à quo hæc sunt. Quid æstuas, quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & auertis à nobis? mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt, &c.* Quis hæc neget ex germanissima charitate profecta? sicut & quæ sanctus Bernardus ad Galterium Caluimontanum scribebat, dolens quòd cùm cerneret iuuentutis florem, ingenij acumen, eruditionis Epist. 104.

ornamenta, morum honestatem, non in Christi famulatum consecrare, à quo iis donis ornatus esset, sed in stultis ac pereuntibus mundi quisquiliis, & inanitate prodigere, atque profundere.

CAPVT VI.

Amorem charitatis ad cælites, beatos scilicet angelos, hominésque pertinere.

I. *Sancti in proximis nostris censentur.* NVLLA est dubitandi ratio, quin sancti, qui feliciter vitæ huius nauigatione decursa, spei suæ anchoram in portu salutis defixerunt, in proximis nostris rectissimè numerentur, in eisque principem locum obtineant. Si enim proximi nostri sunt, Christo ipso interprete, in parabola eius qui inciderat in latrones, & S. Augustino, in primo de doctrina Christiana, qui nobis peramanter difficillimis nostris temporibus succurrunt; experientia profectò omnium seculorum docet, cœlites, & nominatim Reginam sanctorum omnium, millies mortalium calamitatibus, precibus miserorum adductos, occurrisse. Ecclesiasticæ omnes historiæ prodigiis abundant, ad sanctorum inuocationem, vbique locorum perpetratis. Quid causæ beneficentiæ istius afferri potest, præter eorum charitatem, & propensum in nos amorem, quo incitati bona nobis cupiunt, & procurant, vt olim dum nobiscum viuerent, cùm charitas nunquam deficiat: idque nos ipsi in gratiam amicorum nostrorum factitamus.

Luc. 10.30. L. 1. ca. 30. *à quibus adiuuamur.*

II. *Possũt enim, & volunt.* Agnoscunt in Deo, tanquam in speculo, incommoda nostra, pericuIáque, & circa illa diuinæ decretum prouidentiæ, ad quod ita se accommodant, vt quid gratia apud Deum valeant in causa nostra demonstrent; In nostris certaminibus, in lacrymis & ærumnis commiseratione tanguntur, memores lacrymarum quas fuderunt, & ærumnarum quas pertulerunt, cùm in eadem qua nos certaminum area iactarentur. Cúmque experientia ipsa didicerint magnitudinem felicitatis qua perfruuntur, quæ fruentium multitudine non minuitur, sed augetur potiùs, & diuinam voluntatem circa eorum beatitudinem intueantur, cupiántque filij Dei merita, multitudine beatorum copiosè rependi, animosi profectò feruntur ad impellendas rotas currus, qui nos aliquando euecturus est in cœlum. O quàm insani sunt hæretici, quámque infelices, qui se tanto auxilio vltro priuant; nec vident, à principe tenebrarum excœcati, quàm potens sit charitas, triumphata iam morte, ad opem ferendam viuis.

III. *Angeli quoque proximi sunt, & benefici.* Iam verò quod spectat ad angelos, idem Augustinus eos proximis nostris aggregat, illa ipsa ratione persuasus, quam Samaritani parabola suggerit, vnde hanc elicit conclusionem, *Manifestum est*, inquit, *hoc præcepto*,

præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri. à quibus tanta nobis misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum scripturarum locis animaduertere facile est. Respiciebat doctor iste sanctissimus ad Lothum, ab angelis à Sodomorum deflagratione liberatum; & ad Raphaëlem, iunioris Tobiæ amantissimum ac vigilantissimum ducem, & senioris cæcitatis beneficum depulsorem: Agarem quoque cogitabat, & Ismaëlem, alterum à morte, alteram à mortifera tristitia ope angelica liberatum: Danielis item socios in fornacem Babylonicam iniectos, in quam *descẽdit angelus Domini, & excußit flammã ignis de fornace, & fecit mediũ fornacis, quasi ventum roris flantẽ, sic vt eos ignis omnino non tangeret, nec contristaret, nec quidquam molestiæ inferret.*

l.1. de doct. Christ. c.30. S. Tho. in 22. Matt. & 2.2. q.16. a.10.

Quod docetur exemplis sacris.

Gen. 19. Tobiæ lib. Gen. 21. ca.3, 49. 50.

IV. *Alia exempla generis eiusdem.*

Intuebatur quoque illum ipsum Danielem in leonum fossam demissum. Mox enim idem Propheta Dario regi affirmauit missum esse diuinitus angelum, qui ora leonum obturaret; qui rursum ei prandium Babylonem ab Iudæa vsque, cum puero detulit; sicut & Heliæ de cibo in deserto prouidit. Nónne angelus abduxit è carcere, omnes primùm Apostolos, deinde sigillatim Petrum, licet vinctum catenis, & sedecim militum, & portarum ferrearum custodia circunseptum? Angeli pro Ecclesia Dei crebro decertant, Satanam constringunt, Antichristum debellant, eúmque cum suo pseudopropheta, in stagnum ignis & sulphuris, viuos spirantésque præcipitant. Verùm ista sufficiant; est enim infinitum argumentum: vixque vlla est in sacris literis pagina, non fœta beneficiis, quæ homines à sanctis angelis acceperunt, in argumentum amicitiæ, & beneuolentiæ suæ erga socios suos, & eiusdem aliquando felicitatis hæredes.

Dan. 6.21. & ca. 14.33. Act. 5.19 & 12.4.

Apoc 19. 20. & 20.9.

CAPVT VII.

Angeli custodis aduersus hominem amicitia, & beneficentia.

ANGELICÆ porro amicitiæ ac beneficẽtiæ argumẽta plurima extãt, maximáq; angeli præsertim custodis in hominẽ fidei suæ diuinitus, diligentiæq; commissum; qui singularis est Dei in nos amor & beneficentia, vt honorem taceam, quo simul ab eodem Deo. Opt. Max. affecti sumus, accepto vno ex aula eius nobilissimo principe, qui magistri, qui custodis, qui ducis, qui consolatoris, qui opportunissimi amici munere fungeretur; amici, inquã, qui à nobis nunquã ita alienus est, vt nos planè deserat, quibuscumq; sceleribus contaminatos, sed quandiu spiritus hæret in nobis, nostram procurat salutẽ. Quot ille nos officiis ad hanc diem cumulauit, quot beneficiis amicitiam coluit, pro quibus in eius ære iampridem sumus. Nos autem ingrati, quanti hactenus fecimus aut hoc Dei beneficium, aut tãti principis amicitiam, meritáque frequentissima, cùm vix eius aliquando recordemur?

I. *Custodis Angeli beneficia.*

II. *In auertendis malis.* Vix satis æstimare animo, aut credere valeamus, quot quantáque corporis animique mala is magnificè à nobis, & amanter auerterit. Quis nos in materno vtero conseruauit, ne extingueremur, ne pareremur emortui, & aggregaremur iis, qui de vtero transferuntur ad tumulum, *Iob. 10. 19.* sicque in omnem æternitatem diuino conspectu, summique boni fruitione priuaremur? Postea verò quàm in lucem editi rationis vsum, non secus ac mutæ animantes, nullum habebamus, ecquis nos portabat in manibus, ne ad lapidem offenderemus, aut offendentes, cadentésque, ne oculum nobis erueremus, brachium tibiámve frangeremus? Si quando in aquam ignémve decidimus, aut fallente vestigio, per scalas delapsi sumus in præceps, quis prohibuit ne mergeremur, ne periremus incendio, ne ceruices frangeremus? Ipse est qui toties iter agentes à latronibus custodiuit, in quorum alij manus delapsi, spoliati rebus omnibus, pretio redemptionis addicti, maléque multati sunt, aut etiam interfecti. Ipse est qui noctes diésque, per somnum atque vigiliam, in cibo potúve sumendo, quin etiam Deum ipsum sceleribus violando, non destitit nos, quasi obiecto clypeo, protegere, & à certissima corporis animique pernicie vindicare.

III. *Obtinenda à Deo venia.* Quoties idem amantissimus custos animaduertens Deum ad peccatorum meorum iustissimam animaduersionem paratum, & ad vitæ filum abrumpendum, ad eius se pedes abiecit, veritus ne malus dæmon veniam præfocandi me impetraret; crebrásque reo comperendinationes obtinuit, vt interim salutis meæ negotium expedirem, & collocarem in tuto: quo modo parabolicus ille agricola ficulneæ trienniũ sterili, neq; tamen noxię, vt differretur securis impetrauit. Ille nihilominus Dux meus, & custos meus, animosè cum Sathana luctatus, eum sæpe prostrauit ad pedes suos, de præda sibi erepta tabescentem, gaudentibus è contrario *Luc. 15. 7. 10* *angelis super vno peccatore pœnitentiam agente.* Diuina iustitia sæpenumero postulabat, vt superbia mea, amissione diuinæ gratiæ, puniretur, eámque iacturam graue quodpiam facinus sequeretur, quo oppressus nunquam resurgerem: ipse tum impetrauit vt peccandi occasiones, quibus miserè succubuissem, peramanter tollerentur. O si mihi Dominus oculos aperiret, vt quondam famulo Elisæi, vt suppetias ange- *Luc. 19. 42.* lorũ prophetæ paratas agnosceret, viderem ipse quoque mirabilia, quæ *nunc abscondita sunt ab oculis meis.*

IV. *Et bonis peccatorũ operibus offerendis.* Quoties preces nostræ admissæ beneuolè, quoties nonnulla opera bona clementer à diuina maiestate, & amicè accepta sunt, non tam illius merito à quo proficiscebantur, quàm eius maximè à quo ferebantur, & offerebantur Deo: sicut contigit precibus & eleemosynis Cornelij centurionis, qui cùm Seruatorem adhuc ignoraret, Angelus eius patronum egit apud Deum, eique multo meliorem stipem obtinuit, ea quàm benignè in pauperes conferebat. Tantundem de Niniuitarum precibus, post prædicationem Ionæ, dici potest, quando Propheta ipse in pecca-

tores illos animaduerti cupiebat, atque adeo de concessa venia tristabatur, eo timore adductus, ne vaticinium suum commentitium crederetur; eorum angeli sine dubio, qui eos ad pœnitentiam inuitarant, pœnam quoque distulerunt, & procellam vindictæ imminentis, & in diem tertium constitutæ, auerterunt.

Quot ille nobis arcana diuina patefecisset, si illius amicitiam ac familiaritatem fouere potuissemus, facti Zachariæ similes, in quo angelus loquebatur, aut Dauidis, cùm diceret auditurum se, quid loqueretur in se Dominus: vtique per angelum eius custodem, quo modo Prophetæ diuinitus doceri solebant. Legimus in historia Heremitarum sanctum quendam Abbatem nomine Anuphium, triduo ante mortem fassum esse, iis qui ipsum diuino afflatu inuiserant, continenter se in illa solitudine angelico ministerio fuisse enutritum, sicut Eliam semel iterúmque; eiúsque angelum ei perpetuò astitisse, & de quacunque virtute docuisse: quod minus videbitur nouum, si quis memoria repetat arcana illa naturæ, quæ Raphaël angelus Tobiam docuit, ad tollendam oculorum albuginem, & omne dæmoniorum genus extricandum.

V. *Et reuelandis mysteriis.* c. 1. 9. 13. 14. 19. Psal. 84. 8. Ruff. l. 2. c. 10. Pallad. cap. 55. & seqq. 3. Reg. 19. 5. 6. 7. c. 6. 8. 9.

O quàm decora, quàm læta, quàm vtilis est ista angelorum hominúmque consuetudo, quàm dulcis & honorifica amicitia, quam plerique tam parui faciunt, vt de illa ne cogitent quidem, nedum eam officiis, & perpetua obseruantia foueant, & colant. Ecquid in eius gratiam fecimus aliquando, aut quo argumento vel indicio amicitiam ei nostram probauimus, quamuis eam ille studiosè ambiat? Quin potiùs, neglecta tanti principis præsentia, multa sæpe impotenter agimus, multa corde & lingua peccamus. Sed quomodo angelicam vereremur præsentiam, qui præpotentis Dei, Seruatorísque præsentiam vix reueremur? Itáque agimus, vt pater ille familias euangelicus sua se agnoscat expectatione delusum, cùm diceret, *Verebuntur filium meum*, tanta est famulorum istorum improbitas atque impudentia.

VI. *Eius amicitia colenda.* *Obseruanda præsentia.* Mat. 21. 37.

Magnum porro decus redundat in nos ex tam honorifica amicitia. Mortales magnifaciunt amicitiam alicuius optimatis, diuitis & gratiosi; primarij alicuius in Senatu consiliarij aut præsidis, alicuius antistitis, aut viri principis, quorum gratia sæpe magnò emitur, & paucis diebus euanescit. Quid ergo est angelus, & quanti interest in vitam nostram, ipsámque æternitatem gratia apud ipsum valere? Angelus in supremo gradu perfectionis, nobilitatísque naturalis omnium rerum creatarum existit: & verisimile est eos cœlestibus donis gratiísque ornatos proportione muneris sui, quod est diuinæ maiestati semper assistere, & ministrare, diuinúmque illud trisagium, pro sua parte modulari; quod noster quoque exequitur, tametsi nos vbique custodiat, atque comitetur, cùm Deus vbique sit.

VII. *Eadem amicitia honorifica.*

Vtinam insideret hoc altius menti nostræ, habere nos perpetuò adstantem nobis, ac pene affixum lateri nobilissimum cælestis curiæ iuue-

VIII. *Memoria præsentiæ excitanda.*

nem, præstantissimis naturæ gratiæque donis ornatum, valde amantem nostri, & colloquendi auidum: & nos inepti insulsique totos dies muti transcurrimus, nisi quid ei fortè obiter, & alia cogitando recitamus. Proh quantum adhuc terrena hæ massa degrauamur! quàm exigua fide illustramur! qui nisi res oculis obiectas æstimare non possumus, non item spirituales, & quas fides locupletissimè confirmat. Quomodo ergo

Rom. 7. 24. non exclamamus cum Apostolo, *Quis nos liberabit à corpore mortis huius*, à quo tot mala patimur, tot bonis impedimur?

IX. *Oratio ad Angelos pro pura charitate.*

O beatissimi angeli, omnia purissima sunt apud vos, cœli, sol, luna, quæ maculas habet non veras, sed apparentes; stellæ quoque, adeóque illa cœlestium aquarum crystalla, vósque in primis, qui ab omni concretione materiæ liberi estis, atque immunes, quæ hic radix est corruptionis & sordium. Apud nos autem quid non impurum, mixtum, contaminatum? Aqua & ignis elementa sunt cæteris rebus mundandis, expurgandísque destinata, ne ipsa quidem mortali concretione vacant. Denique ipsæ quoque animæ, etsi spiritus sunt, perturbationum tamen morbis, & scelerum mortibus obnoxiæ sunt; quin & ipsa eius charitas, quam sæpe vanitatis, suíque ipsius amore sordescit? Obtinete nobis obsecro purissimam charitatem, ab omni re explicatam, quæ aut Deus non est, aut

Apoc. 3. 18. non refertur ad Deum; charitatem, quæ sit *aurum ignitum*, *probatum*

Psal. 11. 7. *terræ*, *purgatum septuplum*.

CAPVT VIII.

Verum charitatis amorem erga nos ipsos existere.

I. *Nos ipsi numeramur in proximis.*

CHARITATIS amor, qui omnes omnino proximos, sine vlla exceptione complectitur, multo magis nos ipsos comprehendit, qui nobis propiores sumus amicis omnibus, affinibus, consanguineis, adeóque etiam iis, per quos hanc ipsum lucem cernimus, & spiritum ducimus. *Proximus ego sum mihimet ipsi*, aiebat ille. Magna ergo charitate prosequi debemus nos ipsos, quando legislator ipse voluit hunc

Mat. 19. 19. amorem esse regulam amoris, quo cæteri diligendi sunt. *Et proximum sicut teipsum*. Nimirum in nobis quoque, tanquam in imagine sua, diuina bonitas elucet: & quandiu hîc viuimus, non secus ac cæteri proximi, apti sumus ad potiundam æternam felicitatem. Si ergo causæ diligendi cæteros reperiuntur in nobis, non est quod nostri obliuiscamur; præsertim cùm rectus charitatis ordo initium ducat à nobis, indéque ad alios, prout quisque nobis propior fuerit, aut virtute præstantior, diffundatur.

II. *Quid sit illud, sicut teipsum.*

Etenim illa vox, *sicut teipsum*, non exposcit amoris æqualitatem, pari vt nobiscum amore & æquali proximum diligamus, sed similitudinem,

vt simili charitate diligamus non maiori, aut etiam pari. Eóque sponsa respexisse videtur in Canticis, cùm diceret sponsum in seipsa charitatem ordinasse. Tribus autem in rebus hæc similitudo cernitur; primùm vt amorem nostri, sicut & proximi, referamus in Deum. Deinde vt nihil iniusti, aut nostri, aut proximi gratia faciamus; denique vt proximum non vtilitatis, aut delectationis nostræ causa diligamus, sed ipsius, vt amor noster beneuolentiæ sit, non cupiditatis, quo modo & & nos amari desideramus. Quæ sunt verissimæ conditiones iusti sanctique amoris, tam in proximos, quàm in nosipsos. Cant. 2. 4.

III. *Verus amor nostri inquinatur.*

Verùm enim vero hunc amorem quàm multa cōtaminant, quàm raro instar auri argentive è fornace prodeuntis, purus est atq; defæcatus? Ad quam multa nos amor nostri cōpellit neque iusta, neque tam sancto digna nomine charitatis! Quàm pauca facimus, quæ vt æquum est, ad vnū referantur Deum? Eius vnius cultum, salutémque nostram syncerè respiciant? Non iusta, inquam, sicut enim virtutes omnes iustitiæ nomine cōtinentur, sic nullum peccatum iniustitia vacat. Itaque quoties amor nostri nos ad aliquod peccatū impellit, toties nos abducit ab eo, quòd æquum & iustum est. Quod si bona quæ desideramus, quamuis cœlestia & diuina, non directò feruntur in Deum, sed ad nostram inflectuntur vtilitatem, vel delectationem, non est id desiderium ex amore amicitiæ, aut meræ beneuolentiæ profectum, sed cupiditatis, & germanus amoris proprij surculus, sed mollior atque tenerior. Si enim acer esset & efficax, qualis esse solet honorum, aut opum, magno profectò animo in omnes occasiones inuaderemus amplificandæ felicitatis nostræ; quòd tamen minimè facimus, sed plerosque diuinos afflatus atque incitamenta, occasionésque benè agendi effluere patimur, & nobis perire, aut labore quopiam, aut humano respectu deterriti.

IV. *Odium sui sanctum, cum charitate non pugnat.*

Sanctum porro nostri odium minimè pugnat cum ea charitate quam debemus nobis, sicut paternus filij castigandi zelus, vero patris in eum amori nequaquam aduersatur. Nec medicus fidelis suam, cum ægro amicitiam vlla ratione violat, quamuis ferro in eum, ac flamma sæuiat obarmatus, aut in morbum potiùs, quod in eius ruinam pestémque coniurauit. Ergo & sanctum istud odium cum terreno dumtaxat, ac naturali amore pugnat, neque tamen cùm omni huiusmodi amore, sed effrenato atque præcipiti, qui morbus est naturalis amoris, & cum amore diuino intestinum, atque implacabile bellum gerit, eóque periculosius, quòd familiaris est hic amor, atque domesticus. Externis bellis deteriora sunt ciuilia, quæ solent proditionibus abundare: proditor quoque est hic amor cum desideriis suis, nósque millies in fraudem inducit, nihilque admodū lucri faceret dæmon, nisi eius ministerio abuteretur.

V. *Amor sui vitiosus domandus est.*

Felicem illum qui amorem istum prudenter agnoscit, & eum fortiter obluctatus domat, illud Apostoli consilium secutus, *Mortificate mēbra vestra, quæ sunt super terram:* nec consilium modò, sed exemplum; Coloss. 3. 5. 1. Cor. 9. 27.

1.Cor.9.27. *Castigo*, inquit, *corpus meum*, *& in seruitutem redigo*. quod plerique sancti seculis omnibus secuti sunt, sequuntúrque quotidie, qui armati zelo amoris diuini atque honoris, zelo iustitiæ contra domesticum inimicum, zelo continentiæ & castitatis, ieiuniis, vigiliis, diuerberatione, aliisque id genus armis, ad corporis feruorem edomandum idoneis, iuuenilem carnis contumaciam ac ferocitatem contuderunt; idque meritò ac sapienter. Si enim medicis licet ac chirurgis corpus in eius vtilitatem affligere, & brachium inurere cauterio, ad noxios oculorum humores eò deriuandos eiiciendósque, quomodo animorum medico non licebit, ad corporis animíque perpetuam salutem, corpus ipsum, cum prudentia & moderatione, castigare?

VI. *Exemplo sanctorum.* Orat.16. de amore pau. to.2. in ser. ascetico. l.1.off.c.36. Serm.de ieiunio.

Hæc sanctorum Patrum doctrina fuit. Nam Gregorius Nazianzenus, exemplo Apostoli, corporis castigationem cōmendat. S. Ephrem, *Nisi æris*, inquit, *rubiginem eraseris*, *non auferes maculam*, *& nisi carnis naturam attriueris*, *fugare passiones non poteris*. *Quid excelsius & magnificentius*, inquit Ambros. *quàm exercere mentem*, *affligere carnem*, *& in seruitutem redigere*, *vt obediat imperio*, *consiliis obtemperet*, *vt in adeundis laboribus impigrè exequatur animi propositum*, *ac voluntatē?* S. Cyprianus, *Quoties viri virtutum aliquid à Deo obtinere conati sunt*, *ieiuniis incubuere & lacrymis*, *& pernoctantes in orationibus*, *ciliciis carni hærentibus*, *supplices beneficia postularunt*. Alludit vtique Cyprianus ad Iuditham, de qua hæc ipsa in scriptura leguntur. S. Augustinus cùm illud vsurparet Apostoli, *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, ait eos qui corpus suum affligunt, non corpus suum odisse, sed corruptiones eius & pondus: subditque, *Quod autem continentia quadam*, *& laboribus quasi persequi videntur corpora sua*, *qui hoc rectè faciunt*, *non id agunt vt non habeant corpus*, *sed vt habeant subiugatum*, *& paratum ad opera necessaria*. *Libidines enim malè vtentes corpore*, *per ipsius corporis laboriosam quandam militiam*, *extinguere affectant*.

Iudith. c. 8. 6. & c. 9. 1. to. 3.l.1. de doct. Chris. c.24.

VII. *Mortificationis meritum.*

Quanti autem meriti existimamus esse apud Deum hanc omnem corporis afflictionem? quibus oculis humanissimus ille ac clementissimus parens respicit prodigum illum filium suum, non solùm ad eius pedes abiicientem se, lacrymantibus oculis, gemente pectore, vultu pudore confuso, sed pœnitentiæ quoque armis instructum, siue in satisfactionem præteritarum culparum, siue ad imminentes auertendas, denudatum, inclementi diuerberatione, ignominiosam vltro mulctam subeuntem? aut hæc eadem pro alienis peccatis, misericordiæ impetrandæ gratia factitantem? Quis in bono ac miti parente sensus animi foret, quæ commotio viscerum intimorum, cùm filium videret humi prostratum, culpam suam, sine vlla excusatione, aut dissimulatione, agnoscentem, fatentem, accusantem, & sponte per acerba verbera castigantem?

Vide vitam S.Xauerij l. 3. c.15.

VIII. *Stulti amatores sui.*

Vbi ergo sunt amentes isti corporum suorum amatores, qui ea copioso ac superfluo cibo, potu, somnóque saginant? qui omnibus eorum deside-

rĩs acquieſcunt? neque reformidant ne carnis petulantia compreſſis mordicus lupatis, eos ad gulæ dedecus & ebrietatis, ad libidinem, ad propriæ ſalutis contemptum, denique ad obliuionem Dei, æternámque calamitatem aliquando præcipitet. Stulti profectò amatores; qualis eſſet mater, quæ non ferens infantuli ſui lacrymas, cultrum ei præ manibus relinqueret, quo ſibi ipſe oculum imprudenter effoderet. Stulti, inquam, corporum ſuorum amatores, aut veri potiùs hoſtes; *qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, quæ videlicet modica delectatione, vel vtilitate victa, æternum periclitatur incendium; mauúltque demens, aquæ guttam, irritis perpetuò clamoribus implorare, quàm turpi & exprobranda ingurgitatione abſtinere. O quanti eam empturus es infelix, quàm triſti fame, ſitíque luiturus! Quanto ſapiunt magis, qui corpus ſuum tractant inſtar ſerui contumacis, qui paulò mitius habitus inſoleſcit; & illud Sapientis audiunt, *Cibaria, & virga, & onus aſino; panis, diſciplina, & opus ſeruo.*

Pſal. 10.6.

Eccl. 33.25.

CAPVT IX.

Quinam à charitate noſtra excludantur.

I. *Iubemur nõ diligere mũdum.* 1. Ioan. 2. 15.

DILECTVS Chriſti diſcipulus, idémque diuini amoris doctor eximius, apertè docet quinam à noſtra charitate excludantur. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Quidni autem? quia *ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo.* Et meritò quidem, Princeps enim illius ſceleratus eſt, & immortales cum Deo noſtro inimicitias gerit. Eius autem ſubditi, aut in voluptatum cœno demerſi iacent, aut inſatiabilis auaritiæ ardoribus æſtuant, aut tumido ſuperbiæ faſtu diſtenduntur, aut omnibus etiam hiſce charitatis inimicis improbè famulantur. Quòd ſi charitatem verè diligimus, cum ipſius quoque inimicis nos inimicitias exercere neceſſe eſt: ipſúmque Dominum imitari, qui olim dilecto populo ſuo dicebat, *Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.*

Exod. 23. 22.

II. *Non omnia proximè ad Dei gloriam referuntur.* Gen. 1. 31.

Verùm priuſquam de iſtiuſmodi mundo plura dicamus, de corporeo hoc & materiato mundo dicamus aliquid; eum enim, cùm ſit diuini artificis opus, valdè bonum eſſe, atque amabilem negare non poſſumus. Scriptum quippe eſt vidiſſe Deum *cuncta quæ fecerat*, & iudicaſſe *valde bona.* Tametſi autem omnia hæc quæ oculis, aut mente cernimus, ex mente conditoris ſui, ad Dei gloriam honorémque referantur, non omnia tamen eam vim diuinitus acceperunt, illam vt gloriam proximè attingerent: ſed vt alia aliis viæ eſſent & fines, inferiora ſuperioribus, ignobiliora nobilioribus: vt in hac varietate, concordique diſcordia, diuini artificis ſapientia illuſtrius coruſcaret.

1. Cor. 9. 27. *Castigo*, inquit, *corpus meum*, *& in seruitutem redigo*. quod plerique sancti seculis omnibus secuti sunt, sequuntúrque quotidie, qui armati zelo amoris diuini atque honoris, zelo iustitiæ contra domesticum inimicum, zelo continentiæ & castitatis, ieiuniis, vigiliis, diuerberatione, aliisque id genus armis, ad corporis feruorem edomandum idoneis, iuuenilem carnis contumaciam ac ferocitatem contuderunt; idque meritò ac sapienter. Si enim medicis licet ac chirurgis corpus in eius vtilitatem affligere, & brachium inurere cauterio, ad noxios oculorum humores eò deriuandos eiiciendósque, quomodo animorum medico non licebit, ad corporis animíque perpetuam salutem, corpus ipsum, cum prudentia & moderatione, castigare?

VI. *Exemplo sanctorum.* Hæc sanctorum Patrum doctrina fuit. Nam Gregorius Nazianzenus, exemplo Apostoli, corporis castigationem cõmendat. S. Ephrem, *Nisi æris*, inquit, *rubiginem eraseris, non auferes maculam, & nisi carnis naturam attriueris, fugare passiones non poteris. Quid excelsius & magnificentius*, inquit Ambros. *quàm exercere mentem, affligere carnem, & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur animi propositum, ac voluntatẽ?* S. Cyprianus, *Quoties viri virtutum aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus, supplices beneficia postularunt.* Alludit vtique Cyprianus ad Iuditham, de qua hæc ipsa in scriptura leguntur. S. Augustinus cùm illud vsurparet Apostoli, *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, ait eos qui corpus suum affligunt, non corpus suum odisse, sed corruptiones eius & pondus: subditque, *Quod autem continentia quadam, & laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt vt non habeant corpus, sed vt habeant subiugatum, & paratum ad opera necessaria. Libidines enim malè vtentes corpore, per ipsius corporis laboriosam quandam militiam, extinguere affectant.*

Orat. 16. de amore pau. to. 2. in ser. ascetico. l. 1. off. c. 36. Serm. de ieiunio. Iudith. c. 8. 6. & c. 9. 1. to. 3. l. 1. de doct. Chris. c. 24.

VII. *Mortificationis meritum.* Quanti autem meriti existimamus esse apud Deum hanc omnem corporis afflictionem? quibus oculis humanissimus ille ac clementissimus parens respicit prodigum illum filium suum, non solùm ad eius pedes abiicientem se, lacrymantibus oculis, gemente pectore, vultu pudore confuso, sed pœnitentiæ quoque armis instructum, siue in satisfactionem præteritarum culparum, siue ad imminentes auertendas, denudatum, inclementi diuerberatione, ignominiosam vltro mulctam subeuntem? aut hæc eadem pro alienis peccatis, misericordiæ impetrandæ gratia factitantem? Quis in bono ac miti parente sensus animi foret, quæ commotio viscerum intimorum, cùm filium videret humi prostratum, culpam suam, sine vlla excusatione, aut dissimulatione, agnoscentem, fatentem, accusantem, & sponte per acerba verbera castigantem?

Vide vitam S. Xauerij l. 3. c. 15.

VIII. *Stulti amatores sui.* Vbi ergo sunt amentes isti corporum suorum amatores, qui ea copioso ac superfluo cibo, potu, somnóque saginant? qui omnibus eorum deside-

riis acquiescunt? neque reformidant ne carnis petulantia compressis mordicus lupatis, eos ad gulæ dedecus & ebrietatis, ad libidinem, ad propriæ salutis contemptum, denique ad obliuionem Dei, æternámque calamitatem aliquando præcipitet. Stulti profectò amatores; qualis esset mater, quæ non ferens infantuli sui lacrymas, cultrum ei præ manibus relinqueret, quo sibi ipse oculum imprudenter effoderet. Stulti, inquam, corporum suorum amatores, aut veri potiùs hostes; *qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*, quæ videlicet modica delectatione, vel vtilitate victa, æternum periclitatur incendium; mauúltque demens, aquæ guttam, irritis perpetuò clamoribus implorare, quàm turpi & exprobranda ingurgitatione abstinere. O quanti eam empturus es infelix, quàm tristi fame, sitíque luiturus! Quanto sapiunt magis, qui corpus suum tractant instar serui contumacis, qui paulò mitius habitus insolescit; & illud Sapientis audiunt, *Cibaria, & virga, & onus asino; panis, disciplina, & opus seruo.*

Psal. 10.6.

Eccl. 33.25.

CAPVT IX.

Quinam à charitate nostra excludantur.

I. *Iubemur nõ diligere mũdum.*

DILECTVS Christi discipulus, idémque diuini amoris doctor eximius, apertè docet quinam à nostra charitate excludantur. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quidni autem? quia *si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Et meritò quidem, Princeps enim illius sceleratus est, & immortales cum Deo nostro inimicitias gerit. Eius autem subditi, aut in voluptatum cœno demersi iacent, aut insatiabilis auaritiæ ardoribus æstuant, aut tumido superbiæ fastu distenduntur, aut omnibus etiam hisce charitatis inimicis improbè famulantur. Quòd si charitatem verè diligimus, cum ipsius quoque inimicis nos inimicitias exercere necesse est: ipsúmque Dominum imitari, qui olim dilecto populo suo dicebat, *Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.*

1. Ioan. 2.15.

Exod. 23.22.

II. *Non omnia proximè ad Dei gloriam referuntur.*

Verùm priusquam de istiusmodi mundo plura dicamus, de corporeo hoc & materiato mundo dicamus aliquid; eum enim, cùm sit diuini artificis opus, valde bonum esse, atque amabilem negare non possumus. Scriptum quippe est vidisse Deum *cuncta quæ fecerat*, & iudicasse *valde bona*. Tametsi autem omnia hæc quæ oculis, aut mente cernimus, ex mente conditoris sui, ad Dei gloriam honorémque referantur, non omnia tamen eam vim diuinitus acceperunt, illam vt gloriam proximè attingerent: sed vt alia aliis viæ essent & fines, inferiora superioribus, ignobiliora nobilioribus: vt in hac varietate, concordique discordia, diuini artificis sapientia illustrius coruscaret.

Gen. 1.31.

III. *Cum rebus cognitione carentibus amicitia esse nequit.*

Quemadmodum ergo Deus noluit vniuersa quæ condidit eius gloriam proximè attingere, atque celebrare, ita neque omnia ad eius gratiam & amicitiam idonea esse voluit, quæ sine cognitione, qua pleraque creata carent, esse non potuit; *neque enim omnia possumus omnes.* Itaque à charitate nostra excludenda sunt omnia, quæ cognitione carent. Charitas enim amicitia est, quæ sine mutuo amore esse non potest; neque mutuus amor sine mutua cognitione subsistere. Neque verò Deus quidquam ab illis postulat, præter obedientiam, quam sine vlla vnquam tergiuersatione illi continenter exhibent, licet eis supra vires naturæ ipsarum vti voluerit aliquando. *vt illa Deo pareant.* Vtitur enim igne ad comburendas animas, & aqua ad eas sanctificandas, & oleo ad roborandas. Efficit vt viua corpora in flammis integra perseuerent, vtque verba quædam vim habeant, vt res inanimis in viuam ac vitalem commutetur, & puncto temporis vinum non sit vltra vinum, sed sanguis, & panis absque vlla dispositione præuia in corpus dominicum conuertatur.

IV. *Neque cum animātibus ratione carentibus.*

Excludendæ sunt quoque ab hac diuina amicitia, animantes illæ, quæ nullam nobiscum vitæ, quæ rationis est particeps, communionem habent; quales sunt canes, & equi, aliáque domestica animalia, quæ heros suos optimè norunt ac diligunt, eósque exhilarare cupiunt, & ipsorum iucunditate delectantur. Verùm hæc communicatio humilior est, atque abiectior, quàm vt ad veram amicitiam, nedum diuinam, possit assurgere; neque homini, nisi vt animali, conuenire potest, non vt ratione vtenti, at sine ratione nulla charitas, nulla virtus existit, sed vmbra illius, aut similitudo duntaxat. Sic prudentiam quandam in serpente, in columba simplicitatem, in ouibus mansuetudinem, prouidentiam in formicis, in canibus fidelitatem, animi magnitudinem in leone, in turture castitatem, in apibus diligentiam, in vulpe cautionem & industriam, in gallo vigilantiam, sollicitudinem in gallina, & in aliis alias virtutum imagines agnoscimus, ac prædicamus.

V. *Et quam ob causam.*

Adde quod charitas in æternæ beatitudinis communicatione fundatur, ad quam bruta, quorum mortales sunt animæ, non secus ac corpora, aspirare non possunt. Præterea, vt supra dicebamus, vera amicitia ac beneuolentia, qualis est charitas, bonum alicui desiderat, vt eo pro arbitratu fruatur, quod à mutis animantibus alienum est, quæ defectu libertatis possidere nihil possunt, nihil dare alteri, sed ab aliis possidentur. *Beneficium non confertur animali, sed eius Domino.* Quod si eis boni aliquid cupimus, vt sanitatem, vires, fecunditatem, non brutis eam vtilitatem, sed dominis eorum optamus; quod si brutis ex charitate subuenimus, charitas sine dubio non in boue aut asino, quos è fouea extrahimus, sed in eorum domino terminatur. Morbi quoque, aliáve incommoda, quibus pecudes affliguntur, pertinent ad hominum pœnas, ad quos illæ pertinent. Sic olim sanctissimus Iobus in ruina atque interitu suorum pecorum ab improbissimo dæmone vexatus est, & in eorum copia, semel iterúmque à liberalissimo Domino locupletatus.

Excludendi

Excludendi prӕterea à charitate nostra nonnulli, quos improbitas sua perpetuò reddidit charitatis expertes: eóque in numero censentur omnes, qui inferorum suppliciis sunt mancipati, homines angelique, siue eorum natura, quam Deus condidit consideretur, siue culpa, quӕ naturam illam deprauauit, corrupit, deformauit. Et quod ad culpam quidem attinet, minimè dubium est aut obscurum eos, cùm scelerati sint, & in deprauata voluntate obdurauerint, odio dignos esse & pœna, quam ferunt, feréntque perpetuam. Quî amari cum charitate possunt, qui non solùm à charitate alienissimi sunt, sed ex certa scientia, & deliberata perpetuáque voluntate autorem charitatis oderunt ipsum Deum, qui immortales cum Deo, eiúsque filiis inimicitias exercent, eáque re à peccatoribus vitӕ huius longè distant. VI. *Damnati ab amicitia charitatis alieni.*

Quod autem spectat ad naturam, quam à Deo acceperunt, quámque amittere, nisi Deo illos in nihilum redigente, non possunt, certum est illam natiua bonitate, hoc ipso quod est, atque existit, non carere; illa tamen bonitas amari ex charitate non potest, cum qua nullum nobis vnquam esse potest beatitudinis consortium: actum est, ilicet; perierunt, fulmen damnationis ӕternӕ irreuocabiliter in desperatos illos emissum est, & via mutabilitatis confecta, ad suum finem peruenere; aut ab eo potiùs longissimè, totóque cœlo distracti, immutabiliter exciderunt. Et sicut ius fásque non fuit iustorum fœlicitatem incertam esse atque mutabilem; id enim cum perfecta illa beatitudine pugnat, ita rectum non fuit perditos illos incertam sententiam suppliciúmque subire. Si qua enim illis quamuis tenuissima, spes libertatis affulgeret, multùm de perfecta absolutáque miseria, qualem illam oportebat esse, detraheretur. Possumus tamen cum charitate velle, vt eorum natura, sicut & cӕterarum rerum, ad Dei gloriam conseruetur. VII. *Etiam quod ad naturam suam.*

CAPVT X.

Quàm iustum sit mortalium in dӕmones odium.

VERVM de his, si placet, paulo disseramus enucleatius. Necesse est vt improbissimos dӕmones oderimus, cúmque iis apertas sempiternásque inimicitias exerceamus, idque iustissimis omnino de causis. Principiò infestissimi sunt Dei hostes, maximéque capitales. Itaque regium imitabimur Prophetam, *Nónne*, inquit, *qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Perfectum odium vocat iustum atque legitimum: & in prӕsenti dicit *qui te oderunt*, & non qui te olim odio habuerant; vt diabolicum illud odium designet, quod nunquam minuitur, aut immutatur; odium omnium antiquissimum, atque desperatissimum; I. *Causa huius odij. prima quòd Deum oderunt.* Psal. 138. 21.

ex qua desperatione vel maximè fit vt nequissimi illi spiritus felleum semper animum in Deum, ac furiosum gerant.

II. *Explicatur similitudine. Hom. contra irascentes.*

Nec dissimilis est pardalis, vt scribit S. Basilius aduersus hominem furor. Immanis enim hæc bellua, cùm hominem, in quem rabiem suam effundat, inuenire non potest, in eius statuam, si qua illi occurrerit, impetum facit, eámque dilacerat. Perditi illi spiritus vellent nullum esse in rerum natura Deum, eúmque disrumperent, si quo modo possent, aut in nihilum redigerent. Quod cùm non possint, omnes ingenij vires intendunt, vt regnum eius perdant, ac pessumdent: & si Deum ipsum haberent in potestate, eum calcarent pedibus, omníque genere contumeliarum ac tormentorum afficerent. Id quia nequeunt, quod proximum est actitant; execrandis eum vocibus centies quotidie inuadunt, & tanquam rabiosi canes, cœlum allatrant: cùm tamen à Deo, leuius quàm fert eorum malitia, puniantur. Si ergo Deum diligimus, quomodo non istos molossos oderimus, qui tam scelesto in legitimum omnium Dominum sunt animo, támque furioso in communem mundi principem?

III. *2. eorum in nos odium.*

Addamus ad primariam hanc odij causam, alteram illam, quod nos odio incredibili, veréque diabolico prosequuntur, ideóque nobis summum omnium malorum procurant. Quid causæ? quia filij sumus, atque amici illius, qui eis est capitalis inimicus; qui nobis id regnũ largitur, quod infelices illi perpetuò perdiderunt. Ergo infinito nos odio prosequuntur, quantum scilicet est malum, quod nobis desiderant, & bonum quod nobis eripere conantur. Nolunt illi nos Iobum æquare suppliciis & ærumnis; nolunt in sterquilinio testa vlcerum saniem radere: nec satis eis foret horrendis animam cruciatibus è corpore, si illis per Deum liceret, euellere, vt olim Antiocho Epiphani, vt Herodi Ascalonitæ, vt non ita pridem Hæresiarcharum deterrimo Caluino, aliísque non paucis: sed æternitatem quoque tormentorum nobis summa voluntatis contentione desiderant, ac procurant.

IV. *Et inuidia, quantúmq; mali nobis continenter desiderent.*

Ad vnam illi ambitionem iam à mundi exordio incubuerunt, vt in nobis, qui, vti speramus, Dei filij sumus, de Deo vindictam sumant, quãdo cum illo congredi non possunt, vtque amantissima Dei aduersum nos decreta irrita faciant, qui genus hominum, angelis prætermissis, redemerit, eáque inuidia tabescentes, damnationem nostram antiquissimam habent. Ardent cupiditate maxima, vt inuito Deo, inq; eius iniuriam & dedecus, ipsi quoque pereamus; immensis illis bonis, Deóque eorum largitore priuati: & vice versa suppliciis addicti, quæ dolorum magnitudine orationem omnem, cogitationémque lõgissimè superant. Desiderio flagrant fieri nos eorum arbitrij atque potestatis. Quin hanc quoque vitam ducentibus optarent oculos effodere, truncare nares, auribus tempora populari, cor ex pectore, ex corpore animam rapere, & quod iis deterius est, ex anima diuinum amorem funditus, gratiámque

delere. Desiderio autem non repentino ac desultorio, quod aliquis iracundiæ feruor excusserit; qualia nobis in hac vita contingunt, & non tardam secum pœnitentiam trahunt, sed rato atque fixo, quódque auidè in executionem feratur, nisi Deus vetet, & custos Angelus obsistat.

Itaque eos odisse ac detestari possumus ac debemus, & capitales cum eis inimicitias exercere, primùm nihil agendo eorum, quæ ipsis grata esse possint, sed contra quæcunque inimica & inuisa, vt eis perpetuo doleant oculi, & inuida mens extabescat. Deinde materiam omnem furori eius subtrahendo, amicos, gratiam, famulos, quantum in nobis situm fuerit; quod est omni studio atque opera peccatorum conuersionem, salutémque procurare. Tertiò in eorum æternis malis tormentisque acquiescere, quatenus diuinæ iustitiæ satisfit, vltrixque Dei voluntas impletur. Quò respiciebat olim Dauid cùm diceret, *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, sibi videlicet in diuina iustitia placendo, eámque approbando.

V. *Eos odisse debemus.* 1. 2. 3. Psal. 57. 11

Quî porro fieri queat vt eos non oderimus, quos constat causam esse primariam omnium peccatorum quæ vnquam admisimus, vt qui carnem in nos, mundúmque concitarint, eorum spicula exacuerint, quibus latera illi nostra visceráq; perfoderent. Quæ cùm ita sint, nónne luctuosissimum est reperiri tam multos qui improbitate vitæ, exemplisque pestiferis, dæmonum conatus omni ope ac studio promouent, Dei regnum euertunt, in baratrum quàm plurimos possunt pertrahunt, ad libidinem, gulam, ebrietatem pelliciunt, seditionibus, bellis, inimicitiis excitandis, inuigilant, iisque omnibus studiosè perpetrandis, quæ dæmones in terris, si carne induti essent, perpetrarent? Quid horribilius dici aut fingi potest, quàm reperiri homines, qui vel curiositate illecti, aut inani delectatione victi, cum dæmonibus ipsis scientes prudentésque contrahunt, & ab iisdem incitati, innumerabilia scelera admittunt, & summa cum pernicie grassantur in populis, quales sunt sagæ atque venefici, & quicumque iis quasi proxenetis vtuntur, ad dæmonum execranda commercia, nihil Dei hostes, suósque reformidantes.

VI. 4. *Eis fauent peccatores.* *Magi præsertim.*

Vbi sunt qui per iracundiam dæmonibus opera sua, negotiáque addicunt, si quando minus ex sententia succedant? qui eis parentes, viros, vxores, liberos, inimicos dedunt; adeóque propriis ipsi corporibus animisque dæmonum tyrannidem imprecantur? Nónne gratuita ista donatio amicitiæ argumentum est, tantóque maioris, quanto donum est pretiosius? Seipsum ergo alteri quasi mancipium dedere, summæ arctissimæque amicitiæ signum est, quàm tu mortalium dementissime cum illo agitas, qui te perditum cupit, qui libens sanguinem tuum hauriat, qui gaudio triumphat in omnibus ærumnis tuis, qui tanquam leo rugiens circumiens occasionem captat deuorandi tui. Scio equidem hæc per iram vehementiorem, quæ imminuit libertatem, effundi, sed eadem ira malam amplificat voluntatem; itaque si vna ex causa culpa minuitur

VII. *Contra imprecationes.*

ex altera exaggeratur. Sed pœnitet me illico, inquiunt, dictúmque retracto. At hoc ipsum gratiæ Dei est, qui permittere potest vt rata sit donatio, vtque ille te tuisque, vt re sua, abutatur. Et vniuersè loquendo sermones serere cum hostibus regis tui, proditionis argumentum est, clandestiníque commercij, & crimen imminutæ maiestatis.

CAPVT XI.

Damnatorum animas odio quoque prosequendas.

I. *Nemo eis opem ferre debet, aut potest.* EORVM quoque animæ, qui æternis addicti sunt cruciatibus, nullo nobiscum amoris aut charitatis commercio iunguntur, nullam à nobis opem aût gratiam expectare possunt. Ignis à quo exuruntur est *sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes*, vt ait Propheta. (Psal. 82. 15.) Nam si quando ignis exarserit in ciuitate, domúmque aliquã corripuerit, maturè opprimi potest incendium. Ad illud enim ære campano turbidè resonante vndique accurritur, aliqui aquas celeriter conuectant, quas alij longè latéque diffundunt, alij domesticum instrumentum flammis raptim eripiunt, quidam diruẽdis interiectis ædibus ignium incrementa impediunt, alij denique ruina incendium extinguere moliuntur. At incendium in sylua, vel montibus excitatum, homines otiosè à longè respiciunt, Deóque rem permittunt, vt illud aduersis vẽtis extinguat, aut pluuiis, aut qua illi ratione visum fuerit. Sic in hac vita diuinæ iræ incendio exardescente, concionatores tubarum instar exaltant vocem suam, ad fundendas copiosè lacrymas pœnitentiæ, incendio restinguendo opportunas, populum excitant, & ad flammarum fomenta detrahenda; sed ad alterius vitæ ignes restinguendos, aut eripiendas inde animas nemo commouetur. (Deut. 32. 22.) *Ignis succensus est in furore meo*, ait Dominus, *& ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet*, nemine quidpiam remedij afferente.

II. *Ne parentibus quidem.* Verùm enim verò, dixerit aliquis, si parentes nostri, quod auertat Deus, essent in inferis, nobisque id certò constaret, vt qui exempli causa in hæresi, in singulari certamine, aliόve crimine subita morte oppressi fuissent, nónne natiuus noster in eos amor opem aliquam, aut auxilij certè desiderium à nobis extorqueret? Inuitat vtique ingenitus iste amor ad huiusmodi desiderium. Nam & ille Epulo, cùm esset in tormentis, memor fratrum, pro iis orabat; potuerunt & fratres vicissim pro illo, nescij damnationis eius, vt sæpe contingit, preces fundere. Sed cùm fides constanter doceat omnia auxiliorum genera esse inania atque desperata, prudentia quoque dictat irritum laborem suscipiendum non

esse. Adde quòd de amore charitatis suscepta est ista disputatio; charitas autem cum perditis illis coalescere nullo modo potest, quamtumuis nos aut affinitate contingant, aut eximiis nos pridem beneficiis obligarint; inimici enim Dei sunt, non secus ac dæmones, & instaurandæ amicitiæ penitus impotentes. Inimici quoque nostri esse debent: æquum enim est nos odisse inimicos regis nostri, ideóque mutua inter nos charitas esse non potest, neque mutuum auxilium, vt alter alteri opem aliquam ferre possimus. *Magnum enim chaos inter vtrosque interiectum est*, latissimúsque, & nunquam deiiciendus diuisionis murus. Luc.16.26.

III. *Et omnino nemini in peccatis mortui.*

Ad hanc classem ij omnes pertinent, qui alieni à Dei gratia è viuis abiere, in ipso criminis reatu deprehensi: cúmque vitam improbam viuerent, eam priùs deseruere, quàm improbitatem. Qua in re diiudicanda iudicium temerarium, & nullo fundamento nixa suspicio, vtramque in partem vitanda est. Sicut enim insignis temeritas foret suspicari virum aliquem, qui perpetua sanctitatis & innocentiæ laude floruisset, æternis fortasse suppliciis addictũ esse, quia incertũ est an in mortis articulo de sua salute desperarit. Par est omnino temeritas, si quis de homine scelerato suspicetur eũ fortasse extrema illa vitæ periodo de peccatis verè doluisse, & ad Deum esse conuersum, nullo occurrente fundamento existimandi, mortem persimilem vitæ non extitisse. Nemo ignorat, aut negat diuinam misericordiam, nec misericors esse desinet isto impio condemnato; sed vt ne iudicium sit temerarium, aut inepta suspicio, extare debet fundamentum aliquod, quo nitatur ista opinio, Deum erga huiusmodi hominem misericordem extitisse.

IV. *Quid in re dubia?*

Quia tamen res sæpenumero dubia est, verúmne de peccatis dolorem ex singulari Dei misericordia in morte conceperint, præsertim interueniente pœnitentiæ sacramento, pro illis tunc orari potest, ac debet, saltem sub conditione, si habiles fuerint ad auxilium recipiendum. De cæteris, de quorum salute valde probabiles extant coniecturæ, vt maximæ Christianorum parti contingit, qui Ecclesiæ sacramenta ritè percipiunt, charitas, cum qua vita defunguntur, nos admonet ad officia charitatis illis liberaliter impendenda, vt ab iis quas patiuntur pœnis, quàm citissimè eripiantur.

Secundi Libri finis.



LIBER TERTIVS,

Qui est altera de Amore diuino disputatio.

De diuina pulchritudine, primo ad diligendum Deum inuitamento.

CAPVT I.

Aditus ad disputationem de pulchritudine Dei.

I. *Transitus ad nouam disputationem.*



XPLICATVM est à nobis hactenus, quantum quidem ingenij huiusce tenuitas, industriæque ferre potuit, Deum inter & homines amicitiam existere, quámque ea admirabilis atque expetenda sit; quòd sit illius fundamentum, quàm pretiosum, nobile, ac diuinum, quámque singulare animi ornamentum. Inde progressa est disputatio ad amicitiæ huius obiectum, personásque declarandas, quæ hac amicitia, & præcepto charitatis comprehenduntur, aut ab ea excluduntur. Nunc res ipsa videtur postulare, vt exponamus summa quædam, ac primaria incitamenta diuinæ amabilitatis, quæ si diligentiùs inspiciantur mentis nostræ luminibus, vehementer nos ad hunc amorem quotidie, siquidem velimus, amplificandum extimulare possunt. Quidni autem velimus? Nullus est enim inter aulicos tam parum prudens, aut tam negligens vtilitatis suæ, cui satis sit tantillum valere gratia apud principem suum; ambit potiùs singularem eius familiaritatem, ambit & fiduciam, nihil vt princeps arcanorum suorum illum celatum velit. Quidni ergo ad illustriorem in dies gratiam aspirent, qui iam in cœtum amicorum, ac filiorum cœlestis parentis admissi sunt? quando & ipse immenso amore dignus est, & suos infinito quodam amore prosequitur.

II. *Cur à pulchritudine inchoãdum.*

In hunc finem necessarium videtur, vt mentis nostræ oculos coniiciamus attentius in diuinam illam faciem, eiúsque fulgurantem pul-

chritudinem contemplemur, quæ beatos omnes tanto gaudio cumulat, quantum mortalium nemo satis æstimare potest. Ab hac siquidem pulchritudine ducendum videtur initium, vt quæ prima se aperit intuenti, & priùs corporis animíque oculos ferit, quàm vlterius ad obiecti diuini bonitatem penetremus: eásque habet illecebras; quibus alliciat ad se, suauissiméque rapiat oculos hominum, & Angelorum. Deinde per otium degustanda erit æterna illa atque immensa bonitas, quæ ad voluntatem pertinet, vt pulchritudo ad intellectum, qui facem voluntati præfert: illa, inquam, bonitas, ex qua proficiscitur quidquid bonitatis reperitur in rebus creatis, quæcumque cœlo aut terra continentur. Inde enim pro suo modulo hauserunt singulæ, quidquid perfectionis habent, quidquid virtutis, scientię, potestatis.

Audentiores igitur nos esse oportebit Moyse, ad montem Sina oues pascente, qui audita Domini voce de medio ardentis rubi, *absc ondit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Dominum*, aut contra rubum, quem Dominus insederat: documento reuerentiæ, quæ diuinæ præsentiæ, sacrísque eius mysteriis debetur. Elias Propheta nobilissimus cùm *sibilum auræ tenuis* inaudisset, post spiritum grandem, & fortem, subuertentem montes, & conterentem petras, post commotionem & ignem, operuit vultum suum pallio, agnita diuinæ præsentiæ maiestate. Esaias vidit Seraphinos ante thronum Dei, qui duabus alis tegebant faciem suam ne viderent, duabus inferiora corporis ad pedes vsque velabant, ne viderentur, reliquæ duæ ad volandum erant expeditæ; tanta est, vel Seraphinorum, qui supremum inter omnes Angelorum choros dignitatis locum obtinent, aduersus diuinum Numen reuerentia, tanta veneratio maiestatis.

III. *Audax videtur negotium.* Exod. 3. 6. 3. Reg. 19. 11. 12. Cap. 6. 1.

Huc referebantur olim non solùm plurima illa vela, quibus vndique obuoluebatur diuinum tabernaculum, totúmque ipsius atrium cingebatur, & quo sanctior locus ab atrio diuidebatur, sed illud maximè, quo oraculum ipsum siue Sanctum Sanctorum, à reliqua æde secludebatur, tam in templo Mosaico, quàm in Salomonico. Huc pertinebat densa illa nubes & caligo, quæ montem Horeb obtegebat, cæteráque omnia loca, in quibus diuina maiestas aliquod præbebat indicium præsentiæ suæ. Quomodo ergo ad diuinam illam faciem non reformidemus accedere? quomodo humilitas nostra coram tam sublimi maiestate non expauescet, cùm in eius conspectu ipsi Seraphini, sancto Dei timore perculsi, complicent alas suas, & instar papilionum se esse ducant? An expectamus dum dicatur de nobis, quòd de profano rege Amone à Scriptura dicitur; quem accusat quod non fuerit *reueritus faciem Domini*? Aut dum temeritatem repentina morte luamus, vt qui non ignoremus scriptum esse, *Non videbit me homo & viuet*.

IV. *Idque declaratur exemplis.* 2. Paral. 33. 25. Exod. 33. 20

Verùm idem ipse Dominus animos nobis ad eum adeundum fecit, quando, in persona vnigeniti sui, vsque adeò abiecit dignitatem illam

V. *Animos facit Christus Dominus.*

ſuam, vt nos adoptaret in filios, docerétque eum agnoſcere atque ap-
1.Ioan.3.1. pellare patrem, ab eóque tanquam à parente neceſſaria poſtulare. *Vi-*
2.Reg.14.24 *dete*, ait dilectus diſcipulus, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* At quis filios arceat à conſpectu patris, niſi ſimilia deliquerint Abſaloni? Nónne eius voluntate velum templi ſciſſum eſt, à ſummo deorſum vſque, vt ea propalam cerneremus, quæ populo Hebræo morte propoſita interdicebantur. Nos ergo alloquebatur
Pſal.33.6. in primis Dauid, cùm diceret, *Accedite ad eum & illuminamini, & fa-*
2.Cor.3.18. *cies veſtræ non confundentur.* Clariùs etiam Paulus Apoſtolus, *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem trãſformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.*

VI. *Et Paulus Apoſtolus.* Quo loco Apoſtolus inſtituit antitheſin veli, quòd dixerat impoſitum cordi Iudæorum, & lucis, quam Chriſtiana fides ſecum inuehit, cuius auxilio ſperamus nos ad gloriæ lucem peruenturos. Iudæi autem gemino velo obſcurantur ne videant, néve myſteriis diuinis acquieſcant, quæ lege Moſaica occultantur; alterum rebus ipſis inſternitur: ſunt enim allegoricæ, & ænigmatum ſimiles; alterum cordibus eorum obſtinatione cæcatis obtenditur. Deus quidem inacceſſam lucem inhabitat, ſed fides facem manibus ingerit, vt tantum videri poſſit, quantum mortalis hæc vita permittit. Facies eius fulgore vehementi rutilat, vt eam mortales oculi ferre non poſſint. Sed Dei filius in ſeipſo, tanquam in mundiſſimo ſpeculo, eum ſpectandum præbet, iuxta illud,
Ioan.14.8.9. *Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* Nolumus tamen ad alterutrum, niſi cum debita veneratione accedere; tametſi filius, illis nos ver-
Matt.11.28. bis ad ſe humaniſſimè vocet, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

CAPVT II.

Generalis propoſitio eorum, quæ deinceps in diſputationem cadent.

I. *Duo ſumma capita diligendi Deum.* DEVS Optimus Maximus primarium & ſummum charitatis obiectum toto ex corde, totiſque viribus diligendus eſt; primùm quia ex ſeipſo, & in ſeipſo, ſine vllo rei cuiuſpiam additamento, ſummè amabilis eſt; deinde quia ſummo nos amore proſequitur. Hæc ſunt duo ſumma capita, quæ deinceps explicanda ſuſcepimus; & illud quidem aliquanto breuius, quia quandiu non videmus Deum ſicuti eſt, contentos eſſe oportet ea cognitione, quàm de ſummis illius perfectionibus ex operibus eius haurimus. Ita qui Oceani vaſtitatem nunquam viderunt, eius magnitudinem quoquo modo coniiciunt ex fluminum, quæ in eum ſe exonerant, aut ex eo digrediuntur, amplitudine, ac multitudine,
quorum

quorum neque accessione tantillum augetur, neque decessione minuitur. Et quamuis ratione nostræ imbecillitatis, atque ignorantiæ non desint, quibus hinc quoque agnoscere valeamus, quàm amabilis sit ipse per sese, seclusis operibus eius; tota tamen illa cognitio ex rebus creatis, quæ nobis eam suppeditant, mendicanda est; iis exceptis, quæ nobis diuina reuelatione patuerunt.

II. *Is super se, propter attributa diuina.* Deus porro summopere amabilis est ex seipso, propter nobilissima illa attributa, & quasi proprietates quasdam naturæ diuinæ, Vnitatem dico, Simplicitatem, Immensitatem, Infinitatem, Æternitatem, Sapientiam, Bonitatem, Potestatem, Pulchritudinem, Iustitiam, Misericordiam, Prouidentiam, Beatitudinem, cæterásque quas in Deo cogitamus perfectiones; duabus tamen latiùs paulo diducendis contenti erimus, pulchritudine & bonitate, quæ sunt præcipua nostri in Deum amoris incitamenta. Nam & aduersus res creatas, sic affecti sumus, vt earum malitia & deformitas nos ab illis auertat, odium ingeneret, conuertat in fugam. Et contra earum bonitas & pulchritudo corda nostra mirificè allectant, & ad se pene sine sensu, hamulis oculos fallentibus, trahunt.

III. *Bonitatem maximè.* Nam de bonitate nulla potest esse controuersia, quin si agnita fuerit, sit amoris mater. Idque tam certum est, vt nemo quidquam diligere possit, nisi quòd vel bonum reuera sit, vel bonum æstimetur, licet speciem tantùm atque imaginem boni habeat. Nam aurum quoque & argentum, verum reperitur & adulterinum, gemmæ quoque fucatæ, & lapides nomine tenus preciosi. At enim, dicat aliquis, quid de morte dicemus, quam rerum natura tantum auersatur vniuersa, quantum diligit esse, ac viuere. Sunt tamen aliqui nonnunquam qui eam desiderent, qui oblatam admittant, qui eam vltro sibi ipsis consciscant. *An mors amari possit.* Certum nihilominùs est mortem vniuersè loquendo, non nisi malam esse posse, & naturæ, quæ sui conseruationem desiderat, inimicam, & in hominibus esse peccati pœnam. Alia tamen nonnulla deteriora sunt, vt peccatum & infernus, quorum comparatione mors non tam in bonis, quàm in minus malis numerari possit; mali autem diminutio aliquod bonum est. Itaque sancti Martyres mortem acerbissimam Dei offensæ prætulerunt. Et qui manus sibi violentas afferunt, minus esse mali in morte censent, quàm in ægritudine, aut dedecore, aut tristitia, in qua vitam infelicem trahunt. Eadémque causa est cur damnati mortem exoptent, adeóque in nihilum redigi votis omnibus appetant: ferunt enim mille mortibus acerbiora.

IV. *Pulchritudo alterũ amoris incitamẽtum.* Quòd ad pulchritudinem attinet, ipsa quoque amorem parit; est enim bonum aliquod, cui addit delectationem, vt docet Areopagita Dionysius, & cum eo Doctor Angelicus. Reperitur autem pulchritudo, non in rebus modò corporeis, quæ oculis auribúsque blandiuntur, quo fit vt pulchritudinem in humano vultu, in cœli facie, in regiis ædibus, 1.2.q.27 a. 1.ad 3. Dionys.c.4 de diu.nom.

in bene cultis, amœnísque hortis prædicemus; in fidibus quoque & cõcentu vocum, & luciniæ musica, omníque harmonia; sed in rebus quoque spiritalibus pulchritudo celebratur. Pulchram enim libertatem vocamus, & pulchram mortem, & consilia pulcherrima, eximiam quoque speciem oratoris perfecti, & pulchritudinẽ adamamus; laudamus splẽdorem, & pulchritudinem virtutis & honestatis. Pulchrum quoq; ingenium vulgò dicitur, promptum & viuidum, quod & facilè capiat, quæ dicuntur, & clara cum luce alienis auribus instillet. Ita dicimus demissionem animi, mansuetudinem, liberalitatẽ, gratiam, fidem, amicitiam, pulcherrimas esse virtutes, omnibúsque gratissimas.

V. *Quædam illius ex Platone descriptio.* Gratúmne igitur faciemus tibi, ô amabilissima, & cœlo terræq; gratissima pulchritudo, si coniectis hinc sursum oculis, non solùm optatissimam cœli faciem conspiciamus, quam tot rutilantibus decorasti syderibus, tot adamantibus ac piropis ornasti, qui haustã in thesauris tuis beneficam lucem eiaculantur in terras; sed illam ipsam pulchritudinem tuam, quæ admirabili splendore beatorum facies cõtinenter illuminat: illam vultus tui gloriam, quæ initio & fine, accessione & decessione caret: illum decorem, non qui vna ex parte placet, ex altera displicet, vno loco vel tempore dignitate priuatur, abundat altero; alternis angit & recreat; illam venustatem, non quæ cæteris rebus comparata non omnibus anteit, quibusdam speciosam non aliis: sed pulchritudinem illam tuam, quę nihil aliunde mutuatur, sed speciem omnem suam habet ex sese, & in seipsa, cuius reliquæ formæ omnes, particulæ quædam sunt & frusta, quæ incrementum capere, decrementúmque possint, sine vlla accretione aut decretione istius summè simplicis, atque vniusmodi pulchritudinis tuæ, vt Plato quondam, in mediis humanæ ignorantiæ tenebris, ratiocinabatur. *In Symposio.*

VI. *Cum petitione veniæ ad eam speculandam.* Gratius fortasse foret maiestati tuæ, nostros vt oculos conuerteremus ad agnoscendam, deplorandámq; nostram fœditatẽ, ad animi demissionem acquirendam, vtilem ad superbiæ ac vanitatis nostræ rotam affligendã. Spero tamen fore vt hac contemplatione charitas, quæ non minus tibi grata est, quàm humilitas, vehementiùs paulò incalescat. Cùm autem linea recta, rectarum sit obliquarúmque iudex, dum in agnoscẽda pulchritudine tua, nobis admodum occulta, desudabimus, quid in nobis fœdum, mutilum, distortúmve sit, non difficiliter, ex dissimilium contentione, deprehendemus.

CAPVT III.

Primum diuinæ pulchritudinis fundamentum. Cognitionis immensitas.

I. *Duo pulchritudinis fundamẽta.* CVIVSLIBET rei absoluta perfectio duobus ex capitibus necessariò manat; oportet enim vt ab ea imperfectiones omnes defectúsq;

tollantur, tum vt eadē propriis ac debitis decoretur ornamentis; idémque in pulchritudine valet. Nam si quis aulam aliquā exornare cupiat, ex ea primùm quidquid est vsquam sordium euerrendum, atque eiiciendum est: inde aulæis, pictis tabulis, preciosa supellectili honestanda est. Humana facies quamuis natiua specie sit insignis, multum tamen omnino de eius forma detrahitur, si deturpata fuligine, si squalore, aut illuuie obsita sit. Eductus est primùm è carcere Iosephus ille Patriarcha, & pædore abstersо tonsus est; vestis quoque illa, quæ carcerem decebat, in aulicam, ne regis offenderet oculos, cōmutata est. Iuditha quoque populi sui hostem formæ præstantia debellatura, *abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum;* hoc primùm: deinde ad natiuæ pulchritudinis incrementum, *vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, & omnibus ornamentis suis ornauit se.* Eodem modo intelligendum est diuinam pulchritudinem omnium primùm sordium expertem; deinde rebus omnibus instructam, quæ pulchritudinis natura desiderat, proportione, gratia, claritate, cæterísque id genus. Ergo prius illud caput, vt naturæ ordo postulat, expendamus.

Gen. 41. 14.

Iudith. 10. 2. 3.

II. *Expurgatio defectuum.*

Certissimum est apud Theologos omnes, atque Philosophos, Deum mentem quandam esse intelligentia præditam, & voluntate; segregatam ab omni concretione mortali. Huiusmodi autem naturæ nullam maculam, aut defectum habere possunt, præter ignorantiam in intellectu, aut in voluntate peccatum: quæ vitia infinito quodam interuallo distant à pulchritudine omnibus numeris absoluta. Dei enim natura vsque adeò à peccato aliena est, vt omnes, qui eum contemplantur, cuiuscumque noxæ reddat immunes. Ignorantia verò quæ possit esse in eo, qui præterita omnia, præsentia, futura, possibilia, semper in conspectu habet? *Deus lux est,* ait Euangelista, *& in eo tenebræ non sunt vllæ,* imò fulgorem lucis quaquauersum eiaculatur, & omnes ad se accedentes illustrat. *Accedite ad eum, & illuminamini,* ait Dauid. Rectè etiam perpetuo illud vsurpet, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Sicut autem scientia & gratia lumina quædam sunt, ita peccatum & ignorantia tenebræ sunt, quas remoueri à se cupiebat Angelica virtute atque eruditione doctor.

1. Ioan 1. 5.

Psal. 33. 6.

D. Thom.

III. *Deus omnis ignorantiæ expers, prior ratio.*

Primùm ergo diuinæ pulchritudinis fundamentum, & quasi apparatus est, nulla vt ignorantia in eius intellectu sit, aut esse possit: idque duplici ratione firmatur. Prior est quoniam Deus infinita lux est, sine vlla admistione tenebrarum, vt aiebat Ioannes, neque vllis gradibus limitibúsve definita, vt lumina ista, quæ corporeis oculis patent, faces, inerrantes stellæ, multiplici magnitudine ac luce distinctæ, Sólque ipse ac Luna, quæ certum habent ac definitum modum luminis, nec

maiorem; quòd in hominum quoque, atque Angelorum ſpiritali luce, & quantacunque cognitione valet; neque enim ſciunt omnia, poſsúntque in dies plura cognoſcere. Nam, vt docet magnus ille ex Areopago Dionyſius, Angeli ſuperioris cuiuſpiam ordinis eos illuminant, purgant, atque perficiunt, qui ſibi natura & gratia ſunt inferiores. Et homines alij alios humanas docent diuináſque diſciplinas.

IV *Poſterior ratio.* Poſterior ratio eſt, quoniam nihil vnquam fuit, aut eſt, aut eſſe quoquo modo poteſt, ſine primæ atque vniuerſalis cauſa concurſu, quæ particulam quandam infinitæ poteſtatis ſuæ ſecundis cauſis ſubiectíſque communicat, niſi quando ipſa per ſe ſolitaria operatur, vt olim in prima rerum molitione, cœli, terræ, aquæ, Angelorum; & quotidie cùm recens creatas animas infundit in corpora, eiſque ad hominẽ producendum, in vtero matris agglutinat. Deus ergo qui intelligentia quædam eſt, & per intellectum agit, nulláque alia operatrice facultate indiget, perſpicuè videt, cognoſcítque quæ agit, ſiue ſolus agat, ſiue cum cauſis ſecundis. Et quemadmodum nos nihil agere poſſumus, dicere, cogitare, niſi anima manum, cor, linguam mouerit, quo fit vt illa abſente ceſſent omnia; ita nihil omnium quæ ſunt, aut ſubſiſtere poteſt, aut operari, ſi princeps illa cauſa vitam, ſenſum, motionem deſinat inſtillare. Quin & illud attende, ſi anima dum eſt in corpore, nullis ad functiones ſuas inſtrumentis egeret, æquè in manu atque in cerebro intelligeret: ita Deus, qui eſt actus puriſſimus, totúſque intellectus, nec organis eget, ſicut vbique eſt, ita vbique intelligit, neque aliquid ignorare poteſt.

V. *Humana ſimilitudine declaratur.* Quòd ſi hominis alicuius eruditio, longè cæteris in aliqua ſcientia, arte, facultate præſtantis, aut eius qui non ſolùm in Philoſophia, ac Iuris prudentia; in Medicina, diſciplinísque Mathematicis, in Theologia quoque, Hiſtoria, Oratoria, ac Poëtica facultate, & multarum cognitione linguarum ſit apprimè doctus; qui ſit etiam picturæ, ſtatuariæ, Architecturæ, cæteræque literaturæ bene intelligens; ſi, inquam, tanta, támque multiplex eruditio, ita illum in altum euehit, apud eos qui cum ipſo verſantur, vt illum omnes tanquam omniſcium honorent, prædicent, admirentur, omnes pulcherrimam & latiſſimè patentem mentis aciem commendent, omnes ab ore dicentis pendeant, eius familiaritate gaudeãt; præſertim ſi his omnibus comitas, animi demiſſio, & eximia ſuauitas morum acceſſerit. Quid ergo dici poteſt de illo fonte luminum, artium, doctrinarum, qui pro immenſa bonitate ſua, vltro de theſauris ſapientiæ ſuæ hauſit omnem intellectum creatum, omnémq; induſtriam atque habilitatem citò cõprehendendi, ſubtiliter inueniendi, rectè atq; ordine diſpẽſandi omnia, magnificè eloquẽdi, & gratiſſima voce atq; actione pronunciandi: quid, inquã, dici de illo poſſit, cui nihil eſt occultũ eorũ, quæ vſquam fuerunt, aut ſunt, aut eſſe omnino poſſunt? qui illa omnia momento percipit, qui ad ipſum cuiuſq; rei cẽtrũ

peruadit totámque vim agendi, quam certis terminis ipſe definiuit, facilè percipit. Quin etiam clarè videt, ac comprehendit quanta ſit ſua ipſius ſcientia, ſapientia, fortitudo, quæ non niſi infinitate finiuntur, & ab infinito duntaxat intellectu capi poſſunt.

Non ita res habet in hominibus, ac ne in beatis quidem illis mentibus, quæ, vt lumine ſcientiáque maximè fulgeant, multo plus ignorationis habent, quàm ſcientiæ. Quin etiam, quod multo eſt admirabilius, ſi omnis mortalium atque immortalium cognitio, in vnius Cherubini intellectum diuinitus transferretur, multo plus ille nihilominus ignorantiæ haberet, quàm ſcientiæ. Nam careret etiam tum omnium indiuiduorum cognitione, puta quot folia vere primo naſcuntur in ſylua latiſſima, aut quot in autumno defluant, & quomodo ſingula differant inter ſe; quot volucres in aëre volitent, quot piſces in oceano, cunctiſque fluminibus natando diſcurrant; quot arenæ grana vel in arenariis deliteſcant, vel in littore maris iaceant, vel inquietis fluctibus agitentur, quis ſit pilorum numerus in omnium animantium corporibus, quis ſquamarum in piſcibus. Et quamuis exactè eorum omnium numerum teneret, ſingulorum tamen indiuiduorum accidentia propria non teneret: ac ne milleſimam quidem partem cogitationum, verborum & actionum, quas Angeli hominéſque ſeculorum omnium, ab exortu rerum, ad vltimam vſque æternitatem, fecerint, dixerint, cogitarint. VI. *Beatorum ſcientia cum diuina confertur.*

Coniiciamus, ſi quo modo poſſumus, quò hæc vſque cogitationum infinitas progrediatur, cùm multitudinem earum, quæ non vno anno, ſed vno die, vel hora mentem noſtram circumuolitant, veniunt abeúntque, capere mens noſtra non poſſit. Et vt illuc redeam Cherubinus ille, quem diximus, omnes cogitationes ignoraret, quæ ex libertate pendent, quas nullus numerus capere poſſit, multóque minus illas omnes quæ eſſe poſſent, nec tamen futuræ ſunt vnquam, quarum numerus multo etiam maior eſt atque infinitior: imo ne vnam quidem cognoſceret, cum ea ſcientia ad illum vnum pertineat, qui ſcrutator eſt cordium. Denique ignoraret penitus quidquid latet in latiſſimo, immenſóque diuinæ omnipotentiæ oceano. Quales ſunt ſpecies rerum innumerabiles, eíſque ſubiectæ res ſingulares, quas Deus poſſet in mundorum infinitate producere, qui ex vno nutu pendent eius potentiſſimæ voluntatis. VII. *Quamque diuina late pateat, præ alia quacũque.*

Itaque non eſt in poteſtate noſtra cogitatione capere, ſed admirari potiùs vehementer, & ſummo ſtupore defixos conſiſtere, circa infinitatem cognitionis Dei noſtri, & glorioſiſſimum pulchritudinis eius fundamentum; nimirum cogitationibus, verbiſque deſtitutos, quibus ad ſpiritales theſauros diuini intellectus pertingamus, cui hæc omnia, quæ curſim commemorauimus, clara ſunt atque aperta, quoniam ſe ipſe comprehendit, & obiecta omnia infinitæ poteſtatis ſuæ. Et tamen talis ac tantus Deus, Deus noſter eſt: neque enim alium habere poſſumus, VIII. *Et quàm admirabilis.*

aut optamus. Imo pater noſter eſt, frater, neceſſarius, & ſponſus vilium iſtarum animarum. O bonitatem! ô pulchritudinem! ô excellentiam incredibilem! ô ſcientiam & cognitionem dignam ſapientiſſimo rerum molitore Deo.

IX. *Atque amore digna.* Si ergo ſcientiam, natura dictante diligimus, quomodo non exardeſcimus deſiderio videndi, audiendi, & cognoſcendi hunc infinitæ cognitionis oceanũ, hoc ſplendidiſſimum ſcientiæ lumen immenſæ pulchritudinis fundamentum; hanc admirabilem intelligentiam, cui cogitationes omnes, quas habuerunt, & habituri ſunt, aut habere poſſent tota æternitate tot numero angeli, quot arenæ minutiſſimæ grana, totius firmamenti complexu, non huius mundi duntaxat, ſed quinquaginta millium mundorum capi poſſent, omnes, inquã, cogitationes illæ notiores ſunt, quàm manus noſtræ oculis noſtris. In illis enim vix aliud quidquam præter accidentia quædam cognoſcimus. Deo autem quæcumque in eis ſunt, notiſſima ſunt, ſubſtantia, accidentia, materia, forma, principia, effecta, interna externáque. Cognitione verò tam perfecta, vt ne in ipſius quidem omnipotentia ſitum ſit illam augere. Nimirum infinitum nulla acceſſione maius eſſe poteſt.

X. *Eiuſdem Adoratio.* Hanc igitur admirabilem, planéque diuinam cognitionem maieſtatis tuæ, Deus Opt. Maxime, quæ eſt ipſa diuinitas tua, colo, veneróque ſupplex, cum vniuerſo cœtu filiorum tuorum, qui partim conſpectu iam tuo fruuntur in cœlis, partim eius fruitionem, poſt longinquæ huius ac periculoſæ peregrinationis decurſum, ſperant, ac præſtolantur. Veneror, inquam, illuſtriſſimum hunc intellectum tuum, à quo illuſtrantur omnia, quæcumque patent, aut latent in rebus creatis: principium ac fontem vberrimum cognitionis omnis, quæ angelis hominibúſque communicata eſt: quorum aliqui cùm tantam inde copiam, comparatione cæterorum hauſerint, coniecturam præbent quantus ſit fons, ex quo tales riuuli proficiſcuntur: ſimúlque in illius honorem, cum omni animi ſummiſſione, quæſo precórque, vt geminam nobis cognitionem propitius largiaris, alteram præſentiæ tuæ, & oculi omnia perpetuò contuentis; alteram ignorantiæ noſtræ, malitiæ, infirmitatis, vt timor animique demiſſio, quæ inde effloreſcent, tibi ſit iuge ſacrificium laudis, quo maiorem quotidie copiam promereamur ſanctiſſimi amoris tui.

CAPVT IV.

Alterum diuinæ pulchritudinis fundamentum, impeccabilitas.

I. *Omnia defectui obnoxia præter Deum.* TRANSEO ad alterum diuinæ pulchritudinis fundamentum, impeccabilitatem. Habet enim Deus naturam defectus omnis ita expertem, nulli vt imperfectioni ſubiacere poſſit; quæ perfectio in Deo

ita singularis est, vt in nullum alium ex naturæ suæ principiis conuenire possit. Cuius rei hæc ratio est, quod quæcunque creata sunt, ex nihilo educta sunt omnia; & suopte nutu in illud ipsum nihilum vergunt, ex quo fluxerunt. Nam quæ ex terra profecta sunt in terram abeunt, & quæ ex corruptione orta sunt, prona sunt ad interitum, & quæ defectibus obnoxia sunt, paulatim sua sponte deficiunt, & ruinam minantur: ita quod pridem nihil fuit, potest in nihilum defluere, adeóque defluit, nisi Dei benignitate perpetuo sustẽtetur. At Deus existit necessariò semper fuit, sempérque futurus est Deus. Itaque Propheta regius, *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo, & vsque in seculum tu es Deus.* & alibi rursum, *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in seculum seculi.* Deus non potest non esse, nec aliter esse quàm summè beatus; beatitas autem non potest cum peccato consistere; est enim peccatum quoddam non esse, aut esse miserum. Psal. 89. 2. Psal. 47.

II. *Imprecabilitas Dei ex eius immutabilitate.*

Præterea Deus immutabilis est, sicut ipsemet non semel testatur, itáq; immutabilis, vt ne in melius quidem mutari possit: iam enim habet illud melius, quod animo fingi potest, reuera autem esse nullo modo potest. Diuinum enim esse omnium, quæ in mentem venire possunt, beatissimũ est, habétque in se, & ex seipso felicitatem omnibus numeris absolutam. Labi autem posse in peccatum, est esse valde mutabile, & omnium deterrimæ mutabilitati subiacere. Quî ergo mutari peccando posset, statúmque pulcherrimum, beatissimum, perfectissimum, in fœdissimum, miserrimum, imperfectissimum commutare? potentiam & bonitatem in malitiam & infirmitatem? hæc enim in peccato sunt omnia, talémque esse posse, non est esse beatum. Neque enim potest esse beatus, qui scit incertam esse beatitudinem suam, seque fieri posse infelicem. Malach. 3. 6 Num. 23. 19 August.

III. *Quódque volũtas eius sit regula iustitiæ.*

Adde quod peccatum aberratio quædam est voluntatis, à recto rationis itinere deflectentis. Si ergo voluntas aliqua reperitur, quæ sit ipsa per se recta regula rationis, sicut seipsam deserere non potest, ita neq; à recta ratione declinare, quod est peccare. Huiusmodi autem est Dei voluntas, ab eáque ita rectitudo pendet, vt hoc ipso rectum sit aliquid, quia Deo placet, non autẽ Deo res aliqua placeat, quia recta sit. Et sancti quidem hoc dono fruuntur in cœlo, sed ex mera gratia, Deus autem ex ipsa suæ perfectione naturæ, quod est multò perfectius, & ei congruentius, qui est in totius perfectionis apice constitutus. Ex hac porro doctrina cõsequens est, eum qui perpetuo diuinæ voluntati adhæret, peccare non posse, sicut qui rectam regulam in ducendis lineis semper adhibet, obliquam ducere non potest. Quod videtur significasse Ioannes cùm dicit, *Omnis qui in eo manet, non peccat.* & quẽ Sol illuminat, in tenebris ambulare non potest. 1. Ioan. 3. 6.

IV. *Impeccabilitas summũ diuinæ naturæ bonum.*

Et quando peccatum est summa fœditas, & macula & damnum animæ ratione vtentis, cum ratione enim, quæ est eius essentia & natura, directò pugnat; sicut summum oculi malum est cœcitas, & surditas facultatis audiendi, necesse est impotentiam peccandi, quæ

naturæ intelligenti, ex eius naturæ perfectione conueniat, qualis in Deo est, summam esse perfectionem, & pulchritudinem naturæ diuinæ, quæ neque amitti, neque minui, neque obscurari vllo modo potest. Sol quidam est, cui nulla nubes, nulla caligo, nulla corporis vllius oppositio natiuum lumen auferre potest; cœlum est solidissimæ firmitatis, cui immensa vis ignium orbi lunæ adiacentium labem inferre nullam potest; lorica est ferrea, ita temperata, nulla vt sarissa, aut catapulta insperatorum casuum traiici possit. Instar est cocci præstantis, quam nulla macula contaminat, aut nobilissimi adamantis, quem, vt veterum plerique prodidere, nominis eius notatione persuasi, neque incus, neque malleus, neque vis vlla infringere, aut domare potest.

V. *Eique non aduentitia est, sed naturalis.*

Si ergo Deus cælitibus tanquam singulare priuilegium largitur, vt deinceps peccare non possint, quo vni omnium beatissimæ Virgini, suæque sanctissimæ humanitati concessit in terris, quanta in Deo debet esse ista perfectio, qui eam à seipso possidet, ex diuinæ nobilitate naturæ? Quanto peccatum deterius est malum, aut turpius, tanto præstantius est bonum non posse peccare. Eundem ad modum, quò fœdior res est, atque miserabilior desipere, furere, insanire, tanto excellentius est, tanta esse firmitate mentis atque iudicij, nulla vt ægritudine, vel casu labefieri queat. Et vniuersè loquendo, quo grauius est aliquod malum, hoc excellentius est illi oppositum bonum, præsertim si tam solidè firmitérque possideatur, vt amitti non possit. Quo pretio diuites, & ambitiosi emptam cuperent certitudinem seruandarum opum, aut gratiæ apud principes viros? Quanti emerent, qui rectè valent, longitudinem iucundæ vitæ, sanitatisque constantiam? Quanti denique amici Dei facerent eam gratiam, qua in hac vita vltra non peccarent? quantò esset eorum anima illius accessione doni pulchrior, atque pretiosior?

VI. *Oratio cum gratulatione.*

Hoc ergo alterum est fundamentum perfectissimæ, atque absolutissimæ pulchritudinis tuæ Deus meus, quod vim omnem cuiuscumque rei creatæ, longè multúmque transcendit. Hoc ius quoddam est, & prærogatiua beatorum, fuitque olim in terris Christi domini, & sanctissimæ parentis eius, ad quam nemini præterea à rerum conditu aspirare licuit. Gaudeo vehementer, tibique gratulor tantam dignitatem, perfectionem, absolutionem, nihil vt indignum aut indecorum nobilissimæ naturæ tuæ facere possis. Gratulor quoque generi vniuerso mortalium, quod dignatus sis nos ad participandam tantam perfectionem, támque expetendam, aptos habiléisque reddere; ne quæso patiare nos spe nostra decidere, aut consilia tua fructuosissima nobis, irrita reddere. Intuere propitius huius conditionem vitæ, quæ lubricis in locis ac lutulentis ducitur, quo fit vt labamur non raro, & inquinemus innocentiæ vestem, tua nobis liberalitate concessam; eam ergo famulis hisce tuis largire gratiam, qua & hîc à peccatis cessemus, & apud te partifices efficiamur impeccabilitatis tuæ.

Excita potentius ad meliorem mentem plerosque mortales, qui propria experientia edocti, suam ad peccandum procliuitatem agnoscunt, & subinde sentiunt quantula res eos labefactet atque deiiciat; qui nihilominus hanc propensionem improborum hominum consuetudine, pessimorum librorum lectione; cibi potúsque intemperantia, aliisque ad nequitiam ducibus vehementer amplificant; quo fit vt in turpia peccata subinde prolapsi, *fiant abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Insani, qui non videant, quàm sit præceps eorum amentia, qui hominem morbo ita languentem, vt vix ingredi, aut hærere in vestigio possit, per lubrica glacie loca circunducunt, aut per terrifica præcipitia, quæ valentes non sine tremore conspiciunt, decurrere cogunt; fuge male sane has occasiones, hæc pericula, hæc incitamenta peccandi, quia scriptum est, *qui amat periculum in eo peritur um.*

VI. *Petitio gratia peccatoribus.*

Osee 9. 10.

Eccli. 3. 17.

CAPVT V.

Quid sit, quibúsque ex rebus constet pulchritudo, in rebus corporeis ac materiatis.

I. *Vnde hic haurienda diuinæ pulchritudinis cognitio.*

SAPIENTIA *speciosior est sole, & super omnem dispositionem stellarum; luci comparata inuenitur prior,* vt ait Sapiens; iisque comparationibus haud obscurè significat, nos dum corporeis hisce vinculis alligati sumus, ad diuinæ sapientiæ, vel ipsius Dei pulchritudinem agnoscēdam, peruenire non posse, nisi interuentu, & proportione rerum, quæ hîc decora specie præditæ cernuntur. Cùm autem libuerit infinitæ illi bonitati finem isti nostræ peregrinationi facere, tum demum coram intueri licebit illam pulchritudinem, *quam sol & luna mirantur,* vt olim de formosissimo sponso suo dicebat S. Agnes. Et ille apud Iobum, *Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Illam, inquam, pulchritudinem, in cuius contemplatione omnes beatarum mentium ordines hærent admirabili stupore defixi, perpetuò attoniti, & perpetuò videre cupientes, quod semper vident. Nihil erit tum auxilij à creatis rebus emendicandum, neque iis quasi gradibus vtendum, vt ad earum conditorem peruenire possimus. Quoniam autem cœlesti patriæ reseruatur ista visio, neque eam hîc oculi nostri ferre possunt, modica hac cognitione, quam ex rebus istis materiatis, atque corporeis haurire possumus, contenti simus.

Sap. 7. 29.

Iob. 25. 5.

II. *Proprietates suis naturis respondent.*

Antiqui Patres, qui olim contra Monotelitas hæreticos disputabant, facilè euincebant ponendam esse in Christo domino geminam voluntatem distinctam, sicut & duplicem naturam, quarum vtraque suas habet proprietates, & facultates naturales, quæ à natura ipsa proficiscuntur, inter quas est voluntas: itaque natura diuina suam secum inuehit volun-

tatem; inuehit etiã humana propriam & suam. Eodem modo in creatis hisce rebus aliæ spiritus sunt, aliæ corpore constant; quæ ita differunt, vt nihilominus sibi quadam proportione respondeant, suásque habeant perfectiones, naturis propriis congruentes. Itaque alia est angeli, alia cœli pulchritudo. Homo autem, qui vtraque ex natura coagmentatus est, corporis animíque perfectionibus fruitur, sicut & naturis, & vtrasque cognoscere potest, sed ita vt alteræ alteris ad cognitionem famulentur, quia omnis eius in hac vita cognitio pendet à sensibus, qui nihil quidquam præter corpora sentiunt, sicut & ipsi sensiles sunt, & corporibus immersi; proportione tamen rerum corporearum assurgimus ad spiritualia cognoscenda, quæ sunt spirituum propria.

III. *Quid sit pulchritudo.* Vt ergo aliquid de spiritali Dei pulchritudine cognoscamus, quæ sit essentia ac natura corporeæ pulchritudinis inquirendũ est, vt ab ea ad spiritalem pulchritudinẽ assurgamus. Sic igitur eam describamus si placet, vt sit gratia quædam, & elegans dispositio corporis, quæ visa placet, vel soni, in quo auris, interni sensus, ménsque ipsa iucundè acquiescit. Aut si malumus in Cratylo audire Platonem. *Pulchrum*, inquit, *est boni splendor, in iis quæ oculis, aure, vel mente percipiuntur.* Docet ergo philosophus hic, bonum latius patere quàm pulchrum, cùm illud ab omnibus sensibus percipiatur, adeóque ab iis, quæ sensu, & vita carent; pulchritudo non item. *Duobus tãtum sensibus percipitur.* Itaque rectè dicimus terram arentem pluuiam appetere, vt rem sibi conuenientem. Et vniuersa philosophia docet omnia bonum appetere, nec tamen docet omnia pulchrum desiderare, quod Plato duobus tantùm sensibus, & menti accommodat, quæ primaria sunt, & nobilissima nostræ cognitionis instrumenta.

IV. *Quæ eam percipere possint, & quæ non possint.* Pulchritudinem igitur non sentiunt res inanimæ, quæ cognitione carent, neque pulchritudine aliena, ac ne propria quidem delectantur; neque enim rosa vel lilium, aurum vel argentum, aut preciosi lapides de suo nitore, colore, pretio, vel odore sibi placent: & mutæ pecudes, quò stupidiores sunt, hoc minus pulchritudinem sentiunt. Itaque legimus Bucephalum instructu ornatum regio Alexandrum vnum equitem admisisse, eo vero exutum, puerum stabularium non recusasse. Agnoscebat ille suum in nobili & egregio strato decorem, indéque superbia intumescebat. Philomela quoque cognita cantus sui pulchritudine delectatur, & pro victoria cum musicis animosè pertinacitérque certat. Et inter homines, quò quis agnitione præstat, hoc faciliùs à pulchro trahitur. *Καλόν.* Itaque τὸ καλὸν, ἀπὸ τοῦ καλεῖν duci volunt, quod homines ad se vocat, atque alliciat. Et inter sensus, qui nobilissimi sunt, & à quibus plus quàm à cæteris cognitionis haurimus, percipiunt pulchritudinem, vt ex Platone dicebamus. Cœlum enim pulchrum dicimus, & pulchram harmoniam; odorem, aut saporem, aut tactus obiecta, pulchra non dicimus. Eodem pertinet quod homines, qui carni & voluptati seruiunt, pulchritudine rerum spiritalium, quam non

norunt, minimè delectantur, sicut nec florum pulchritudine sordidæ pecudes.

Tribus porrò ex rebus existit, atque efflorescit ista pulchritudo, Integritate rei, decora proportione partium eius, & claritate, siue coloris suauitate. Integritatem requiri perspicuum est ex deformitate, quam infert priuatio partis alicuius, vt oculi, nasi, aurium in humano vultu. Nemo præclaram domum dixerit, cætera quidem perfectam, sed quæ tecto careat, aut tabulato; addetur enim, si esset absoluta. Clarum quoque est proportionem requiri; ideóque nemo faciem à forma commendarit, si nasus aut maior in ea, aut minor fuerit, quàm vultus magnitudo requirat, si hiatus oris diductior, si frons breuior, si acutum, aut prælongum caput. Domus quoque egregia non est, vt tota materies pretiosa sit, si fenestræ minùs commodè constitutæ fuerint, si scalæ versatiles aut refractæ parum idoneis locis positæ, si tabulata humiliora vel altiora, quàm pro cubiculorum, aut aularum modo, si officinæ domesticæ non satis ad vsum dispositæ congruenter. Iniucunda quoque harmonia est, ingratúsque concentus, si absona fuerit vox aliqua vel absurda, & nisi aliis aliæ debito tenore, & æquabili commensuratione responderint. Illud quoque tertium in confesso est vultum coloris adusti, aut nigricantem, ictericum aut pallentem, accensum aut rubentem, horridum visu potiùs esse quàm formosum. Sic & domus pulchra, quæ clara, quæ amœna, quæ renidens, quæ grato vbique colore perfusa; contra verò pulchritudine caret, si obscura, si fumosa, si inscripti carbone parietes, si sputis illiti, si aliis sordibus deformati. Est etiam gratia quædam, & tinnitus in sonis, qui huius coloris amœnitati respondere possit.

V. *Pulchritudo tribus ex rebus efflorescit.*

Integritate.

Proportione

Coloris suauitate.

CAPVT VI.

Quibus ex rebus pulchritudo spiritalis efflorescat.

AGE nunc ad spiritalem pulchritudinem gradum faciamus proportione corporeæ, & eandem remetiamur viam. Est igitur ipsa quoque gratia quædam & conformatio elegantis ingenij, quæ speculatricem illius intelligentiam delectat & reficit. Sic oratio pulchra dicitur, narratio elegans, pulchrum poëma, arcanum philosophicum subtile & elegans, iocandi genus elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum: pulchra libertas, affinitas, amicitia: lingua polita & elegans, aliáque id genus. Quæ omnia neque corpus habent quo placeant, neque colorem, non vocem aut sonum, quo delicatam aurem mulceant; habent tamen vnde politiores animos iucundè capiant, atque retineant.

I. *Spiritalis pulchritudo à quibus percipiatur.*

Itaque animãtes, quæ quoquo modo corporea pulchritudine afficiuntur, nequeunt ad ſpiritalem aſſurgere, non magis quàm lapides aut metalla. Stupidi quoque & belluis ſuppares homines, ſcientiæ, virtutis, honoris, gratiæ pulchritudinem animaduertere nequeunt; toti ad paſtum potúmque, pecudum inſtar, abiecti, toti in libidinum cœno immerſi, atque volutati.

II. *Qualis in re ſpiritali Integritas.*

Exiſtit hæc quoque pulchritudo ex trium rerum concurſu, & quaſi ſymbolo, Integritate, Proportione, Claritate. Integritas, eſt naturæ ſpiritalis omnibus numeris abſoluta perfectio. Eſt enim pulchritudo bonum quoddam. Bonum autem certum eſt ex integra cauſa conſtare. Diſputatio quæpiam, quamuis & ſententiis elegans, & florida verbis, totóque argumento ingenioſa ſit, ſi quid ei ab initio aut fine deſit, corpus videtur, capite, pedibúſve truncatis. Propoſitum ſtudioſæ vitæ atque laudabilis, quod ſua abſolutione careat, initium boni operis quod medio in curſu deficiat; vitæ innocentia, in qua coronis perſeuerantiæ deſideretur, neque pulchra eſt, neque accepta immortali Deo, neque grata mortalibus. Proportio eſt concinnus quidam reſponſus, & quaſi concentus partium inter ſe, & cum ipſo toto, qualis eſt in cithara fidium, aut in muſica vocum: quarum ſingulæ mira inter ſe proportione reſpondent. Quo etiam pertinet illa cautio, ne propylæum ſit maius, aut etiam ſpecioſius templo. Idipſum ferè in oratione cernitur, cuius aditus, expoſitio, probationes, complexio, rectè verbis inter ſe, ſententiiſque congruunt, vbi nihil notari poteſt inter ſe diſſonum, nihil pugnans, nihil præceptis aduerſum. Sic dicimus demiſſionem animi conſentaneam eſſe humili loco natis. Etſi enim illuſtrior eſt & laudabilior in illuſtribus viris, Sapiens tamen nominatim ſe odiſſe fatetur pauperem ſuperbum. Eſt enim in paupere quàm in diuite intolerabilior ſuperbia, ſicut & mendacium in diuite, & nequitia in ſene. Eodem modo dicimus belle conuenire pudorem puerili ætati, ſenectuti prudentiam, iunioribus fortitudinem, commiſerationem fœminis, timorem infirmis, animi denique magnitudinem, in aggrediendo agendóque, principibus viris. Nemo enim negauerit huiuſmodi affectus talibus perſonis admodum eſſe congruentes.

Proportio.

Eccl. 25. 4.

III. *Claritas ſpiritalis.*

Tertia huius conditio pulchritudinis eſt claritas, quę eſt ſplendor quidam vibrans, & radios decoris illuſtriores in mentis oculos eiaculans; qualis eſt in gradu heroico ſplendor patientiæ, charitatis, fortitudinis, liberalitatis, cæterarúmque virtutum, quibus homines nobilitantur, atque illuſtres fiunt, quales pleroſque in hiſtoria Græca Romanáque legimus, multóq; plures atque illuſtriores in Eccleſiaſtica, in ſanctis ſexus vtriuſque Martyribus, & Confeſſoribus: quorum illuſtria geſta qui intuentur, illuminantur, vt norint quò poſſit vſque virtus aſcendere, & accenduntur, vt ſi pigebat in arduo itinere præcedere, non pigeat ſequi, & in alieno veſtigio pedem ponere.

In rebus corporeis in promptu eſt ſplendorem agnoſcere, vt in ſole, luna, cæteríſque ſyderibus: in auro, argento, cryſtallo, pretioſíſque lapidibus: ſuauis quoque & gratus color candidus, fuluus, rubicundus, aliúſve pro cuiuſque rei conditione, vt in niue, in floribus, in humano vultu. In ſonis quoque claritas facilè dignoſcitur, qualis eſt vox quam claram, argenteam, clariſonam vocant, cuius eſt vt in ære tinnitus quidam, & in volucribus clangor. At in rebus corpore carentibus hæc claritas non facilè agnoſcitur, difficiliùs etiam explicatur, víxque aliud dici poteſt, quàm eximiam quandam eſſe, atque eminentem perfectionem rei ſpiritalis, quæ in conſpectu, oculíſque animi noſtri vibrat quodammodo, ſcintillátque. Talem poſſumus in Mathematicis diſciplinis agnoſcere claritatem, quæ omnẽ dubitationis obſcuritatem longè ſummouet. Talis eſt claritas illuſtrioris ingenij, quod neque rerum difficultate obſcuratur, neque multitudine opinionum aut varietate confunditur, ſed inde pulchrè ſe expedit, & euoluit inuoluta, digerítque confuſa; claram veritatis lucem è tenebris, quaſi ex opaca nube fulgur, eliciens, & oſtentans imperitis. IV. *Claritas corporea.* *Spiritalis cognitu difficilis.*

CAPVT VII.

Quæ ſit diuina pulchritudo, congruenter iis, quæ dicta ſunt hactenus.

HÆc neceſſariò poſita ſunt à nobis, vt iis quaſi gradibus ad diuinam pulchritudinem propius aſcendamus. Sed primùm neceſſe eſt auxiliarem ab eo implorare dexteram, quæ nos altius à terra ſubuehat, ſimúlque aquilinos oculos, quos in conſpectu flagrantiſſimi Solis, diuinæ, inquam, faciei, immotos retinere valeamus. Illius Solis, qui proprium eſt obiectum aquilarum cæleſtium, quæ nubes omnes omniáque terrena trangreſſæ ſunt; beatarum videlicet mentium, non noſtrum, qui mortali adhuc corpori alligati, atque implicati ſumus. Itaque oro obteſtórque te, amice lector, per illam ipſam diuinam pulchritudinem, vt quidquid tandem dicere potuerimus, mens tua multo plura apprehendat, vlteriúſque cogitatione prouehatur, quàm verba noſtra, imò linguæ omnium hominum & Angelorum ferre poſſint. I. *Imploratio diuini auxilij.* *Mens vltra vim vocabulorũ prouehenda.*

Quod ipſum etiam in rebus humanis contingit. Nam exempli cauſa nomine belli non multorum dumtaxat diſcordia intelligenda eſt, in qua vtrímque ventum eſt ad manus; ſed atrocia vulnera & cruentæ cædes, ſed incendia & vaſtitates, ſed expugnatus puellarum & matronarum pudor, ſed innocentium & liberorum indigniſſimæ ſeruitutes, ſed diluuium omnium calamitatum, atque ærumnarum. Eodem modo Dei II. *Præſertim in diuinis, quod ſimilibus declaratur.*

nomine non cogitandus tantùm eſt oculus omnia contuens, atque cõtemplans, vt vocabuli notatio poſtulare videtur, θεὸν enim ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι deducunt, ſed natura, quæ naturas omnes infinita nobilitate tranſcendat, ſed ſapientia, bonitas, potentia, pulchritudo, ſupra id omne quod animo fingi poteſt, quoniam nulla cogitatio, nulla orationis vbertas, nulla verborum maieſtas, aut amplitudo ad illam poteſt pertinere maieſtatem. Sicut nullus eſt oculus in terris qui eum videre poſſit, iuxta illud,
Exod. 33. 20 *Non videbit me homo, & viuet*, niſi obſcuriore fidei velo interiecto, vt ſolem videmus in diffuſa nebula.

III. *Deſcriptio diuinæ pulchritudinis.*

Quid ergo eſt Dei pulchritudo, aut potiùs, quid eo nomine intelligamus? Conſtat enim eam reuera nihil aliud eſſe, quàm ipſum Deum. Liceátne dicere diuinam pulchritudinem gratiam eſſe infinitam, & quaſi habitum præſtantiſſimum eſſentiæ & perſonarum diuinarum, qui ſummè placeat, & contemplantem perfectiſſima voluptate perfundat, atque abſorbeat. Liceat, inquam, ita dicere, aut verius balbutire, definiendo, deſcribendóve rem, quæ infinitatem habet nullis terminis, finibúſve circunſcriptam. Cùm gratiam dico, non illam dico qualitatem diuinam, quam Deus animis hominum infundit, vt in Dei filios adoptentur; neque fauorem illum, aut beneuolentiam, qua homines inter ſe diligunt, vel qua gratioſi dicuntur apud principes; ſed decorem quendam, qualem in virtute, & honeſtate prædicamus, aut in corporis geſtu motúve elegantiam, & concinnitatem; quæ bona quoque gratia vulgò dicitur.

IV. *Explicatur.*

Dixi infinitam: æqualis enim eſt, imò eadem reipſa cum bonitate, quæ infinita quoque eſt, & ambæ eædem ſunt cum eſſentia, quæ modis omnibus infinitatem habet. Omnis rerum creatarum decor, venuſtas, elegantia terminos habet, & quidem ferè peranguſtos, quos vltra tranſgredi non poteſt; & quantacunque amplitudine diſtendatur, finitos naturæ ſuæ fines, ex qua vt principio & cauſa illæ proprietates manant, ſuperare nõ poteſt. Hæc autem diuina gratia eas omnes latiſſimo amplexu
Pſal. 49. 11. cõprehendit: quod egregia illa apud Dauidem vox innuit, *Et pulchritudo agri mecum eſt*, imò cœli & terræ, & omniũ quæ illorum ambitu continentur. Percenſe, ſi potes, omnia numerando, à viliſſimo vermiculo ad Archangelum Michaëlem, à materia prima ad diuinæ gloriæ theatrum, tũ illas omnes pulchritudines in vnum coge, ne ſic quidem ad milleſimã partem infiniti illius decoris & gratiæ perventurus es: imò ne ſi vniuerſis iſtis addideris omnem ſpeciem & venuſtatem, quam diuina omnipotentia ex nihilo educere poteſt; finitam enim omnia neceſſariò perfectionem habebunt, cuius nulla eſt ad infinitatem proportio.

V. *Circa eam affectus.*

O gratiam, & decorem verè diuinum! ô pulchritudinem infinitã! ô dignitatẽ, cui nihil æquari, aut componi poteſt; ecquis mihi verba ſuggeret, quibus dignum aliquid de te eloqui poſſim? aut, quod optabilius etiam eſt, quis mihi det oculum, qui te in teipſo intueri poſſit, & cor,

quod tui amoris ardore colliquescat! O inepti caducæ pulchritudinis amatores; fatui cultores elegantiarum, quæ ab illo perenni fonte, aut abysso potiùs, per tenues riuulos in hæc creata deriuantur, cur non ad fontem ipsum accurritis? cur non immensum illum gratiarum thesaurũ ambitis? cur non intuemini, cum ardenti fruendi desiderio, illam vniuersam, singularem, incomparabilem pulchritudinem? Quæ licet toti sanctissimæ Trinitati communis sit, sine vlla tamen diuisione, in singulis est infinita personis. Non enim pulchritudo Dei alicuius est diuinæ personæ proprietas, sed omnium personarum, ipsiúsque diuinæ naturæ communis, sicut sapientia, potentia, bonitas, æternitas, cæteráq; attributa diuina. Et sicut humanæ animæ pulchritudo cõmunis est memoriæ, intelligentiæ, voluntati, ita non alia est pulchritudo filij ab ea, quæ patris est, & Spiritus sancti, adeóq; ne intelligentia quidem, aut voluntas.

Denique pulchritudo hæc, est amœnissimum quoddam esse Dei, & quasi amabilissimus habitus essentiæ, ac personarum diuinarum, Deo maximè proprius, maximéque conueniens: cuius tanta est præstantia, tam absoluta elegantia, tam exquisitus decor, omnes vt hominum & Angelorum sensus exsaturet lætitia, expleat gaudio facultates, quæ in illo deliciarum Oceano innatant, atque absorbentur. Nec mirum: cùm hic ipse Oceanus immensam Dei amplitudinem capere, atque explere possit. Neque enim Deus cuiusquam alterius contemplatione, aut fruitione beatus est, quàm sui ipsius. Itaque vna eadémque res, & nostræ, & diuinæ beatitudinis obiectũ est, idémq; speculũ, quod perpetua, sũmáque cum voluptate contẽplabimur aliquando. O Iacob, Iacob, qui quatuordecim illos annos, laborum molestiarúmque plenissimos, ad fruẽdã Rachelis tuæ pulchritudinẽ bene collocatos putabas: quãto maiorib. molestiis, quanto diuturniori labore digna est hæc diuina pulchritudo. VI *Alia eiusdẽ explicatio.*

O famuli Holofernis, qui Iudithæ gratiam, & mirabilem venustatẽ, dignam æstimabatis vestri aduersus Hebræos belli mercedem, quanto dignior est diuina illa facies, vt pro eius contemplatione ac fruitione sempiterna, homines vniuersi bellum implacabile aduersus vitia, & perturbationes animorum, contra mundum, carnem & dæmonem suscipiant, totáque vita gerant? Miseri, inconsultíque Troiani, qui impuræ mulierculæ decorem & elegantiam non indignam censuistis, cuius causa indignissimam quinquaginta regiorum filiorum cædem pateremini, regni florentissimi incendium & vastitatem, imperij denique Asiatici luctuosissimam euersionem; quid responsuri sumus Deo nostro, cùm nos componet vobis, & intolerandum pudorem iniiciet, quòd reipsa posthabuerimus pulchritudinem suam, & diuini vultus contemplationem, nescio quibus carneis pulchri simulachris; ineptis subitóque defluentibus muliercularum formis, quarum causa, adulteri à Deo facti sumus, & amoris illi debiti fraudatores. VII. *Variique affectus.*

Plerique mortales vt pulcherrimas, amplissimásque Galliæ, Italiæ, VIII.

Cum comparationibus vrbium. Germaniæ, Hispaniæque ciuitates inuisant, syluas densissimas, latronibus & feris formidolosas traiiciunt, in erectos, sublimésque Alpium, Pirenæi, & Apennini montes adrepunt, nec periculum obrigescendi frigore, aut sepulchri in altissimis niuibus sortiendi reformidant, non fluctus furentis Oceani, non tempestates ventorum, non piratarum insultus, non bonorum omnium iacturam, non vitæ subinde repetita discrimina: vt autem cœlestem illam Hierosolymam, dominam gentium, principem prouinciarum, gaudium vniuersæ terræ inuisant, permodico labori parcunt: ex qua tamen facile, si dignum putarint spectaculum contemplatione sua, clarissimas, florentissimásque vrbes totius orbis, & quæcunque in eis elegantissima, visendáque reperiuntur, intueri licebit; vnde per otium, ac periculi expertes cœlites, omnia maria terrásque, notas ignotásque retegunt; arces, castra, prouincias, regiones, insulas, portus, freta, littora, flumina, paludes; denique quidquid sol ille suum circumuectus orbem illustrat. Et nos insani, ad tanto nobilioris obiecti contemplationem, modicum laborem, quem postulat Dei amor & cultus, subterfugiemus?

IX. *Et carneæ pulchritudinis.* O breui periture carnis decor, quomodo tantùm nactus es virium, vt Salomones quoque ad insanos amores adigeres, cùm immortalis illa & incomparabilis Dei pulchritudo, ad inflammandos ad sui amorem mortales, sapientésque efficiendos tam parum possit. Proh quantum sensibus addicti immersíque sumus! quàm tenuis, quàm exilis est nostra fides! *Luc.17.5.* *Domine adauge nobis fidem*, & libera nos à tam infelici, támque generali cæcitate: ne permittas nos, puerilem in morem, frusta vitrea colorata, pro adamantibus, carbunculis, & smaragdis eligere; effice potiùs vt infinitæ, verissimæque pulchritudinis tuæ amatores effecti, ad illius contemplationem aliquando admittamur, eius auxilio, & meritis, qui *Psal.44.* *speciosus forma præ filiis hominum*, atque adeò præ filiis Dei, omnes spectatores suos immenso gaudio, in omnem cumulabit æternitatem.

CAPVT VIII.

De diuina pulchritudine, ex integritate, prima eius conditione, vel parte, elicita.

I. *Apparatus ad agnoscendam Dei pulchritudinem.* *Sap.13.* INCONSVLTI olim mortales, veri Dei cognitione destituti, cùm sublatis in cœlum oculis, solis & lunæ splendorem demirarentur, ita eo fulgore sunt excæcati, illum vt falso diuinitatis titulo honorare non dubitarent, qui tamen in res inanimas, ac sensu carentes cadere non potest. At oportebat potiùs ex istarum rerum pulchritudine coniicere

quanto pulchrior esset, atque præstantior is, qui architectatus illos orbes, illam eis naturam, decorémque tribuisset. Habet enim maiore cum perfectione collecta in se omnia, quæ sigillatim singulis in rebus dispertita reperiuntur; quomodo Crotoniatarum omnium puellarum venustas, in Helena Zeuxis Heracleotæ collecta visebatur. Hoc nimirum est quod, pro modulo nostro, conamur hoc tempore. Atque vtinam diuina illa species eximium aliquem Zeuxin, aut Aglaophontem, aut spiritalem Apellem nancisceretur, qui summum illum decorem, quem adumbrare cupimus, & amabilem reddere, posset elegantiùs, quamuis longè infra meritum rei, ingenioso imitari penicillo. 2. de Inuēt.

II *Ex rebus creatis.* Præcedens porrò disputatio minimè perfecta est, non habita solùm ratione absolutionis, quam à meliore artifice, per amplissimum diuinæ pulchritudinis campum excurrente, posset adipisci, sed habita ratione fundamentorum quæ iecimus, & graduum quibus conamur, non gigantum more, per vim cœlum inuadere, sed paruulorum adhuc filiorum instar, ad magnum illum parentem videndum, atque amplectendũ subuehi. Molimur enim, rerum creatarum formis, quasi quibusdam nixi gradibus, ad illam assurgere, propiúsq; accedere pulchritudinem, cuius amore cupimus inflammari. Negamus enim perfectum adhuc esse hoc disputationis caput, donec in diuina pulchritudine tria illa perscrutati fuerimus, quibus venustatis natura componitur, Integritatem, Proportionem, Claritatem, quæ eodem ordine persequemur.

III. *Difficilè capitur, aut explicatur integritas in rebus spiritalibus.* Dicamus igitur in promptu esse cognoscere, ac docere integritatem in corporum pulchritudine requiri; quæ enim corpore & materia constant, pluribus ex partibus, ad totum aliquod conficiendum, coalescunt. Si desit in vultu oculus, auris in capite, in manu digitus, pes alter in corpore, facilè defectus agnoscitur, & istius causa deformitatis. At arduum est intelligere, aut aliis contemplandam præbere eandem in Angelis, aut animabus, quæ corpore partibúsque carent, proportione quadam integritatem. In Deo autem, qui est actus purissimus, longéque ab omni vel spiritali, vel corporea compositione alienus, longè difficillimum. Audax sanè negotium atque insolens, dicerem etiam temerarium, & impudens, si nostro ingenio, industriáque niteremur, & non singulari eius auxilio, ductúque, cuius spe & fiducia, vela ventis iamdudum dedimus, in hoc diuinæ pulchritudinis Oceano.

IV. *Inuestigatur in Deo.* Quibus ergo vestigiis indagabimus, aut quibus verbis circumscribemus hanc in diuina pulchritudine integritatem? Num coagmentatio quædam est, & aptè consentiens, copulatio partium? Minimè gentium; nullæ quippe in Deo sunt partes, nec eius immensitas extensionem habet, vt diuidi possit in partes. Num in eo posita est ista integritas, vt omnium rerum creatarum perfectiones simul collectas obtineat, omnibus imperfectionibus, omni definitione, aut circumscri-

ptione ſecluſa? Nullo modo. Etſi enim iis omnibus cumulatiſſimè lo-cuples eſt, ſi tamen iis careret omnibus, non minùs propterea pulchritudo diuina ſuam haberet integritatem, atque abſolutionem. Et quamuis multa condidiſſet mundorum millia, eorúmque perfectiones omnes contineret vnus, ne tantillum quidem inde ad integritatem decoris eius accederet. Sicut enim omnia, quæ à Deo condita ſunt, aut condi poſsũt, Deo addita non faciunt aliquid melius, quàm ſolus Deus; ita neque aliquid pulchrius: quamuis lauti mercatoris opes, regiis additæ copiis, ditius aliquid efficiant; nimirum hîc vtrobique finita res eſt, illic non item. Nam præter omnes perfectiones, quæ diuina virtute poſſunt exiſtere, habet ipſe præterea infinitam perfectionem & pulchritudinem increatam ipſius eſſentiæ, ac naturæ diuinæ.

V. *Varia nomina pulchrit.* Quid igitur eſt iſta integritas, in eo pulchro, quòd Areopagita Dionyſius vocat τὸ καλὸν, τὸ ὑπέρκαλον, τὸ πάγκαλον, quaſi dicas, Ipſum pulchrum, ipſum ſuper pulchrum, ipſum omne pulchrum? in eo pulchro, quod Plato in Sympoſio vocat, πολὺ πέλαγος τοῦ καλοῦ, τὸ αὐτὸ καλὸν, εἰλικρινὲς, καθαρὸν, ἄμικτον, αὐτὸ τὸ θεῖον καλὸν μονοειδές. Magnum pelagus pulchritudinis, ipſiſſimum pulchrum, ſyncerum, purum, non mixtum; diuinum ipſum, vniúſque formæ pulchrum. Quomodo tandem hanc decoris diuini adumbrabimus integritatem? Dicamus, ſi placet, videri hanc integritatem, eſſe plenam, abſolutam & vniuerſam perfectionem diuinitatis, quæ eximiè poſſideat, quidquid ſapienter æſtimare poſſumus tantæ maieſtati conuenire. *& deſcriptio integritatis eius.* Sicut exempli cauſa, ſi quæramus, quid requiratur in principe planè perfecto, omnibúſque numeris abſoluto, quæ illius idea, quæ forma ſit ſapientum mentibus impreſſa. Nolo hîc lectorem meum ad Xenophontis pædiam, aut Gueuarræ horologium, alteriúſve eruditi ſcriptoris commentarium amandare, ſit ipſemet arbiter, eúmque iis rebus inſtruat, quas in eo ſapiens prudenter deſideret.

VI. *Perquiritur ſimilitudine principis.* Principiò cupies illum ingentes poſſidere diuitias, auri & argenti, facti infectique plurimum. Id aliquid eſt. Optabis deinde multos vt populos ſubiectos habeat, multam in eis nobilitatem, viróſque pietate atque eruditione præſtantes, quorum opera in eorum gubernatione vti poſſit. Rectè. Voles fidelibus amicis, & rerum gerendarum peritis, voles fœderatis, qui plurimùm poſſint, longè latéque abundare. Præclarè. Requires arces ac ciuitates firmas ac florentes, rebúſque omnibus affatim inſtructas. Laudo hoc quoque, ſed hæc externa ſunt omnia, interiora videamus. Animum in eo deſiderabis generoſum ac regium, qui rerum aduerſarum ponderi minimè cedat, aut frangatur, qui magna cogitet, deſideret, prudentérque ſuſcipiat. Magnam rem deſideraſti. Optabis illi contingere, quod de Salomone in ſacris voluminibus legimus.
3. Reg. 4. 29 *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris*, id eſt abundan-

ter, & sine parcimonia, non secus ac si arenam largiretur.

Velles quoque eundem aduersus Regem regum esse egregiè pium, & diuinorum beneficiorum memorem in primis, à quo vicariam potestatem acceperit; velles liberalem erga omnes atque magnificũ, quoniam in virtutibus regiis magnificentia magnum habet splendorem. Velles egregium iustitiæ cultorem & administrum, meritis sua præmia plena manu pensantem, & improborum audaciam & scelera castigantem. Optares præterea mitem ac clementem erga miseros & ærumnosos, & alieno præsidio destitutos: optares placabilem erga eos, qui infirmitate potiùs, quã animi inductione peccassent. Et ita de cæteris dotibus perfecti principis: ad cuius exemplum non difficile erit exigere ideam boni Præsulis, Imperatoris, Senatoris, Præsidis, matronæ nobilis, religiosi viri, & aliorum. Liceat ergo proportione cogitare perfectam ideam, & exemplar absolutissimum infinitæ maiestatis, cui nullæ omnino dotes, quæ illam deceant, nulla ornamenta desint, non potentia, non sapientia, non bonitas, non iustitia, non clementia, non animi magnitudo. Adsit felicitas, æternitas, immutabilitas, prouidentia, magnificẽtia, charitas, & quidquid Sapiens iudicauerit pertinere ad integritatẽ, absolutissimámque perfectionem pulchritudinis spiritalis, augustissimi huius totius mundi principis. Sed hoc ipsum placet alia quadam ratione explicare.

VII. *Et eorum quæ in eo desiderarentur*

Applicatur proposito.

Si in nostra potestate foret creare aliquem Deum perfectissimi decoris atque integritatis, non ita opinor desiperemus sicut olim Ægyptij, apud quos non turpissimæ solùm nocentissimæque belluæ, sed hortorũ quoque olera diuinitatẽ obtinebãt; sed tam cæca insania condẽnata, illi naturam, solum ac fundamentũ cæterorum bonorum, tribueremus, quę naturã quamcunque perfectione transcenderet, siue elementorum, quæ oriuntur & occidunt, siue cœlorum, qui crassa constant stupidáque materia, siue animarũ humanarũ, aut angelicorum spirituum, qui ex nihilo prodierunt. Naturam, inquam, illi tribueremus, non ex diuersis conflatam partibus, non aliunde pendentem, siue vt esset, siue vt illi benè beatéque esset; illud enim totum mancum foret & imperfectum: sed naturam purissimã prorsúsque simplicem, eminenter tamen continentem quidquid boni posset ex plurium rerum compositione contingere.

VIII. *Alia ex simili explicatio.*

Isti porro tam præstanti naturæ bonitatẽ assignaremus, cognitionémque infinitam illi congruentem, & parem vtrique potestatem, nullius opis indigentẽ, & cuivis nulla posset obsistere. Assignaremus & infinitã, atque impenetrabilem supremis ipsis mentibus, super omnia creata prouidentiam, infinitã iustitiam, misericordiam, felicitatem. Vellemus nullum esse locum, aut tẽpus, quod eius præsentia careret; sic enim res melius haberet quàm secus, & præstantissimus cuiusque rei status, qui menti possit occurrere ascribendus est Deo. Vellemus æternũ, immutabilem, nullis finibus circumscriptum, denique Deum omnium perfectionum choro septum, atque imbutum. Et quoniam superflua est mul-

IX. *Quæ in Deo requiri possent.*

titudo, si idipsum possit præstare singularitas, optaremus omnes huiusmodi perfectiones in vnã aliquam, sine vlla imminutione coalescere, quæ non esset aduentitia Deo, vel ab eo separabilis, sed illa ipsa vis, ac natura diuina.

X. *Complexio cum gemino documento.* Non habeo quod dicam accuratiùs de primo quasi fonte diuinæ pulchritudinis, pro nostra de re tanta sentiendi, loquendíque ieiunitate. Quòd si pleraque horum non vni tantùm diuinæ formæ, sed aliis quoque ipsius perfectionibus conueniunt, minimè mirum videri debet, cùm omnia Dei quæ dicuntur attributa, vnica sit singularísque perfectio, aut potiùs actus vnicus, idémque purissimus, simplicitatis, ac perfectionis infinitæ, vti modò dicebamus. Ex hoc porrò primo capite, & fonte pulchritudinis, duo licet capere documenta. *Prius.* Alterum est, nullum nobis, præter Deum, quærendum esse amoris obiectum, quando in eo quidquid amari potest, aut desiderari, integrè reperiri possit; & si ab illo discesseris, inania, falsa, & fucata sint omnia, laruæ personæque ludentium, non vera pulchri facies, ac decoris.

XI. *Posterius documentũ.* Alterum est, si Deum volumus in animæ nostræ venustate acquiescere, ne cogitemus sat esse aliquot Dei præcepta obseruare, aliquot peccatorum species auersari, vni alterive dumtaxat virtuti operam dare, sed studendũ nobis est vniuersis, nullum habendum cum quauis noxa commercium, in vniuersam Dei legem, sine vllius particulæ negligentia, incumbendum; *Qui enim in vno legis capite offendit, factus est omnium reus.* (Iac. 2. 10.) Cœlum enim non secus amittet, ac si omnia legis capita violasset, quamuis minore supplicio sit afficiendus. Perfectio in virtutum omnium concursione consistit, aut in perfectione charitatis, quæ omnes amplectitur: & beatitudo in omnium bonorum complexu posita est, quæ in vno Deo reperitur. Ne continentiæ laborem, defectu demissionis animi, amittamus; aut ne istius mercedem, defectu patientiæ, & ita de cæteris. An putamus omnes, qui sunt in inferis, omnia admisisse peccata? omnia mandata transgressos? omnes conculcasse virtutes? vnius præcepti transgressio, vnius virtutis negligentia, vnum facinus admissum, illam dilacerat integritatem, quæ primarium est pulchritudinis fundamentum, quam Deus diligit in nobis. Sed transeamus ad secundum.

CAPVT IX.

De proportione, altera conditione pulchritudinis.

I. *Quanti intersit proportio ad pulchritudinẽ.* HOc alterum pulchritudinis fundamentum tantum habet ad illam momentũ, vt quamuis singulæ partes eximio decore fulgeãt,

nisi tamen aptè inter sese, & cum ipso toto congruant, monstrosam afferunt deformitatem. Sumito leonem, si placet, Africæ totius elegantissimum, impone humano corpori illius caput, nónne horribile monstrum effeceris? Pulchritudo mundi in ordine & proportione consistit, quæ nexus est & vinculum durationis, & omnium rerum creatarum quasi fœdus quoddam & amicitia. Deus olim in huius molitione vniuersitatis singulorum dierum opus bonum esse pronunciauit: at vbi totius hebdomadis opificium perfectum fuit, & ipse conditor omnium inter se partium conuenientiam, & quasi concentum aspexit, & singularem, qui inde efflorescebat, decorem, *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod obseruarunt S. Ambrosius, S. Ioannes Damascenus, & alij nonnulli. L.3. hex c.4 L.2. de fide c.6.

Plato in suo Timæo, & in libro de Mundo Aristoteles, & Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Græcos, hanc pulchritudinem, quæ ex partium inter se proportione nascitur, ita prædicant, vt illam de summis perfectionibus, quas Deus rebus à se creatis appinxit, vnam esse putent. Nihil est rerum perturbatione & confusione deformius, qualem in Tartareo carcere esse nouimus, *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*; quale quondam chaos ethnici finxere, in quo II. *Vel eius defectus ad deformitatem.* Iob.10.22.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

denique *Omnia naturæ præpostera legibus ibant.*

E contrario quid pulchrius, & amœnius ad contemplandum, illa rerum omnium cōsociatione commodissima, harmonicóque, vt fidium in lyra, concentu; & partium singularum cum suo corpore conuenientia, & opportunitas? id si placet gemino duntaxat illustremus exemplo.

Primū erit de primariis maioris huius mundi partibus, quæ insipientibus confusæ fortasse videātur, aut, quo fors loco tulit, collocatæ: quæ tamen tam congrua proportione positæ, támque aptè suis sedibus sunt contributæ, vt perspicuè prodant infinitam illius sapientiam, qui eas condidit, atque distribuit. Sapienter enim prouidit vt elementa, quæ proxima erant futura, ita vt alterum in alterius sinu complexúque moraretur, vnius qualitatis communione iungerētur. Terra omnium grauissima infimum locū occupare debuit, & à cœlo remotissimum; multum enim cæteris principiis, igni, aëri, aquæ dignitate cedit. Eadem cum aqua frigore conuenit, aqua cum aëre humorem habet communem, & hic cum igne calorem, ignis cum cœlo lumen. Habent & proportione dignitatis ordinem, tam cœli inter se quàm elementa, ab empyreo cœlo vsque ad lunam, & ab igne ad terram vsque, occupat vnumquodque locum officio, præstantiæ, & rerum conseruationi congruum. III. *Proportio in maioris mūdi,* Vide Conim.4. Phy. c.5.q.3. & l. 1. de cœl. c 1.q.1.a.5.

Alterum erit de homine, quem rectè mundum minorem nuncupant, maior tamen est perfectionum multitudine & dignitate, quas in eum largè Conditor eius profudit, quæ non raro naturæ speculatores philo- IV. *Minorísque partibus.*

ſophos, & anatomices peritos in ſtuporem, aut ex pectore clamores excuſſit, obſeruantes mutuam ſingularum partium coniunctionem, vſum, ſeruitutem, conſeruationem: adeo vt, quod obſeruauit Romanus Orator, quæcumque in eis mutatio contigerit, illico pereat cum proportione pulchritudo, vſúſque ipſe deprauetur atque peruertatur. Muta locum brachij, naſi, oculi, quid poſſit aſpici deformius? Dimoue os aliquod è ſede ſua, luxa coxam, aut brachium, diffluat inteſtinum in locum non ſuum, ecquis exiſtit, præter deformitatem, cruciatus ac dolor? Illud etiam eſt admirabilius, in tanto muſculorum, oſſium, neruorum, tendonum numero, tantáque vi partium externarum, atque internarum humani corporis, nihil addi poſſe, nihil detrahi, nihil mutari aut transferri, quod non malè habeat, atque deformiter.

CAPVT X.

De diuinarum perfectionum proportione, & decore ſuſpicio.

I. *Diuinorum attributorũ conſonantia.* Sap. 11. 21. Aug. l. de nat. boni c. 3. Conimb. l.1. de cœle. c.1.q.1.a.5. Pſal. 63. 9.

CVM ergo diuina ſapientia in totius huius vniuerſitatis, & ſingularum eius partium molitione ac ſtructura tam decora proportione vſa ſit, vt rectè dixerit ſapiens ipſum omnia in pondere, numero, & menſura condidiſſe, propter admirabilem rerum inter ſe, & cum Deo cauſa earum, conuenientiam: dixerit quoque magnus Dionyſius, Deum pulchrum dici *ſicut vniuerſorum conſonantiæ & claritatis cauſam*, quis dubitare poſſit, ſingularem quandam proportionem inter attributa diuina, quantum quidem res capi à nobis poteſt, reperiri, quandoquidem omnes rerum creatarum perfectiones vnus ipſe condidit, vnus amplectitur. *Qui plantauit aurem non audiet?* ait Dauid, *aut qui finxit oculum non conſiderat?* Is qui miro ordine angelorum miniſteria, hominúmque diſpenſat, qui de theſauris ſapientiæ ſuæ nouem choros angelorum condidit, eóſque ſupra cœlum empyreum miro ordine collocauit, num ea perfectione carere putandus eſt, qua res à ſe conditas tam ſapienter locupletauit?

II. *Vt in rebus creatis.*

Videmus in hominibus mirabilem virtutum concentum, videmus & diſciplinarum orbem, quem Græci ἐγκυκλοπαιδίαν vocant; harmonicum quoque vocum ſapienter electarum, iunctarúmque concentum experimur. Creditum etiam olim fuit cœleſtium globorum colliſionem, & conſtantem æquabilémque motum, gratiſſimum concentum efficere. Quidni ergo, pro ingenij noſtri modulo, ſentiamus in Deo eſſe aliquid, quod huic perfectioni, quam rebus creatis indidit, reſpondeat? Sed quis illud eruet, & proferet in lucem? quis tam expertus harmoniæ muſicus, quis architectus, aut pictor tam proportionũ ſciens, quis philoſophus tam doctus, quis theologus tam ſapiens, quod tam ſublime inge-

Ex quibus aſſurgimus ad diuina.

nium, quæ aquila tam perspicax, quis Cherubinus tanta luce perfusus, vt eò peruadere ac penetrare possit, & ignotas illas diuitias, & complicatas euoluere? Quis patefaciet quæ conuenientia sit inter summam misericordiam, summámque iustitiam, & vtriusque cum infinita bonitate; & quæ inde pulchritudo peculiaris existat? Quidquid enim de infinito illo thesauro, cùm fundamento probabilitatis eruere possumus, bonum ac pulchrum est.

Quis docebit proportionem, & quasi fœdus prædestinationis cum reprobatione, & vtriusque cum diuina prouidentia? Quis aperiet quam efficiant harmoniam immensitas cum immutabilitate Dei, & huius cum perfectissima libertate? quam locorum omnium, temporúmque sine vlla extensione præsentia? quis suggeret nobilissimum ordinem potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis Dei? O superi! *Exaltata est hæc sciẽtia à me, & non potero ad eam.* Non nostrum est tam sublimia audaciore volatu petere, aut hebescẽte visu diiudicare: nefas est in arcana alteri vitæ reseruata penetrare. Permittamus istam cognitionem beatis, qui immensam Dei pulchritudinem coram intuentur, ne illud à Deo, quod olim Iobus, audiamus. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?*

III. *Quæ sunt inexplicabilia.*

Psal. 138. 6.

Dicamus ergo duntaxat, & ingenuè profiteamur, in hac harmonia, & proportione altera conditione pulchritudinis, quem in Deo quærimus, situm esse inæstimabilem decorem. O regina Saba, quæ animaduersa regiæ Salomonis œconomia, affecta stupore vehementi, vix halitus, verborúmque compos effecta es, tandémque ad te reuersa exclamasti, *Beati serui tui, & beati viri tui, hi qui sunt coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quid obsecro diceres, viso non solùm ordine Hierosolymæ cœlestis, & angelicis illis choris, atque hierarchiis, eorúmque officiis ac ministeriis, sed etiam conspecta beatissima illa proportione diuinarum perfectionum, quæ pars est infinitæ, fœlicissimæque pulchritudinis, ex qua tota illa cœlestis œconomia profecta est?

IV. *Et continens gratiam inæstimabilem*

3. Reg. 10.

Si ordo ac proportio templi Salomonici, aut illius quod ab Angelo Ezechieli Prophetæ in monte monstratum est, si tamen duo, & non potiùs vnum atque idem fuit, ab eodem mundi architecto descriptum atq; designatum, posteris, qui mirabile illud artificium obseruare potuerunt, magnum admirationis præbuit argumentum, vsque adeo & singulæ partes decore præstabant, & vniuersæ sibi accuratissimè respondebant; si areæ, porticus, propylæa, aulæ, exedræ, columnæ, parastatæ, arcus, fornices, anterides, capitella, epistylia, zophori, coronides, portæ, fenestræ, cæteráque omnia ædificij membra tam artificiosè digesta erant, tam apta longitudinum, latitudinum, ac profunditatum commensuratione, vt sibi singula ad palmum, ad digitum, ad lineam perfectissimè respõderent, ecquid obsecro de nobilissimæ huius ædis architecto, & symmetria perfectionum eius dici potest, quod non immensùm iaceat infra meritum eius?

V. *Declaratur similibus, in templo.*

Ezech. 40.

1. Paral. 28. 19.

VI. *In humana facie.* Vide Vale-dict. Animæ P. Rich. colloq. 49. & 50.

Si decora, & exacta proportio ſingularum partium humani vultus, cum earum integritate, & ſuauitate coloris, habitúque toto ad hilaritatem compoſito, ſpectantium oculos violenta delectatione rapit ad ſeſe; ſi iuſta commenſuratio, æqualiſque reſponſus partium ſingularum, aurium puta, vel genarum, labiorum, vel oculorum, quorum alter alteri magnitudine, figura, compoſitione, colore, ſitúque ita par, vt vterque ad idem proplaſma fictum eſſe videatur, ita reficit ac recreat, ſi illa, inquam, tam accurata commenſuratio longitudinis oris & oculi, latitudinis frontis, cum longitudine naſi, & huius cum reliqua longitudine faciei tantam habet proportionis concinnitatem, in vultu terreno atque mortali, quam mirabilis debet eſſe proportio diuinæ faciei, cuius primariam imaginem duntaxat, animam videlicet, humana facies ſcitè repræſentat.

VII. *In proportione cœleſtis Ieruſalem.*

Optamus ne contemplari aliquando nobiliſſimum ordinem ac proportionem, quam Deus ipſe in beatiſſima illa ciuitate Hieroſolymorum conſtituit? in illa regia, auro & argento, lapidibúſque precioſis extructa; in illo ſempiternæ felicitatis amphitheatro, in choris omnibus, ordinibus, hierarchiis, turmis & legionibus hominum & angelorum, in omnibus eorum officiis, ac miniſteriis in cœlo terráque: neque id ſolùm, ſed proportionem quoque quam in Deo, non ſine fundamento concipimus, tanto pulchriorem quanto in conditore, quàm in re condita, in infinito, quàm in re finita perfectiora ſunt omnia: optamúſne, inquam, fieri aliquando ſpectatores rerum tantarum támque admirabilium? Animi noſtri œconomiam rectè digeramus ac diſpenſemus; Demus operam vt appetitus rationi obediant, eámque neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignauiam deſerant; ne perturbationes vim aliquam libertati afferant; ne mentem voluntas antecedat, ſed contra mens gradiatur prior, fidei lumine, & diuini timoris cincta comitatu; pone ſubeat voluntas, quæ ad dexteram habeat Dei gratiam, ad ſiniſtram igniculum boni deſiderij; tum ſequatur licet turba illa motuum animi turbidorum, quæ ad rotas applicita, quadrigam rectæ rationis impellat. Hunc ordinem in homine magnus legiſlator inſtituit, & obſeruari iubet; ne ſi in eam curam incumbamus, vt familiæ negotia rectè digerantur, animæ autem ex Dei lege digerendæ cura negligatur, in eum poſtmodum carcerem compingamur, in quo iugis rerum perturbatio, æternáque confuſio: vbi miſeri perpetuo cum eiulatu conquerentur, falsò illi quidem, ſed conquerentur tamen, nullam ſeruari inter eorum culpas, pœnáſque proportionem.

Eáque in nobis exprimẽda.

De ſpiritali

CAPVT XI.

De spiritali claritate tertia conditione pulchritudinis.

GRADVM faciamus deinceps ad tertium pulchritudinis caput, claritatem dico, quam in ipsomet Deo, eius ope adiuti, quo modo possumus inquiramus: cuius opis non minus nunc egentes sumus, quàm in præcedentibus, ne tanti fulgore luminis perstringatur oculorum acies, aut caligine obruatur. Cæterum nisi diuina pulchritudo sociam haberet claritatem, non diceret Christus Dominus in sua ad patrem oratione. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te.* Ea claritas non est vtique corporea, ante mũdum quippe conditum nulla erant corpora, sed spiritalis, quam inquirimus, quámque ope corporeæ, cui assueuimus, inuenire desideramus, & si non modicum est inter vtramque discrimen, altera tamen alteri quasi face accensa prælucebit. I. *Claritas spiritalis.* *Æterna in Christo.* Ioan. 17. 5.

Prior ergo illa ab oculis nostris, cui familiaris est, percipi potest, posterior ab intellectu duntaxat agnoscitur; illa ex luminosis corporibus exilit atque emicat, hæc suas habet scintillas in animabus; illa corporea deformitate obscuratur, hæc in deformi quoque corpore splendescit. Nec mirum est inter corpoream & spiritalem claritatem tantum esse discriminis, cùm corporea ipsa multiplex omninò reperiatur. Alia est enim Solis & reliquorum astrorum claritas, alia flammæ, alia vitri aut cristalli, alia auri & argenti & lapidum preciosorum, alia niuis & pruinæ. Aliam habet claritatem fluuius nitidis argẽteus vndis, aliam domus, quæ lumina crebris, idoneísque locis admittit; aliam in symphonia pueri vox acuta & tinnula: aliam cymbalum clarè tinniens, aliam denique humana facies æmula liliorum. II. *Confertur corporea.*

Itaque meo quidem iudicio, fatendum est illos fuisse deceptos, qui existimarunt in transfiguratione Seruatoris gloriosam beatæ illius animæ claritatem Dei permissu, in corpus redundasse, vt spendorem candelæ in chartam laternæ circumpositam, in eóque aspectabilem factam esse; gloriæ enim lumen in anima fulgebat, quod recipi corpore, aut in eo aspici non potest. Dicamus potiùs dedisse Dominum sacrosancto corpori suo, ipsísque adeò vestimentis claritatem, quæ in ea cadere poterat, sed longè omninò ab animæ claritate distantem. Istæ porrò claritates omnes, quæ oculis percipiuntur, aut auribus, id habent commune, vt exhilaratis sensibus, animi quoque nostri sinum cum iucunditate subeant. Et quamuis actione intellectus subtiliores atque intelligibiles fiant, corporeæ tamen sunt natura sua, non spiritales. III. *Claritas transfigurati Seruatoris.*

Nulla enim prædictarum claritatum accedit ad claritatem orationis IV.

Claritas orationis, & ingenij. alicuius, quam dicimus claram, illustrem, splendidam, quòd ea ratione & via scripta est, vt facile intelligatur; neque tamen accedit ad eam mentis lucem, quam in præstantibus ingeniis commendamus: quæ cito capiunt quæ dicuntur, adeóque dicentis vocem præcurrunt, euoluunt difficultates atque illustrant, cogitationes suas facilè hominum mentibus ingerunt, res sublimes, & à vulgi cognitione remotissimas, perspicuas reddunt ac pene palpabiles. Huiusmodi verè clara ac præclara ingenia, *ἐνάργεια.* ea virtute prædita sunt, quam Græci ἐνάργειαν vocant, quæ ab albedine, aut candore, in quo est plurimum lucis, nomen habet, dicique potest *Claritas famæ.* perspicuitas, claritas, euidentia. Num ergo hæc est illa claritas, quam quærimus, aut ea, qua homines vulgo clari, genere, doctrina, rebúsve gestis dicuntur, qua cum gloria in hominum ore versantur, neque in tenebris ignorantiæ, obliuionísque delitescunt: qualem Dei filius à patre humanitati suæ postulabat, vt antè dicebamus. Aliam sanè quærimus.

V. *Quæ est gloria.* Luc. 24. 25. q. 31. lib. 83. Ioan. 5. 35. Hæc enim claritas, reipsa nominis amplitudo est, & gloria, de qua scriptum est, *oportuisse pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; suam vtique, grauissimísque nominibus sibi debitam, quam S. Augustinus definit, *claram cum laude notitiam*, quæ præstantes viros, quasi accensas faces efficit, quibus cæteri mortales illuminantur. Sic magnus ille Domini præcursor dictus est ab ipso Domino, *lucerna ardẽs & lucens*; & qui cæteris virtute & sanctitate præstant, ab eodem inuitantur ad reliquos illuminandos, & ad imitationem inuitandos. Matt. 5. 16. *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

CAPVT XII.

Eadem claritas in diuinitate inquiritur.

I. *Videri esse ipsum apicẽ perfectionis.* NVM ergo lux ista, gloria, celebritas, est claritas illa quam inquirimus? an quærenda potiùs perfectio aliqua, quæ non in ore hominum, sed in ipso pulchro resideat? Sit ergo, si placet, summus ipse perfectionis apex, in re spiritali, quam pulchram vocamus, & quasi vertex excellentiæ eius, qua præ cæteris, quæ illum perfectionis gradum non attigerunt, splendescit, ac vibrat; sicut de ingenij claritate iam diximus, & de præstanti ac præclaro iudicio dicere possumus, quod non *Ingenij ac iudicij claritas.* solùm grauissimum sit atque firmissimum, sed quod in clara mentis suæ luce negotia sibi subiecta dispiciat, ipsúmque difficultatis nodum ac caput illico peruideat & peruadat; quòd res ipsas, pro sua quamque dignitate, iustissima iudicij statera ponderet, déque iis sapienter sententiam ferat, futura multo antè prospiciat, aliorum cogitationes, iudicia, voluntates solertissimè odoretur.

Tale quondam fuiſſe videtur Achitophelis,qui Dauidi à conſiliis fuerat, naturale iudicium, de quo hoc in ſacris literis extat elogium, *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum.* Nihil limatius, nihil accuratius excogitari, dicive poterat, nihil rei, quæ in controuerſiam venerat, accommodatius: tam inſignis erat hominis prudentia, tam clarum ac perſpicax lumen iudicij eius. Quando ergo, Scriptura iudice, Achitophelis reſponſa erant inſtar oraculorum diuinorum, an nimium audax futura ſit illa vox, ſi conſequenter dixerimus, præclarum Achitophelis iudicium, clariſſimo pulcherrimóque Dei iudicio conferri potuiſſe, illúdque, quantum fert humana conditio adumbraſſe? ſimilia enim effecta à ſimilibus cauſis proficiſcuntur. Dicamus igitur claritatem iſtam, fulgorémque diuinæ pulchritudinis dici poſſe, claram rerum omnium cognitionem, intima domus noſtræ penetralia peruadentem, id eſt intimos cordis noſtri receſſus, illiúſque abſtruſiſſima ſecreta illuſtrantem, & clarius multo diſtinctiúſque diſcernentem, eo ipſo, qui illa cogitat, animóque deſignat.

II. *Declaratur iudicio Achitophelis.* 2. Reg. 16. 23.

Fulgor diuinæ pulchritudinis.

Niſi fortè ſit aptius dicere, lucem hanc ex diuina facie fulgurantem, eſſe eminentiſſimum aliquem, & ſupremum diuinarum perfectionum gradum, iuxta noſtrum intelligendi modum, à quo rerum creatarum perfectiones omnes infinito interuallo diſtant, ne excepta quidem beatiſſima virgine Dei genitrice; ac ne illa quoque millies benedicta anima Domini, ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Quidquid enim creatum aliquid, quamuis ampliſſimo ſinu, capere poteſt, finitum eſt; finitum autem cum infinito modis omnibus incomparabile eſt. Quod vſque adeo verum eſt, vt Scriptura pro nihilo ducat quidquid in rebus creatis reperitur, ſi qua fiat cum diuinitate comparatio. Tametſi enim certum eſt multa à Deo ita condita, vt morti non ſint obnoxia, extat nihilominus illa Pauli vox Deum ſolum habere immortalitatem. Pronunciauit ipſe Dominus à principio, omnia, quæ ipſe produxerat, eſſe valde bona. Ipſe tamen Seruator & boni titulum recuſauit ipſe, & inſuper aſſeruit *neminem bonum niſi ſolum Deum.*

III. *Alio modo explicatur.*

1. Tim. 6 16. Gen. 1. Luc. 18. 19.

Omnes amici Dei ſancti ſunt, hoc eos titulo Apoſtoli afficiunt, & Eccleſia vniuerſa, & vt ſanctos ampliſſimis honoribus vbique proſequitur; ipſamet tamen, in auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, ſubinde canit, *Tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus.* Maxima pars Sanctorum, & nunc in cœlo, & olim dum in terris degerent, plurima edidere miracula; fatendum tamen eſt de Deo, verè dixiſſe Dauidem, *qui facit mirabilia magna ſolus.* Exiſtunt omnia ſine dubio, quæ Deus extulit ex nihilo, cœlum & terra, & omnia quæ ambitu eorum continentur, & tamen Deus Moſem alloquens ita ſe eſſe dicit, vt cætera eſſe, negare videatur, *Ego*, inquit, *ſum qui ſum, ſic dices filijs Iſraël, qui eſt, miſit me ad vos.* Et Iobus. Quis poteſt facere mundum,

IV. *Perfectiones rerum creatarum nullo numero ſunt ad Deum.*

Pſal. 71. 18.

Exod. 3.

Ca. 14.4. & 23. 13. *nónne tu qui solus es?* Et rursum, *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius.* Et ita de cæteris, quæ Deo sunt cum hominibus angelísque communia, sed in istis tam vilia sunt & abiecta, vt comparata Deo, nullo loco, nullo numero esse videantur. Sed redeamus in viam.

V. *Conclusio claritatis diuinæ.* Hic ergo ille est, quem in Deo cogitamus, perfectionis apex, præ omnibus famulis eius atque subiectis, qui dat diuinæ pulchritudini claritatem, qui licet spiritalis sit, lucis tamen nobis ac claritatis nomine declaratur, siue quia lux familiaris & cognata nobis est: siue quia est omnium, quæ cerni possunt, qualitatum pulcherrima, ideóque digna, quæ vsurpetur ad mentis nostræ tenebras, de mundo illo, qui sub aspectum non cadit, eiúsque archetypo Deo. Opt. Max. illustrandas: siue etiam quia pleræque sunt proprietates luminis, quæ ad diuinas perfectiones alludunt, eásque quoquo modo imitantur. Nonnullas supra retulimus gratiæ & luminis parallelo instituto, nunc si placet obiter alterum, Deum inter & lucem instituamus, qui non exiguam infundat præsenti disputationi lucem. Li. 1. c. 12.

CAPVT XIII.

Deus cum aspectabili luce compositus, plurimúmque consentiens.

I. *Parallelus proprietatũ lucis & Dei.* PRINCIPIO lux pulcherrimum est huius vniuersitatis ornamentum, initium diuinorum operum, vestis aurea rerum corpore & materia constantium, colorum vigor & quasi anima, astrorum gloria, vita omnium, quæ ortui & interitui sunt obnoxia. Deus author est & con-
1. seruator, vita, decus, & ornamentum omnium rerum creatarum. Lux
2. inferiores omnes qualitates continet eminenter, sicut ipsa cælestia corpora, inferiora hæc sibi subiecta continent, & ad eorum productionem & conseruationem, tanquam generales causæ concurrunt. Deus autem nobiliori etiam ac sublimiore modo omnium, quæ vsquam sunt,
3. aut esse possunt, pulchritudinem, nobilitatémque continet. Lux, cum cælestis motionis vehiculo, vitalem calorem toti huic inferiori mundo communicat; nobísque motu suo potentiam, splendore sapientiam, calore bonitam diuinam repræsentat, quæ sunt tria primaria diuinarum personarum attributa.

II. Lux contrarium nullum habet; nam tenebræ sunt absentia lucis in
4. subiecto idoneo, & reipsa merum nihil; quamuis lux aduentitia quædam res sit, non substantia, quæ contrario natura sua caret; & nominatim princeps illa, supremáq; substantia, quæ cuiusuis naturæ principiũ est, nec habet aduersum aliquid præter non esse, siue tenebras peccati,

quod illius esse perfectissimum nullo modo minuere, aut debilitare potest. Nam *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux 5. aërem, aquam, & terram reddit fertilem, vsque sua planè admirabili vsque ad ima terræ viscera peruadit, ibique aurum & argentum, cæteráque metalla producit, & his cognata fossilia, chrysocollam, cinabarim, stibium, minium, lapides preciosos; omnia quoque animantia viuaci calore imbuit. Quid diuina illa lux? nónne *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione?* Neque aliquid omninò est in hac tota rerum vniuersitate, quod vitam, vires, vigorem puncto temporis retinere possit, si diuina illa lux cesset influere; adeóque ei vim ac vitam, vt primo creationis momento, tribuere perseueret.

Ioan. 1. 5.

Psal. 144. 16

Vide Less. de perf. diu. l. 10. cap. 4.

III. 6. Et quemadmodum creata omnia lucis beneficio participant, præsertim cœlestis, cuius si splendorem non vident, caloris tamen efficacitatem sentiunt; *nec est qui se abscondat à calore eius.* Ita nemo planè est, qui se diuinæ misericordiæ penitus dicere possit exortem: *misericordia enim Domini plena est terra.* Nec est in hac vita peccator, quantumuis peruicax in obstruendo diuinæ bonitati omni aditu ad cor suum, quin radium eius aliquem per rimulam quampiam sentiat. *Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quin etiam omnium scelestissimi tantò maiorem experiuntur misericordiam, quantò ab eadem bonitate expectantur diutiùs, & ea quotidie indigniores fiunt. Denique 7. sicut lux ab vno mundi extremo ad alterum momento peruolat, nec citiùs ad propinqua, quàm ad remota, ad curriculi medium, quàm ad finem peruenit. Sic Deus puncto temporis peccata dispellit, infundit gratiam, animas creat, naturas commutat, aliáque mirabilia facit. Quòd si quam moram in illuminando lux habet, ea non ipsi, sed luminoso corpori, quod motu cietur, tribuenda est; sic diuina opera, à subiecto in quo, aut per quod fiunt, quod dispositionem, vel moram requirit, ex accidente retardantur.

Psal. 18. 7.

Psal. 32. 5.

Ioan. 1.

IV. Non est ergo mirum Deum patrem lumen dici, ac fontem luminis, & sapientiæ; & filium Dei, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: & Spiritum sanctum lucem beatissimam, quæ replet cordis intima suorum fidelium. Certè diuina sapientia à Sapiente & ab Apostolo Paulo dicitur. *Candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Filius quoque ipse Mundi se lucem vocat, qui titulus ei etiam ante humanam naturam assumptam conuenit. Est enim pulchritudo cœli, vna cum Patre ac Spiritu sancto, eíque titulus hic, sicut & Sapientiæ rectè tribui potest. Sapientia enim ingeniorum pulchritudo est, decus & ornamentum singulare.

Lux tribuitur singulis personis diuinis.

Sap. 7. 26.

Heb. 1. 3.

Ioan. 8. 12.

V. O Dei faciem infinita luce fulgurantem! O lucem increatam, perfectissimum gaudium, & felicitatem hominum & Angelorum! O beatos illos, qui hîc olim fidei lumine illustrati, nunc lumine gloriæ perfunduntur, vi cuius increatam illam intuentur lucem; iuxta vulgatum illud

Aspiratio ad illam lucem.

Lumen gloriæ. Dauidis, *in lumine tuo videbimus lumen.* Tantus est enim fulgor, qui ex illo fonte luminis, ac pulchritudinis coruscat, vt sicut mortalis oculus

Psal.35.10. splendorem solis ferre non potest, ita nec animi oculus, quamuis hac mortalitate iam exutus, fulgurantem illam lucem, illam claritatem hominem inserentem Deo, illum æternæ lucis candorem ferre potest, nisi roboretur, & eleuetur supra naturalem humanitatis conditionem. Et sicut aspectabile hoc lumen radios suos rebus corporeis, pro eorum cõditione naturæ, cõmunicat; sola enim terræ superficies illustratur, aqua, aër, & cœli toti luce perfunduntur: sic & lumen gloriæ proportione illius gratiæ distribuitur, quam quis hîc habuerit, vt cum eo lumine profundius in abyssum diuinitatis introëat.

VI. *Et inuitatio ad eius amorem.* Dicamus igitur, vt finem isti argumento imponamus, rem esse admiratione dignissimam, cùm Deus sit pulcherrima lux, longéque suauissima ac iucundissima; nósque lucis amantes natura ipsa finxerit, qui fieri possit vt in illam toto animi conatu nõ feramur, quæ hac tanto pulchrior est, & amabilior. *Quale gaudium mihi erit,* aiebat Tobias senior,

Tob.5.12. *qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quomodo ergo nõ extabescat mœrore, qui diuinæ lucis expers, in huius vitæ caligine perseuerat, aut qui fidei lumine destitutus, illius luminis spem non habet, cuius ope infinitam illam lucem posset perpetuò contemplari. Quantum est illud prodigium, quod à Ioanne Euangelista, aut ab ipso potiùs Christo

Ioan.3.19. memoratur; *Lux,* inquit, *venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* id est fœditatem pulchritudini, sanitati morbum, ignorantiam sapientiæ, peccatum virtuti, carnem spiritui, cœlo mundum, dæmonem & tartarum Deo, eiúsque regno antetulerunt.

VII. Isa.7.15. Ne ita, per Deum immortalem, desipiatis, quicunque illam ingenij lucem ab eo accepistis, qua possitis *reprobare malum & eligere bonum;* ne tam insanam commutationem faciatis. Audite Deum per Prophe-

Iere.15.19. tam dicentem, *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Audite

Rom.13.12. & hortantem Apostolum, *Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur*

Ephes.5.8. *arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Mementote & illud, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate:* qui nimirum conditi sunt ad fruendam, & contemplandam illam lucem, illúmque diuini vultus decorem, qui æternùm faciem beatorum illustrabit, & clarè patefaciet illam claritatem, illam proportionem, illam integritatem perfectionum diuinarum, ex quibus nos hîc, pro imbecillitate nostra, suspicamur diuinam pulchritudinem efflorescere.

CAPVT XIV.

Argumentum diuinæ pulchritudinis, ex eleganti Mundi forma, & decore elicitum.

CERTVM est vnamquemque rem amare sibi simile, & procreare quantum potest. Vtriusque assertionis authores idoneos Scriptura profert, non Sapientem solum, cuius est illa oratio, *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi*, sed ipsam etiam Sapientiam, *Omnis*, inquit, *arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit*, additque mox, ex operibus malitiam hominum, aut bonitatem agnosci. Ratio huiusce rei ex natiuo sui cuiusque amore petitur. Animal enim se vbique diligit, non in corpore solùm suo, sed etiam in alieno, in quo se quodammodo propter similitudinem agnoscit; & quo maiorem in alio reperit similitudinem sui, hoc & beneuolentiæ segetem maiorem offendit. Id in patrum erga filios amore facilè cernitur, qui, cæteris paribus, erga simillimum solet esse dulcissimus. Quin etiam videtur Natura in hac ipsa similitudine non parū elaborare atque eniti. I. *Omnia amant aut etiam producunt sibi simile.* Eccl. 13. 19. Matt. 7. 17. *& quare.*

Fortes creantur fortibus & bonis, Horat.
ait Poëta quidam,
Est in iuuencis, & in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et peritus quisque artifex animo concipit elegantem operis designationem, & ipsum opus, quantū potest, ideæ suæ reddit quàm simillimū

Cùm ergo Deus innumerabilem rerum multitudinem sponte condiderit, eásque congrua bonitate & pulchritudine decorarit, rectè vtique possumus, & cum ratione concludere, conditorem ipsum huiusmodi dotibus insigniter ornatum, atque instructum esse. Notum est enim illud vulgò iactatum, neminem dare quod non habet. Nec illud dubium, artificem desiderare pro virili parte opus suum perfectum reddere, & suis numeris absolutū: & si quid rude, & impolitum exciderit, id ei præter mentem, prætérque voluntatem excidere. Cùm ergo Deo nihil præter voluntatem contingat, & potestati eius nihil possit obsistere, bonitatem autem & decorem rebus omnibus à se creatis dispertierit, quantum quidem ei placuit, quantúmque cuiusque rei natura postulabat; necesse est istarum perfectionum largitorem iis cumulatè instructum esse; præsertim cùm in singulis, imaginem aliquam, aut vestigium suæ dignitatis, & decoris, & bonitatis impresserit. Puto operæ pretium fore hæc paulò enucleatius explicare tam in rebus spiritalibus, quàm corpore præditis; explicationis exordio ab ipso Mundo sumpto. II. *Idémque de Deo sentiendum.*

III. *Qui mundũ pulchrum produxerit.* Et primo statim aditu, Mundi vocabulum, quod huic rerum creatarum vniuersitati tributum est, ab exquisita eius mundicie, & pulchritudine ductum est, in qua nihil habet simile præter authorem suum, qui nihil turpe condidit, nihil malum, immundum, vel indecorum. Pythagoras considerato singularum partium huius Vniuersi ornatu atque ordine, primus κόσμον siue mundum appellasse dicatur, quasi dicas ornatum, pulchrum, decorum & elegans. Quo modo & mundus muliebris dicitur, quidquid ornamentorum mulier ad ornatum suum adhibere solet. Huc respexit Seuerinus ille Boëtius, Timæum Platonis imitatus, cùm diceret, *l.3. Conf. Met.9.*

---Tu cuncta superno,
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse.
Mente gerens mundum, simílique ab imagine formans,
Perfectásque iubes perfectum absoluere partes.

significans mundum opus esse summi absolutissimíque architecti, ideóque valdè absolutum esse, atque perfectum.

IV. *Et pulchritudini fauet nomen.* Cui cogitationi Aristotelica illa congruit, Quidquid, inquit, ornatum & elegans est, quidquid rectè ordinatum, atque compositum, Mũdi cognomen accepit. Τότε καλὸν καὶ ἐπώνυμόν ἐστι τούτου, καὶ τὸ τεταγμένον, ἀπὸ τοῦ κόσμου λεγόμενον κεκοσμῆσθαι. Manifesta quoque ratio Mundi pulchritudinem probat, quæ, vt supra disputatum est, ex trium concursione perfectionum existit, & in ipso Mundo absolutissimè reperiuntur.

Eiusdem mundi integritas. Nam primò eius integritas in eo posita est, quòd omnes continet existendi gradus, tam eorum quæ per se subsistunt, quàm eorum quæ rebus adueniunt. Substantias habet tum spiritales, tum corporeas, & illarum quædam compositi partes sunt, vt animæ, aliæ non item, vt Angeli; Istarum autem aliæ simplices sunt, vt elementa, aliæ compositæ, vt lapides. Aliæ vitam habent, vt plantæ; aliæ expertes sunt vitæ, vt metalla. Et viuentium quædam sensum quoque habent, vt animantia; quædam insuper rationem, vt homo.

V. *Varietásque partium.* Quanta porrò varietas in istis omnibus? In elementis quædam grauia sunt, & nutu suo ima petunt; alia leuitate præstant, eiúsque opera ad superiora celeriter euadunt, & singula ita locum sibi diuinitus assignatum occupant, vt inde, nisi adhibita vi, dimoueri non possint. Rursus eorum quædam calida sunt, alia frigida; sed ita vt partim calore summo ferueant, partim illum habeant temperatum; quod ipsum in humore valet, & siccitate. Metallorum alia pretiosa sunt & rara, alia vilia atque vulgaria; quædam cum luce nitescunt, quædam aspera sunt & obscura. Quid in plantis, nónne incredibilis varietas? nonnullæ syluestres sunt, aliæ hortenses atque domesticæ; quædam peregrinæ sunt, quædam cœli huius atque soli; sunt quæ terram ament, sunt quæ malint aquas. Sunt quæ cœlo frigido gaudeant, sunt quæ calido, & quæ temperato. Aliquæ folia dumtaxat ferunt, aliæ flores & fructus, aliæ vtrisque destituuntur.

Quædam

Quædam in magnam aſſurgunt altitudinem, vt montanæ abietes, aliæ paululum ab humo excitantur, vt humiles myricæ, magnáque pars arborum frugiferarum. Quàm multa ſunt animalium genera, quæ aëra pennis ſecant, quæ vndas tranant, quæ humi gradiuntur, aut repunt, quorum nullum eſt quod forma ac figura, membris & proprietatibus ad vſum & conſeruationem ſuam idoneis, non ſit inſtructum: nihil vt planè vel ipſis, vel mundo, ad quem, vt partes ad totum, pertinent, vſquam deſit.

Quod ad proportionem attinet vel ſingularum partium ad totum ſuum, vel compoſitorum ad ipſum Mundum, omnes ſapientes, qui ſeculis omnibus extiterunt, ampliſſimam in illorum diſpoſitione & ordine admirationis ſegetem inuenerunt. Itaque Triſmegiſtus ille Mercurius in Aſclepio proportionem illam harmoniæ & concentui confert, qui diuerſis ex ſonis, aut vocibus aptè inter ſe congruentibus, auribus noſtris iucundiſſimè ſolet accidere. Pythagoras quoque, & ſecundum illum Philo Iudæus, aiebant Mundum à principio conditum fuiſſe, cum ea proportione numerorum, quam lyra poſtea imitata eſt. Et S. Auguſtinus Mundum carmini componit, quod numeroſè pedibus incedit ſuis, cùm certis longarum breuiúmque ſyllabarum interuallis, & animum grata voluptate, aurem peramœno tinnitu reficit. Gregorius Nyſſenus Mundum confert magnificentiſſimo palatio, cuius membra omnia ſibi accuratiſſima proportione reſpondent. VI. *Proportio earum.*

Eius denique pulchritudo neque lumen deſiderat, neque amœnitatem colorum. Omnes quippe colores in magno iſto corpore, iidémque aptè ſuis diſtributi locis, reperiuntur: & magna illa corpora, à quibus ambitur, copioſam vndique eiaculantur lucem. Figura quoque ad pulchritudinem conducit; rotunda enim forma Philoſophi negant vllam eſſe pulchriorem, capaciorem, perfectiorem. Quod ſpectaculum iucundius eſſe poteſt tot cœleſtibus globis, tanta claritate ac luce perſpicuis, tanta magnitudine diffuſis, tot magnis adamantibus, carbunculis, ac ſmaragdis illuminatis? Ecquis ergo de illius pulchritudine dubitauerit, qui in tam pulchri operis molitione, diſpoſitione, perfectione, ſex ipſos dies ſponte ac libenti animo poſuit, & iuxta formam atque ideam menti ſuæ impreſſam architectatus eſt? Aut quis de abſolutiſſima ſpecie exemplaris ambigat, qui imaginem ad illius imitationem effictam, videat eſſe tam præclaram? VII. *Lucis colorúmque decor.*

CAPVT XV.

Alterum eiusdem pulchritudinis argumentum ex cœli Empyrei præstantia ductum.

I. *Empyrei cœli pulchritudo.*

AGE porro inuolutam hanc vniuersitatis huius molem euoluamus, & pulchritudinem nobilissimarum eius partium contemplemur. Euolemus super ingentes illos cœli fornices, qui continenter, ad vsum commoditatémque mortalium, supra capita nostra, infráque nostros torquentur pedes, & ad cœlum illud, quod vocant Empyreum, mente ac desiderio emigremus. Inuisamus obsecro nobilissimam illam ciuitatem Hierosolymæ cœlestis, quam Deus à principio molitus est. Quis quæso decor est, quæ venustas illius regiæ ciuitatis, quam Rex ille regum, in sedem & domicilium curiæ suæ regiæ, ab æterno destinauit; in sedem, quæ foret quasi amplissimum ac frequentissimum theatrum, in quo maiestatis ac magnificentiæ suæ diuitias explicaret, fruendásque proponeret; in palatium tot regum, ac principum, quot erunt vnquam in cœlo beati; vt exterius quoque beatorum corporum gloriam augeat speciosissimo fulgore suo; vt solet aureum solium decorare principem insidentem, aut corona pyropis & adamantibus fulgurans regium caput. Sic lucidæ illæ nubes, Christo Domino, & eius comitibus honorariis, in Thaboræo monte circumfusis, eorum pulchritudinem non vulgari accessione cumularunt; sic & olim in die iudicij, eidem *in sede maiestati suæ* sedenti, eædem nubes magnum afferent additamentum decoris. Matt. 25.

II. *Varia pro eâ coniectura.*

Hoc cœlum & loco supremum, & dignitate princeps, instar cœli est inferioribus cœlis, qui quasi terra sunt illius cœli, iuxta illud Dauidicum, *cœlum cœli Domino*, interprete S. Augustino, & S. Hilario. Itaque vt seruetur iusta proportio, tanto illud pulchrius est, & magnificentius cæteris cœlis, quanto isti vilissimo terræ elemento præstant. Si ergo meritissimò dicebat Sanctus ille, *O quàm sordet terra cùm cœlum aspicio!* quanta debet esse illius cœli pulchritudo, quæ tam præclaros cœlos sordidos reddet, atque despicatos? Illa Euangelistarum aquila, id cœlum in sua Apocalypsi describit, accommodatè ad ea quæ hîc cernimus: significans nihilominus tantæ rei dignitatem nulla æquari posse maiestate verborum; etsi eius verba nihil nisi aurum & argentum, crystallum, saphiros, smaragdos, carbunculos, & id genus alios preciosos lapides sonent, exquisitas regum ac dynastarum delicias. Nec sanè alia verba vsurpare poterat, si orationem suam à mortalibus intelligi cupiebat.

12. Confess. c. 2. in Psal. 122. S. Ignat. c. 21. 10.

Sed reguſtemus quæſo, ſi placet, iſtam cogitationem, fructuoſa enim eſt, & religioſæ animæ faucibus non inſuauis. Si enim inferiores iſti orbes tam præſtanti decore fulgent, in tanto nobiliſſimarum gemmarum ornatu, vagarum inquã atque inerrantium ſtellarum multitudine, tametſi tam proborum quàm reproborum vſibus ſint deſtinati, quid de eo cœlo dici vel cogitari par eſt, quod ſolis electis, ſolis Dei filiis cõditũ eſt, atque deſtinatum? non iis qui etiamnum militant, pugnántque cum hoſtibus, ſed illis qui glorioſo pondere ſpoliorum graues, quãdo iam debellatum eſt, in illud laureati, triumphali quadriga inuehuntur, non anniuerſarios feſtos dies, ſed quotidianos acturi, atque ſempiternos? Quid dici poteſt de illa regia, quam magnificentiſſima illa ſapientia condidit, quæ probè nouit oportere media finibus proportione reſpondere; quámque voluit dignam eſſe magnitudine maieſtatis ſuæ, ſapientiæ, potentiæ, diuitiarum, denique bonitatis & amoris in illos ſui, quos elegit, antequam ſolem conderet, & auroram. III. *Comparatio reliquorum orbium.*

Salue, ô ſalue patria noſtra pulcherrima, ſi tamen noſtra, nemini quippe mortalium id certò conſtat, ſalue, inquam, nobiliſſima ædes habitationis noſtræ ſempiternæ. Quando, ô quando continget nobis illa pompa noſtræ inuectionis in portas tuas! ecquando contemplabimur aulas illas ſublimes atque magnificas, latis adamantibus ac pyropis alternatim pauimentatas, illas porticus longitudine atque amplitudine viſendas, pilis ingentibus vtrimque nixas, ex ſingulis carbunculis, ſmaragdis; topaziis; illíſque impoſitos fornices triumphales, ex auro ſolido, artificio mirabili conſtructos. Proh quales in plateis columnæ, quæ baſes & capitella, quæ epiſtilia, zophori, coronides, quæ pyramides, qui obeliſci, qui ſoliorum luxus, quæ gloria coronarum, qui contextus florum ac certorum nunquam defloreſcentium, quæ Deus ipſe manu propria dilectiſſimorum filiorum capitibus imponet, quis nitor viridantium palmarum, quas victorum manibus inſeret, poſt paternos ſingulorum amplexus, libatáque oſcula lacte & melle dulciora. IV. *Gemitus aſpirantis ad illud cœlum.*

O felices campi! ô amœna vireta fortunatorum nemorum, perpetuo florentes horti, fontes argenteis riuulorum ſuſurris molliter obſtrepentes, aër fragrantibus Seruatoris vnguentis delibutus, quando reſpirabimus viuacem illum & odoratum aërem! quando harmonicos illos concentus audiemus, & edemus ipſi! Sed quoniam nondum optatiſſimum illud tempus aduenit, quo tranſcribamur in cœlites, ab hoc exilio in illam patriam deſideria noſtra cordáque transferamus, ſatis ſupérque eſt corpora hîc trahere longiores moras, quantas conſtituerit magnus ille princeps, ſed cordis, deſiderij, ac delectationis expertia, perpetuóque beatiſſimam illam regionem ſpiremus, iterantes crebro illos olim peregrinorum, nunc beatorum ciuium gemitus. *Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum* &c. &, *Heu mihi, quia incolatus meus* V. *Cõtinuatur.* Pſal. 41. 2. 119. 5.

Rom. 7.24. Philip. 1.23. Psal. 86.3. *prolongatus est, multum incola fuit anima mea. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Cupio dissolui, & esse cum Christo. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.*

VI. *Complexio.* Quàm amabilis ergo, quámque admirabilis est illius architecti forma, à quo tam nobilis regia, tam eximium palatium, tam diuinum opus profectum est? Quî fieri possit vt tam decorum principem, qui nobis regias illas extruxit ædes, perditásque mortis funestissimæ pretio redemit, non toto pectore diligamus?

CAPVT XVI.

Orbes quoque cœlestes enarrare gloriam, & pulchritudinem Dei.

I. *Cœli aspectabiles docent Dei pulchritudinem præ Empyreo.* Psal. 18. DESCENDAMVS interea nihilominùs ex regia, nobísque statim occurret aliud diuinum opus, quod factoris sui decorem sonora voce pronunciat, *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*; sed voce quæ facilius exaudiri possit, quàm illius cœli, quòd paulò antè memorauimus, quod omnes latet, qui scripturarum cognitione carent. Cæteri autem, ignaris loquuntur & doctis, qui alterutrum polum vident, & quatuor incolunt mundi plagas; *in omnem* quippe *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Motus videlicet eorum, & lumen, & calor, & fœcunditas quam terris impertiuntur & earũ incolis, ipsorum notitiam omnibus mortalibus afferunt; cùm Empyreum neque suo lumine hinc agnosci possit, perpetuum enim meridiem produceret, neque motu proprio, cùm sit immobile, neque influxu, si quem habet in hæc inferiora, qui ægrè à cæterorum actione distingui posset.

II. *Eorum præstantia & pulchritudo.* Quis enim est ingenio tam hebeti ac plumbeo, qui sublatis serena quapiam nocte in cœlum oculis, illáque pulchritudine animaduersa, illa immensitate, illa constanti vicissitudine, illa munditia & nitore maculæ omnis experte, illis astris flammantibus, illo ordine tam composito, illo motu tam rapido, illa translucente soliditate, illa perennitate, illis fornicibus pæne ad circinum conformatis, illáque omnium pulcherrima figura; quis, inquam, est qui tam mirabile spectaculum contemplatus, non insignem inde vim delectationis, atque admirationis hauriat? non effundatur in laudes optimi, maximi, sapientissimi, pulcherrimíque architecti, qui omnia puncto temporis in sua mente descripsit, & vno verbo eduxit in lucem? Nullus est decor, nulla præstantia, nulla pulchritudo sub cœlo, quæ in nobilissimis illis corporibus virtute non contineatur, quæ secundum Deum causæ sunt vniuersæ omnium corporum sublunarium, & omnium quæ ab illis proficiscuntur affectionum. Itaque eminentiore modo continent omnẽ

ornatum, quo natura terræ solùm mirabili florum varietate depinxit, qui cùm in cœlo sint immortales, triduo hic super suo caule flaccescunt.

III. *Præsertim astrorum.*

Quid pretiosissimi quique adamantes, sapphiri, carbunculi, smaragdi, siue in hominum vsu ac possessione versentur, siue in visceribus terræ, siue in aquarum abysso perditi iaceant ac sepulti, num possunt cum cœlestibus illis luminibus de dignitate contendere, si vtilitatem spectes, si magnitudinem, lucem, figuram, durationem, soliditatem? Quis in syderibus satis admirari queat diuersitatem magnitudinum, colorum, motuum, atque virium; aut mutuum illorum ordinem, proportionémque coniicere, qualis in magno exercitu ad dimicandum parato cernitur. Neque enim sine causa tota illa stellarum multitudo *militia cœli* in sacris voluminibus nuncupatur, quod sit instar exercitus in suos ordines, turmásque distributi, quamuis, ex infinita pene distantia, tota res à mortalibus oculis minus agnosci possit. Hanc enim vel præcipuam pulchritudinis partem, à tanto artifice neglectam, in opere tanto, támque præclaro, atque adeo sempiterno, existimandum non est; aut in eo casui aliquid fortunæve permissum, quæ à diuinis operibus longè absunt.

IV. *Cœli spectaculum terræ collatum.*

Arbores modò frondium viriditate ornatæ, modò gratum floribus odorem halantes, modò fructuum pondere, copiáque curuatæ: camporum planicies vndantibus conuestita messibus, colles inspersæ vitibus, valles virenti peristromate longè latéque instratæ, montes confertis arborum nemoribus quasi villis horrentes, præcipites atque inaccessæ rupes glacie, niuibus, crystallóque albescentes, hæc, inquam, aliáque his similia cœlestis spectaculi pulchritudinem æquare non possunt. Nihil enim multiplici cœli facie mirabilius, hemisphærio subinde mutato, singulísque pene noctibus astrum aliquod vel patefaciente, vel occultante, & singulis horis ad conspectum nostrum illud adducente, vel è contrario ab oculis nostris abducente. Quid verò ad oblectationem iucundius, nisi res vsu iam ipso ac consuetudine viluisset, quam lunam radiis solis accensam, nunc totam splendescere, nunc dimidiatam; postremo ad solem propius accedentem curuari, atque in auersa cornua inflecti, dum planè tota delitescat, moxque renascens ostentet cornua vespertina mortalibus.

V. *Solis orbis.*

Quid medius ille solis orbis? nunc solem prodit æstuosum, radios lucis ad perpendiculum super capita nostra vibrantem, nunc altiosum & modico supra terram confecto cursu abdentem se, nunc lunari corpore, nunc humili nebula ita tectum, vt appareat tamen, quasi facies crispante serico velata: nunc retectum penitus, planéque aspectabilem, aut potiùs retegentem omnia, & oculis subiicientem. Ille igitur artifex cui cordi fuit hos fabricari globos tam illustres, propriáque architectari manu, iuxta illud regij Prophetæ, *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorũ tuorũ lunam & stellas, quæ tu fundasti*, & scilicet vestigia pulchritudinis tuæ impressisti, in vsum mortalium, nónne tum singulari pulchritudine

Psal. 8. 4.

prædicus est, tum amore dignus singulari? quando tam eximiæ beneficentiæ præmium aliud, præter amorem reciprocum, nullum petit. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.*

VI. *Cœli contuitus.* Cic. 1 Tusc. Chrysippus 2 de nat. Deorum.

Excitemus igitur aliquando nostros in cœlum oculos, eósque tam iucundo aspectu fructuosè recreemus; præsertim cùm perpetui terræ cines facti non simus, vt mutæ pecudes, sed inquilini. Quidam certè philosophi censuerunt hominem cœli contemplatorem esse conditum, rati nihil in hac vita esse melius, quia finis est quid optimum, vt illi ipsi docent. Cui poëta consentiens,

Pronáque cùm spectent animantia cætera terras,
Os homini sublime dedit, cœlúmque videre
Iußit, & erectos ad sydera tollere vultus.

c. 5. 12. supra l. 3. c. 13. Et Tobias ille senior, vt supra dicebamus, magnam se mœroris causam habere significabat, quod lumen cœli videre non posset. At nos ad multo præstantiorem contemplationem nati sumus, ad quam nos cœli conspectus quasi manu ducit. Vtamur admonitione Sapientis. *Vide,* inquit, Eccli. 43. 12. *arcum, & benedic eum qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.* Figura enim illius quasi circino circunducta, & lux, & colorum varietas non parum grata sunt oculis. Quod si mutabiles hæ aëris affectiones, nos ad laudandum Deum inuitare debent, quanto magis solida illa constánsque cœli pulchritudo, & syderum in eo inhærentium?

VII. *Et inde nati affectus.*

Exprimat subinde ista contemplatio è pectoribus nostris illam vocem, O quàm speciosus est is, qui tam speciosum cœlum fabricatus est. Quàm delectabilis est illius facies, qui tam delectabilem homini cœli faciem produxit. Quàm ingens est illius pulchritudinis oceanus, ex quo tam magni elegantiæ fontes erumpunt. Quàm pulchra est aula illa regia, cuius pauimentum, quod calcatur pedibus, tam diues, támque illustre est. Quãdo, ô quando inambulabimus supra coruscantes cœli fornices, mortis legibus expediti, anteactæ vitæ rationibus explicatis summo Iudici, ac probatis; transactis cum dæmone, mundo, & corpore isto certaminibus, & in possessionem missis illius hæreditatis, quam illi nobis perire cupiebant. Nutriamus, Christiane lector, istis cogitationibus ac desideriis pectora nostra, quæ sensim ardentem mundi amorem restinguent, & diuinum accendent; radices quibus nimium terræ affixi sumus extrahent, purgabunt animos terrenis fœcibus, vt pateat illis aditus in illa pa-
Apoc. 21. 27 latia, quoniam nihil inquinatum, aut abominandum in ea admitti potest.

VIII. *Grata inde terrarum contemplatio.*

O Deum immortalem, si nihil ibi aliud nobis agendum foret, si nulla proposita esset alia delectatio, quàm tuta & quieta contemplatio terrarũ omnium atque marium, sinuum, fretorum, portuũ, regionum, montium, insularum, cultorum ac desertorum locorum, ab vno polo ad alterum, quæ toties irritus ac funestus inuestigauit labor; contemplatio, inquam, terrarum & marium in medio mundo, re nulla sustentante, pendentium, astrorum item eorúmque motionum, actionum, influxuum è propinquo

conſpectus, nónne id eſſet ſatis efficax curioſitati noſtræ incitamentum, ad vitam ex virtute degendam, quando nullis aliis ſcalis eò conſcendi poteſt. Præſertim cùm illic non illa ſolùm, ſed infinita alia arcana, & in primis pulcherrima beatiſſimáque Dei facies cerni poſſit. Vt maculoſam in catena tigridem, vel leopardum aut pantheram, aliámve feram videre liceat, precio redimam, atque periculo. Cur ergo pretio vel periculo parcam, cur non vitam quoque bene poſitam putem, ſi modò liceat beatiſſimum illum vultum intueri, qui omnem animorum capacitatem continenti gaudio, ac voluptate cumulabit?

CAPVT XVII.

Elementorum decor diuinæ quoque pulchritudinis eſt argumentum.

QVÆ de diuina pulchritudine à nobis diſputata ſunt hactenus, ſi rei dignitati aliquo modo reſpondere potuiſſent, nemo eſſet profectò tam ſtupidus, quin eximia lætitia, & conſolatione perfunderetur; præſertim cùm amor decoris ſit nobis à natura ingenitus, ſicut & pondus voluntatis ad amplectendum bonum. A natura, inquam, aut ipſo authore naturæ, qui conceſſa cuipiam forma aliqua, dat etiam quæ conſequuntur formam, vt philoſophi tradunt. Qui enim producit ignem, leuitatem quoque ad ſurſum euolandum, & propenſionem ad comburendum producit. Tale quoque eſt noſtrum ſcientiæ, felicitatis, propriæ conſeruationis deſiderium, aliáque id genus, quæ tam antiqua ſunt in nobis, quàm nos ipſi; neque deſinent, quandiu natura iſta non deſinet. I. *Appetitus à natura inſiti.*

Inter haſce propenſiones, & innata deſideria rectè numeratur contemplandæ, fruendæque pulchritudinis appetitus, quem ſentiunt quæcunque illam cognoſcere poſſunt, vt de equo nuper, & luſcinia dicebamus, quibus & pauonē adiungere meritò poſſumus, qui picturatam caudæ ſuæ pulchritudinem agnoſcit, oſtētatque, & ad pompam circumagit, nec ſe priùs verſat in rotam, quàm aut verſicolores plumas in collo ſentiat, aut caudam oculatam, aut criſtatum caput. Pueruli, qui naturæ appetitus fingere, aut celare non poſſunt, formóſula quædam crepundia ſtudioſè ambiunt, & pro iis obtinendis multo meliora profundunt; quæ ſtultitia etiam grandiores nonnunquam tenet; ſed hic abuſus eſt, nec ab authore naturæ proficiſcitur, quippe qui rationem dederit, ad regendos corrigendóſque animæ ſentientis appetitus. Itaque ſi hoc formæ deſiderium naturæ, ab ipſius autore inſitum eſt, oportet in ipſo tanquam in cauſa, ſed meliore modo, & ſublatis imperfectionibus reſidere: habet enim in ſe, quod in effecta deriuare poſſit. II. *In iis amor pulchritudinis.* L.3.c.5.n.4. *Quæ eſt in Deo, vt in cauſa.*

III. *Non tamen eius desiderium.* Quoniã verò formæ, vel alterius cuiuspiã boni desiderium eius absentiã ponit,& proinde imperfectionem eius,qui illo bono caret,non potest eiusmodi desiderium in Deo bonis omnibus abundante reperiri, eiúsque locum tenet delectatio possessionis comes; cæteris id bonum non tam desiderat, quàm pro arbitratu impertitur. Hominum itaque propensio in amorem formositatis, diuinæ speciei argumentum est, quàm rebus à se conditis, pro cuiusque captu, ac conditione, dispertit, nihil imminutis thesauris suis. Decursa itaque superioris mundi pulchritudine, ab illis beatorum sedibus, & regione immortalitatis, ad habitationem mortalium, elementarium regionem, ortui atque interitui obnoxiam descendamus. *sed fruitio.*

IV. *Terræ pulchritudo ex humana similitudine.* Seneć. l. 3. nat. q. c. 15. Est enim vel in elemento terræ, quamuis mundi centro, & basi reliquorum elementorum, natiua quædam, neque ab arte profecta pulchritudo, vt quæ sit mater perfectissimorum animantium, nec paruam habeat cum homine cæterorum principe, omnísque elegantiæ exemplari similitudinem, à philosophis iampridem obseruatam. In eo porro posita est, vt sicut corpus humanum venis est arteriisque respersum, qui sunt quasi canales & aquæ ductus, quibus sanguis & spiritus per singula membra tribuuntur: in terra quoque sint natiui aquæductus, quos venas quoque nuncupamus, præter ipsum fluminis alueum, & multis in locis scaturiunt, & in fontes diffluunt. Sunt & nonnullæ sub terra semitæ, quibus spiritus, ventique excurrunt, qui tumultuantur aliquando, terrásque magno fragore concutiunt. Habet humanum corpus partes aliquas duriores, vt ossa, quæ attollunt fulciúntque molliores, vt carnem, & musculos, aliásque mollissimas, vt medullam, quæ in ossa influit, & cerebrum, quod cranio in summo capite continetur. Eodem modo rupes ad nubes vsque terram eleuant, & à ventis fluctibúsque defendunt, nec caret mistis mollioribus cera, melle, pice, resina, aliísque, quæ in arboribus, rupibúsque gignuntur.

V. *Aquarum item.* Quid aquas & flumina, quid paludes & maria, ipsúmque oceanum memorem, fluuiorum fontem & hospitem, originem nubium, pluuiarũ, & innumerabilis piscium varietatis parentem, commercium nationum disiunctissimarum, compendiariam semitam itineris longinqui, terræ nutricẽ, plurimarum ægritudinum medicinã, cœli speculum, & imaginẽ politam atq; pellucidã in tranquillitate, in tempestate turbulentã: oceanum terrorẽ audacium, pœnã sontium, paratum viuentibus sepulchrum. Denique aquarum abyssus, quæ facta est materia globorum cœlestium, superque firmamentum ipsum infinitis è crystallo imaginibus, formísque lusit, num pulchritudine caret, quæ diuinæ vestigia pulchritudinis ostentet?

VI. *Aeris.* Aër quoque translucidum elementum, à quo voces & lumina, omniúmque sensuum species sustentatur, à quo hominis anima, maximæque partis animalium fouetur, ne viscera calore suffocentur: aër ventorum, à quibus naues quoquo gentium impelluntur, parens, à quibus

tetri

tetri odores halitúsque pelluntur, coguntur in pluuiam, & dissipantur in serenitatem nubes: aër materia corporum angelicorum, & iridum speciosissimarum, & tribunalis, quo Iudex viuorum & mortuorum insistet, pallium denique honorarium electorum, decore non caret, quo factoris sui speciem imitari possit.

Idipsum possumus de igneo elemento pronunciare, quod in cœli cõfinio ac vicinitate versatur, quo nihil in agendo promptius, nihil efficacius esse potest. Nonne ignis primarius est artifex, & quasi architectus quamplurimorum nobilissimorúmque operum artis & naturæ? qua in re diuinam omnipotentiam imitatur, quæ res omnes molita est, atque conseruat. Ignis instructus proprietatibus omnium corporearum nobilissimis, lumine & calore, diuini amoris, pulchritudinis & sapientiæ symbolis, quî potest carere pulchritudine, cùm tantarum perfectionum, decorem ac dignitatem repræsentet? VII. *Ipsiúsque ignis.*

Quantum postremò venustatis apparet in iis, quæ ex elementorum compositione conflantur? Quantus est in metallis decor, si artificis ingeniosa manus accesserit? Quàm pulchri colles vestiti pampinis, campi segetibus, syluæ densis arboribus, viridaria pomis, horti infinita florum pulcherrimarum varietate, colore inter se, figura, odore, virtute certantium? Quàm iucundus aspectus auium aërem pennis tranantium, piscium fluctus branchiis & cauda diuidentium, & terrestrium animalium sola terrarum, cursu, saltu, incessu, tractu permeantium; & quot in his omnibus diuinæ suauitatis notæ, quot pulchritudinis argumenta? VIII. *Et mixtorũ corporum.*

CAPVT XVIII.

Humani corporis decor & elegantia diuinam quoque pulchritudinem probat.

VERVM vt hæc rerum inanimatarum, vel mutarum animantium argumenta taciturniora missa faciamus, solus homo, Dei in terris imago longè præstantissima, copiosam nobis materiam suggerit exclamandi cum Dauide, *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, &, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, qui hominem tibi amabilem efficere voluisti, imaginem in eo pulchritudinis tuæ artificiosissimè depingendo, quantum illius corpus, animúsque ferre potuerunt. Nihil in hoc aspectabili mundo pulchrius homine, aut melius cerni potest; quippe cuius causa ille conditus est, eiúsque Dominus constitutus. In illo autem nihil vultu gratius, nihil à magno illo artifice concinnius elaboratum, vtpote animi natiua imagine. In vultu enim maximè ille se prodit, in quo sedem habent sensus omnes externi, in quo se interni

I. *Deus hominem sibi ex pulchritudine amabilẽ fecit.* Psal. 47. 2. & 95. 4. Psal. 30. 20.

apertè produnt, vbi omnes animi motiones, affectúsque innotescunt, vt in horologij tabula horæ descriptæ. Et sicut in memoria, intelligentia, & voluntate animi diuina imago splendescit illustrius, ita imago animi clarius in facie, accuratiúsque picta cernitur; quantum quidem res corporea spiritalem referre potest.

II. *Facies, eiúsque partes imagines animi.* P. Richeomus in sua Valedict. animæ, c. 49. &c.

Intuere, quod ætate nostra sapienter considerauit vir egregius, vt in oculis corporis, intellectus animi oculus repræsentatur, & istius in illorum diuersitate varietas; & mentis, in oculorum elegantia, pulchritudo: adeo vt vix insigni decore oculi, nisi in homine præstantis ingenij reperiantur, qui facilè spiritalia percipit, vt illi corporata. Voluntas, in qua vis animi est, in ore cernitur, ex quo manat oratio, qua homo mundum regit vniuersum, vimque suam maximè prodit. Oris enim opus est oratio, quæ in illo quatuor præcipuis instrumentis, quasi ad proplasma, fingitur atque figuratur, lingua, dentibus, labiis, & palato, quæ imagines sunt libertatis, & animi commotionum. In auribus memoriam depictam cernet quicunque attenderit, ad vtrumque officium percipiendi, retinendíque præcepta: vt enim auris sonorum, sic memoria cogitationum apotheca, & quasi armamentarium dici potest.

III. *Testes diuinæ pulchritudinis.* an. mund. 1. die 6. nu. 10 & seqq.

Mitto pleraque cogitata perelegantia circa faciem humanam, quorum nonnulla alibi attigimus, faciem inquam, illustre propylæum palatij animæ, & quasi parma tesseraria nobilissimi molitoris vtriusque: vt hanc conclusionem, quasi versum intercalarem iteremus, mirabilem esse illius pulchritudinem, cui placuit tantum decoris in hominis vultum ingerere, quem leoni similem, aut simiæ facere potuisset. Qui potuit in eodem tantas producere dissimilitudines, vt in multis millibus, qui iisdem omnino membris constent, quæ numero sibi iustáque proportione respondeant, vix duo reperiantur non aliqua re varij, atque dispares: cùm pictor eruditus vix decem vultus aut duodecim dissimiles suo marte figurare possit. Quid illam dicam gratiam, illecebrámque blandissimam, quam diuinus ille pictor, qui amat sibi similia moliri, in nonnullorum faciem tanta copia profudit, nulla vt irrepat satietas contemplandi, sicut nec beatis, in conspiciendo diuino vultu.

Cuius est insatiabilis aspectus.

IV. *Peccator pulchritudine abutitur.*

Peccator autem, qui parentem diabolum imitatus, in diuinis consiliis peruertendis elaborat ac desudat, in illius gratiæ ac venustatis contemplatione, non inuitamenta demirandi colligit, diligendíque medullitus immortalem Dei pulchritudinem, mortalis illius, caducæque effectricem, sed libidinum stimulos, cupiditatis ardores, incendia voluptatum, quibus & in hac vita exæstuet, & post interitum incendio tartareo torreatur. Quanto consultius faciunt, qui se ab huiusmodi obiectis fortiter abstrahunt, non minùs humanæ fragilitati periculosis, quàm blandis cupiditati: & S. illum Iobum imitantur, qui *pepigerat fœdus cum oculis suis, ne cogitaret quidem de virgine*, nedum curiosis eam oculis intueretur. Cui consentiens Syracides. *Virginem*, in-

c. 31. 1.

quit, *ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore eius.* Sed iam tempus appetit, vt ex decore quoque spiritalium rerum diuinam pulchritudinem coniiciamus. c. 9. 5.

CAPVT XIX.

Spiritalium rerum, & nominatim angelorum pulchritudo, diuinæ argumentum est.

I. *Principium in quoque genere regula est cæterorum.*

IN vnoquoque rerum genere inuenitur aliquid, quod principium sit, & regula cæterorum, eáque dignitate antecedat. Is est in spiritalibus rebus Deus, Sol in planetis, cæterísque cœli facibus, in simplicibus corporibus cœlum, aurum in metallis, homo in animantibus, delphinus in piscibus, in auibus aquila, in feris leo. Hunc quoque gradum ignis obtinet in elementis, in virtutibus charitas, in gradibus nobilitatis regia dignitas. Quo autem quidque propius abest ab eo principio, hoc etiam in suo genere dignitate præstat; tanto enim magis ad illius principij naturam, perfectiones, ac proprietates accedit. Quo quis propius ad regis consanguinitatem, aut affinitatem pertinet, eo est etiam nobilior, calidior, quo magis fuerit igneus, & sanctior, quo maiorem fuerit charitatem consecutus. Et inter animalia illa sine controuersia præstantiora sunt, quæ ad hominis docilitatem & rationem sunt viciniora, in quibus non sine causa equi, elephantíque censeantur. *Elephanto*, inquit Marcus Tullius, *belluarum nulla prudentior.* De Nat. Deor.

II. *Sic diuinis spiritus, reliquorum.*

Si ergo, vt par est, hac regula dirigimur, fatendum est beatos angelos, qui inter omnia creata propius absunt à Deo, pro suæ conditione naturæ, diuinas quoque perfectiones, proprietatésque excellenter participare, eóque excellentius, quò fuerint in sacris angelorum ordinibus præstantiores, pluribúsve à Deo donis locupletati. Quas inter perfectiones pulchritudo non infimum locum tenet. Oportet ergo angelos, qui diuinam imaginem in se elegantius depictam ferunt, cæteris omnibus, quæ sunt à Deo condita, esse pulchriores; Deúmque vice versa, qui sit primarium eorum exemplar, esse longè pulcherrimum. Spiritalia viciniora sunt Deo qui Spiritus est, quàm materiata, ideóque nobiliora; quo autem nobiliora, hoc maiore sunt ad perfectionem facultate prædita, sicut homo præ omnibus animantibus, Deus præ omnibus rebus creatis.

III. *Opinio anticipata de Angelorum pulchritudine.*

Quod porro ad angelorum pulchritudinem pertinet, sacræ literæ profanæque docent anticipatum esse mentibus hominum atque informatum, angelos egregia quadam forma præstare. De Stephano Act. 6. E.

protomartyre legimus, adductum eum in Hebræorum conuentum, omnésque qui erant in consilio intuentes eum, vidisse faciem eius, tanquam faciem angeli, eximij videlicet decoris & elegantiæ. Vxor Manue Samsonis mater nunciatura marito vidisse se virum egregium, ait illum vultu angelico fuisse prædítum. Talis erat ille iuuenis, quem Tobias iunior habuit itineris ducem, quem Scriptura vocat *iuuenem splendidum.* Regina Hester dicebat regi Assuero, *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Huc referri potest illud poëtæ,

Iud. 13.6. Tob. 5.5. Ester. 15.16.

Virg. 1. Æn.

O quàm te memorem virgo, namque haud tibi vultus
Mortalis, neque vox hominem sonat; ô Dea certe.

Et rursum illud,

Restitit Æneas, claráque in luce refulsit
Os humerósque Deo similis. -----

IV. *Illustratur exemplis.*

Illud quoque vulgo crebro vsurpatur, de puero scito & eleganti, eum forma similem esse angelo. Et si qui pueri dantur in theatrum, qui angelos referant, elegantissimi quique seliguntur, quòd talibus illi soleant apparere corporibus, cùm Dei nuncios agunt. Sic in natiuitate Christi Domini circumfusi, gloria & claritate Dei circumfulserunt. In resurrectione quoque Dominica, facies Angeli fulguris instar coruscabat, & vestimenta eius æquabant candore niues, vt aptius Domini sui gloriam repræsentaret. Neque verò difficile ipsis est huiusmodi corpora fabricari, cogendis pro arbitratu nubibus, atque figurandis; luce deinde, ac florido colore liniendis. Quòd si nubes densior, radiis solaribus opportunè infusa, pulcherrima, gratissimáque luce coruscat, minimè dubitandum est angelum, qui se insignius ornare voluerit, vt legatum Regis regum decorè repræsentet, corpus sibi efficturum, quod decore & elegantia singulari, mirabilem excitet amorem sui, ac venerationem.

Luc. 2, 9.

V. *Aliud exemplum ex Apocal.* ca. 19. 10. & 22. 9.

Is enim qui Ioanni Euangelistæ in Apocalypsi apparuit, tanto splendore ac gloria coruscabat, vt ille ipse Apostolus, qui in Thaboræo monte Christi faciem cum stupore viderat fulgurantem, qui eundem à resurrectione, adeóque in cœlum ascendentem, atque triumphantem conspexerat, satis tamen in illo angelo maiestatis agnosceret, vt Deus putari posset, & diuina adoratione dignus, nisi eum ab illo errore Angelus ipse reuocasset, vt eum locum explicat Augustinus. Si ergo Angelus ex aëre, vaporibus aqueis, & exhalationibus terræ, immixto deinde lumine & colore, tantam potest efficere pulchritudinem, quantam demiratus Euangelista diuinam putabat; quid obsecro fecerit ille mundi architectus sapientiæ ac potestatis infinitæ, volens eos esse quasi ephebos honorarios in aula sua, in templo suo, in conspectu suo, vt in eos primi ab eius vultu radij emicantes incurrerent?

q. 61. in Gen & l. 20. contra Faust. c. 21.

Nabuchodonoſor eligi voluit in regios pueros honorarios de captiuis Iſraëlitarum filiis, de ſemine regio & tyrannorum, pueros, *in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, qui ſtare poſſent in palatio, & conſpectu regis.* Angeli tui, Domine, captiui nunquam fuerunt, nullo quippe vnquam inquinati ſunt peccato, & qui peccato ſeruierunt, perpetuò ſeruient, neque vnquam in libertatem filiorum Dei aſſerentur. Nimirum reſpicit hæc figura humanum genus, totum, vnius hominis culpa, peccato mancipatum: quin etiam nondum filij Iſraëlis, aut contemplatores vultus tui, ſicut boni Angeli tui, facti ſumus; tanto tamen nos honore atque amore proſequeris, vt quoſdam de nobis eligas, quos tu ipſe mundas atque ſanctificas, arcana myſteriorum tuorum doces, decoras gratia & virtutibus tuis, meritorum tuorum opibus locupletas, reddíſque idoneos, qui aſtent conſpectui tuo, ibíque Canticum immortale reſonent gratiarum actionis, *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.*

VI. *Alia à ſimili coniectura.* Dan. 1. 4. Pſal. 93. 17.

Quales ergo condideris, ô diuina ſapientia, eos quos honorarios aſſeclas perpetuò habere voluiſti, qui tantæ maieſtatis dignitatem non dedecorarent, qui nullam peccati maculam in fronte geſtarent; quibus nulla vnquam culpa exprobrari poſſet: quos ſacrarij tui ſymphoniacos elegiſti, & quaſi ſanctioris exedræ cubicularios, oraculorum nuncios atque interpretes, filiorum tuorum moderatores & cuſtodes; vrbium, prouinciarum, regnorum & nationum præſides, & gubernatores; motionum cœleſtium cauſas principes: denique primogenitos Dei filios, & beatiſſimi eius imperij, æternæque poſſeſſionis hæredes.

VII. *Accommodatur Angelis.*

O anima mea, quanto amore, quantáque veneratione proſequi deberes nobilem illum principem, tibi diuinitus ab ortu datum tuo, in ducem vniuerſæ peregrinationis tuæ, in doctorem illuſtrantem tenebras mentis tuæ, in patronum ac protectorem, donec te, ſuperatis Oceani huius vndis ac procellis, monſtríſque formidoloſiſſimis Plutone, Aſmodæo, Sirenibus, transferat in portum ſalutis, ædes patris noſtri qui in cœlis eſt. Ibi contemplabere ſecurus eximiam eius ac ſociorum ipſius pulchritudinem, ex tribus illis, quæ ſupra dicebamus principiis efflorescentem, integritate, quæ eſt numeris omnibus abſoluta perfectio ſpiritalis eorum naturæ: proportione, quæ eſt concentus quidam harmonicus facultatum, & perfectionum ipſorum inter ſe: claritate denique, quæ dici poteſt illuſtris quidam apex perfectionis, intra limites naturæ creatæ.

VIII. *Eorum decor ex principiis pulchritudinis.*

Quàm iucundum erit cum ipſis colloqui, obambulare, & alternîs laudum cantica celebrare, & gratiarum actionis ei, qui ipſis elargitus eſt quidquid habent bonitatis, gratiæ, pulchritudinis, quique ipſos condidit perfectas imagines, & eximia decoris ſui argumenta. Quantus exiſtet amor, aut patefiet potiùs, nos inter & ipſos, cuius fundamentum erit naturæ & gloriæ ſimilitudo. Erimus enim tunc, vt teſtatur Seruator

IX. *Amor in cuſtodes Angelos.*

ipse, *sicut Angeli Dei*. Cùm manifestò videbimus quàm sint amabiles, quantóque nos fuerint amore prosecuti, vtque nos excoluerint, tanquam agrum spiritalis messis eorum, & gloriæ aduentitiæ messem. Magnus fuit amor iunioris Tobiæ aduersus Raphaëlem, quem pro iuuene conductitio habebat, & quidem huiusmodi, vt illum ex animo vocaret fratrem, *Azaria frater*, inquit, *si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*. Quanto iam tum maior fuisset in illum amor & reuerentia, si eum scisset Angelum Domini, ab eodem de industria, ad eius obsequium, de cœlo missum?

Tob.9.2.

X. *Declaratur exemplo Raphaëlis & Tobiæ.* Cap.12.22.

Deinde autem postquam filius ac parens rei veritatem didicerunt, & stupor ille, qui tres ipsas horas attonitos tenuit, & humi stratos, remisit nonnihil, sibique restituti sunt, vix credi potest quantus inter sanctos illos, Deúmque autorem illius felicitatis suæ amor exarserit, & nominatim aduersus Raphaëlem, qui tam sapienter illum in tam longinquo itinere deduxerat, incolumémque in paternam domum reduxerat, luculentum ei matrimonium conciliauerat, qui sponsam illi diuinitus destinatam, ab infesto Asmodæo liberauerat, soceri domum immenso gaudio cumularat, pecuniam à Gabelo receperat, pupillum suum à funestis draconis faucibus eripuerat, qui oculos restituerat seni, denique bonis omnibus repleuerat sanctam illã familiam. Quoties ei in suis precibus gratias egerunt, quoties quantáque cum animi dulcedine amicis omnibus accepta beneficia celebrarunt; maximè autem cum patefacta à Redemptore cœlesti gloria, Raphaëlis in cœlo societate, & colloquio frui potuerunt.

XI. *Accommodatur cœlo.*

Quanta quoque amoris flamma exardescet in cœlo, nos inter Angelósque custodes, cùm illius tum decorem, tum beneficia in nos, huiusce peregrinationis tempore, collata perspicuè cognoscemus, & amantissimè colloquentes, ab illo tam multa nobis ignota, minúsque obseruata discemus? Quomodo in mutuos ruemus amplexus? quàm verè, quàm seriò, quàm amanter illi cum Tobia dicemus, *Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*. Improbi autem qui non Angelos, sed dæmones dilexerunt, eorum consiliis aures præbuerunt, ad eorum arbitrium ac nutum totos se cum ipsis in Dei iniuriam accommodarunt, num ipsi quoque aliquando erunt in cœlo sicut Angeli Dei? annon potiùs, sicut cacodæmones inimici Dei in tartaro? vbi se mutuò lacerabunt, proscindéntque maledictis, vbi æternis inter se odiis, execrationibúsque desæuient.

Cap.9.2.

CAPVT XX.

Naturalis animorum pulchritudo diuinæ quoque argumentum est.

TRANSEAMVS nunc ad alteram probationem diuinæ speciei, elicitã ex decore animæ humanæ, quæ altera est diuinitatis imago. Huius autem pulchritudinis animæ locupletissimus testis est cœlestis eius sponsus, cuius sapientia falli non potest. In illo enim nobilissimo ipsius Cantico auditur atque iteratur illa vox, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Vbi geminam animarum pulchritudinem haud obscurè significat, alteram natiuam, alteram aduentitiam ex diuinæ gratiæ ornamento, vt alio iam in loco attigimus, & vtramque ad diuini vultus similitudinem expressam, ac delineatam. Prior naturæ fines non transgreditur; posterior naturam longè transcendit. Eodémque modo boni habitus ac dispositiones in anima reperiuntur, partim ingenitæ, partim etiam acquisitæ, & vtræque ad animæ ornamentum conspirant.

I. Gemina pulchritudo animæ. *Cant. 1. 15.* *l. 1. c. 11. n. 3.*

Naturalis animi pulchritudo primùm integritatem requirit, quæ est integra atque absoluta perfectio naturæ. Etsi enim animus hominis pars est vna dumtaxat, non totum quoddam integrum, atque perfectum: in suo tamen genere integritatem habet, cùm & subsistere possit ipsa per sese, vt reipsa subsistit, cum primùm corporea habitatione defuncta est, & in se habeat quidquid ad ratione vtentis animæ naturalem perfectionem pertinet, quàm à suo corpore non mutuatur; quin potiùs suam ab anima corpus venustatem mendicat, vt ex illius absentia notissimum est. Cùm ergo suum anima huic terrenæ moli decorem impertiat, quæ alioqui in fœdum cadauer abit, atque dissoluitur, necesse est animam istiusmodi elegantiam, licet dissimili quodam modò, prius possidere, quàm corpori largiatur. Sic pictor mente priùs conceptum habet imaginis decorem, quam eum illi tribuat; & lux dignitatem anticipat, quam coloribus infundit, sic vt neque lux coloribus, neque imagini pictor quidquam acceptum ferat. Paríque modo animus corpori vitam, motum, sensum, orationem tribuit, neque ab illo accipit, quod per ipsum exercet.

II. Naturalis quid requirat. Integritas in quo posita.

Requirit secundò pulchritudo animi proportionem, qua facultates eius præclarè inter se congruant, suásque functiones aptè, decorè, & ordinatim exerceant; sic vt in eis œconomia cõpositissimæ familiæ, aut Reipublicæ sentiatur. Itaque Plato & Aristoteles, viri in humana sapiẽtia principes, hominem regiam ciuitatẽ esse dixerunt, eámque bipertitò

III. Quid requirat proportio.

Homo ciuitas regia Vide Riche. in valed. c. 32. diuisam. Pars enim superior huius habenas Reipub. moderatur intelligentia, memoria, voluntate: inferior obtemperat, rationique famulatur, & iram continet, & cupiditatem in multas vtramque motiones distributam, ordine mirabili, tam in captando, fruendóque bono; quàm in malo auersando, fugiendóque; adeò vt nulla in Republica solertior possit esse partium, aut subtilior officiorum descriptio; sed infinitior sit oratio, si singula persequamur.

IV. *Spiritalis animæ claritas.* *Ingeniosa inuenta.* Dicendum est enim aliquid de spiritali animæ claritate, quæ se in mētis eius perspicaci prudentia, solertiáque facilè prodit, dum præterita omnia, futuráque secula permeat, atque peruadit. Splendet in ea ingenij lumen acerrimū, & mēs nouarum rerum excogitatrix, quas toto terrarum orbe, quasi ex vtero mirabili fœcunditate profudit. Hinc enim tot artes, scientiæ, opificia, machinæ, industriæ, disciplinæ, quarum vel particulæ accuratius capiendæ, vix hominum quamuis productior vita sufficiat. Quantus fuit ille splendor intelligentiæ, cui ars typographorum, aurificum, architectorum, sculptorum, pictorúmque peritia debetur, absolutior præsertim, atque perfectior? Quæ lux eduxit è tenebris ignorantiæ nobilissima opera textilium sericorum, heteromallum bombycinum, aut rasum densius, aut multitium, aut damascenum? quæ pānos & aulæa tam artificiosè serico, argento, auróque illusa? quæ liquādi, tenuandi, producendi, innumerísque modis figurandi metalla? quàm illustria fuerunt ingenia, quæ cœlestes, terrestrésque globos, tam solerter imitata sunt? quæ horologia, sphæras & astrolabia; quæ geographicas, cosmographicas, chorographicásque tabulas, tam scitè elegantérque designarunt? quid cætera dicam instrumenta mathematicorum, aut virorum militarium inuenta, seruandis hominibus, atque perdendis? vtramque enim in partem valet ingenij humani lumen.

V. *Quæ ad Deū quoque pertinent.* Hæc porro tanta lux animi, támque excellens non hebescit vsu, neque deteritur, quamuis corporis organa paulatim minuantur atque languescant; clarescit potiùs, atque augetur, sicut aurea vel argentea lamina, quæ fit affrictu lucentior, cessatione autem & quiete, rubiginem contrahit. Quanta est igitur huius animæ, qua nos Deus muneratus est, pulchritudo? quàm speciosus, qui ei non solùm hanc speciem tribuit, sed tanquam causa primaria, in omnes illius actiones, inuentáque præclara influit, influétque porro futuris seculis, tanquam animæ ipsius, ingenij, manúsque molitor, artifex, conseruator; adeóque cum ipso opifice, & inuentore, inuentor, opifex, & perfector. *& lucem mentis eius ostendunt.*

CAPVT

CAPVT XV.

Animi ex ornamento gratiæ decor diuinam etiam formam probat.

QVÒD si naturalis animæ venustas diuinæ pulchritudinis argumentum est, tanquam naturæ ipsius authoris & architecti, quanto illam probabit vberius eiusdem animæ à gratia profectus decor, quæ illam diuinæ naturæ ac dignitatis participem efficit. Alio quoque loco à nobis hac de re dictum est aliquid, sed ipsa rei præstantia omnem vincit orationem, adeò vt ne ipsos quidem Angelos putem aut cogitare posse, aut cogitata dicendo expromere, quibus satis æstimare possimus quanto gratia sit animabus ornamento, & ad quantam eas excitet dignitatem. Verùm vt nulla posset alia probatio reperiri, ista certè abunde sufficit, quod ipsemet Deus Opt. Max. prouidens præstantiam animæ gratiæ ornamentis instructæ, non dubitauit de solio maiestatis suæ demittere sese, humanam naturam assumere, & in ea facere ac pati, quæ fecit, ac perpessus est. Nónne hoc idoneum est argumentum omnibus ingeniis euincendis, & ad hanc confessionem eliciendam, diuinam Sapientiam negotium tam arduum, viam tam salebrosam, opus tam stupendum in rem vulgarem, exiguíque momenti, non suscepisse.

I. Animi supernaturalis pulchritudo. 2.Pet. 1.4. quàm dilecta Deo.

Viri principes non facilè iis rebus oblectantur, quibus capitur vulgus rusticanum; nec qui cibus horum palato sapit, illis sapit. Non dubitauit Augustus quendam carpere, à quo inuitatus ad cœnam, minùs splendidè acceptus fuerat, quàm tantam maiestatem decebat; illóque familiarem mediocritatem excusante, *Non putabam*, inquit, *me tibi esse tam familiarem*. Quin & M. T. suam accusat audaciam, quòd Hircio cœnam dederit sine pauone. Formæ quoque quas probant, non ex pago sunt, mortales requirunt Deas. Quæ igitur tanta venustas, tanta formæ dignitas esse potuit, quæ non ingeniosum aliquem, & emunctæ naris hominem, non primarium virum, aut principem illecebris irretiret, sed ipsum in cœlo imperantem Deum, tam immemorem efficeret maiestatis suæ, vt in gratiam animæ vnius, quæ diuina gratia ornata esset, probra ac dedecora inimicorum, adeóque plagas & verbera, sputa & alapas, sceptrum arundineum, & spineam coronam, crucis denique patibulum vltro, ac libenter ferre posset. O quàm verè dictum est à Poëta:

II. Viros principes vulgaria non delectant. Suet. l.9. ep. 20.

Non benè conueniunt, & in vna sede morantur
Maiestas & amor.---

Magnus est animæ naturalis decor, eique gratus, qui nil odit eorũ quæ fecit; is tamen non impedit, si diuina gratia defuerit, quin animam è

III. Quanto potior sit apud Deum gratiæ decor, quã naturæ. Sap. 11. 25.

conſpectu ſuo eiiciat, extrudat, exterminet, & in teterrimũ perpetuúmque carcerem præcipitem agat. E contrario ſi iſta gratia decorata fuerit, tam gratioſa eſt apud Deum támque potens, vt ad eius hereditatem, & gloriam ſempiternam certum ius habeat, atque legitimum. Eadem iſta diuinæ naturæ participatione tantam venuſtatem acquirit, vt Deus illam diligat, vt pater optimos atque obſequentiſſimos filios, & quaſi propriæ naturæ conſortes; denique vt perſonas ad tantum dignitatis, ac nobilitatis gradum euectas, nulla vt poſſit in terris cum eis de dignitate contendere. Itaque ancillulæ vnius anima, vel vno gratiæ ornata gradu, apud Deum, regum omnium ac dynaſtarum animabus dignitate præſtet, ſi ea fuerint deſtitutæ.

IV. *Aut alius quiuis huius vitæ decor.* Auri & argenti nitor ad illam gratiam, terra ſterilis eſt; lilia, roſæ, violæ ſordes ſunt; panni auro, argento, ſerico, gemmíſque illuminati, non admodum diſtant ab aranearum telis: carbunculi, ſmaragdi, adamantes, adeóque ipſæ ſtellæ in cœlo fulgurantes, vitrea fragmenta ſunt, rubro, viridíve colore imbuta: artes omnes, facultates, diſciplinæ, quin & ipſæ quoque virtutes, ad quas humana poſſit induſtria, labórque peruenire, ſi gratia illa defuerit, parum prouidæ aut ſanæ mentis ſtudia ſunt: quando magnus ille Iudex, & ſapientiſſimus rerum æſtimator hæc omnia nullo numero habet, nullo loco; quin potiùs hæc omnia faſtidiens ac deſpuens, in ſterquilinium abiicit, flammáſque ſempiternas, in quibus doctiſſimi quondam Philoſophi, Oratoréſque cruciantur.

V. *Ideóque prodigioſum eſt parui fieri.* Nihilominùs, ô rem prodigioſam, ſanguineíſque lacrymis deplorandam! tam parui fit à pleriſque mortalium, tam facilè illius iactura toleratur, quaſi tam ſpecioſum balſamum tantum infra res omnes foret, quantum ſupereminet vniuerſas. Quàm multi ſunt, qui pro re nihili peierabunt, diris ſeſe dæmonibúſque deuouebunt, ſimúlque amiſſa Dei gratia, illius hoſtes fient? Quàm multi leues immundáſque voluptates, & nunc diuinæ gratiæ, ſingularíque animæ ſuæ dignitati, & æternis olim deliciis anteponunt? Quàm multi, vrgente licet ſolenni ieiunio, vt ientaculo fruantur, aut cœna, Deo rebus ipſis, ſi non verbis dicunt. Ergo nuncium remitto amicitiæ tuæ, tuas tibi res habe, malo hîc cum diuite epulone genio indulgere, & aquæ guttam in tartaro æternùm implorare, quàm hîc breui moleſtia ieiunij defunctus, tecum in cœlo conuiuari. Quàm multi denique, vt cœtum aliquem malè feriatorum riſu exhilarent, obſcœna loquuntur, de aliena fama detrahunt, de diuinis rebus obganniunt, & inſulſum ridiculum diuinæ amicitiæ, & proximorum anteferunt charitati.

VI. *Adhortatio.* O inſana capita, & antiqui illius draconis artificio dementata, qui in Dei præpotentis iniuriam, veſtrámque peſtem coniuratus, rumpitur inuidia, illa vos amicitia frui, quam ille ſemel amiſſam nunquam recuperaturus eſt. Nolite eſſe tam improuidi mercatores, ne tantum animæ

vestræ damnum, ne tantam hosti omnium capitalissimo lætitiam, ne tantam Deo vestro iniuriam inferatis; Deo, inquam, vestri amantissimo, qui factus amator pulchritudinis animæ vestræ, atq; amicitiæ, philtra quæsiuit ac pharmaca, medias per lanceas & flagella, per clauos tribulósque, per vitæ suæ, ac famæ dispendia, in atroci crucis, tunc propudiosæ, patibulo. Præbe amicam illi aurem, qui studiosus decoris animi tui, eum vocat ad se, non vt eum laboris acerbitate conficiat, sed vt conuiuio nuptiali reficiat; asserit quippe delicias suas esse cum filiis hominum. Optat in te faciem sponsæ suæ contemplari. Huc enim pertinet illa vox, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Si acquieueris roganti, ostendet ille quoque suo tempore faciem suam tibi, cum lætitia, quam nulla seculorum longinquitas terminabit. Cant. 2. 14.

CAPVT XXII.

Dei pulchritudinem quamuis aliam eminenter continere.

I. Etsi bona maláve opera idoneum præbent testimonium bonitatis aut malitiæ, peritiæ aut imperitiæ authoris sui, iuxta illud Seruatoris elogium, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Licet specimen artis egregium, artificis præstantiam ingeniúmque demonstret, operis tamen perfectio nunquam satis ostendet, nedum æquabit nobilitatem ingenij eius, à quo profectum est opus: perfectiora enim in dies edet, atque lautiora. Corporeæ omnes vires certis definitísque limitibus continentur. Sol, Luna, stellæ, tantum luminis proferre possunt, nec amplius. Ignis tantæ magnitudinis, tantum calorem excitat, nec ampliorem. Equus tantum stadium decurrere, tantum onus ferre potest, non maius, nisi velis eum non solùm sub onere gemere, sed etiam frangi. Homo ad tantam vsque magnitudinem excrescere potest, nec minori paruitate contineri. Neque enim fando auditum est vnquam homines extitisse, qui vel montes æquarent magnitudine, vel paruitate formicas.

Matt. 7. 16. 20.

Corporeæ vires definitæ.

II. Non eadem est ratio virium spiritalium, quæ infinitum pene incrementum accipere possunt, vt ipsa experientia facilè deprehenditur. Quo studiosiùs memoria discendo exercetur, hoc facilius plura discere, & retinere potest: nisi fortè ipsa organa quibus vtitur, & quæ lædi vt corporea, corrumpíque possunt, aliquod impedimentum afferant. Voluntas nunquam volendi, aut desiderandi finem facit, donec ad infiniti boni complexum peruenerit. Intellectus quo altiora subtilioráque penetrarit, quóq; ingeniosiora excogitarit, eò acrior euadit, prōptior, atque subtilior ad sublimiora percipienda, & perfectiora excogitāda. Id

Non sic spiritalis.

Theologiæ, Philosophiæque doctores experiuntur, in id mathematicis disciplinis, earúmque instrumentis quotidianum est. Intellectus enim omnia illa inuenta, aliáque plurima continet eminenter, nec vllum eorum, ac ne omnia quidem in vnum congesta vim eius adæquant, aut inuentricem facultatem exhauriunt.

III. *Multóque minus diuinæ perfectiones.* Id si in rebus creatis verum est, quanto erit verius in ipsarum molitore Deo modis omnibus infinito? Itaque obsecro te, pie lector, per illum ipsum Dominum, ne illam cogitationem suscipias, ea quæ nos de diuina pulchritudine diximus hactenus, ex eiúsque operibus collegimus, vllo modo ad eminentissimam, planéque infinitam illius dignitatem accedere. Infinitis enim partibus omnem orationem cogitationémque transcendit, redditque omnes diuinorum operum perfectiones, quæ sunt, aut esse possunt, si cum Creatore componantur, viles, abiectas, atque despicatas. Finiti enim ad infinitum est infinita distãtia, Eóque illud Esaiæ referri potest, *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Tanta est ergo Dei pulchritudo, vt non solùm contineat nobiliore quodam modo omnem speciem ac dignitatem rerum omnium conditarum, quæ corporis oculis, mentísque cerni possunt, id enim totum, vt ait Propheta, *quasi nihilum & inane est*, sed amplectitur præterea immensum Oceanum inæstimabilis, nec communicabilis perfectionis suæ. Omnia in eo infinita sunt, omnia vnus Deus, optimus, maximus, pulcherrimus, atque potentissimus.

Cap. 40. 17. 18.

quæ in Deo eminenter sunt, & infinita.

IV. *Id similibus illustratur.* Sic flumina omnia, quæ ex vniuersis mundi regnis atque prouinciis in mare se mediterraneum, aut Oceanum exonerant, vix aliquam tantæ aquarum immensitatis partem efficiunt; quòd si casu aliquo funditus exarescerent, ne tantillum quidem minueretur Oceanus. Sic stella quælibet primæ magnitudinis, imò astra omnia toto sparsa firmamento, vix instar habent aliquot gemmarum nostratium, ad vastissimam amplitudinem ipsius firmamenti, vbi fixa sunt omnia, & in quo innumerabilibus aliis spatium inane relinquunt. Sic stolo aliquis arbori adnascens, nihil est ad syluam Arduẽnam, aut Hercyniam, nihil quoque vna vel altera scintilla ignis, ad Babyloniam fornacem, ex qua flammarum globi, ad quadraginta nouem cubitos, cœlum versus erumpebant.

V. Verùm hæc incrementa multo maiora, potioráque sunt in Deo, qui nobiliore multo, atque eminentiore modo omnem creatarum rerum decorem continet, quàm Oceanus, aut firmamentum, quæ stellam, vel aquæ cyathum reipsa continent. Nempe quo modo si scriba egregius, graphio ritè aptato, ductus aliquot scitos & elegantes in charta describat, charta hæc habebit reipsa ductum illorum elegantiam, sed manus & mens eos continent eminenter, id est plenius multo, atque perfectius. Sic Sol calorem continet, & humorem Luna, licet neque hæc humida

ſit, nec ille calidus. Quæ comparatio omnibus Dei operibus aptari poteſt, habita ratione facultatis, quæ in eo reſidet, ad multo maiora melioráque efficienda, adeóque plura, quàm vel oculus cernere, vel auris audire, vel odoratus olfacere, vel guſtatus percipere, vel tactus deprehẽdere, vel imaginatio figurare, vel mens capere poſſit, quæ vera pulchritudine, intra vel extra cœleſtes orbes, mundúmque commendentur.

VI. *Apoſtrophe pro contemptu terrenæ formæ.*

Cur igitur ita malè ſapiã, vt caducis hiſce formis, oculos patiar, mentémq; diſtineri, quas fere obtinere, quibus vti fruique non poſſum, cùm poſſim tanto vtilius, & debeam tanto iuſtius, corpus & animũ in dilectione tui occupare ô Deus meus, dum expecto vt immenſa pulchritudine tua perfruar, & ſimul omnium ſeculorum decore, qui in te cumulatiſſimè reperitur, ô æterna, ô vniuerſa, ô incomparabilis pulchritudo, quæ ſola potes reſtinguere ſitim cordis mei, exſatiare omnes appetitus meos, & omnes animi corporíſque mei facultates abſorbere. O ſplendor gloriæ, ô candor lucis æternæ, in cuius contemplatione immortales illæ mentes hærent ſtupore defixæ, incedunt omnibus lætitiis, immenſa vndique voluptate perfunditur.

VII. *Ab ea aſſurgendum eſt ad diuinam.*

Quòd ſi quando me mortales iſtæ caducæque formæ morabuntur, volo ac ſtatuo iis quaſi gradibus ad illam tuam aſcendere, & veriſſimam hanc conſecutionem elicere, ô quanto pulchrior eſt, quantóque coruſcat amabilius pulchritudo Dei mei, ex qua tanquam è fornace prodiit iſta ſcintilla! quanto pluris eſt ipſa latiſſimè patens auri fodina, hoc teſtaceo vaſe inaurato! quanto præſtat fons aquæ viuæ exilientis è rupe, cyatho aquæ argenteæ inde hauſtæ! quanto potior eſt in altiſſimis montibus congeſta glacies à quinquaginta ſeculis, & in cryſtallum concreta, globulo vno, poculove cryſtallino! Si quando videro inſigne aliquod ingenij, vel artis inuentum, vel opus eximio artificio elaboratum, nónne ratio exigit vt exclamem, ô pulcherrimum poëtæ vel oratoris ingenium! ô eruditam egregij pictoris, aut ſculptoris manum! Animaduerſa igitur tam pulchrè gemmis ornata facie firmamenti, aut hortis amœniſſimis tanta florum varietate picturatis, quidni exclamem, O quanta eſt Dei mei pulchritudo, à quo tantus decor, tantáque venuſtas, quaſi aliud agente aut ludente producta eſt! Hæc enim ille obiter quaſi *ludens in orbe terrarum* profudit: quales ſunt excurſiones mentis & manus fidicinis inſigniter eruditi, nobiliſve pictoris, rei alicuius imaginem in artificioſo carbone adumbrantis, cui, cùm libuerit, in promptu eſt opera politiſſimæ elegantiæ in lucem edere.

Prou. 8. 30. 31.

CAPVT XXIII.

Ex præstantissima specie Seruatoris, diuina quoque pulchritudo colligitur.

I. *Vt pluris est homo apud Deum quàm creata omnia.* In Genes. Gen. 1.

BASILIVS magnus, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, aliíque sancti Patres obseruant in productione rerum, quæ primis quinque mundi diebus facta est, Deum satis habuisse imperare vt res illa fieret, qui mos est præstantium artificum in rebus minoris momenti, *fiat*, inquit, *lux*; *fiat firmamentum in medio aquarum: fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem*; *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.* At cùm producendus fuit Dominus & gubernator aspectabilis huius imperij, tanquam in magni momenti negotio concilium cogit, & ait, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Significabat nimirum se cæteris rebus producendis, tenuia quædam suæ dignitatis vestigia imprimere voluisse, & quasi obscurum sui simulacrum carbone designare: in homine autem viuam ac spirantem imaginem ostentare, in eáque tanquam in re, in qua felicia ingenia obstupescant, præstantissimos quosque diuinæ sapientiæ ductus repræsentare.

II. *Sic Christus quàm cæteri omnes sancti.*

Idem possumus de spiritalibus dotibus ac deliciis dicere, quas magnus ille Dominus hominibus dispertiit, pro dignitate finis ad quem illos, tam in hac, quàm in futura vita destinabat. Volo, inquit, illum sanctum esse, & ad tantum gratiæ, aut gloriæ gradum peruenire, & in ecclesia mea tam militante, quàm triumphante tanquam primæ magnitudinis astrũ splendescere; istum autem vt secundæ, aut tertiæ; illum vt Solem, illam vt Lunam clarescere: in quibus non magna deliberatione opus fuisse videtur. At quando ille nouus homo, ille secundus Adam, adeóque primogenitus omnis creaturæ, ille dilectus æterno patri filius, illud mirabile specimen diuinæ sapientiæ, atque bonitatis, illud exemplar absolutissimum omnis perfectionis, illud sacrarium omnium paternorum thesaurorum, cui singulariter conuenit illud elogium, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, tum demum, quasi coacto concilio, Verbo suo, ac Spiritui sancto dixit, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quasi diceret, *Maior rerum mihi nascitur ordo, Maius opus moueo.* ---- cui nihil vsquam fuit eritve, quod absolutione vlla comparari possit, nihil dignius patris amore singulari.

Matt. 3. 17.

III. *Id declaratur tam ratione animæ ipsius.*

Quando igitur producendus fuit supremus secundùm Deum princeps omnium electorum, idémque verissimum caput vniuersæ spiritalis, corporatæque naturæ, idem Rex aspectabilis Hierosolymæ cœlestis, idem magni concilij angelus, idem princeps pacis, & autor futuri seculi:

quando augustissimum illud opulentissimúmque diuinitatis templum, ipsius Dei manu condendum fuit, tunc demum omnes valuæ cœlestis ærarij apertæ sunt, effusique omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, gratiæ, bonitatis & pulchritudinis Dei; sine pondere, numero, aut mensura: quia *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius.* Oportuit omnia retro secula conferre operam suam ad prænunciandū, vel adumbrandum Regem omnium seculorum. Sancti enim Patriarchæ & Prophetæ, pro sua quisque parte, hic sapientiam eius, ille fortitudinem; hic potentiam, ille pulchritudinem; hic patientiam, ille mansuetudinem, & vniuersi particulam aliquam attigerunt immensarum perfectionum, quibus munificentissima Dei manus nobilissimam, pulcherrimam, ac beatissimam Christi Domini animam exornauit, ac ditauit. Quæ sunt igitur perfectiones, quæ obsecro thesaurorum spiritalium amplitudo eius, qui profudit hæc omnia, in amantissimum filium, sine vlla suorum diminutione bonorum? Ioan. 3. 35.

Sed ipsum quoque corpus, externámque speciem intueamur istius *Speciosi forma præ filiis hominum*, istius candidi & rubicundi, electi ex millibus, cuius caput aurum optimum, & comæ eius sicut elatæ palmarum. Coniiciamus oculos in illam imaginem perfecti decoris, faciem, inquam, Seruatoris mundi, non qualem aliquando vidit Esaias, cùm non esset ei species, neque decor. *Et vidimus eum*, inquit, *& non erat aspectus; & desiderauimus eum; despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Non qualem cernimus in cruce pendentem, & nostri causa vmbra mortis obtectum, fœdis oblitum sputis, ad sordes animi nostri purgandas, & sanguineo sudore madentem, in signum conciliatæ nobis animæ, corporísque sanitatis. IV. *Quàm corporis gloriosi.* Psal. 44. 3. Cant. 5. 10. 11. Esa. 53. 2. 3. 4

Sed qualem potiùs Petrus in Thaboræo monte vidit, cum gaudio de tam mirabili spectaculo extra se positus exclamauit, *Bonum est nos hîc esse*; aut qualem vidit beatissima eiusdē Seruatoris mater ab inferis cum gloria rediuiuum, aut beati angeli in die ascensus ac triumphi sui, cuius contemplatione attonitos, mutuóque rogantes audiuit Esaias. *Quis est iste*, inquiebant, *qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Quis est iste princeps in veste inimicorum sanguine cruentata, iste Bosræ metropolis Idumææ populator, qui in militari chlamyde splendidus, triumphali graditur incessu? Qualem ergo apparuisse dixerimus, qui perpetuos Dei spectatores angelos admiratione perculerit? V. *Quale apparuit in Thaboræo monte, vel ascensione.* c. 63. 1.

Reponite igitur ob oculos mentis vestræ, ô religiosæ animæ, quas castissimus amor sponsi, ac Seruatoris vestri possidet, pulchram illam Nazaræi vestri cæsariem, ad humeros vsque magnificè fluctuantem, ibique se in mille annulos sua sponte recuruantem: tum frontem illam latam atq; exporrectā, mundicie niueam, cādore alabastritem, rugæ ac maculæ VI. *Eiusdem descriptio.*

omnis expertem, vtrimque incuruam, & quaſi circino circumductam, flauo & mollicello capillo terminatam. Oculos deinde aptæ magnitudinis, acres, viuidos, grata luce, illecebríſque pleniſſimos: tum naſum decorè figuratum, tam latitudini frontis, quàm reliquæ faciei æqualem: os quoque corallinum gratiſſimæ ſuauitatis, ex quo verba vitæ æternæ defluebant; verba quæ animas ex inferis educebant, pulſóſque ex corporibus dæmones in inferos abigebant, qui animarum intima peruadebant, omnéſque morbos momento pellebant.

VII. *Per partes ſingulas.* Videte gratiam renidentium genarum, & in eis album rubore dilutum; & barbam ſubflauam, & comæ congruentem bipertitò ſectam, totam denique faciem plenam ſpiritus ac maieſtatis, & incluſam diuinitatem ſpirantem, faciem imperio cœli ac terræ dignam, amore, cultu, & veneratione omnium rerum creatarum longè digniſſimam. *Eſt exẽplar pulchritudinis omnium humanorum corporum.* Quid dicam totius corporis celſum & erectum ſtatum, & membrorum omnium accuratiſſimam proportionem? vt meritò dici queat omnium humanorum corporum ſingulare prototypum, & abſolutiſſimum exemplum; ideóque Adamus alter, priore intus ac foris longè perfectior: poſtremò ſpecimen bonitatis ac ſapientiæ Spiritus ſancti. Sed quale pulchritudinis incrementum ſumunt hæc omnia, ſi addiderimus aut oſtenſam in Thaboræo monte gloriam, aut ſplendorem reſurgentis, aut maieſtatem in cœlo empyreo ita coruſcantis, vt alio ſole non egeat, ſed lucerna illius ſit agnus? *Apoc. 21.23* Quis intellectus à tanta gloria non opprimatur? quis amor in contemplatione talis obiecti non exardeſcat? multóque etiam magis in contemplatione diuini Verbi, tanto, vt de vero Deo ſentire par eſt, omni re creata pulchrioris, quod hanc humanitatem inhabitans, ſuper reliquas omnes ſpatiis extulit infinitis. *Quid ergo ipſum Verbum diuinũ?* Qualis eſt ergo, Deus immortalis, eius pulchritudo, qui diuini Verbi incarnationem molitus, tantis eam gratiis cumulauit.

CAPVT XXIV.

Eadem poſtremò ex auguſtiſſimæ Virginis decore colligitur.

I. *B. Virgo præ Sanctis omnibus ornata.* NON admodum diſſimilia his, quæ de filio dicta ſunt, de matre quoque Dei genitrice dici poſſent, de illa, inquam, auguſtiſſima cœli, terræque regina, quantum quidem noſtra infirmitas intelligendi, explicandíque diuina myſteria ferre poteſt. Sanctiſſimi enim Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, cæterique amici Dei, electi reuera fuerunt à Deo, & tanquam minores natu filij, non modica bonorum cœleſtium copia locupletati ſunt, vt tanto parente dignum fuit. At ſi de illa diſſeramus, quæ ab initio & ante ſecula creata eſt, *Prou. 8.* quæ ſe ab æterno fatetur ordinatam,

ordinatam, & conceptam antequam essent abyssi, aut fontes aquarum erupissent, quæ parturiebatur antequam montes graui mole consisterent; quæ dum æterna sapientia præparabat cœlos aderat, & quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum; quæ denique vna cum Incarnato Verbo prædestinata est vt illius parens, proh quanto maioribus diuinarum gratiarum thesauris præ illis omnibus cumulata est! quanto ad sublimiorem gloriam destinata!

II. *Vt Dei mater.*

Nimirum sponsa dilectissima longè maiorem sponsi amorem, potioràque dona promeretur, quàm famulus vllus, aut vniuersa omnino turba famulorum. O quantus decor & elegantia, quantus gratiarum apparatus à principio destinatus est, & in plenitudine temporum collatus illi matri pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, illi benedictæ inter mulieres, illi speciosæ sicut columba, quæ ascendit desuper riuos aquarum, cuius vestimenta inæstimabili odore fragrant, & sicut dies verni circundant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Par erat vtique istam angelorum reginam, proportione regis filij sui, extra ordinem cæterorum sanctorum eligi ac prædestinari, & prærogatiua singulari ab omni macula immunem seruari; decorum erat suprema quadam sanctitate, & excellentissimis gratiarum ornamentis effuse decorari dominam ac reginam sanctorum omnium: & super omnes euectam inæstimabili gloria coronari. Eccli.24.24 Cant.5.12.

III. *Et ius quoddam habens in bona filij.*

Hæc est illa domina, & imperio principali mulier, quæ omnium filij sui bonorum & gratiarum facta est particeps, prænunciata per Prophetas vt ipse, & omnium illustrium fœminarum, vt ille heroum, veteris testamenti figuris demonstrata. Illa figurabat virginitatem eius, ista fœcunditatem; illa magnitudinem animi, hæc formositatem; illa mansuetudinem, ista patientiam singularem: fuit quæ eam sapientia sua, solertiáque adumbraret, fuit quæ magnificentia, quæ demissione animi, quæ gratitudine, quæ modestia repræsentaret, & in eo denique, quod facta est causa nostræ lætitiæ, & benedictionis æternæ. Nimirum minores erant singulæ, atque adeo vniuersæ, quàm vt eam satis pro dignitate repræsentarent.

IV. *Oratio ad filium & parentem.*

O fœmina princeps! ô diuine infans! ô sancta mater! ô fili sanctificator. O speciosissime princeps, vnica paternæ dignitatis imago, ô nobilis heroina, imago præstantissima decoris, & gratiæ filij tui. Gemina pulchritudo, quæ longissimo interuallo anteuertit quidquid est perfectionis & excellentiæ in omnibus legionibus angelorum; quidquid est gloriæ in omnibus Patriarchis & Prophetis; quidquid est meriti in omnibus Apostolis, & Euangelistis; quidquid fuit constantiæ & magnitudinis animi in fortissimis sanctorum martyrum legionibus; quidquid fuit pietatis ac religionis in omnibus sanctis Confessoribus, Monachis, & Heremitis; quidquid puritatis & innocentiæ in omnibus sanctis Virgi-

nibus, quidquid sanctitatis, decoris, & perfectionis in omnibus sanctis, & amicis Dei. Elaborate, obsecro, ambo in perpoliendis animabus nostris, familia quippe vestra sumus, nec decet in conspectu tam augustæ maiestatis famulos non specie liberati præditos atque eximio decore versari, nedum fœdos, maculosos, stupidos ac vecordes.

V. *Et nominatim ad filiũ.* Nabuchodonosor ille Babylonius Imperator non aspernabatur habere in ephebis honorariis filios captiuitatis Iuda, de semine regio, ac tyrannorum; sed eos volebat esse sine macula, & regio cibo enutritos sibi assistere, ad omne obsequium, & iussionem paratos. Ecce nos filij captiuitatis sumus, filij Adæ perduellis quondam tui, quem constitueras principem orbis terrarum, quos non respuis habere famulos, qui tibi semper assistant, laudes tuas prædicent, iussa exequantur, & quos regio subinde cibo, & pane supersubstantiali educas; Da ergo quæsumus operam vt sine macula simus ante te, ne moueamus tibi stomachum, sed decori potiùs acceptique tua benignitate reperiamur. *Conclusio.* Vt ergo redeamus in viam, & totum hunc locum, ad cuius peruenimus exitum, concludamus, tanta diuinissimæ Virginis pulchritudo, quæ vni Deo, eiúsque Vnigenito duntaxat cedit, præterea nemini, illustre omnino dat testimonium diuinæ speciei, à qua tam Sol ille iustitiæ, quàm hæc macularum expers Luna omnem suam pulchritudinem, perfectionem, nobilitatem acceperunt.

Tertij Libri finis.



LIBER QVARTVS,

Quæ est tertia de Amore diuino Disputatio,

Et alterum ad diligendum Deum incitamentum, nimirum diuina Bonitas.

CAPVT I.

Aditus ad disputationem de Bonitate Dei.



QVI è mediterraneo mari ad oceanum Atlanticum, vltra columnas Herculis transmittunt, aut qui magnam eiusdem oceani partem emensi, sæuientis leonis rugitus ad bonæ spei caput audierunt, inde lecto altero Africæ littore, Arabicum sinum, Persicúmque transgressi, Indos ad ortum Solis, móxque ad occasum, Americos Brasilósque animosè penetrant, iustam plerumque legitimámque reperiunt timendi materiam, dum ab vno ad alterum mare pertranseunt littoribus procul ac terris, nec periculosos insanientis oceani fluctus deuitant, sed in periculosiores, magísq; turbulentos mutant; horrendis nimirum naufragiis infames; quamuis firmissimis nauibus, scientissimísque naucleris instructi sint, qui cursum tam arduum, támque olim insolentem tenent. Audent tamen omnia, rati nauigationem vnam, si prosperè cesserit, omnia damna, iacturásque compensaturam. Tam sæuum atque impotens auri sacra fames in mortales exercet imperium.

I. Transitio simili explicata.

Nobis autem, lector beneuole, in nauigatione hac, non ad vellus aureum, aut Peruanas opes auferendas suscepta, sed ad diuinum amorem acquirendum & amplificandum, nónne formidandum est à mari ad mare transmittentibus, & ab immenso oceano, transcurrentibus ad alterum, cuius neque littus, neque fundum reperiri possit? Infinitus est enim oceanus diuinæ pulchritudinis, infinitus quoque diuinæ bonitatis, adeóque infinitior, si ratio nostræ cognitionis habeatur. Sed rectiùs dixerimus, vt arbitror, & omnia illa ma-

II. Proprio accommodatur argumento.

Omnes diuinæ perfectiones sunt vna eadémque res. ria esse vnum mare, vt quæ per diuersa freta, qualia sunt Gaditanum, Constantinopolitanum, Magellanicum, Anianum, & si qua sunt alia, communicant inter sese: & omnia attributa perfectionésque diuinas, vnicam esse reipsa perfectionem infinitam, vnicam essentiam, & diuinitatem, quæ satis amplum suggerit fundamentum omnium absolutionum, quas in rebus creatis reperimus, bonitatis, pulchritudinis, sapientiæ, liberalitatis, iustitiæ, misericordiæ, potentiæ, gloriæ, magnitudinis, & ita de cæteris. Eadem diuinitas fructuosa est, & conueniens omnibus, & ab omnibus quasi bonitas expetitur: delectabilis est vt pulchritudo, gubernatrix vt sapientia: bona sua effusè largitur vt liberalitas, suum cuiq; instar iustitiæ tribuit, sucurrit miseris vt misericordia, magna opera & mirabilia perpetrat vt potentia; deniq; plena est omnibus bonis, talisque agnoscitur ac prædicatur, quæ vera est, germanáque gloria.

III. *A propria nobis tenuitate timendum.*

Verùm vt eò redeamus, vnde modicè deflexit oratio, non exigua subest nobis timoris, in hac noua nauigatione materies, nauclero præsertim, in vitæ spiritalis oceano, parum exercitato, maléque à commeatu diuini Amoris, quem ambimus, instructo; cùm tamen hunc amorem sine ipso acquirere nequeamus. Sicut Indicæ opes, quæ magnos sumptus exigunt, sine Europæis comparari non possunt. Infirma quoque est ab ætate nauis, in qua vela facimus, nec idoneis armamentis instructa: deest enim & in intellectu doctrinæ copia, & quod caput est, in voluntate eximius pietatis affectus, qualem agnosco in optimis seruis tuis, Deus meus. Quòd si ventus Spiritus sancti tui vela nostra sinuare cessauerit, & contrà ventus vanitatis infuderit sese, non solùm periclitabimur, ne totius nobis nauigationis labor irritus fiat, sed etiam ne nauis in aliquos erroris scopulos impingat, aut humanorum respectuum arenis illidatur, aut amaris diffidentiæ fluctibus obruatur.

IV. *Defensio vel excusatio. Deo omniũ rerum laudem esse debitam.*

Sed illud quoque recordare, Domine Deus meus, non vsque adeo indecorum esse, non bonos celebrare bonitatem tuam, qui experti sunt iampridem, quotidiéque experiuntur amantissimos effectus bonitatis tuæ, vel in longinquitate patientiæ erga se tuæ. Itaque ad eam prædicationem se obligatos sentiunt titulo iustitiæ, & memoriæ non ingratæ. At enim, num ignoramus illud Dauidicum? *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. 49.16.) Aut illud Sapientis, *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* (Eccli. 15.9.) Rectè sanè, si in malitia sua obdurauerit, & respuat emendationem. Itaque addit apud Dauidem Dominus, *Tu verò odisti disciplinam*, vitam videlicet ex virtute, quam ore tenus simulatorum more celebrare pergis. Quæ eadem causa est cur Dei filius, ne vera quidem de se prædicare dæmones sinebat. Quòd si speciosa non est laus in ore peccatoris, est tamen etiam in eius ore iusta, Deóque multis nominibus debita. Cùm autem audiamus à Prophetis creata omnia ad Deum laudandum inuitari, nos qui eo numero continemur, de Deo nec tacere possumus, nec debemus. (David Psal. 148. Daniel. c. 3.)

Scio equidē improbos laudare sui similes, sicut & diligere; nec honori esse viris bonis commendationē, ex improborum ore profectam: deteri potiùs eorum famam, & in controuersiam vocari. Sed id in virtutum mediocritate contingit, in bonitate communi atque vulgari. Nam tantus est aliquarum virtutum splendor, tam heroïca bonitas nonnullorum, tantúmque supergressa merita illorum, qui vulgò viri boni audiunt, vt extincta omni inuidia, magnitudine sanctitatis, ad eorum commendationem, & admirationem vniuersi compellantur; ne si homines tacuerint, lapides loquantur. Quòd si id illustribus quibusdam sanctis contingit, quorum præsertim virtus minimè dubiis est testata miraculis, quanto laus illa iustior in prædicatione bonitatis infinitæ, ex qua bonitas omnis efflorescit, quanto minùs obnoxia erit calumniæ, si vel dæmones omnes, vel tartareis addictæ suppliciis animæ ab inferis egressæ, maledicta in honoris titulos, & execrandas voces in Cantica laudum commutarent? V. *Etiam peccatorum.*

Oramus itaque te Domine, ac per illam ipsam bonitatem, quam celebrare cupimus, enixius obsecramus, vt in suscepto in laudem bonitatis tuæ labore, & mirabilium effectorum eius, adesse propitius ne graueris. Ne illam quæso nobis gratiam recusa, quam, vt ea seruiamus tibi, humiliter postulamus. Iniice in animas nostras diuini amoris igniculos, quibus mens nostra, & eorum, qui ista fortè legere voluerint, plenius illustretur, & voluntas ad eandem bonitatem amandam incalescat, quæ nunquam pro dignitate laudabitur, aut diligetur. Nam si soli boni & sancti laudare te, & mirabilia tua celebrare debent, solos oportebit loqui cœlites, & vniuersis terræ ciuibus silentium imperare. Scriptum quippe est, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* & contra regius Psaltes, vtique non iniussus, imperat, vt *omnis spiritus laudet Dominum.* VI. *Petitio auxilij.* Eccl.7.21. Psal.150.6.

CAPVT II.

Quid sit Dei bonitas in seipsa, quámque amabilis.

QVANDOQVIDEM maximum, potentissimúmque nostri in Deum amoris incitamentum est ipsius bonitas, amor autem in rē incognitam ferri non potest, aliqua nobis diuinæ bonitatis cognitio, scientiáque perquirenda est, aut elaborandum potiùs vt magnos in ea progressus habeamus, ne nostræ in summum illud bonum voluntatis motus laxus sit atque frigidus, tandémque facilè euanescat; sed in illud potiùs omnibus intelligentiæ, voluntatísque viribus incumbamus. Hæc scilicet magno quondam Augustino causa gemitum ac querela- I. *Ad Dei amorem necessaria cognitio bonitatis eius.*

rum fuit, non solùm quod tamdiu vanitatem adamasset, sed quod tam antiquam, támque amabilem Dei sui bonitatem tam sero cognouisset. Et quamuis fœlicitas vitæ huius in Dei amore, & charitate consistat, certum tamen est æternæ sapientiæ illud elogium. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Nimirum porta cœli, & aditus ad fœlicitatem est veri Dei cognitio, & redemptionis humanæ per Vnigenitum eius.

Ioan. 17. 3.

II. *Gemina bonitas, absoluta & relata. In quo sita sit prior.*

Vt ergo hinc disputationis huius ducamus initium. Bonum duplici ratione considerari potest; primò in seipso naturáque sua, sine vllo ordine, aut relatione ad quidpiam aliud extra se, secundò cum relatione quadam ad aliud, cui bonum illud rectè conueniat, de quo dicemus aliquanto pòst. Primum illud in perfectione, atq; absolutione rei in seipsa consistit. Nulli enim rei bonum est imperfectum esse; itaque natura quod in quáque re mancum est, aut mutilum auersata, integritatẽ quærit. Et esse quidem, nihil præter ipsum esse dicit, bonum autem id esse dicit, quod habet quidquid illius naturæ conditio postulat, cui si accesserit vt agnoscatur, pulchritudo dicetur. Hæc bonitas in Deo summa est atque perfectissima; nulla enim perfectio, quæ diuinæ naturæ cõueniat, in eo desiderari potest; imò eas omnes, quæ animo fingi possunt, magnificè, excellentérque continet: nec aliunde vlla ratione pendet, neque vlli subest diminutioni vel incremento: omnes autem continet, vi vnius dumtaxat essentiæ, ac naturæ diuinæ.

III. *Vt diuina bonitas à creata differat.* Vide Less. de Perf. d. l. 7. c. 1.

Contrà verò creatæ res omnes, quantamcunque bonitatem ac perfectionem habeant, ab illo primo, perfectissimóque actu pendent, tanquã omnis boni atque perfectionis inexhausto fonte; sicut stellarum lumen à solari luce pendet, quam Sol à nullo alio corpore lucido mutuatur. Et sicut Deus à nullo pendet, ita neminem habet, à quo ipsius perfectio certis limitibus finiatur, aut qui ipsum certo quopiam in genere constituat; at diuina sapientia definit, ac constituit res creatas, earúmque bonitatem, quantam, quóque modo illi visum fuerit. Cúmque absolutissimarum creaturarum perfectio, ex multis earum actibus habitibúsque, tam intellectus quàm voluntatis conficiatur, diuina perfectio in sola ipsius essentia residet, quæ nullam mutationem, nullam accessionem, vel decessionem admittit; est enim ens omnino necessarium: nostra verò bonitas omnis atque perfectio aduentitia est, itáque & crescere potest, & diminui, & omnino deficere.

IV. *Bonitas prior est quã eius communicabilitas.* Vasq. di. 23. in pr. p. c. 2.

Hæc est bonitas, quam Deus ex seipso habet, & in se, haberétque, licet rebus creatis communicari non posset. Vt enim ponamus nihil omnino produci posse, si nihilominùs posuerimus Deum, illum vtique bonum in seipso, perfectúmque ponemus. Magis enim necessarium est Deum esse, quàm aliqua creari posse; hæc enim creandi potentia diuinum esse ponit, ac requirit. Denique Deus bonus non est, quia conuenit rebus creatis, sed contrà, quia bonus est, conuenit rebus à se condi-

tis. Sic medicus non ideò doctus est, quia difficiles morbos curat, sed ideò grauibus morbis medetur, quia est insigniter eruditus. Neque Sol ideò magno splendore fulget, quia magnam hanc mundi molem illuminat, sed ideò lucem aliis communicat, quia lucidus est in seipso. Neque imperator ideò sapientia & fortitudine præstat, quia multis in præliis victor euasit, sed vice versa victorias crebro consecutus est, quia eximia sapientia & fortitudine præditus est.

V. *Est per se summè amabilis.*

Hæc ergo diuina bonitas cùm summa sit, nec vllam habeat rerum vniuersitas, quàm illi conferre possit, summè quoque amabilis est, eóque amore, qui omnem alium amorem longè transcendat, vt diligi par est fontem ipsum inexhaustum omnis boni; amore purissimo, perfectissimo, quique nulla ratione ad amantis, aut cuiusuis rei creatæ vtilitatem inflectatur, nisi quatenus illo summo bono continetur: amore quo triũphemus gaudio Deum talem ac tantum esse qualis & quantus est: quo gratulemur ei quod sit actus omnino primus, primáque perfectio, princeps bonum, quod à nullo alio pendeat, & à quo pendeant vniuersa. Gaudeamus ergo bonitatem eius & perfectionem esse capacitatis immensæ, & omnem aliam, quæ vel esse, vel animo fingi potest, complecti, & omninò quam latè patet ratio entis extendi, sine vllis finibus exporrigi, sine vllo modo diffundi. Mirificè illa contemplatione capiamur, quòd omnem perfectionem sola sua & simplici natura continet, sine accessione alterius cuiusquam rei. Itaque sicut sua illi natura auferri non potest, vt quæ necessariò existit, ita bonitas eius nullam mutationem, varietatem, accessionem aut decessionem pati potest. Denique mortalibus omnibus, Angelísque, adeóque rebus omnibus creatis, gratulemur de tanto, támque admirabili Domino, ac principe: eiúsque bonitatem imitantes, propter illam ipsam bonitatem boni esse conemur, nullo aut timore pœnæ, aut amore mercedis, aut alia quauis cogitatione incitati.

CAPVT III.

De Dei bonitate ad res creatas, quarum est bonum, relata.

I. *Quid sit esse alterius bonum.*

CONSEQVENS esse nunc videtur, vt hanc Dei bonitatem ad res ab eo conditas relatam contemplemur. Eam vt rectiùs agnoscamus, intelligendum est bonitatem, quæ ad aliud quippiam refertur, in quadam cum illo conuenientia positam esse; sanitas enim bonũ est animalis, & oculi visus, quia & aspectus oculo rectè conuenit, & integra valetudo animali: & contra morbus malum est animalis, & cœcitas oculi. Quî enim conueniant istæ priuationes subiectis suis, quorum naturales

impediunt functiones? Eodem modo Solis bonum est lumen, & ignis calor, & sitientis potus, & esurientis cibus. Idémque valet in moribus. Actio enim rectæ rationi consentanea pulchrè illi conuenit: itaque huiusmodi actio bonum est rationis, & quod cum ratione pugnat, malum est naturæ ratione vtentis, non secus ac surditas auris, aut oculi cœcitas.

II. *Idémque esse geminum, vt formam.* Illud quoque animaduertendum est, geminum esse bonum quod alteri congruit. Vel enim qualitas quædam, aut forma est, subiecto cuipiam aptè congruens, vt de animalis valetudine dicebamus, & de pulchritudine faciei, aut floris dicere possumus; hæ enim formæ seipsas subiecto præbent, & seipsis illud perficiunt, bonúmque reddunt: vel certè *vt efficientē.* causa quæpiam efficiens est, quæ subiectum benè afficit, déque eo benè meretur, & bonum eius rectè dici potest, vt doctor scholastici bonum est, & vinitor industrius vineæ. Illa bona accidunt subiectis, ista etiam substantiis conueniunt, & vtrorumque proprium est Appeti, quandoquidem, definiente Philosopho, *Bonum est quod omnia appetunt*, additque, vnumquodque desiderare quod sibi conuenit. Vtroque autem modo dici potest Deus bonus rebus creatis, vt ipsarum bonum; & insuper quatenus est vltimus ipsarum finis, quem intuentur, ad quem referuntur omnes, sicut omnes ei bonitatem suam acceptam ferunt.

l.1.Eth. D.Tho.1.p. q.5.a.4. *Deus tripliciter bonus rebus creatis.*

III. *Per seipsum quasi per formam.* Quòd ad priorem illam bonitatem attinet, minimè dubium est Deum non esse qualitatem, aut accidens, est tamen ex seipso, & per seipsum bonum rerum omnium. Id ita intellexit ac professus est magnus Augustinus, cum multis bonis enumeratis ita concludit. *Quid plura & plura? bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.* Vult hic sanctus Doctor, vt Philosophorum more, actione intellectus nostri formam à subiectis separemus, & bonitatem nudam à rebus bonis segregatam atque abstractam cogitemus, talémque intelligamus esse Dei bonitatem, ab omni concretione liberam, omnis restrictionis, & definitionis expertem; sed quæ eminenter habeat cuiusque rei bonitatem, & quælibet res suam in ipso bonitatem habeat, multo perfectiùs, quàm in seipsa.

l.8.de Trin. c.3.to.3.&l. de Cogn. veræ vitæ c. 7.to.6.

IV. *Et vt pater est bonum familiæ suæ.* Illa quoque ratione Deus est rerum conditarum bonum, qua vir industrius est bonum, decus, & firmamentum totius familiæ, hoc ipso quod est illius pater, & caput, & idoneis dotibus instructus est ad benè regendam familiam, &, cùm res tulerit, officio patris familias præclarè fungendum. Ita Deus opt.max.bonum est, decus, & firmamentum magnæ huius familiæ rerum creatarum (etiam secluso titulo beneficentissimi principis) ipsæque res ei subiectæ bonum quoddam, atque honorem quodammodo participant, quod talem habeant conditorem, & ad tantum Dominum pertineant; quòd si vniuersæ id bonum cognoscere possent, lætarentur vtique, déque eo magnificè gloriarentur, & si amare

Deus honori est rebus creatis, etiā inanimis.

amare possent, magno illum amore prosequeretur. Huc subobscurè videtur respexisse Protarchus, cùm diceret lapides, quibus altaria constructa sunt, esse beatos, quòd honorarentur, cùm cæteri eiusdem generis pedibus calcarentur. Rectiùs illos dixisset beatos, quòd proximè diuino cultui mancipati essent. Idem de auro, argentóque dicamus licet; gauderent enim hæc metalla si possent, quod tantum eis bonum contigisset, vt, diuino cultui honoríque adhibita, cohonestarentur. Contrà verò, si quæ eis daretur facultas, misera se ducerent ac prædicarent, quòd in contumeliam conditoris sui, idolorum simulacris infunderentur: idque miserabiliùs crederent, quàm ad turpem aliquem vsum transferri, qualis esset eius, qui sordes misero, vt ait Poëta quidam, exciperet auro.

1. Phys. c. 6. t. 59.

Aurum miserum.

Mart.

V.

Et quatenus est bonum hominis, in quo illa sunt.

Alio quoque nomine Deus bonum est rerum creatarum, quòd sit bonum hominis, in quo illæ omnes continentur. Et in homine, Dei fiūt quoquo modo participes: & quæ in primò peccatore quondam inhonoratæ fuerant, & peruersum ad vsum translatæ, in secundo Adamo iusto honoratæ sunt omnes, atque restitutæ. Itaque quasi in testimonium gratiæ, acceptíque beneficij, Domino per horrendos cruciatus vita functo, publicum mœrorem præ se tulere; & olim sub nouissimum iudicij diem, omnes arma capient aduersus improbos. Scriptum enim est *pugnaturum cum Iudice orbem terrarum contra insensatos*, ad vlciscendam iniuriam ab illis contra Deum admissam, iis rebus ad eius gloriam violandam abutendo, quæ ad eum honorandum colendúmque vsui esse debuerant. Et omnino quandocumque Deo visum fuerit eis imperare quidpiam, suam in mandatis eius exequendis fœlicitatem ponunt. *Mare enim & venti obediunt ei. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

Sensus quidā rerum inanimatarum.

Sap. 5. 18. 21.

Matth. 8. 27

Psal. 148. 8.

VI.

Deus bonum rerum omniū vt causa efficiens.

Secundo loco Deus bonum est rerum creatarum, vt earum conditor & architectus, à quo vniuersa ipsarum bona profecta sunt, & quibus nunquam cessat benignè facere. Cúmque illis & naturam ipsam dederit, & omnia quæ eam consequuntur, eadem omnia perpetua ac continenti bonitate conseruat. In cuius rei argumentum, *Spiritus Domini* cui bonitas attribuitur, in primo rerum ortu *ferebatur super aquas*, aut, vt alij explicant, incubabat aquis, vt gallina ouis, impertiendo illis fœcunditatem, ad aues, & pisces, aliáque producenda. Et Seruator ipse testatur se patrémque suum perpetuo in rerum productarum commodum operari. Cùm ergo sua cuíque natura bona sit, & quæcunque eam consequuntur, facilè est intelligere Deum bonum esse rebus omnibus, eísque valdè conuenire, plurimúmque appetendum, cùm illa omnia ex eius singulari liberalitate possideant. Itaque magnus ille Areopagita Dionysius aiebat, *Bonum dici Deum, sicut ex quo omnia subsistunt.*

2.

Gen. 1. 2.

Ioan. 5. 17.

VII.

Simili augetur cum gemino consectario.

1.

Si ergo infantis pueri bonum est mater, quæ illum in lucem edidit, multáque cum cura diu noctúque in tenera illa ætate eduxit: Si totius

familiæ bonum est pater, qui eam labore suo, industria, prouidentiáque regit, atque sustentat, ideóque vidua & orphani in personis, quæ dicuntur miserabiles, primum ferè locum tenent: duo nobis omnino fatenda
1. sunt, alterum, Deum esse bonum nostrum, vt qui est pater noster, ta-
Isa. 49. 15. lémque se haberi dici q; postulat, & cùm genuerit nos, omnia boni patris officia erga nos exequitur, amorémque in nos suum materno erga
2. dilectum infantulum comparat ac præfert; alterum, nihil esse miserabilius anima, quæ peccato suo amisit Deum, qui maius illi bonum erat, quàm pater, quàm mater, quàm alia omnia. Quomodo ergo insani, tam facilè eum amittimus, atque adeò excludimus à nobis? quomodo tam negligenter redimus in gratiam? Nimirum nimis facilem, nimium mitem atque placabilem habemus Deum. Sed tempus erit, quo apprehendet arma in manus, séque tam terribilem exhibebit hostibus suis, quam nunc omnibus bonum exhibet ac clementem.

VIII. *Deus bonum omnium, vt finis vltimus*

Tertia ratio diuinæ bonitatis erga creata omnia, à fine petitur; est enim supremus, atque vltimus eorum omnium finis, & ad ipsum referuntur omnia, sicut Salomone teste, *omnia propter semetipsum operatus*
3. *est Dominus*. In idem pene recidunt bonum & finis, & sicut omnia bo-
Prou. 16. 4. num appetunt, sic & omnia respiciunt ac desiderant finem suum, à quo suam bonitatem mutuantur. Media enim, quatenus media sunt, non aliam bonitatem habent, præter eam quam à fine accipiunt, vt à mercede labor, medica potio à sanitate, à scientia studium, cibus à vita. Deus itaque bonum est rerum omnium quæ ad eum, tanquam ad finem suum referuntur, siue proximè, vt homines & Angeli, siue hominis interuentu, qualia sunt quæcunque ad vsum referuntur humanum, vt opes, honores, sanitas, vita, scientia, forma, vires, gratia, quæ neque bona sunt, neque amabilia, nisi quatenus ad finem obtinendum valent.

IX. *Vnde agnoscitur peruersitas peccatorum.*

Itaque quisquis ista aliò quàm ad Deum refert, aut ad opem ferendam homini ad acquirendam Deum, ea sua bonitate spoliat, naturámque peruertit: qui autem his quasi instrumentis vtitur, vt mundo, carni, diabolo, Dei hostibus seruiat, rebellis est Deo, reúmque se reddit imminutæ maiestatis eius. Quo magis deploranda est hominum peruersitas, quorum pars maxima in ista insania viuit, quibus opes, vires, forma, sanitas, scientia, ingenium & solertia, cæteráque Dei dona, tam ingenita quàm quæsita, sunt instrumenta vanitatis, improbitatis, & ne-
Cap. 2. 8. quitiæ. Hæc nimirum est Dei apud Oseam querela iustissima. *Et hæc nesciuit*, inquit, *quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Sacrificauerunt videlicet capitali hosti meo bona, quæ ego illis copiosè profuderam, vt iis locupletati, mihi largitori alacrius deseruirent. Verùm in pœnam huius peruersitatis, Deus ipse aliam committet. Hominem enim æternis gaudiis destinatum, æternis suppliciis mancipabit, & implebit Dauidi-
Psal. 17. 27. cum illud, *cum peruerso peruerteris.*

CAPVT IV.

Diuinam bonitatem fontem esse sui aduersus homines amoris.

QVEMADMODVM naturalis Dei bonitas in plena, suprema, absolutissimáque perfectione diuinæ essentiæ consistit, quæ illi, quatenus est Deus, vnicè conuenit; ita & proprietatem illam habet, ex naturali bonitate naturaliter profluentem, vt se vltro communicet: siue quia quod admodum plenum est facilè supereffluit, atque exundat, vt patet in vasis quopiam liquore plenis, aut Oceano in plenilunio æstuanti: siue quia bonitas fons quidam est, & immensa bonitas fons immensus, qui ripis cohiberi non potest, sed aquas suas vndique superfundit: siue quia, vt ait Moses, *Deus ignis consumens* est. Et Spiritus sanctus, cui bonitas tribuitur, in forma ignis apparuit, qui perpetuò ardet; & si materiam infinitam offenderet, ignem produceret infinitum. Apparuit quoque in forma luminis, quod quantum in se est, illustrat omnia, & radios lucis vndique spargit. Apparuit & sub specie columbæ, cuius est mira fœcunditas, vt quæ singulis pene anni mensibus oua fouet aut excludit. Deus actus purissimus est, nihil habens admixtum passiuæ, quam vocant potentiæ, itaque perpetuò agit intellectu & voluntate; eáque actione naturaliter Verbum suũ producit, & cum eo Spiritum sanctum. I. *Proprietas diuini amoris communicatio, & cur.*

Hic autem actus, qui Deus est, & nominatim Pater, non solùm naturali fœcunditate agit, intra se producendo diuinas personas, eisq; eandẽ diuinam naturam communicando; sed agit etiam extra se cùm libet, libertate plenissima, quæ Deo negari non potest, neque debet; est enim perfectio singularis; sed illius vsus voluntarius est. Ab illius quippe arbitrio pendet producere aliquid, & nihil noui producere, & in nihilum producta redigere: pendet & tali numero, modo, & perfectione, edere in lucem, quæ volet: & earum rerum aliæ ipsum perfectiùs, aliæ imperfectiùs repræsentant; aliquæ intellectu & voluntate prædită sunt, sicut ipsum prototypum, aliæ non item; aliquæ ad videndum, amandum, & fruendum Deum excitari possunt, aliæ non possunt, aptæ tamen sunt ad opem illis ferendam, vt ad nobilissimum illum finem & beatitudinem peruenire possint. Prior illa communicatio naturalis est fœcunditas, apta ad producendam diuinam aliquam personam. Hæc autem posterior, est naturalis propensio ad se liberaliter communicandum rebus, quas condere placuerit, eísque impertiendum de bonis suis, prout eas facere voluerit ad recipiendum idoneas. II. *Eaque tum necessaria, tum libera.*

Ab hac naturali propensione Dei ad rerũ productionem, & cõmunicationẽ, vt sint sicut ipse, & benè ac beatè sint pro captu suo, principiò statim descendit amor, qui est beneuolentia aduersus aliquẽ. Principiò, III. *Amor primum donũ, & communicationis initium.*

inquam, & ante omnia: quoniam amor rationem habet primi doni: nihil enim vltro cuiquam ac gratis datur, quin illi priùs amor donantis traditus fuerit. Nam si munere afficis eum quem diligis, iam diligebas, & amorem dederas ei priùs, quàm hoc alterum donum, sícque amor cætera omnia dona præcurrit, tacitúsque præuolat, & cæteris aditum parat. Itaque & amor ille quo Deus dilexit nos, *quoniam ipse prior dilexit nos*, vt testatur dilectus discipulus, est quasi pater bonorum omnium, quæ ab illo accepimus, creationis, conseruationis, redemptionis, vocationis, iustificationis, electionis ad vitam æternam, perseuerantiæ, postremóque ipsius gloriæ largitionis, quæ priorem illum testantur amorem.

1. Ioan. 4. 10. 19.

IV. *Et clauis thesaurorum Dei.*

Hic amor instar clauis est cellæ secretioris, qua diuinæ gazæ reconduntur: obtinenda est hæc clauis, quæ aditum præbebit ad hoc conclaue, in quo thesauros illos omnes habebimus in potestate. Hæc causa videtur fuisse cur sanctæ illæ mulieres sorores Lazari, cùm legationem ad Christum Dominum mitterent, hoc vno argumento vsæ sunt ad illi persuadendam profectionem, *Ecce quem amas infirmatur*, non ignaræ satis esse in amore nostri virium, vt omnes animi corporísque facultates voluntati nostræ famulentur. *Sufficit vt noueris*, ait S. Augustinus, *non enim amas, & deseris*; nullus erit aut viæ labor, aut à Iudæis timor, aut discipulorum dissuasio, quæ tuum remoretur aduentum. Quòd si ibi moriendum fuerit, dulcescet ipsa mors, cùm animum subierit illa recordatio, mori te pro illius vita, quem magno amore prosequeris, & à quo mutuo diligeris.

Ioan. 11. 3.

Tra. 49. in Ioan.

V. *Producit mutuum hominis amorem in Deum.*

In maximis enim bonis, quæ diuinus amor producit in nobis, non puto quidquam esse præstantius eo amore, quem vicissim ille cordibus nostris ingenerat, nisi planè ingrati sumus, iniusti, & à naturæ legibus alieni. Nam qui te syncero amore, miniméque fucato prosequitur, sine vllo ad propria commoda respectu, qualis est omnino diuinus in nos amor, te omnium pretiosissima re, corde videlicet suo, & voluntate muneratur; si tu vicissim illi non largiaris tuam, nónne ingratus sis, & immemor honestatis? Et si ille amor iustum est ac legitimum pretium amoris tui, nónne iniustitia est pretium simul mercésq; retinere? Quòd si experientia docet naturam amoris, magnetis naturam, ferrum ad se trahentis, æmulari, qui verè ex animo diligitur, nisi vicissim ad redamandum trahatur, omnem exuerit humanitatem. Et hæc nostra est vel infelicitas, vel insania, quòd à Deo vehementer dilecti, mutuum illi amorem nos reponamus, sed proh dolor, *mala pro bonis, & odium pro dilectione sua.*

Psal. 108. 5.

CAPVT V.

Maximè consentaneum esse rationi, vt mutuus sit hic amor.

VTIQVE maxima est infelicitas ista quam dixi, & ingrati aduersus Deum animi summa labes, cui vt medicinam aliquam faciamus, non mediocriter nobis deinceps laborandum est, vt Deo bene propitio, tam honesta, támque honorifica amicitia integra sit, & vtraque ex parte perfecta. Et vt nihil missum faciamus quod isti seruiat instituto, videamus primùm quantum sit in amore virium ad alterum amorem producendum; vt tanto magis nostram admiremur infelicitatem, quo nobis magis innotuerit, simúlq; ad accipienda remedia reddamur aptiores. Experimur sane diligi à nobis aliquos, non magna perfectione, aut virtute præditos, eam maximè ob causam quod amemur ab ipsis, aut credamus amari: & contra frigidè ac remissè quantalibet virtute præstantes, si nullus est eorum in nos amor. Si quem acceperimus in Indiis esse virum sanctissimum, illustria miracula perpetrantem, non magno propterea in eum amore incalescemus: sed si audierimus nos illi notos esse, amari, & honorifico sermone celebrari, missis quoque muneribus suam illum erga nos testari beneuolentiam, & mutuæ amicitiæ desiderium, lapideos nos esse oporteret, aut ligneos, vt à talis viri amore abstineremus. I. *Amor alterius amoris parens.*

Si ergo efficere possum⁹ vt luce clarius cernatur diuinus in nos amor, manúque ipsa tangatur eius de mutuo amore nostro desiderium; cùm iam nobis de eius bonitate ac sanctitate certò constet, incalescet ipsius amore cor nostrum, eiúsque munera deinceps lōgè alio quàm olim corde, vultu, manúque recipiemus. Sponsa in Canticis mysterium hoc probè intelligebat, cùm tanta sollicitudine studebat intelligi à Sponso, quanto illum amore ipsa prosequeretur, *Adiuro vos*, inquit, *filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo.* Ad eum autem fouendum augendúmque valent externa testimonia literarum, & munerum in primis, quæ apud amicum vicem nostram expleant, quandoquidem nos ipsos ei vtendos possidendósque, quasi res inanimas, dare non possumus; cui & ad aurem crebro, vt suprà dicebamus, insusurrent, II. *Ideóque Dei in nos amor est demonstrandus.* ca. 5. 8. L. 1. c. 5. n. 1.

Hæc tibi dat, qui se iam dedit ante tibi. III.

Quòd si causam inquirimus, cur amor & beneuolentia idonea sit ad amorem alterum & beneuolentiam producendam, sic profectò statuemus in illo amare reperiri omnia, quæ hominem homini conciliare solent. Ea fere tria sunt, bonitas, beneficia, similitudo. Si bonitas reddit amabilem, facilè nobis persuademus eum à quo diligimur esse bonum. *Amor ad amorem gignendum efficacior quā alia eius causa.*

Si beneficia corda recipientium suffurantur, qui diligit nos, cor suum nobis, & cum eo quæcunque possidet, vltro liberalitérque largitur, & quantum potest confidenter vtendum præbet. Similitudo quoque amoris causa est, *Omne animal*, ait Sapiens, *diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi.* Quid causæ? An quia quisque se ipse diligit, & se in alio agnoscens, in eo quoque se diligit; similitudo enim vna quodammodo natura est in multis. Itaque qui iisdem sunt moribus, studiis, affectibus, facilè inter se diligunt. Amor autem similes inuenit, aut facit.

Eccli. 13. 19.

IV. *Similitudo aliquando inuidiæ aut odij causa.*

Prou. 13. 10. Eth. l. 8. c. 3. κεραμεὺς κεραμεῖ κοτεῖ, & c. Oper. & dies.

Casu tamen aliquando contingit, vt odium & inuidia ex similitudine gignatur, si quando illa detrimentum attulerit. Itaq; rectè Salomon ait inter superbos semper esse iurgia, quia alter alteri honorem præripere conatur, quem sibi vterque ambit. *Et figuli*, vt post Hesiodum dixit Aristoteles, *inter se corrixantur*, quia alter alterius commodis obest. Vbi ergo contigerit amãtem in animo suo imaginem dilecti sui quàm simillimam depingere, dilectus sese quasi in speculo in dilecto intuens, ibi quoque se, ac speculum suum amat. Cùm igitur hæc vna amoris causa reliquas complectatur, satis nobis erit eam in causa Dei diligentiùs explicare; in qua perpetuò reperiemus quantò potiori iure Dei in nos amor, nostrum in eum amorem mereatur ac postulet, quàm vllus cuiusuis rei creatæ in nos amor.

V. *Dei in nos amor demõstrandus proponitur.*

Itaque Deo bene propitio, cuius infinitus est in nos amor, spero planè ac confido tam perspicuè me illum amorem demõstraturum, vt quãuis nullum in Deo aliud nostri amoris incitamentum reperiremus, licet non esset speciosissima illa pulchritudo, quæ cœlum vniuersum suis capit illecebris, attonitúmque reddit: aut immensa illa bonitas, fons omnis bonitatis ac perfectionis, & verissimum rerum creatarum bonum: aut vltimus ille finis, quem omnia intuentur, & in quo denique acquiescunt: aut primum principiũ, ex quo cœlum, & terra, & omnis rerũ natura pendet, vt sit, vt agat, vt possit: licet non essemus ab eo conditi ad imaginem eius, non conseruati ad hanc diem, non redempti, & facti filij Dei, & hæredes beatæ æternitatis, sed essemus planè, si fieri posset, omnium eius beneficiorum expertes; spero, inquam, ac confido vnum hoc incitamentum eius in nos amoris, suauiter ac potenter corda nostra tracturum ad amorem sui; aut certè tantæ nos improbitatis conuicturum, vt fateri cogamur, nisi eum toto corde, totisque animi, corporísque viribus dilexerimus, nos humanam planè mentem exuisse, nec minus, quàm tygres esse humanitatis expertes, denique neque cordibus quàm alpina saxa, molliores. Causæ bonitas me audentem facit, tantúmq; sursum erigit, quantum me degrauat cognitio infirmitatis meæ.

CAPVT VI.

Descriptio diuini Amoris & proprietatum eius, siue Charitatis & filiorum eius.

DIVINÆ igitur bonitatis erga nos amor demonstrandus est nobis, & quidem amor infinitis partibus maior eo, qui Dauidem Ionathæ copulauit, aut Oresti Pyladem, aut quantalibet amicorum, quos celebrauit antiquitas, mutua beneuolentia. Nemo vnquam pater aut mater ita dilexit vnigenitum suum, nemo filius ita parentes suos; nemo sponsus tanto suauissimam castissimámque sponsam amore complexus est, quanto diuina illa bonitas amicos suos, nimirum incomparabili, infinito, digno Deo Optimo Maximo. Quomodo igitur hunc tantum Dei præpotentis in nos amorem ostendemus? Demonstrando videlicet omnes proprietates, quæ ab amoris natura proficiscuntur, quantum quidem hîc capere mens nostra potest, aut humana lingua hominum more explicare, in Deo cumulatissimè reperiri, seséque admirandis effectis prodere. Cùm autem diuinus Amor nihil aliud sit quàm Charitas, eiúsque effectus Charitatis filij rectè dici possint, iustis de causis, & nominatim ad facilius, ac delectabilius retinendam attentionem eorum qui ista legent, personarum specie animo informata, multorum omnis memorię sapientum incitatus exemplo, statui Charitatem hanc quasi heroinam aut reginam repræsentare lectori, & effectus illius quasi totidem filios eius; quam docendi rationem & viam nuper quoque in Timore Dei explicando, secuti sumus. I. *Quomodo demonstrandus sit hic amor.*

Eam docendi formam allegoricam, spero ne ab eruditis quidem hominibus improbatum iri, simplicis autem ingenij homines etiam laudaturos, vtrique enim nonnullorum exemplorum recordari poterunt, quæ sacræ literæ suggerunt. Ioannes enim in Apocalypsi Ecclesiam sub typo mulieris amictæ solæ repræsentat, quæ lunam sub pedibus habet, & in capite coronam stellarum duodecim, quæ cum cruciatu parturit, paritque denique filium masculum. Rursúmque dæmonem in magno dracone & rufo exhibet, qui capitibus septem, & decem cornibus insignitur, & cauda sua tertiam partem stellarum è cœlo detrahit, recénsque natum filium deuorare satagit. Paulus Apostolus apertè profitetur duo testamēta allegoricè repræsentari per Isaacum & Ismaëlem, duos Abrahæ filios, alterum de ancilla, alterum de libera susceptos: siue synagogam & Ecclesiam, Iudæos & Christianos. Denique bona pars parabolarum Christi Domini hac ipsa forma res spiritales, sub corporearum specie tradunt. Nemo enim dubitare potest conuersionem peccatoris in filio prodigo, & Dei misericordiam in eius parente repræsentatam. II. *Allegoricus docendi modus scripturarum.* ca. 12. Gal. 4. 23. 24. Matt. 22. 2.

Matt. 21. 33. & 45. Nam vt omittam hominem illum regem, qui fecit nuptias filio suo, quid illum dicam patrem familias, qui post missos ad agricolas seruos suos, etiam filium misit, qui ab illis eiectus extra vineam, atque occisus est? Nónne principes sacerdotum, & pharisæi cognouerunt huiusmodi parabolam ad se pertinere?

III. *Charitas nobili matronæ similis.* Propone igitur, amice ac religiose lector, oculis mentis tuæ Matronam nobilissimam, gratia & venustate præditam singulari, coma aurea, fronte candenti, viuidis ac micantibus oculis, quos in cœlum patriam suam crebro tollit, genis candidam atque rubicundam, instar sponsi sui, labiis instar vittæ coccineæ, tota facie decentissimæ proportionis, sine fuco, sine macula, vel ruga; multiplex enim eius proles, ei non senium attulit, sed vigorem. *Genus eius.* Deo gratiosa est, omnibúsque bonis; nec mirum, filia eius est, & imago bonitatis eius, soror autem fidei, spei, & gratiæ diuinæ, quæ eam perpetuò comitantur. Gestat in aurea bracteola scriptum nomen, *Charitas Dei filia, sponsa Iesu Christi*, ipsáque bracteola mitellæ, quæ *cœli amor* dicitur implicata est. Gestat & coronā regiam, in signum supremi supra virtutes omnes imperij. Pendet è mitra bombycinum crispum humeros tegens, candens ac lucidum, cui nomen *Innocentia*, quod stellulis aureis cogitationum cœlestium inspersum, atque distinctum est.

IV. *Allegoricus eius ornatus.* Aurea monilia duo gestat, alterum in fronte, in collo alterum, vtrumque innumeris lapillis pretiosissimis miro artificio fabricatum, & illuminatum, quæ sunt Christi sponsi eius diuina merita, per totum sanctissimæ ipsius vitæ curriculum sapientissimè sparsa. Ab hisce monilibus pendent duo nobilissimi carbunculi, vnus ad frontem, alter ad pectus, illi nomen est *Paupertas præsepij*, isti *Obedientia crucis*. Ex auribus pendent smaragdi duo, dicti *memoria diuinorum beneficiorum*. Induta est vestem nuptialem ex byssino splendido, quam Ioannes in Apocalypsi interpretatur *Iustificationes sanctorum*. Ca. 19. 8. Cæruleus est eius color, & linguis igneis in quincuncem distributis ornatur, vt subinde memoria quinque vulnerum sponsi sui, & Seruatoris excitetur. Limbus vestis habet hoc elogium opere plumario inscriptum, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Habet & interiorem vestem cinericij coloris, quam vocant *Odium* sui.

V. *Reliquus eius ornatus, & filij duodecim.* Extrema brachiorum exornant armillæ aureæ, quæ sunt opera misericordiæ; zona qua præcingitur, & sinus vestis colliguntur, est torquis aureus, cuius omnes annuli eleganti opere deuinciuntur; zonæ nomen est *Concordia*: sinistra gestat imaginem Crucifixi, dextra hanc epigraphen *Amor meus crucifixus est*. Filios habet duodecim specie elegantissima, quasi totidem angelos comites, & matre dignos, & parente Seruatore, quorum hæc sunt nomina. *Dulcis-Amor, Ingeniosus-Amor, Fortis-Amor, Liberalis-Amor, Mitis-Amor, Solicitus-Amor, Socialis-Amor, Actuosus-Amor, Feruidus-Amor, Zelotypus-Amor, Peruigil-Amor,*

Amor, Officiosus-Amor. Singuli percupidi sunt explicandi nobis, quæ valent ad amorem optimi parentis nostri, & ipsorum excitandum, illiúsque diuini præcepti de Deo, & proximo diligendo obseruationem. Singulos ergo deinceps suo tempore audiemus, si tamen priùs ipsorum matrem ac reginam, eos paucis adhortantem, audiuerimus, ad amorem diuinum hominum pectoribus ingenerandum, & profanum funditus ex eorum cordibus extrudendum.

CAPVT VII.

Exhortatio reginæ Charitatis ad filios suos, in gratiam diuini amoris, & profani detestationem.

NEQVE enim probabile est tanta sapientia principem, & in suos beneuolentia, filios in hominum conspectum quasi in theatrum producentem, non eos priùs ad officium instruere, ac cohortari, in hunc fere modum. Venite filij mei, regium semen, cœli progenies, Sanctissimi Sponsi mei deliciæ singulares, date verum ac diuinæ bonitati debitum testimonium hominibus, amoris in illos sui, quo impulsore ita factus est prodigus, suum vt vnigenitum immerentibus vltro largiretur. Docete quàm dulcis ac suauis sit eius amor, vt ne profani homines, deliciarum ac delectationis immodicè appetentes, illum asperum atque iniucundum putent, & tam perniciosum errorem ex eorum animis abstergite. Aperite ingeniosa inuenta Dei, eiúsque filij patris vestri, ad hominum amorem eliciendum. Ostendite mirabilem magnitudinem animi, patientiam, & constantiam in promouendo consilio ipsorum amicitiæ demerendæ. I. *Monita Charitatis ad filios suos.*

Patefacite regiam eius magnificentiam & liberalitatem iis, qui cupidius vitæ commoda, atque emolumenta sectantur, docete quanto detrimento suo vulgares atque instabiles amicitias ambiant: præsertim cum eo neque mansuetius sit quidquam, neque pro amicis suis magis sollicitum: nemo qui eos maiore affectu complectatur, sibique vniat, inserátque cordi. Persuasum habeant nullum vnquam amicum tantum pro amico laboris atque ærumnarum exantlasse quantum pro ipsis Sponsus meus, idque tanto feruore quantum sudor ille sanguineus satis supérque probat; neque animo vel corpore somno degrauatis, sed totis noctibus orando traducendis. Postremo norint neminem quidem tam comem familiaribus suis, támque officiosum esse; eum tamen zelo iustissimo incitatum, vlcisci eorum impudentiam, qui eius neglecta amicitia, æmulum nescio quem, aut competitorem ipsi antetulerint. II. *Pro conditione singulorum.*

Tanto porro iustior, amantissimi filij, causa vestra est, tantóque lau- III.

Damna profani Amoris. dabilius hoc certamen inibitis, quanto capitalis hostis noster *Amor sui*, eiúsque filij *Amor opum, honorum, voluptatum* perniciosiores sunt humano generi, atque adeo origo malorum omnium, quæ toto orbe terrarum seculis omnibus extiterunt, aut deinceps existent. Omnes enim calamitates, quibus homines Deo vltore afficiuntur, vindictæ sunt peccatorum, quæ ab animorum perturbationibus, vitiisque oriuntur, nulláque alia ex radice pullulant, quàm immodici atque intemperantis amoris sui, vel filiorum eius. Etsi autem dulcedinem præ se fert amor ille, multo tamen felle illa ipsa dulcedo diluitur, maximéque odio inimicorum, quod ad Dei vsque odium excrescit, illo pestiferum venenum infundente: influit & mœror & amaror à turbata conscientia, & tædium & tristitia morosior, Deo consilia improborum in contrarium vertente. Quidni enim cogitationes dissipet, quæ ipsius honori & gloriæ aduersantur?

IV. *Et perniciosæ proprietates.* Ille idem Amor innumerabiles excogitauit artes, quibus Deo & proximis iniuria inferretur; Historiæ loquũtur ingeniosam tyrannorum malitiam, ad sanctos martyres in fraudem inducendos, aut ad eorum constantiam horrifico terrore affligendam. Experientia verò quotidiana docet nequissimorum hominum fraudes ad virginum pudorem, aut matronarum castitatem expugnandam. Quid viri militares? quàm noua in dies stratagemata comminiscuntur ad vrbes occupandas, obtinendas victorias, prouincias paucis horis cædibus, incendiisque vastandas, iustitia belli contempta. Hic idem amor crudelis est & ferox, in primisque aduersus infirmos & humiles: qualis in Holoferne quondam fuit, de quo ita legimus. *Tantus metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes & honorati, simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec ista tamen facientes eius ferocitatem pectoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.* (Iudith. 3. 9.)

V. *Illustrantur exemplis.* Quid quod pro re nihili, horribiles sæpe strages meditatur hic amor, editque. Vide Amanum illum superbissimum, molientem interitum nationis vniuersæ Iudæorum, cum iactura propria decem millium talentorum, ob vnius genua sibi non flectentis delictum. Ardet idem cupiditate diuitiarum, quæ vel effrænatas eius voluptates, & desideria exsaturent, non ignari omnia pecuniæ obedire, siue vt accumulatis auri & argenti aceruis inhiet, in eáque dementia penitus acquiescat, & summum bonum ponat; opes denique pro Deo colat. Quæ causa Apostolo fuit vt auaritiam idolorum seruitutem vocaret: parum enim interest sitne idolum aurum statuarium, aut signatum. (Ephes. 5. 5. Colos. 3. 5.) Si amor iste socialis est monopolia exercet in socios, coniurationes in principes, publicámque libertatem: si sollicitus est, si feruet, si vigilat, improuisum aliquem occupare satagit, atque opprimere, pestem alicuius sollicitè, feruidè, vigilanter machinatur. Omnis eius comitas adulatio est, *linguis suis dolosè agebant*, ve- (Psal. 13. 3. & 139. 4.)

nenum aspidum sub labiis eorum. Zelus eius filius timiditatis est,& desperationis parens.

Date igitur operam, amantissimi filij, vt siue prodendis hisce malis, siue diuini Amoris proprietatibus patefaciendis, de sponso meo, & parente vestro Christo Domino bene mereri possitis. Exhibete hunc illi famulatum, quo neque ipsi quidquam gratius, neque mihi acceptius, neque vobis dignius, neque mortalibus vtilius, neque verissimis eorum hostibus perniciosius estis aliquando facturi. Nullam enim luculentiorem plagam hosti illi tartareo, qui Dei odio magis, quàm flammis ipsis ardet infelix, nullam carni aut mundo, qui tyranno illi militant æterni mercede supplicij, inferre potestis. Hactenus Charitas ita prolocuta est ad suos: deinceps tempus appetit vt singuli producantur quasi in theatrum, testimonium de diuino in nos amore dicturi, & ostensuri quantq suo merito Dominus nostrum in se amorem vicissim exposcat, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum.* VI. *Conclusio.*

Quarti Libri finis.



LIBER QVINTVS,

De diuini Amoris Dulcedine, qui & Dulcis-Amor.

CAPVT I.

Descriptio Dulcis-Amoris primi filij Charitatis, & quæ sit causa dulcedinis amoris.

I. *Propositio.*



SOLENT viri sapientes, qui iudiciis exercendis præsunt, non tam eorum qui testimonium dicunt numerare sententias, quàm testium ipsorum personas ponderare, quæ cuiusque conditio, genus, fortuna, probitas: quantam rei qua de agitur cognitionem habeant, quo animo ad dandum testimonium adducti videantur. Idipsum in angelicis istis adolescentibus faciendum videtur, in causa diuini Amoris. Agnoscendi enim sunt vt dilecti filij tantæ matris, & per eam lectissimi filij Dei, eximiáque virtute præditi, vt gratius sit atque acceptius eorum testimonium, qui & rem ipsam probè norunt; quibus enim notior parens quàm adultis filiis? & quibus nulla causa subesse potest cur mentiantur. Quo autem fiat hoc totum argumentum planius atque illustrius, docendum erit hasce omnes proprietates, & quasi filios ad Amorem vniuersè pertinere, multóque magis ad diuinum Charitatis amorem.

II. *Descriptio dulcis amoris.* Hunc igitur, qui se primum nobis offert, contemplemur, qui nos decorè admodum, ac suauiter intuetur, cuius oris habitus, reliquíque corporis gestus ac status pergratus est omnibus, pérque iucundus. Dulcis-Amor ei nomen est, ad cuius etiam nominis veritatem ipsemet eius cibus conferre videtur, mel, manna, saccarum. Nam & mellis fauum in summa virga manu gestat, quam in modum spiræ obit hoc elogium, *Spiri-*

tus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Candentem induitur tunicam xilinam, quæ dicitur *Comitas*, eáque perspersa est apibus opere plumario, ex filo serico coloris aurei, quæ sunt orationes eius concisæ, & quasi iacula, quæ breui cursu cœlum petunt. Eccl. 24. 27.

III. *Filium esse Charitatis.* Nihil porro mirum adolescentem hunc esse, haberíque filium Charitatis, quæ tota dulcedine ac suauitate plena est, & in hoc filio similem sui in lucem edidit. Id Sponsus ille cœlestis apertè testatur, cùm dilectissimam sponsam suam, quæ Charitas est, ita compellat. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Et rursum. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* At, inquies, eadem pene idem Salomon de impudica muliere dicit, *fauus distillans*, inquit, *labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius*; Ita sanè, sed hæc, in ista assentatrice meretoria, ficta & simulata sunt omnia, & ad modici spatium temporis composita. Audi enim quæ sequantur. *Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius anceps*, in furiosi hominis manu. (Cant. 4. 11. — Cap. 2. 14. — Prou. 5. 3.)

IV. *Charitas ficta, mel amarum & mortiferum.* Istam nos scilicet quærimus charitatem commentitiam; mel istud amarum est, quale in Sardinia gigni aiunt, & virulentum: quale etiam in Heraclea Pontica nascitur, quod instar aconiti torquet edentem; multum enim ibi oritur aconitum; amentes enim fiunt, ac plurimo sudore madent. Quid enim amentius homine, quem improba mulier captiuum tenet? quos sudores, quos morbos non patitur infœlix. Itaque rectissimè dicebat idem Salomon. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius; qui placet Deo effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Id tute expertus es miser, & malo tuo factus doctior, incautis terrori esse potes, ne in eandem foueam cadant. (Plin. l. 21. c. 13. Dioscor. l. 2. c. 75. & l. 6. c. 8. — Eccl. 7. 27.)

V. *Cur amor dulcedine delectetur.* Qui porro causæ esse dixerimus cur Amor dulcedine præstet? Apparet id contingere metu offensionis eorum quos diligimus, ne qua disiunctio animorum fiat. Quin potiùs amicos conseruari cupimus, tanquam bonos, gratos & vtiles, & quasi ad genium nostrum ingeniúmque factos; itaque veriti ne alieniores à nobis asperitate fiant, eos & verbis suauiter, & factis molliore manu tractamus. Constat enim experientia plerosque tam verborum quàm factorum acerbitate abalienare animos, qui nolunt secum inclementer agi, & respuunt, vt ille ait, patruæ verbera linguæ. Nam & corporum asperitate offenduntur manus obuiæ, vel facies improuisa; delicata verò & mollia vt sericum, vt gossipium, vt plumæ, aliáque id genus tangendi sensum demulcent. Et vniuersè Philosophi docent obiectum vehementius sentiendi organum lædere, vt ingens tonitru auditum, crebra fulgura visum, odorem violentum olfactum, sic gustum amaror, acor, acerbitas. Quæ ad internos sensus, animique facultates accommodari possunt. Itaque Deus in cœlo mentes (*Acerbitas ingrata.*)

& corpora roborabit, vt idonea sint ad tam sublimem delectationem, & obiectum perfectionis infinitæ.

CAPVT II.

Amorem vniuersè dulcem esse, dulciáque reddere etiam amara.

I. *Amor vniuersè dulcis est.*

NIHIL est necesse in huius veritatis declarationem multa disputare, neque arduum est hominibus fidem facere amorem dulcem esse; id enim fuerit vel soli lucem inferre velle, vel calorem igni, aut niui candorem, vel dulcedinem sacchario. Atque vtinam profanus amor careret iis, quas ab ipso aditu ostentat, illecebris dulcedinis, quibus improuidos inducit in fraudem, tam multæ animæ quotidie non perirent, aut certè incõsultæ temeritatis non pœniteret, cùm amaror, qui in fundo calicis subsedit, exhauriendus est. *Fœx eius non est exinanita*, inquit Propheta, *bibent omnes peccatores terræ.* Illud potiùs ostendamus, quod minus in promptu esse videtur, Amorem vniuersè loquendo, nihil nunc quidem profanum à sacro, naturalem à diuino separando, eam vim habere vt res natura sua difficiles atque acerbas, dulces quodammodo delectabilésque reddat.

Psal. 74. 9.

II. *Et amara dulcia reddit, vt mortem.* l. 3. od. 2. l. offic.

Audi quid Lyricus ille canat, vtique verissimum, si quis attendat, paradoxum. *Dulce*, inquit, *& decorum pro patria mori.* Decorum profectò atque honestum, nemo sanus negauerit. *Cari sunt parentes*, inquit Tullius, *cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Rectè sanè; est enim id facinus virtutis heroicæ, iustúmque est commune bonum priuato anteferre, & brachium toto corpore ducere vilius. At vt tam aspera atque acerba res dulcis quoque sit, id verò fide carere videatur. Quid est enim mors, quàm omnium animantium terror, omnium vitæ commodorum ac delectationum, ipsiúsque vitæ acerbissima spoliatio? Rectè illam furiam dixeris, aut ab inferis profectam Proserpinam, ad humani generis interitum; rectè & gladium diuinæ vltionis strictum in peccatorem. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris,* ait Dominus ipse; & Sapiens, *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantia sua, & abundanti diuitiis.* Amara est eius memoria, quanto amarius ipsum telum?

Gen. 2. 17. Eccl. 41. 1.

III. Troianus tamen ille princeps, cũ atroci tempestate colluctatus, & tantum non fluctibus insanis obrutus, exclamat:

Æn. 1.

--O térque quaterque beati

Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis Contigit oppetere!

& *--méne Iliacis occumbere campis Non potuisse?--*

Mortem ergo, quæ *Trans adigit costas, & fortia pectora rumpit,*

non solùm dulcem vocat, sed térque quatérque beatam. Neque nouum est aut insolens generosum militem lamentari, non solùm si in cruce pereundum sit, sed si intra linteamina mollia, non in thorace ferreo; in lanuginosa plumula, non in duro, atque honorato campo. Hęc ergo mors suauior est culcitra, & gossipio, & serico, & tenuissimo lino.

Quid bellum? nónne dulce est & amabile militibus? vtique, inquies, sed tyronibus, & recens euocatis ad Martis onus: iuxta illud, *dulce bellum inexpertis.* Quî enim fieri potest vt homo, quem natura nullis ad pugnandum armis instruxit, infernam illam Tisiphonem colubris armatam, dulcem putet, aut amabilem, nisi quispiam vstrinæ Vulcani opifex, vel Martius tyro? Quis dulcem sentiat illam pestem omnium nationum, omnium vitiorum cloacam, omnium sentinam improborum, mortalium populatricem, verissimam imaginem Tartari. Fatendùm est nihilominùs ambitiosum gloriæ amorem, & lucri cupiditatem illa omnia non reddere solùm tolerabilia, sed etiam dulcia: nec tyrones solùm inexpertos, sed veteranos quoque ac triarios, ita pugnandi flagrare desiderio, vt vulneribus vix sanatis, cùm primùm tuba insonuit, vel tympanum concrepuit, plagarum immemores ad arma conuolent. IV. *Dulce quoque bellum.*

Arma amens, fremit arma toro, tectisque iuuentus. Æn. 7.

Non est hic amor, inquies, sed furor hominum capite damnatorum. V. *Aliique labores amabiles fiunt.*

Arma amens capio, nec sat rationis in armis, Æn. 2.

aiebat Æneas. Quid amor diuitiarum, nónne salsos Oceani fluctus dulces efficit, panem nauticum emollit, barbaros mores, linguásque mitigat, marina monstra, aggeres arenarum, rigentes scopulos, fœda naufragia, iniurias piratarum, cæteráque nauigantium damna temperat, lenit, demitigat? Quàm acerbi, ac longinqui sunt matrum labores, à puerperio vsque ad ætatem grandiorem filiorum suorum, quot curis ac molestiis noctes diésque perfunguntur. Maternus amor emollit hæc omnia. Itaque pleræque matres, cùm hasce curas possint in nutrices transferre, eas vltro ferre malunt, ratæ fore vt aliquando filij gratiæ huius memores sint, & ipsis dulcissimi amoris huius vicem rependant. Verùm quantum hæc omnia cedant diuini Amoris dulcedini, ab ipso Charitatis filio Dulci-Amore audiamus.

CAPVT III.

Dulcis-Amor diuini amoris dulcedinem declarat.

PROGRESSVS paululum à fratrum cœtu Dulcis-Amor sic exorsus est. Audite vice versa non profana de amore vulgari & profano, sed diuina, de diuini amoris dulcedine testimonia. Audite Sapientem de I. *Testimonia pro dulcedine diuini amoris.*

Spiritu Domini, qui est Amor patris & filij, loquentem, aut ipsum potiùs Dominum de Spiritu suo, *Spiritus meus*, inquit, *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Quod expertus Sapiens exclamat, *O quàm bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus.* vtique in omnibus, erga bonos dulcedinis suæ, & beneuolentiæ argumenta expromens, & malos patienter expectans, illos promouens, istos ad se conuertens. Eadẽ tenuit Dauidem admiratio, *Quàm dulcia*, inquit, *faucibus, meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quare autẽ dulcia? quare *desiderabilia super aurũ, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum?* Nisi quia dictauit ea Charitas, eadémque complectitur vniuersa, & Charitatis ope facilè obseruantur. Postremò Ecclesia, ab eodem edocta spiritu, illum orat, vt cordibus amorem infundat, & perfectæ Charitatis dulcedine abundanter reficiat.

Eccl. 24.27. Sap. 12.1. Psa. 118.103.

II. *Cur melli comparetur.* Iud. 14.1. *Mellis origo.*

Quid est autem quod diuinus amor in Scriptura sacra toties melli & fauo comparatur? An quia nihil est melle dulcius, vt illi olim Samsonis sodales, aut quia cœlestis est mellis origo, sicut & Charitatis & filiorum eius? ideóque aëreum mel, & cœlestia dona Poëta vocat. Etsi enim vulgo putantur apes ex floribus collectis, & in stomacho decoctis mel conficere, indéque in fauos refundere; peritiores tamen tradunt collectis ex floribus ceram dumtaxat confici, mel autem ipsum ab apibus colligi, quod reperiunt albescente cœlo concretum, quando vicinus sol, cœlesti vi & calore, vaporem modicum ex aqua subtilémque trahit, similésque ex terra halitus, qui permisti inter se, leuitérque matutino calore decocti, dulcem in succum transeunt, qui molliter herbas & flores arborúmque folia irrorat, adeóque non villosa vestimenta, capillósque eorum, qui sub dio matutini resederint. Quo pertinet illud ex Cantico. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* id est melle dulcissimæ Charitatis. Itaque prohibet Poëta ne *errans bucula campo decutiat rorem.* Quem scilicet apes ore legunt, & in fauos refundunt.

Cant. 5.2. Georg.

III. *Aptatur Charitati.*

Hæc nimirum significant originem Charitatis, quæ diuinitus in corda nostra diffunditur, esse Deum iustitiæ solem; aut si mauis, spargit Deus Charitatem dulcissimam in varia opera, quæ Dei amore, & proximi fiunt, quam spiritales apiculæ colligunt, qua nutriuntur, quam recondunt in tempus, quo tempore nullus erit meritis locus. Flauus quoque mellis aurum imitantis color, ad Charitatem, quæ aurum virtutum est, significandam valet. Et sicut mel dulcia reddit, quæ dulcedine carent, sic & diuinus amor, vt postea dicturi sumus. Denique mel multam nutriendi vim habet: Charitas quoque verum animæ nutrimentum est, cætera non magis eam nutrire possunt, quàm stomachum ventus, inanitas, aut siliquæ porcorum.

IV. *Mãna Charitatis cibus filiorum Dei.*

Et sicut manna fuit olim cibus filiorum Dei, qui per Arabiæ deserta peregrinabantur, promissam patribus suis terram armis occupaturi, terram, inquam, lacte & melle manantem: ita nunc cibus filiorum Dei

Charitas

Charitas est, qua in huius vitæ peregrinatione sustentantur, in qua terram viuentium bello petunt, quandoquidem, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, terram iis pridem promissam, qui in Charitate vitam degent ac terminabunt, terram ita Charitate abundantem, vt latè diffluat per omnes vicos Hierosolymæ cœlestis, vbi sempiternum Alleluia cantabitur. Et vide vt manna quoque è cœlo defluat vt Charitas, eámque sua dulcedine repræsentet, sicut & lac, quod & palato dulcedinem, & stomacho præbet alimentum. Itaque Petrus Apostolus, *Sicut modò*, inquit, *geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*; quando scilicet dilectos suos consolatione reficit ac demulcet, ad quam inuitat eos Dauid, *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.*

Matt. 11 12. Tob. 13. 22. 1. Pet. 2. 2. Psal. 33. 9.

V. Idem Propheta regius tertio quoque verbo dulcedinem, bonitatem, suauitatem Domini celebrat atque inculcat: quam tanta copia nonnunquam communicat amicis suis, vt eam cor humanum capere non possit, vt quasi vina recentia ebulliant, atque exæstuent, *Memoriam*, inquit, *abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*, & in eas voces prorumpent, *Satis est Domine, satis est.* Nihil est quod ad dulcedinem Charitatis accedat, non mel, non manna, non vinum, non lac, non saccharum, si quando voluerit Dominus illud exequi, quod per Esaiam promittebat, *Ad vbera*, inquit, *portabimini, & super genua blandientur vobis.* Et videlicet vos fructu vitæ reficient, qui & visu iucundus sit, & ad vescendum suauis. Neque cum Deo dumtaxat erit illa iucunditas, deriuabitur enim ad proximos, iuxta illud Dauid, *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Alia testimonia dulcedinis Charitatis. Psal. 144. 7. Esa. 66. 12. Gen. 3. Psal. 132. 1.

CAPVT IV.

Diuini amoris dulcedo etiam in rebus ratione carentibus agnoscitur.

I. OMNIA nobilium artificum opera, autoris sui præstantiam facilè produnt, quamuis permodica sint, aut negligenter, & aliud agendo facta esse videantur. Apellem linea vnica penicillo ducta Protogeni agnoscendū dedit, Zeuxim vua quæ fallebat auiculas, Parrhasij manum obductum picturæ siparium, quod Zeuxim ipsum induxit in fraudem, facilè demonstrauit. Rudis aliqua, & inartificiosa imaginis informatio, artificem benè peritum non obscurè indicat. Scriba egregius in mille calami ductibus non præmeditatis, nullum edet, ac ne elementum quidem vllum, qui non sapiat eruditum magistrum. Lyræ doctor paulo in-

Opus sapiētiam prodit artificis. Plin. l. 35. c. 10.

ſignior, fidibus pene temerè tractandis, nullum edet non probabilẽ, probatúmque concentum. Perfectus orator non in cauſis modò centumuiralibus, ſed in breui quoque ad amicum epiſtola, aut fabella narranda ex improuiſo, vel acuto & imparato reſponſo eximium ſui ſpecimen dabit. Quid ergo mirum æternam illam ſapientiam, bonitatem infinitam; inæſtimabilem charitatem, amorem dulciſſimum, nihil quidquam vllo in opere ſuo agere, in quo non poſſimus agnoſcere molitorem Deum?

II. *Idque valet in Deo ipſo.* Voluit ergo Dominus rebus omnibus à ſe productis bonitatem ſuam, & amorem, eúmque dulciſſimum patefacere, vtcumque viles ſint atq; abiectæ. Voluit enim vt eſſent, id beneficiorum omnium ſolum eſt & fundamentum, gratíſque dedit vt eſſent. *Diligis omnia quæ ſunt*, ait Sapiens, *& nihil odiſti omnium quæ feciſti.* Cur enim oderis opus tuũ, quod tute iampridem iudicaſti valde bonum? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed voluit etiam vt ſingulis pro modo ſuo benè eſſet: ideóque idoneas illis proprietates & inſtinctus dedit, vt quæ ſibi bona eſſent tacitè quærerent, adeptiſque fruerentur. Itaque elementa omnia cõmoda ſibi loca, ſi ab eis dimota fuerint, ſuopte nutu quærunt, & ſi inuenerint, in eis placidè conſtanterq; acquieſcunt. Arbores aridiore ſolo impoſitæ, qua parte radicibus ſuis humorẽ ſenſerint, dilatantur, & quantum licet, folia & fructus ferunt. Vitis quæ natura caduca eſt, clauiculis quaſi digitis quidquid eſt nacta complectitur, eóque adminiculo in altũ conſurgit, pampiníſque luxuriat, & fructus fert qui, in ſignum diuinæ dulcedinis, Deũ hominéſque lætificant. Sed de multiplici hoc inſtinctu rerum naturis diuinitus indito, & cum natura ſuauiſſimè conceſſo infinitior eſt oratio, campúſque latiſſimus, in quo fœlicia multorum ingenia excurrerunt, vt minimè neceſſe ſit actum agere.

Sap. 11. 21.

Gen. 1 31.

Eius dulcedo erga res inanimas.

Cato ma. Iud. 9. 13.

III. *Et animalia* De animalibus autem quid dicemus? quanta obſecro cum ſuauitate *aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione*? omnia quæ illis conueniunt ſine vlla ſpe præmij aut gratitudinis, ſuauiſſimè largiendo, vt benè ſit eis, vt delectentur, vt fœlicitatis quam ipſorum natura quoquo modo capit, participes fiant. Viden' vt certatim auiculæ cantillẽt, vt iucundè volitent cura & labore ſolutæ, vt ſaltu ramos inſiliant atque tranſiliant, vt colludant in auiariis, & ſe dominóſque delectent? Quid hœdi tenellíque agniculi, vt infeſtis ſe capitibus nondum cornutis impetunt ſine felle aut iracundia? Columbæ circum præaltas turres turmatim volitant, nunc circulũ integrum conficiunt, modò ſemicirculo contentæ iter remetiuntur; Quos autem illæ in aëre ludos agitant, hos in Oceano delphini, in planicie pulli equorum ſponte agitant. Quid catelli, quid paucorum menſium feles, vt luctantur inter ſe, vt ſe mutuo deiiciunt reſurgúntque celeriter, vt ſe humi verſant reuerſantque, vt ſe morſu vexant innoxij, & mordicus impunè trahunt, aut mira celeritate in orbem acti propriam caudam dentibus petunt. Quantum voluptatis iunior felis haurit in captiuo mure? vt illum aliquando inſtar pilæ huc

Pſal. 144. 16.

illúcque vtroque pede pellit alternis, repellítque? quoties & in altum tollit, & affligit humi? vt spernit hostis infirmitatem, vt modicè progredi finit libertatis auidum, móxque saltu in eum inuolat, certátque illudere capto. Quæ omnia non ita quotidianas istorũ animalium delectationes ostentant & ludos, quàm dulcedinem amantissimi conditoris, qui hanc eis iucunditatem, & quasi fælicitatem inseuit.

CAPVT V.

Dulcedo diuini amoris erga hominem.

EX his non difficilis est coniectura, quanta erga hominem suauitate vsus sit mundi architectus, in cuius gratiam non solùm cætera animantia, sed totus hic aspectabilis mundus ab eo conditus fuit. Nec dubitandum videtur hunc Conditoris amorem etiam aduersus Angelos, qui principem inter res creatas dignitatis & antiquitatis locum tenent, dum essent in via, dulcem fuisse, sed peculiares aduersus eos amoris delicias non didicimus, nisi quod in cœlo ipso empyreo conditi, insignibus naturæ gratiæque donis ornati, breuíque tẽpore stadij sui curriculo defuncti, ad claram Dei contemplationem admissi sunt. Eos autem quos superbia sua fœdifragos fecit ac perduelles, è throno Dei fulgur egrediens, eorúmque ora verberans turpiter deformauit, & Tartaro in sempiternum afflixit. At humana negotia, Deíque erga homines mellitus amor, apertior nobis illustriórque est. Videtúrque Dei circa istos secundo genitos amor, sicut Iacobi Patriarchæ erga Iosephum & Beniaminum, tenerior extitisse.

I. *Num quæ dulcedo diuini amoris in Angelos.*

Ostendamus ergo prædulcem Dei amorem erga hominem, primùm præsertim, & populum à Iacobo propagatum, tum erga dilectos suos longè dulcissimum, tam in Mosaica lege, quàm Euangelica. Deinde patefacta profani amoris acerbitate, demonstrandum erit quomodo diuinus Iesu Christi amor, fel omne laborum eius, cruciatuum, & probrorum in dulcedinem conuerterit. Postremò quomodo idem miraculum Christi discipulis magistrum imitantibus contigerit. Amplissima rerum suauissimarum sylua se nobis aperit: sed cohibendus erit stylus, & retinenda mediocritas, etiam in isto melle. Scimus enim à Salomone dictum, *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* & satietatem fastidium consequatur. Prou.25.16.

II. *Propositio deinceps dicendorum de hac dulcedine.*

Principio dulcis Dei erga hominem amor in ipso rerũ ortu, tam in eo producendo quàm conseruando innotuit. Est enim in illius productione suauitatis indiciũ, quòd cæteris rebus procreandis satis habuerit dicere *fiat*; homine autẽ in lucẽ edendo dixerit *faciamus.* Quasi diceret; quod

III. *Dulcis Dei amor in hominis productione.*

ad lucem attinet & firmamentum, solem & stellas, pisces & aues, satis est mihi annuere vt fiant. At cùm ventum est ad *sanctius hoc animal, mentisque capacius altæ, faciamus hominem*, volo ego ipse illius videri singulariter architectus: quamuis sit reuera cæterorum omnium artifex, iuxta illud Dauidis. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.* Cúmque cura diuinæ prouidentiæ nullam rerum creatarum excludat, singularem tamen erga hominem prouidentiam illa eius verba significant, *Instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Sic paterfamilias felicem quandam arbusculam, adamatam, propria plantatam manu colit, rigat, emundat, inserit, neminémque patitur, præter vnum se illam attingere. O stirpis ingenuæ frutex, quantum diligeres herum tuum, si quomodo posses?

Psal. 8. 4. *Psal. 31. 8.*

IV. Videamus ergo quo se modo erga hominem gesserit humanissimus ille hominum sator ac parens. Apparet sanè, si quis attentius Scripturam loquentem audiat, Deum ipsum per sese collegisse puluerem, in eum infudisse aquam, miscuisse, & subegisse, lutíque massam confecisse, ex eáque hominis vnius statuam, per singula membra, à capite ad calcem conformasse, tum halitu in faciem effuso, eundem animasse, & supra pedes suos erexisse. *Formauit*, inquit, *Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Nec minore erga Euam comitate vsus est: educta ab Adami latere costa vna, cáque materia amplificata, formauit atque ædificauit mulierem, quæ Adami socia esset & coniux, & ambo essent humanæ gentis radix ac stipes.

Vide t. 1. Annal. die 6. n. 18. *Gen. 2. 7.* *Adami & Euæ.*

V. Agnosce hîc duo dulcis amoris argumenta, vt enim viro amorem ingeneraret vxoris, eam ex eius latere eduxit, quod cor primariam amoris sedem circunstat, non ex capite aut pedibus, quod æquè illi erat in promptu, ne vel occasionem viro contemnendæ mulieris, vel mulieri superbiendi præbuisse videretur. Et sicut latera brachiis subsunt, eorúmque præsidio muniuntur, sic & vxor coniugi subsit oportet, eiúsque viribus atque industria protegatur. Accedit alterum eiusdem amoris indicium. Nam quia similitudo amoris causa est, vti diximus, quod ad corpus attinet, voluit similem esse viro mulierẽ, & quod ad animum, vtrumque similem Deo, intellectu præditos & voluntate, libertate, immortalitate, bonitate, iustitia & sanctitate, scientia quoque, & singulari in omnia, quæ corpore constant, dominatu ac potestate, vt eum ad hominem crebro inuisendum hæc similitudo inuitaret, cùm se ipse in homine, vt homo in speculo cerneret: & alioqui constet vt oculo Domini equum pinguescere, sic paternis oculis filios multo euadere meliores; amor enim patris otiosus esse non potest.

Et in eo duo dulcis amoris argumenta.

VI. Transeo ad huius hominis educationem, vt in ea dulcem ac planè paternum in illum amorem obseruem. Vbi enim illum fortem ac validum, perfectæque ætatis condidisset, noluit eo tanquam fabro ferrario,

Et in eorundem educatione.

in vstrina vti, aut lapidicida in latumiis, aut metallorum fossore in fodinis, aut reorum vel ferarum ergastulario, in ergastulis: nec eum aqua & furfuraceo pane, vel castaneis & glande nutriri voluit; sed eum illico in Edem, amœnissimum deliciarum locum transtulit, vt in eo animi gratia excolendo, seruandóque oblectaretur. Dominum illum esse voluit, & super infinitam famulorum turbam, omnia videlicet animalia, obtinere principatum: sic vt pecudum aliæ ei cibos, aliæ vestimenta suppeditarēt: quædam illum dorso gestarent, & quo ei cumque libitum esset circumferrent, aliæ illi terram proscinderent, aliæ onera gestarent aut traherent, quædā eum iucundissima delectatione reficerent; oculos eius pauo pulchritudine sua, simia ridicula deformitate recrearet, vt philomela & carduelis musica sua, vt graculus & psittacus voce pene articulata eius demulcerent auditum. Quid balsamum dicam, aut felinum sudorem? quid moschum & rosas, & innumera genera florum odoratorum, quibus hortus ille totus inhalabatur, vérque perpetuum ostentabat, & mirificè tenebat odoratum. Gustatui omnes terræ arborúmque fructus permisit, vnica excepta, idque non parcimoniæ causa, aut defectione beneuolentiæ; sed vt se ita Dominum sciret, vt alteri nihilominus Domino se intelligeret esse subiectum. Denique ita abblanditus est tactui, nihil vt ei subtraheret, quo recreari posset.

Nimirum hæc erat parentis in mollē & delicatum filium indulgentia. Sed idem ei contigit, quod pueris blandius enutritis, qui abutentes indulgētia, fastidiosi iussa indulgentioris parentis negligūt, atq; contemerant. Sunt & aliæ in hominem istum dulcioris parentis blanditiæ, vt qui eum omnium seculorum lōginquitati, aduersisq; casibus parem esse voluerit, ipsúm-que adeo corpus eius, tametsi è terra, elementísque inter se pugnantibus conflatum, mera ex gratia non morbo, non dolori, non morti obnoxium esse permiserit: omnem ab intellectu errorem & fallaciam, à voluntate malitiam, à corporeis motionibus perturbationem, à phātasia inconstantiam, & excursionem vagam semouerit: intelligentiæ claritatem, voluntati dederit propensionem in bonum consentaneum rationi, memoriæ facilitatem & firmitatem. VII. *Alia in hominem delitia.*

Vt autem nihil ei planè aut intus deesset, aut foris, dedit illi Dominus custodem angelum & gubernatorem, è regia sua eductum principem, qui curam illius, etiam admisso peccato, gereret, regerétque illum in omnibus viis suis; illúdque impleretur, *In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*: aut corpus defatigatione ingrauescat. Et ne quam ei molestiam discendi qualiscumque labor afferret, quamuis talem haberet doctorem, eóque familiariter vteretur, primùm tamen illum hominum omnium rerum naturalium cognitione muneratus est, quantum necesse erat ad mundanæ istius Reipub. gubernationem; spiritalium autem & diuinarum, ad quarum fruitionem conditus fuerat, tantam habuit scientiam, quantam quatuor ipsis annorum millibus ne- VIII. *Maximè in custode, & gubernatore Angelo.* Psal 90.

mo posterorum; ne Salomone quidem, aut vllo Patriarcharum, vel Prophetarum excepto.

IX. *Conclusio.* Cùm autem istæ omnes gratiæ, aut eorum certè pars maxima, omnium temporum, locorum, ætatum posteritati communes futuræ fuissent, nisi diuinum imperium fuisset à primo illo parente violatum, ecquis posset omnino maius aut certius desiderare à Deo dulcissimi erga homines amoris argumentum, aut indulgentissimi parentis aduersus filium
Isa. 5.4. vnigenitum benignitatem? quomodo non meritò vsurpet illud, *Quid est quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* & rursum illud, *Si filius honorabi-*
Iere. 31.20. *lis mihi Ephraim, si puer delicatus*, num qua maiore ergo illum dulcedine, vel indulgentia vti potuissem?

CAPVT VI.

Dulcedo diuini amoris erga populum Israeliticum.

I. *Explicatur comparatione multiplici.* HIc ipse dulcis amor singulariter agnoscitur in illa suauitate, qua vsus est Dominus erga Israëlitas, quandiu fuit populus eius, quamquam magna ex parte contentiosus, querulus, rebellis, & idolorum seruituti subinde turpissimè mancipatus. *Parasti*, ait Dauid, *in dulcedine tua pauperi Deus*, quid autem parauit? nisi quod crebrò inculcat Moses, terram lacte & melle manantem, vt eo melle corda improbi populi, & dulcis amoris expertia dulcescerent. Iis tamen erga eum blandimentis est vsus, quæ ipsemet confert blanditiis matris filiolum tenere diligen-
Esa 66.13. tis. *Quomodo si cui mater blandiatur*, inquit, *ita ego consolabor vos, & in*
Exod. 19.4. *Ierusalem consolabimini. Ad vbera portabimini, & super genua blandien-*
Deuter. 32. 10.11. *tur vobis.* Quid illa? *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Eandem dulcedinem celebrat Moses in cantico suo moriturus. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas*, nubem intelligit, qua ab ardore solis protegebantur, *& assumpsit eum, atque portauit in humeris suis, denique custodiuit quasi pupillam oculi sui.*

II. *Materni amoris.* Mater non deserit tenellum infantulum; sed illũ perpetuò respicit, aut si cuiuspiam illum curæ permittit, vtique fidelissimum quærit, eúmq; illi studiosè commendat. *Intellectum tibi dabo*, ait Dominus, *& instruam te*
Psal. 31. 8. *in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.* testis columna nubis & ignis, populum noctu diúque deducentis, testis & ipsa fœderis Ar-
Deut. 20.4 ca, ob quam dicebatur Dominus esse in medio populi sui. Nihilominus vide vt illum Mosi commendarat: sic enim ille gemit apud Domi-
Num. 11.12 num. *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum:* si fleat filius aut clamet, illico accurrit mater. Is-

raëlitæ ab Ægyptiis oppressi gemunt, & clamore auxilium à Deo petũt. Exod.2.23.
A Deo exauditur clamor, descendítque vt eis opem ferat. Ac sæpe ne &ca. 3.7.
clamorem quidem præstolatur. *Antequam clament*, inquit, *ego exau-* Esa. 65. 24.
diam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Psal. 9. fi.

III. *Aduersus teneros filios*

Mater cupediis nutrit puerulum molliorem. Deus manna, cuius erat gustus suauissimus, totum hunc populum ipsos 40. annos enutriuit, etsi maxima pars eorum obtrectationibus subinde contra Deum indulgebat, & contra Moysem seruum eius. In eorum gratiam *eduxit mel de petra*, vt ait Moses, *oleúmque de saxo durissimo*, id est aquam instar mellis dulcem, & instar olei roborantem. Mater elegantia vestimenta filio curat, eáque studiosè conseruat. Nónne Deus affectum hunc maternum erga hunc populum patefecit? *Adduxit vos*, inquit Moses, *quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Quid amabilius tanto Domino, qui cogitationem prouidentiæ suæ, ad calceos vsque seruorum suorum demittit? Denique cùm diceret Sion, *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Respondit Dominus amantissimè. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*, tanta est dulcedo amoris eius, qui seruos suos descripsit in manibus suis, sed calamo clauorum ferreorum; manus autem, quæ semper sunt obuiæ, & quæcunque reperiuntur in eis obliuioni tradi non possunt; multóque minus, quæ altè in corde plusquam materno impressa fuerint.

Deut.32.13. Theodoret. Deut. 29. 5. & 8. 2. Isa.49.14.15 16.

CAPVT VII.

Dulcedo diuini Amoris erga singulares Dei amicos, & nominatim in lege Mosaica.

I. *Diuini amoris dulcedo.*

QVOD si tanta fuit diuini Amoris suauitas in populum, iis moribus præditum, quales fuisse Israëlitas eo tempore, sacræ literæ cumulatè docent, qualem quantóque suauiorem fuisse putandum est erga præcipuos amicos, & apud se valde gratiosos? Nulla profectò dulcedinem illam explicare possit oratio, ne illorum quidem ipsorum, qui eam degustarant, vt Paulus Apostolus, vt religiosissimus Bernardus; nam ille raptus in paradisum arcana se verba fatetur audisse, *quæ non licet homini loqui*, vel quæ quis effari non possit. Huius autem sunt mellita illa cantica, *Iesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia, sed super mel & omnia, eius dulcis præsentia.* Et rursum. *Nil canitur suauius, Auditur nil iucundius, Nil cogitatus dulcius Quàm Iesus Dei filius.* Aliáque id genus non pauca. Quin & Deus ipse aliquã earum deliciarũ coniecturam inexpertis dare voluit, in illo diuinissimo cantico, in quo sponsus cælestis & sponsa, Deus scilicet & anima religiosa colloquẽtes, produnt mellifluos amores suos.

2.Cor.12.4.

II. *In patriarcham Abrahamum.* Sed illa nunc quidem arcana verba parum intellecta mittamus, & illam quam quærimus dulcedinem inuestigemus in rebus ipsis, egregiis diuinæ suauitatis, & beneuolentiæ argumentis, quæ diuersis temporibus, locisque, amicis suis exhibuit: firmior erit probatio, & luculentior, quæ ab experientia petita erit. Dulcedo enim mellis melius linguæ ipsius experientia cognoscitur, quàm copiosa expositione verborum. Et priscis quidem illis Patriarcharum temporibus non multa huius dulcedinis exempla reperiuntur, quamuis intima cum Deo amicitia coniuncti essent, quod legi gratiæ huiusmodi gratia reseruaretur; eos tamen legimus Deo placuisse, & ambulasse cum Deo, quod est non solùm sanctè & inculpatè viuere, & diuina amicitia frui, sed eius etiam præsentia, & familiaritate gaudere. Certè cùm magnus ille Abrahamus orbitatem suam, cum familiari gemitu, & amica querela repræsentaret Deo, eum ipse amicè miseratus, statimque suauiter verbis factísque consolatus est. Nam & hæredem ei promittit ab ipso genitum, & manu prehensum vt amicum peramanter educit foras, micantes in cœlo stellas ostentat, & parem filiorum multitudinem pollicetur.

Gen. 15.2. & seqq.

III. *In Moysem.* an. mun. 2464 & 70. n. 28. & 27. Nonne diuina aduersus Mosen prouidentia miræ dulcedinis plena est, quæ Nili fluctibus in scirpea fiscella permissum, non liberauit solùm, sed illam ipsam permissionem ad eius interitum destinatam, in eius gloriam ac salutem conuertit? Quid dulcius adoptione filiæ Pharaonis, materna educatione, institutione paterna? Quid suauius ea amicitia, quàm illa eiusdem Mosis verba demonstrant, *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, & notas audire & reddere voces. Sed & Dominus ipse cùm amici sui patrocinium, aduersus Mariam & Aaronem suscepisset, alióisque prophetas præ Mose abiiceret, *At non talis*, inquit, *seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Quàm dulcis est hic amor, qui iudicem vertit in patronum?

Exod. 33.11.

Num. 12.

IV. *Et regem Ezechiam.* 4. Reg. 20. Nec minorem expertus est religiosissimus rex Ezechias diuini erga se amoris suauitatem. Cùm enim Dominus eius lachrymas conspexisset, quas tristis de imminente, atque immatura morte nuncius excusserat, supplicésque illius audisset preces, quasi commotis præ teneritudine animi & commiseratione visceribus, mortis sententiam illico reuocauit; Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens, *Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei:* num ignorabat Isaias Ezechiæ dignitatem? nimirum blandientis est ista vox hoc loco, quæ seuerè fuerat paulò antè in mortis denunciatione prætermita. Et rursum qui dixerat sine vlla honoris appellatione, *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues*, nunc seueri Iudicis persona deposita, mollioris amici verba, factáque repræsentat. *Hæc dicit*, inquit, *Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas,*

tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos, sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, &c. vides quàm amabiliter lacrymas illas abstergat? Neq; his contentus, in eius gratiam solem iussit decem horis ad ortum retrocedere, vnáque cœlestes orbes vniuersos. Tanta fuit Dei aduersus amicum suum indulgentia. Vide an. 3322. n. 95. & seqq.

V. *Et vtrumq; Tobiam.* Tob. 12. 15. Sub hoc ipsum tempus, non minorem, vt arbitror, expertus est Tobias vterque, eorúmque amici propter eos, diuini amoris suauitatem, misso à Deo cœlitus vno de septem principibus, qui astant throno eius, qui patris cæcitatem depelleret, qui filio dux esset & comes in regionem longinquam, qui eum de belluæ faucibus eriperet, qui felices ei nuptias & opulentam conciliaret hæreditatem, qui sponsam à cacodæmone, totámque eius familiam ab ingenti luctu liberaret, qui longiùs etiam quasi nuncius ad recipiẽdam pecuniam excurreret, qui deniq; bonis omnibus patrem, filium, sponsam, socerósque cumularet. Quanto se beneficio affectum à rege putaret aulicus, qui ab eo prætorianum aliquem ad curanda negotia illius accepisset? Sed iam ad legem euangelicam transeamus.

CAPVT VIII.

Dulcedo diuini amoris in Euangelica lege. Et primò aduersus Beatissimam Virginem.

QVORVM amicitia iam ab antiquo solidissimis virtutum nititur fundamentis, minus necessariam habent lacteam quandam verborum dulcedinem, agendo inter sese. Est enim lacteus hic potus infirmitatis argumentum. *Tanquam paruulis in Christo*, ait Apostolus, *lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* sic ille cum Corinthiis recens ad fidem conuersis. Et rursum cum Hebræis, *cùm deberetis magistri esse propter tempus, facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Itaque Christus Dominus discipulos suos non rarò in faciem obiurgat, vt Petrum, vt filios Zebedæi, vt Thomam, vt Philippum. At discipulos Ioannis, qui alienæ personæ tegumento culpam suam fideíque defectũ velabant, non reprehendit: Natanaëlem quoque quasi nouitium laudat. Itaque ne matrem quidem vnquam coram populo, aut blandè compellat, aut laudat; durioribus potiùs verbis vtitur, quæ amoris soliditatem, quæ amati fortitudinem exerceant, & probent: etsi tanto illam amore prosequebatur, quanto vix Ecclesiam vniuersam.

I. *Christus an egeris cum matre blandius.* 1. Cor. 3. 2. Hebr. 5. 12.

II. *Suauitas amoris in Virginem ex Canticis.* Nihilominus si placet suauissima Sponsi verba, quæ habentur in Canticis, de hac beatissima Spiritus sancti Sponsa, cum omnium doctorum choro interpretari, facilè intelligemus hanc amoris diuini cum sacrosancta Virgine suauitatem, nulla fieri potuisse accessione maiorem; eáq; verba cum illa vsurpari, quibus sponsus amantissimus sponsam alloquitur,

non secus ac cor suum, oculósque dilectam. Quod enim saccharum dulcius illis verbis reperias, *Surge propera, amica mea, columba mea, formosa*
Cant. 2.10. 14. *mea, & veni.* Nónne nectarea est illa vox, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Nónne spirat ambrosiam illa laus, atque admiratio. *Quàm pulchra es amica*
ca. 4. 1.7. *mea, quàm pulchra es.* Deinde singillatim enumeratis pulchritudinis vniuersæ partibus, quasi versum intercalarem iterat, aut cum epiphonemate
ca. 4. 9. concludit, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Nónne deniq; supra nectar & ambrosiam dulcescit illud, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum* cõiectu, *in vno crine colli tui.* Num quis fauus mellitius est illis labiis, ex quibus tam mellita verba prodierunt? Sed quia facta magis amorem quàm verba probant, facta quoque tangamus.

III. *Ante despõsationẽ eius spiritales deliciæ.*

Principio fatendum est totã vitam beatissimæ Virginis ab immaculata illius conceptione, vsq; ad angelicam annunciationem, plenam fuisse spiritualibus deliciis. Sibi enim placebat Deus in lectulo regio sibi præparãdo, ornandóq; iis monilibus, quæ erant in cœlo pulcherrima, atque pretiosissima. Oportuit quippe illã fieri in oculis regis longè gratiosissimam:
Psal. 44.12. iuxta illud, *Concupiscet rex decorem tuum*: illúdque de ea verissimè à Sa-
Prou. 31.29. lomone deprędicari, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es,* non singulas modò filias Hierosolymæ cœlestis, sed *vniuersas.* Neque enim par erat quemquam seruorũ Dei, aut ancillarũ, adeóq; neque vniuersos, plus aut æque gratia valere apud Dominũ ea, quæ futura erat filia patris, mater filij, sponsa Spiritus sancti, *vna Dei pariter filia, sponsa, parens.* O qualem duxit Virgo plus decem annis in templo vitam! quo illam oculo S. Trinitas perpetuo aspexit! quàm frequentes vtrimque legationes extiterunt! quanta cordis eius exultatio, cùm angeli quotidianam illi annonam deferrent, aut cum spiritali gaudio in contemplatione rerum diuinarum absorberetur.

IV. *In desponsatione, & Incarnatione.*

Quàm dulcis fuit illa prouidentia, qua sanctissima Virgo, viro per diuina prodigia electo, in sponsam data est, vt testis esset & custos purissimæ integritatis, vt peregrinationum dux & comes, vt calumniarum aduersus matrem ac filiũ oppressor, vt vtriusque, modico opificij sui quæstu, educator, ac nutritius parens. Quando autem tempus appetiit, quo à diuino Verbo assumenda fuit humanitas, & id mysterium futuræ matri patefaciendum, nónne eximia erga illã suauitate vsus est, vt virginitatem Deo consecratam, cuius illam mirificè studiosam videbat, etiam concipiendo
Esa. 7.14. filio, pariendóque seruaret, sicque inaudito post homines natos prodigio, & virgo simul esset & parens, vt diuino quondam oraculo fuerat pronunciatum. Ergo *Partus & integritas discordes tempore longo,*
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

V. Infinitus profectò sim, si habenas orationi meæ laxare voluero, in com-

memoranda dulcedine, quam recens natus filius propinauit amantissimæ matri, quæ amabilior erat omnibus cœli ciuibus, omnibúsque terræ incolis, & à qua sciebat gratissimus filius tanto se amore diligi, quanto nulla vnquam filium dilexit mater. Quantum suauitatis habuerunt illi complexus, illa oscula, aut è collo pendentis, aut materno in gremio residentis! vt nequibat expleri mentem, ardescebátque tuendo, non inscia quantus insideret genitrici Deus. Quid dum virgineum lac sugeret, & dulcem pro eo refunderet, atque inspiraret amorem, quanto vterque gaudio perfundebatur? Quantum dulcedinis rependebat matri filius, dum hic ex dolore circuncisionis in sinu matris, brachiísque lachrymaretur, illáq; lacrymas eius abstergeret, & quibus eum posset modis consolaretur. Qui erant oculorum coniectus sapientissimi infantis in parentem, dum ab ea deferretur in templum, dum solenni ritu offerretur Deo, dum quinque siclis redimeretur, dum solum verteret fugitiuus, & in fuga à matre circunferretur: eíque mox puer officiosissima obsequia domi occuparet vltro, atque exhiberet.

Deliciæ eiusdem cum nato infantulo.

VI. *Et cum eodem resurgente.*

Ecquis erit finis, si singula persequamur? Ad finē ergo trāscurramus; sed cogitemus potiùs rem quàm dicamus. Quæ enim lingua dicere, imò quæ mens cogitare queat, quem lætitiæ sensum, quam exuberantem delectationem infuderit materno pectori resurgens filius, non oblitus societatis eius ad crucem, atque lacrymarum. Cùm enim insomnem illa noctem in precibus exemplo filij traduceret, suíque Solis ortum opperiens cum Dauide diceret, *Exurge gloria mea*, amor meus, spes mea, consolatio mea, & omne bonum meum, veni & dissipa has tristitiæ nubes, refer atque restitue amissam tecum serenitatem, collige oues tuas bone pastor, atque magnanime, qui pro eis posuisti animam tuam: cùm hæc, inquam, aliáque suauissimè ingeminaret, ecce dulcis cum luce spiritus sacrum afflat cubiculum, simúlque Iesus cum veste gloriæ, coram, inquit, quem quæritis adsum. Illico mater, effusa ad eius pedes, vulnerum cicatrices exosculatur; sed eam filius erigens, *osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* Hîc ergo amplexus, hîc oscula, quæ vincunt mellis pocula, quàm fœlix Iesu copula, vt ait Bernardus. At noua hæc regina Saba non habebat vltra spiritum, in contemplando Salomone suo.

Psal. 56. 9.

Cant. 1.

3. Reg. 10.

VII. *Et in Assumptione sua.*

Reliquus est mihi expectatissimus matris in cœlum transitus, atque illibatus delitiarum thesaurus, quæ angelos ipsos assuetos cœli deliciis, aulicos æterni regis attonitos reddunt, illámque vocem plenam stuporis eliciunt. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Quidni enim admirentur personam tam mirabilem, in huius vitæ deserto educatam, in hoc infœlici exilio, in hoc aculeato senticeto. Ecquis istas assequatur cogitatione delicias, quas videntur ipsi angeli non potuisse, præ earum excellentia, reserare? Suspicari possumus gratias non vulgares, sed exquisitas, quales sunt in cibis deliciæ, in vestibus, in amicitia, & penitus incomparabiles; quales

Cant. 8. 5.

Prou. 8.31. innuit æterna Sapientia, quæ ait delicias suas esse cum filiis hominum. Sed, vt cæteras missas faciam, quales fuerunt in illo triumpho amoris contemplationísque deliciæ, cum diuinæ essentiæ visione coniunctæ? Si ne minimi quidem immortalium gaudium potest in cor hominis mortalis ascendere, quis æstimet illas delicias, quæ pectus reginæ sanctorum omnium inundarunt?

VIII. *Vnde illi hæ deliciæ.* Sed vnde tibi istæ deliciæ, ô regina, nisi quia *innixa es super dilectum tuum*? Hæc enim origo, hic fons omnium deliciarum tuarum. Ille crebro vel cùm infans in vtero claudebatur, vel cùm puerulus in brachiis ad lac sugendum gestabatur, vel gremio insidens cum Ioanne præcursore suo colludebat, innixus fuerat supra dilectam suam, quidni vice versa nunc ipsa innitatur super dilectum suum? & impleatur illud *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circũdata varietate.* Sed quo fructu? Ioannes Euangelista in sacra illa cœna, innixus super dilectum suum, mœrens ipse super moriturum, hausit secreta illa profundissima, quæ mundus admiratur vniuersus; hausit spiritum amoris & charitatis, quo flagrabat totus, & quem scripta eius omnia vndique spirant: quid de matre non vltra in statu mortalitatis constituta dici par est? Maria Magdalena innixa super Domini pedes, in eósque vim lacrymarum profundens, *facta est de lebete phiala, in vas translata gloriæ, de vase contumeliæ*, quid cogitare decet, de hoc vase aureo, de hac domo aurea, de hac turri eburnea, de hoc monili augustissimo, quod nixum super brachium Domini, & filij sui, ipsum osculabatur osculo oris sui?

Psal. 44.10.

CAPVT IX.

Dulcedo diuini amoris erga vtrumque sanctum Ioannem.

I. *Amor in Baptistam nondum natum.* INCIDIMVS obiter paulò antè in vtrumque Ioannem, dum de dulcissimo filij in Virginem matrem amore loqueremur; nunc de vtroq; seorsim dicamus aliquid, & Christi Domini prædulcem in eos amorem delibemus. Eius indicia clarissima in Præcursorem suum nondum natus edidit, & in gratiam illius in parentes eius; suæ cognitionem præsentiæ illi præpropere dedit, dum in materno adhuc vtero versaretur, voluitque eum exultare gaudio, & anticipato rationis vsu, per actum proprium sanctificari, & repleri Spiritu sancto, & multos propria natiuitate exhilarare.

Et nascentẽ. Illud autem quanti faciendum esse dixerim, quòd illam ipsam matrem suam sanctissimã, voluerit esse Præcursoris sui quasi obstetricem, vt quæ princeps illum manibus suis ex materno primum vtero prodeuntem exceperit, benedixerit, osculata sit, obtulerit Deo. Et sicut regibus solenne est, si quos singulari amore prosequuntur, eos opibus, honoribúsque

Matt. 11.11. cumulare. Sic Seruator Ioannẽ suum ita gratia extulit & sanctitate, nullus vt maior inter natos mulierum aliquando surrexerit.

Nec minor aduersus Ioannem alterum amoris Christi Domini sua- II.
uitas: Ille enim ipse Euangelista de se profitetur fuisse se *discipulum il-* *Et in dilect~ discipulum.*
lum quem diligebat Iesus; idque rebus ipsis perspicuè confirmatum est, Ioan. 21.20
quando permissus est supra pectus eius in cœna recumbere, quando ip-
sum nobilissimum Euangelij sui scriptorem esse voluit, qui altissima
omnium mysteria sacrosanctæ Triados, & diuinæ humanæque naturæ
consociationis, mundo luculentius enunciaret; quando regni sui, quod
est Ecclesia, summos illi dignitatum gradus liberalissimè concessit,
Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, Doctoris, Martyris quoque quantum
in ipso fuit, Confessoris, & Virginis, quæ omnia cui vnquam morta-
lium contigere? Vt omittam magnitudinem & copiam, in vita longis-
sima meritorum.

Verùm nescio quomodo hæc omnia alia quadam excellentissima III.
Ioannis dignitate obscurantur: ea videlicet prærogatiua, eóque legato, *Adoptatum in filium*
quo illum Christus abiens è viuis muneratus est, matre sua illi in ma- *Virginis.*
trem concessa, sic vt matris augustissimæ fieret adoptione filius, & filij
vnigeniti frater. O dilecte discipule quàm nobilem inuenisti thesau-
rum. Potes vtique negligere præ illo cætera bona tua; pluris est enim, si
à Deo magistróque vno discesseris, bonis omnibus, quæ vniuersa re-
rum natura comprehendit. Magnus omnino fuit Seruatoris in Petrum
amor, quem voluit Ecclesiæ suæ, quam vitæ suæ, sanguiníque pretio-
sissimo antetulerat, esse pastorem. Eius tamen in Ioannem amor nihil
illi cessit, quando illi matrem commisit ac credidit, quam pluris facie-
bat, quàm reliquam omnem multitudinem electorum. Proh quale gau-
dium, quale Charitatis incendium, ô dilectissime discipule, in cordis
tui fornace succendebatur, cùm te illa Angelorum regina vocabat fi-
lium, diligebat vt filium, tractabat vt filium. Non est quòd vltra Iaco-
bus frater Domini nominetur, nouo Virginis filio debetur hic titulus,
vt consentaneum est dulcissimo amantissimi magistri testamento.

CAPVT X.

Eiusdem amoris suauitas erga Apostolos.

QVAM dulci, quámque amabili ex pectore aduersus Apostolos I.
prodiit facinus illud Christi Seruatoris, cùm sub finem vltimæ *Christus abiturus ad*
cœnæ, ante institutionem Eucharistiæ sacrosanctæ, calicem mero ple- *mortem Apostolis pro-*
num accepit, eóque libato Apostolis tradidit, iussítque omnes ex eo *pinat.*
bibere, contestatò denuncians se vinum non bibiturum ante aduentum Matt. 26.29
regni Dei, id est donec victor mortis regnaret à ligno. Ex quo perspicuè
intelligitur, id quod mox peracta cœna in calice bibit, sanguinem suum
esse, non vinum. Siue autem is ritus fuit omnium, qui simul agnum

paſchalem comedebant, vt eodem ex calice omnes biberent, ſiue id ſingulare fuit ſuauiſſimi Seruatoris inuentum: nónne id eximiæ humanitatis fuit, vt vna vel altera hora dumtaxat, antequam in ſatellitum manus, carnificúmque raperetur, valedicat diſcipulis ſuis, eiſque peramanter propinet, moneátque quodammodo, vt & ipſi bibentes, magiſtro ſuo propinent.

II. *Ad mutuum amorem inuitat.* Luc 22. 17. O mitiſſime, atque humaniſſime Ieſu, quàm amabili ex corde prodiit illud, *Accipite & diuidite inter vos.* Quaſi diceret, Iuncti eſtote mecum beneuolentia, & mutuo inter vos ac fraterno amore, ſicut in hac potione iungimur. Recordamini mei in vos amoris, quem vobis hoc ipſo in triclinio, in quo vltimùm comedimus & bibimus, humaniſſimè patefeci, eúmque mihi mutuum reddite; quamuis imminente, iam iámque ingruente in me, vóſque omnes tempeſtate, quæ vos à me violenter auulſos, huc illúcque differat, atque diſiiciat. At enim, ô dulciſſime Ieſu, nónne animaduertis lupum illum inter oues errantem, nec earum aliquam, ſed paſtorem ipſum viperino morſu lacerare cupientem? *An & Iudæ propinat?* Animaduerto vtique, inquit, ſed ego nihilominùs in aurem cordis eius hæc inſuſurrabo. Tu me prodis ô Iuda, ego nihilominùs hunc tibi calicem propino. Vendidiſti me dudum inimicis meis, qui dulces mecum tanquam familiaris ac neceſſarius, capiebas cibos. Nunc autem, vt vale tibi dicam, & cor tuum ferreum mea dulcedine molliam, propino tibi, & gratiam, ſi qua reſidet in te, prouoco.

III. *Somnum Apoſtolis ironicè permittit.* Fateor ſentire me tenerum cordis motum, in cogitando illo altero facinore ſuauiſſimi magiſtri, erga diſcipulos ſuos, in Oliuetano monte, ipſo vehementiùs orante, dormitantes, quando ſecundò excitatos, eorum miſeratus triſtitiam, (S. enim Lucas fatetur eos ſomno triſtitia degrauante conſopitos) iucundo eam verbo ſubleuare voluit, & ſomnum importunum excutere; cùm tamen ipſe longè maiore triſtitia, & mœrore mortifero affligeretur, & proximè ſanguineo ſudore manaſſet, vltimum denique expirantis hominis diſcrimen adiiſſet. Cùm ergo immineret hoſtis, nec vltra iactum lapidis ab ipſis abeſſet, ironicè illis &
Marc. 14. 41 pene ſubridens ait, *Dormite iam & requieſcite.* Quaſi diceret, nunc ſcilicet tempus eſt dormiendi; ſtatímque ſerio, atque aſperiore ſono,
Matt. 26. 45 *Sufficit,* inquit, ſatis dormitum eſt, *ſurgite eamus, ecce qui me tradet prope eſt.* Et quidem tam prope, vt adhuc eo loquente, adfuerit Iudas cum hoſtili turba.

IV. *Thomæ voluntati ſuauiter acquieſcit.* A prædulci quoque amore Seruatoris in ſuos, profecta eſt illa gratià in Apoſtolum Thomam; qui cùm magiſtrum à mortuis excitatum credere nollet omnino, niſi ea lege, vt manum ſuam in Domini latus immitteret, & digitos vacuis clauorum locis insereret, conditionem accepit mitiſſimus Dominus, vt hominem in ruinam inclinantem erigeret, videndum illi ſe, imò palpandum obtulit, vltróque cunctantem acceſſiuit. Necdum enim animoſam illam vocem Thomæ ad condiſcipulos

erat oblitus. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Ergo incredulum suauitérque monitum pristinæ fidei, sociorúmque collegio restituit. Fuit hoc necessitatis opus, quod alio quoque loco non minus opportunè referetur. Adde hîc alterum non necessitatis, sed comitatis dumtaxat, & dulcedinis exquisitæ. Vidit Petrus magistrum aquis inambulantem, & mox, *Domine*, inquit, *si tu es, iube me ad te venire super aquas*, & Dominus, neque curiositatē arguens, nec iubens susceptum iter naui perficere, venire permisit. Quid non amicorum suorum temporibus facturus est, qui tam beneuolè in petitionem minimè necessariam consensit?

Ioan. 11.16.

Et petitioni Petri.
Matt. 14.28.

CAPVT XI.

Dulcis eiusdem Domini amor in Lazarum, & sorores eius Martham, & Mariam Magdalenam.

I. *Christi in Lazarum dilectio.*

LOCVPLES huius dilectionis testis est dilectus discipulus, *Diligebat*, inquit, *Iesus Marthā, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Testis & vtraque soror, quarum est illa ad Christum legatio, *Ecce quē amas infirmatur.* Et meritò sanè. Erat enim illi apud eos hospitiū frequens atque liberale, assiduéque de eo benè merebantur, totáque familia innocentia ac religione præstabat, tota cœlo destinata, tota addicta promouendo eius honori, & glorię; fidei, & saluti mortaliū. Lazarum autem, qui toti familiæ instar erat parentis, priuatim diligebat: quòd eum elegerat in quo miraculum ederet, quo nullum præstantius in aliena persona patrauit. Testes amoris singularis fuerunt dulces illæ lacrymæ, quas in eius funere profudit, quibus commoti Iudæi dicebant, *Ecce quomodo amabat eū.* Dulces lacrymæ, eísque suppares, quas in eorum commiseratione fudit, quos amoris sui flamma calefacere, & sub alis protectionis suæ, vt gallina pullos, fouere cupiebat.

Ioan. 11.5.

v. 36.

II. *Et in Magdalenam in eius conuersione.*

Amoris porro istius suauitas magis enituit in ea, quæ quondam fuerat in ciuitate peccatrix, quam Dominus concionibus suis à prioris vitæ sordibus abductam, in eius detestationem atque horrorem adduxerat. Is ipse fuit, qui in corde eius maximum contritionis ac doloris ignem accēdit, qui ora gemitibus, lacrymis oculos, vultum pudore confuderat. *Ipse eā*, ait magnus Gregorius, *per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinē suscepit foris.* Ipse est, qui ex aduersario eius factus est aduocatus, contra Pharisæum in corde suo obstrepentem: & mox aduersus discipulos de vnguenti effusione querulos, docuítque illam iacturam ex amoris abundantia fuisse profectam. Neque verò ille se eo vinci passus est, sed multo copiosiorem in eam charitatem refudit: & impletū est illud Apostoli, *vbi abundauit delictum*, ibi *superabundauit gratia.*

Homil. 33. in Euang.
Matt. 26.10

Rom. 5.20.

III. *Et oratione pro fratre.*

Ipsa fuit, quæ vehementiùs Seruatoris viscera labefecit, ad fratris excitationem è mortuis, cùm se ad eius pedes humiles abiecisset, &

Ioan. 11.32.

lacrymantibus oculis, ingemiſcente pectore, & facie luctu conturbata dixiſſet, *Domine, ſi fuiſſes hîc non eſſet mortuus frater meus*; neque enim animũ tuum aduerſus preces, lacrymáſque noſtras obfirmare potuiſſes, ſed ceſſiſſet infractus, ad vitam conſeruandam amantiſſimo ſeruo tuo, fratri noſtro, firmamento familiæ noſtræ, & ſecundum te, amicorum

℣ 33. optimo. *Ieſus ergo*, ait Euangeliſta, *vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & lacrymatus eſt.* Nec mirum: commota enim iam fuerant viſcera eius, in

Luc. 7. 11. acerbo luctu viduæ, ad Naim, funus vnigeniti proſequentis. Non minor hic eius ſenſus fuit, ſed multo plus obligationis & amoris oſtendit quàm ſuauiſſimæ lacrymæ teſtabantur.

IV. *Et à reſurrectione.*

Hæc ipſa ſuauitas Dominicæ Charitatis, poſt ipſum vitæ redditum, non obſcurius patefacta eſt, cùm Maria foris extra monumentum amiſſum magiſtrum amariſſimo fletu proſequebatur, & cognatis, diſcipulíſque ad ſua redire permiſſis, ipſa ad ſepulchrum perſtabat plorans. Cùm Seruator lacrymarum dilectæ ſuæ miſertus, longiores cum matre, quam conſolabatur, contraxit moras; & quamprimum repetito ſepulchro, mulierem plorantem adiit, & primò cum diſſimulatione congreſ-

Ioan 20. 15. ſu, *Mulier*, inquit, *quid ploras?* Sed mox abiecta olitoris perſona, conſueto pridem atque amabili tono *Maria*. Quæ vox illi dolorem omnem funditus abſterſit, arefecit lacrymas, & ſemimortuam vitæ reſtituit. Tunc enim illa de more ad magiſtri pedes, vbi ſalutem ſuam pridem inuenerat, abiecit ſeſe, cum ſuo illo *Rabboni*, quod interpretatur Magiſter, primáque diſcipulis dilectum ſuum rediuiuum nunciauit.

V. *Et ad ſanctam Salyorum rupem.*

Sed modica ſunt hæc omnia, ſi mentis oculos coniiciamus in illas delitias, quas ab aſcenſu dilecti ſui in cœlum experta eſt in illa ſpelunca, ad quam in reliquam vitam pœnitentiæ ergò ſeceſſerat; in celſa illa auguſtáque rupe, quæ illi ſorte ad contemplationem obuenerat, illa ſcili-

Luc. 10. fi. cet parte, de qua dixerat Dominus. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* O ſpecus ſacroſancta, ô nobiliſſima rupes, ô columna beatiſſima, quanta veneratione digna ſunt loca omnia, quę tu glorioſa Magdalena, habitatione tua ſanctificaſti, rigaſti lacrymis, & orationum tuarum balſamo odora reddidiſti, & vnguentis grata nobilioribus, iis quæ ebore quondam, & alabaſtro includebas. O loca religioſiſſima, terreno illo paradiſo delicioſiora, in quo Cherubinus flammeum verſat gladium; cùm è contrario mille Seraphini rupem tuam, Cantica ſuauiſſima tecum Deo, & ſponſo tuo concinentes, inambulent, pérque totos triginta annos, ſeptenis quotidie vicibus, noua nuncia de dilecto tuo referant. O Salyi quanto vobis honori, quantóque præſidio ſunt ſacroſancta lipſana tantæ heroïnæ, quæ perfugium eſt grauiſſimorum quorumque peccatorum, quæ tantum gratia valuit ac valet apud communem Dominum, ac magiſtrum. Proh quàm diuites eſtis theſauro iſto quámque fortunati. Neque enim tanto tempore

Dominus

Dominus ad scelerum vestrorum clamores obsurduisset, nisi hæc sancta peccatrix, pro impetranda vobis misericordia, suos quoque clamores sustulisset.

CAPVT XII.

Suauitas diuini amoris in nonnullos alios Dei amicos eximia sanctitate præstantes.

MVSICI illi Angelorum cantus, qui sanctissimum Magdalenæ pectus incredibili quotidie voluptate demulcebant, sanctum Nicolaum Tolentinatem in memoriam reuocarunt, qui eximiæ quoque beneuolentiæ argumento, totis sex mensibus ante obitum suum, singulis noctibus admirabilem percepit Angelorum concentum, maturè prægustator effectus cœlestium gaudiorum, vt tanto cupidius crebriúsq; apostolicũ illud elogium vsurparet, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* In quo si quis diuini amoris suauitatem non videt, nihil profectò videt. Videat certè in duobus & sanguine & charitate germanis, sanctos dico Benedictum atque Scholasticam. Nam ille adhuc adolescentulus, in gratiam nutricis suæ, precibus à Deo obtinuit, vt fictile vasculum confractum diuinitus restauraretur. Non erat vtique tanti illa iactura, vt prodigio illo reparari mereretur, sed tanti erat dulcissimi in dilectum puerum amoris demonstratio.

I. *In quibus S. Nicolaus Tolentinas.* Phil. 1. 23. *S. Benedictus.*

Scholastica verò nonne breui oratione à Deo obtinuit totus vt aër conturbaretur, & inductis nubibus de sereno pluuius fieret, vt fratrem suum vel inuitum apud se retineret ea nocte, vt de diuinis rebus diutiùs disserentem audiret. Obtinuit à Deo mulier, quod à fratre obtinere non potuit, dulcior nimirũ ac facilior est in diuino pectore, quàm in humano diuinus amor. Sed quid mirum perturbatum diuinitus aërem, ad vberiorem ancillæ suæ consolationem, cùm perturbatos sciamus, aut retardatos omnes cœlestium orbium motus, ad primam Iosue imperantis vocem, *obediente Domino voci hominis*, integram optantis eo die de hoste victoriam, quam nihilominùs postridie obtinere potuisset: sed ita factum oportuit, vt clariùs intelligeretur, quàm lenis ac facilis sit diuinus amor in gratiam amicorum suorum. Scriptum est enim, *voluntatem timentium se faciet*; nunquid & amantium?

II. *S. Scholastica.* *Iosue.* Ios. 10. 12. 13. Psal. 144. 19.

Sed placet minus notam Dei aduersus rusticanum hominem audire suauitatem. Is fuit S. Isidorus agricola, sanctorum albo nuper inscriptus, & in patronum Hispaniarum assumptus, cui ita non raro Dominus abblandiebatur, vt cùm tardiùs ad opus veniret, orationis diuturnitate eum remorante, Angeli mox simul cum ipso aratrum regerent, tanta dexteritate & promptitudine, vt multo plus quotidiani operis per-

III. *S. Isidorus.* l. de vita ipsius c. 6. & 7.

ficeret, quàm eius æmuli, qui apud herum eius inertiam, vt fit, inuidiosè criminabantur. Idem cùm aliquando precibus esset vehementer intentus, curriculò venit ad eum nuncius, à quo euocabatur ad opem equæ ferendam, quæ ab inuadente lupo periclitabatur; ille nihilominùs in oratione perseuerauit, qua perfecta venit ad certaminis locum, reperítque equam incolumem, & lupum ad eius pedes extinctum. Nimirum bonus Angelus, suauissimi Domini iussu, orantis Isidori vicem, beneuolè libentérque suppleuit.

CAPVT XIII.

Multiplex ac prodigiosa Dei aduersus Iosephum Anchietam suauitas.

I. *Nouus Thaumaturgus.* Lugd. editus l. 2. pag. 77.

TRANSEO ad alterum proximè præteriti seculi Thaumaturgum, minus quàm pro viri sanctitate, atque admirabilitate cognitum, tanta verò, támque suaui, & constanti apud Deum gratia, fidem vt omnem superare videatur. Sed grauissimis prodita firmatáque testimoniis, & in publicas tabulas relata nunciamus. Extat aureolus de Iosephi Anchietæ vita liber, qui eum è Canarinis insulis oriundum refert, & è Societate Iesu religiosum. Is obseruatus est non rarò, dum diuini officij pensum persolueret, insidentem habere miræ pulchritudinis auiculam, multa colorum varietate distinctam, quæ nunc in eius humeros, nunc in brachia, mox in sacerdotale breuiarium festiuè ac familiariter insiliret, in testimonium innocentissimæ vitæ, & dulcedinis diuinæ erga ipsum beneuolentiæ. Semel autem cùm die Pentecostes concionem haberet ad populum, auicula quædam persimilis Canarinis, ad ipsum aduolauit, neque gestu concionantis, neque voce deterrita, & in sinistrum eius humerum insedit, vnde dimissa suauiter, etiam secundò reuersa est.

Ei ábblandiuntur aues pag. 110.

II. *Panthera eidem innoxia.* pag. 123.

Idem cùm aliquando per Brasiliam iter faceret, iuxta locum cui nomen Caput frigidum, in quo multæ pantheræ stabulantur, quarum, vel magno Basilio teste, incredibilis est feritas, & in humanum genus odium. Hic ergo Iosephus vrgente nocte casam cum sociis erigit; quibus post modicum cibum somno oppressis, exit ipse ad orandum Deum. Ecce autem pantheræ duæ hominem placidæ adeunt, oranti comiter assident, illóque tugurium repetente, assectantur euntem; vbi pater sumptis quibusdam fructibus, siue racemis, quos Brasiles *bananes* vocant, eos proiecit foras, dicens lingua brasilica, *Accipite comites meæ, vos quoque ista participabitis.* Tum rogatus à socio, quibus, tam intempesta nocte bananes daret; *comitibus*, inquit, *meis.* Mane autem facto animaduersa sunt humi vestigia duarum pantherarum, quæ sunt fœminæ Leopar-

dorum, quæ sancto viro multa de nocte oranti astiterant.

In eodem terræ tractu offendit aliquando idem pater viperæ quoddã, aut colubri genus nocentissimum; ad cuius conspectum socij eius omnes diffugere. Quos cùm reuocasset pater, viperam quoque accersit ad se, illa obtemperat, eámque manu captam sanctus in sinum immittit, eíque abblanditur manu, cúmque diu apud socios de diuina potentia in subiiciendis animantibus arbitrio famulorum suorùm disseruisset, colubrum impertita illi benedictione dimisit. Cúmque alio quodã die aliã rursus viperam inuenisset, nudo illam pede conculcat, prouocátque, vt eum, in pœnam peccatorum suorum, morsu inuadat. At coluber hac illácque agitans caput, nunquam ausus est Dei seruum contingere. Denique monitum ne noceret hominibus, illum placidè vti priorem dimisit.

III. *Et viperæ.* l.2.p.123. p.114.

Sæpè nudis pedibus Apostolico ritu iter conquirendis animabus conficiebat pater, & quidem per scabra loca, & saxis aspera, celeritate mirabili. Cúmque contingeret aliquando vt Deum ex itinere semotis arbitris orare vellet, subsistebat ipse, sociis in suscepto itinere progredi iussis, dum eum vltra à tergo respectantes videre non possent, ipsum tamen aliquo pòst tempore longè antegressum videbãt, cùm nusquam iuxta se trãseuntem vidissent. Nimirũ custos eius Angelus diuinæ volũtati, suauissimæque amicitiæ famulatus, inuisum immotúmq; transtulerat, ne quid ei per orationem aut laboris cresceret, aut itineris deperiret. Sed ecce aliud in alio genere mirabile diuinæ dulcedinis argumentum.

IV. *Transfertur ab Angelo.* l.3.p.150.

Cùm semel in castro quodam acceptus fuisset hospitio, Castellanum rogauit, vt cum eius bona venia, liceret ei exire orationis causa, ad proximum Virginis Oratorium. Fit voti compos, in sacellum deducitur, ibíque nocturnis in tenebris, prout optabat, derelinquitur. Reuersi ad quietem se omnes recipiunt, móxque obdormiscunt. Vigilauit tamen Castellani filia, quæ, magni luminis splendore animaduerso, maritum excitauit; ambo ad fenestram adeunt, vidéntq; totum Oratorium magna vndique luce resplendens, audiúntque, quasi è vicino loco, musicæ concentum longè gratissimum. Hic maritus Sacellum adire cupiens, sentit se quasi inuisa manu retineri, tantóque horrore perfundi, vt ei comæ pene subrigerentur. Ergo subsistit, diúque mirabili spectaculo fruitur, discítque postridie mortalium neminem in Sacellum lumen intulisse. Itaque Patrem tota de re studiosè vterque interrogat; ísque post nonnullam tergiuersationem, illos obtestatus est, & tanquam spiritalis pater præcepit, nullum vt verbum ea de re facerent, quandiu esset ipse in viuis, nec aliud ipsi ab eo vllis precibus discere potuerũt. Eo mortuo res corã Generali Vicario in vrbe S. Sebastiani euulgata est 5. Non. Octob. ann. 1603.

V. *Magna luce perfunditur.* pag. 185.

Anno æræ Christianæ 1584. cùm pagos & parœcias eidem vrbi circumpositas inuisisset, & sinum maris in reditu traiiceret, magno solis ardore cum socio vexabatur, nullo penitus afflante vento. Cùm ergo

VI. *Aues eum in æstu protegũt.* l.4.p. 227.

ſocium, nomine Petrum Leitanum æſtuantem vidiſſet, & tres quatuórve aues, Guaracies accolæ vocant, magnitudine gallinæ, colore gratiſſimo flauum inter atque purpureum, vicinæ arbori inſidentes, ſic eas ſermone braſilico affatus eſt. Ite, aduocate ſocias veſtras, vt nos alarum veſtrarum tegumento inumbretis. Illæ ſubitò ratam ſe habere iuſſionem, tum inflexione capitis & colli, tum ſono vocis ſignificantes, abeunt, & quamprimùm turmatim redeunt, alas ſuper nauim latè expandunt, & ſquamatim exporrigunt, factáque teſtudine eundem cum naui curſum conficiunt aliquot paſſuum millibus, donec modico conſurgente vento, pater ſigno dato eis fecit abeundi poteſtatem, illæ viciſſim ſigno lætitiæ cantu dato, quòd magno Dei famulo gratificatæ fuiſſent, auolauerunt. Viuo Ioſepho res tota latuit, mortuo ab eodem Leitano iurato cognita eſt.

VII. *Æſtus Oceani ei parcit.* l. 4. p. 229. & 230.

Minus fortaſſe mirabitur hanc tam nouam, támque ſuauem volucrum obedientiam, qui ſurdos Oceani fluctus viro ſancto didicerit obſecundaſſe, eiúſque pedes cum veneratione allambiſſe. E collegio S. Sebaſtiani die quodam cum ſociis piſcatum abiit S. Pater, cúmque interea receſſiſſet ipſe ad vacandum Deo, ſocius eius, poſt tres quatuórve horas, eum in littore ſedentem inuenit illo ipſo tempore, quo æſtuans Oceanus influebat in terras; cúmque iam hinc & inde æſtus longè latéque progrederetur, medius locus, in quo erat ſanctus, penitus ab aquis erat immunis, nam in altum erectæ vndæ aëreo pariete ſuſpenſæ tenebantur, maris Erythræi, Iordaníſque prodigio renouato. Animaduerſo patre ſocius, nec in locum vacuum adire auſus, quantum poterat clamabat à longè, & ſtrepitum edebat, ſi quo modo poſſet patrem dulci contemplationis ſomno oppreſſum excitare, ſed fremitus æſtuantis Oceani clamorem eius, ſtrepitúmque longè ſuperabat, & reddebat inutilem.

VIII. *Eiúſque ſocio.*

Necdum miraculi finis. Quid faceret iuuenis, qui & patri timebat & ſibi, nec in eum locum penetrare audebat, in quem vndæ ipſæ influere formidabant. Statuit tamen denique periculo permittere ſe, & adire Patrem, itáque fecit. Monet ergo aduesperaſcere, abeundi tempus eſſe. Acquieſcit pater, præítque interritus viam, pone ſubit ſocius, ſequuntur & vndarum volumina, quæ comitis allambũt talos. Is præſenti vel opinato potiùs periculo territus, inſtitit rogare patrem vt ſe antecedere pateretur. Caſtigatum ille iuuenem de modica in Deũ fiducia præire iubet, & meminiſſe ſe in illius eſſe manu, de quo ſcriptum eſt, *quia venti & mare obediunt ei.* Nec ei maris vndæ duntaxat, pluuiæ quoque non minore miraculo pepercerunt.

Matt. 8. 27.

IX. *Pluuia illi famulatur.* l. 4. p. 232.

Piſcatione perfecta iubet pater reditum parari in ſequentem diem; Veſper erat, & ingens pluuia cœlo ruebat, denſæque nubes perpetes tota nocte pluuias minabantur. Tum ſocius eius. Commodam, inquit, mi pater, elegiſti tempeſtatem ad reditum. Tum ille, Vtinam, inquit, tantũ in nobis eſſet virtutis, quanta eſt in Deo cura de nobis. Non enim

solùm nihil nobis molestiæ afferet crastina pluuia, sed iam nunc totum iter, quod cras nobis conficiendum est, immune est à pluuia. Postridie dant se itineri versus pagum S. Barnabæ inde trium leucarum itinere dissitum, & quacunque transeundum erat, triginta pedum latitudine, terram prorsus arentem reperiunt, tota reliqua terra nocturna pluuia stagnãte. Sic nimirum antiquum Gedeonis miraculum multo cum fœnore redintegratum est: sed & instar illius geminatum. Cùm enim semel per montes iter faceret, ingenti pluuia inundante, omnibus eius sociis aqua manantibus, vestes quibus erat indutus pater, aquæ gutta non attigit. O virum cœlo, pluuiisq; mirabilem, sed multo etiam magis dilectum Deo! Iud. 6.37.38

X. *Gemina metamorphosis.*

In Bayano collegio quidam de fratribus vehementi morbo & stomachi omnia respuentis intemperie laborabat, inuisit eum vir sanctus, rogátque ecquem tandem cibum libenter sumeret, *Ego verò*, inquit æger, *suilla perna libenter vescerer*. Cùm autem huiusmodi cibi nihil tum esset domi, Pater partem piscis assi rescindit, & ad ægrum defert, sed in pernam conuersam, quam æger appetentiùs esitauit, & stomacho placidè retinuit. Cúmque mox æger infirmorum curatorem argueret, quòd illi frustum pernæ negasset, quod ei dederat bonus pater. Nunc, inquit ille, videbis quam tibi pernam attulerit pater. Et statim resectum ex illo ipso pisce frustum ad ægrum defert, sed nouo miraculo, ac redintegrata metamorphosi, in suillam conuersum; eius vtique meritis, qui obtinuerat priorem.

IX. *Rursum alia multiplex aqua in vinũ.*

Hæreo diutius in hoc beato atque admirabili viro, & diuinis erga illum amoris deliciis, quòd cùm in nouo illo orbe floruerit, minus adhuc in antiquo & Europæo innotuit, quem verè, vt dixi, appellare possumus alterum huius seculi Thaumaturgum; vnum tamen duntaxat facinus publicè cognitum, solemnitérque testatum ab iis ipsis, qui miraculi fuere participes, referam, addámque præcedentibus. Iter faciebat pater Piratiningam cum Antonio Segueria, & tribus quatuorve aliis: habebátque cucurbitam, lagenæ loco vino mellito plenam, ex qua omnes triduo aut quatriduo ad satietatem biberunt, cùm ter quotidie cibum sumerent; iubebat autem vt cibo sumpto cucurbita repleretur aqua, quæ illico in optimum vinum vertebatur, & quidem communi iudicio, melius eo, quod primùm inditum fuerat. Itaque decem duodecimve factæ sunt mutationes aquæ in vinum, totidémque miracula, & probationes diuinæ bonitatis atque dulcedinis aduersus eum, quem singulari beneuolentia prosequebatur.

CAPVT XIV.

Dulcis Dei amor aduersus S. Philippum Nerium, & S. Franciscum à Paula.

I. *Excitatio mortui.* SPERO non fore me vobis grauem, si paulo diutius in mellifluo hoc cibo remoratus fuero: religiosarum quippe animarum pietatem vehementer fouet ac nutrit, & cæterarum appetentiam prouocare potest. Cuius enim animus nõ afficiatur intimis sensibus, non colliquescat amore illius, qui se tam profusè amabilem præstat amicis suis? Vnicum proferam de S. Philippo Nerio exemplum, sed planè mirabile diuinæ dulcedinis argumentum, ex diplomate Pontificio, quo ascriptus est in sanctorum numerum depromptum, quòd de aliis quoque, quæ mox subiiciam, intellectum volo. Anno 1583. fuit Romæ quidam adolescentulus nomine Paulus annorum quatuordecim, qui cùm febre continente ad quinque & sexaginta dies iugiter laborasset, ad extrema deuenit. Eum quotidie visebat S. Pater, rogarátque parentes pueri, vt cùm animaduerterent illum ab vltima necessitate propiùs abesse, se accerserent. Ea cùm adesset ex condicto euocatur Pater, cum eo nuncio, vt si quidem illum vellet adhuc spirantem cernere, veniret actutum. Sed diuina prouidentia factum est, vt tum celebraret pater, & interea puer abiret è viuis.

II. *Ad breue tempus.* Post horæ dimidium cùm se accersitum accepit Pater, venit ad ægrum, mortuum reperit, ad spondam se lecti recipit, & ad semiquadrantem orat, cum insigni feruore animi: tum lustrali aqua faciem eius aspergit, & nonnihil ex eadem in os eius infundit, faciem afflat, fronti manum admouet: inde elata voce semel iterumq; vocat nominatim Paule, Paule. Hic puer quasi à somno excitaretur, aperit oculos, respondétque, Pater mi. Et mox, Exciderat, inquit, memoria peccatum vnum, itaque velim confiteri. Iubet ergo secedere paululum vniuersos, eúmque auditum beneficio absolutionis impertit. Tum demum omnes cubiculum repetunt. Puer autem cum viro sancto cœpit agere de matre ac sorore sua dudum vita functis, spatio dimidiatæ horæ, & quidem ita agere, quasi nullo antea morbo fuisset affectus. Sed nondum hic admirationis finis.

III. Quærit ab eo sanctus, libentérne moriturus esset, ille affirmat: secundò etiam idem rogatus, respondit se libentissimè moriturum, vt in cœlo sororem inuiseret, & matrem. Hic cùm illi benedixisset pater, *Vade*, inquit fili mi, *Deus benedicat tibi, & ora pro me.* Statímque puer sereno vultu animam iterum reddidit in manibus sancti viri; cuius Deus voluit hac consolatione permulcere senectutem, vt eius inter manus adolescentulus, quem habebat charissimum, amissam animam secundò reciperet, redderétque suo creatori. Quid suauius hac Dei indulgentia in famulum

suum. Sed occurrit etiam alia iucundior aduersus alterum eius famulum, in cuius gratiam Deus videtur eius contemptoribus pulchrè insultasse. Is fuit S. Franciscus à Paula, qui cùm aliquando cuperet cum socio è Calabria in Siciliam traiicere, nec haberet vnde naulum nauclero solueret, in littore derelictus est. Sed illi Deus eam mentem iniecit, vt pallio detrito pro naui vteretur. Expandit ergo supra fluctus palliũ suum, quãuis socio minimè malo suggerente, vt suum potiùs minus detritum contra vim fluctuum sibi substerneret. Ergo Deo duce & angelo remige vela facit, traiicitque mare, attonitis nautis, & suam, vt par est credere, duritiam in sanctum virum atque inhumanitatem incusantibus. *Maris in pallio traiectio.*

CAPVT XV.

Suauissima Dei beneuolentia in S. Ignatium Loyolæum, Societatis Iesu fundatorem.

OCCVRRIT alia, in non dissimili culpa causâque, multo seuerior Dei animaduersio, in gratiam famuli sui Ignatij à Loyola. Is enim cùm Hierosolymis Italiam bruma sequiente peregrinus pannosúsq; repeteret, in Cypro insula tres reperit naues, quæ mox sublatis anchoris in Italiam vela facturæ erãt; vna Turcica erat, altera Veneta, firma rebúsque omnibus instructissima, tertia inualida & cariosa, in quam Veneta exclusus, se recepit Ignatius: cùm enim eius amici sanctitatis illius conscij, precibus apud Nauarchum agerent, vt precario admitteretur in nauim, vir vtique sanctus, in cuius gratiam Deus cursum esset fortunaturus. Irrisit ille, & scurrili dicacitate; si sanctus est, inquit, nihil ei opus est naui, fluctus calcabit impune. Nec tamen ipse tulit impune dicacitatem. Cùm enim omnes illæ naues eodem die portu soluissent, sæua sub vesperam tempestate exorta, Turcica fluctibus hausta funditus periit; Veneta iusta Cyprum allisa, & conquassata est, saluis ægre vectoribus: sola illa & vetus & semilacera, quæ vehebat Ignatium, cursum tenuit, Venetiásq; medio Ianuario peruenit, anno vigesimo quarto supra millesimum & quingentesimum. I. *Semilacera nauis in hyeme & tempestate cursum tenet.*

Sed mitiora videamus. Quanta dulcedine à Domino perfundebatur Ignatius, quando de diuite fortique bellatore, peregrinus factus est & mendicus; totáque nocte Deum orans, vberrimísque perfusus lacrymis, Christianæ militiæ suæ suauissimè prælusit? Quanta vis erat diuinarum consolationum quantáque copia in illius pectore, cui, præ illarum abundãtia & suauitate, septenæ horæ singulis noctibus in oratione positæ prædulces erant, dulcis in frigida humo somnus, dulces tertiò singulis diebus repetitæ cũ catena ferrea diuerberationes, dulce cum zona ferrea, asperũ atq; immite cilicium, quãdo, in prelonga quadã extasi, oblata illi est visio II. *Diuinæ visitationes ac visiones.* Ex lib. de Canoniz. c. 2. & 3.

Sanctissimæ Trinitatis, tanta cum mentis illustratione, tantóque gaudio, vt illa absoluta toto die à suauissimis lacrymis abstinere non posset, neque multis postea diebus alios serere, quàm de diuinissima Triade sermones; quin etiam librum eo ipso tempore de tanto mysterio scribere
Pa. 18. non dubitauit, nullo alio vsus doctore quàm ipso Deo. Quanta dulcedo comitata est plus triginta visiones Christi Domini, eiúsque amantissimæ matris, dum nouum militem suum animarent, asperrimósque Minoressanæ pœnitentiæ labores mitigarent, in quibus totum ferme annum perseuerauit, & alibi postea, etiam in Hierosolymitana peregrinatione repetiit.

III. *Raptus eiusdem Ignatij.* Ex eod. lib. c. 8. p. 37.

Quibus à Deo gaudiis mulcebatur cùm Barsinone studeret ipsis Grammaticæ rudimentis, vbi sæpiùs nocte obseruatus est se ad orationem ita componere, vt modò genibus niteretur, modò totum se humi prosterneret, modò facie cœlum versus erecta staret, & sensim abduceretur à terra ad vlnas aliquot, facie interea claritate radiante, & ore verba hæc cum ardore seraphico iterante, *Dominus meus, & Deus meus, amor animæ meæ. O si homines te cognoscerent!* Ibi quoque sub idem tempus à diuina bonitate obtinuit, vt sententia damnationis æternæ, quæ in hominem ferebatur, qui sibi suspendio manus intulerat, aliquandiu differretur, dum ille rediret ad vitam, & admissa crimina confessione, veróque animi dolore expiaret. Ea peracta, morte iura sua repetente, abiit ille iterum è viuis, in eum locum, vbi non irritis suppliciis, peccatorum suorum lueret pœnas.

Excitatio mortui.

IV. *Deus Pater Ignatium suósque filio commendat.*

Extat & aliud eximium dulcissimi erga Ignatium Dei amoris indiciũ, in Romanæ vrbis aditu patefactum. Cùm enim in sacellum aliquod semirutum Dei afflatu ex itinere fuisset ingressus, ibique pro se suisque Deum oraturus, humi procubuisset, sensit illico cor sibi quodammodo commutari, viditque internis oculis Deum Patrem cum Christo Domino crucem supra humeros gestante, animaduertitque Patrem ad filium conuersum, magno affectu Ignatium sociósque eius illi commendantem: móxque filium beneuolè ad Ignatium conuersum, hæc ipsa illi verba dixisse: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Quæ verba illi incredibile gaudium, & ingens pro Christo patiendi desiderium attulere, quando ipse, qui cruce onustus apparebat, significare videbatur crucem pro eo ferendam esse. Visione perfecta redit ad suos, eáque relata, nescio, inquit, crucésne Romæ an rotæ nos maneant, id certo scio Christum nobis Romæ fore propitium. Nec falsus est expectatione sua. Propitium enim quàm maximè expertus est, tam in admirabili confutatione atrocium calumniarum, quibus ibi appetitus est, quàm in confirmatione in-
27. Sept. stituti sui in nouum Ordinem Religiosum, anno à Christo nato 1540.

V. *Habet in potestate lacrymas.* cap. 14.

Huc referri etiam potest illa teneritas, suauissimúsque deuotionis gustus, qui in alios ipsius gratia copiosè redundauit. Episcopus enim à quo factus est sacerdos cum sociis, testificatus est, se quidem sacros ordines

dines multis sæpenumero contulisse, parem autem dulcedinem in conferendis ordinibus istis Christi pauperibus,nunquam animo percepisse; Itaque credidit hunc esse riuulum ex illa deuotionis copia deriuatum, quæ eximios illos Dei seruos liberaliter inundabat. Denique in eiusdem patris obitu, cùm periculum erat ne, in tali tantáque iactura, filij omnes metu conciderent, illo ipso tamen articulo temporis stetere omnes animis, nouóque spiritu fortitudinis imbuti sunt, præter eximiam & insolentem diuinæ consolationis dulcedinem. Denique vsque adeo Sanctus hic deliciis spiritalibus abundauit, vt propter copiam lacrymarum periculum adiret amittendorum oculorum. Itaque amicorum, maximéque filiorum precibus fatigatus, illam à Deo petiit, obtinuitque facultatem, vt lacrymis pro arbitratu habenas laxaret atque retraheret, & eas sine vlla sensus interni diminutione retineret; quo tanto copiosius perfruebatur,quo maiore desiderio ferebatur crucis eius perferendæ.

CAPVT XVI.

Eadem Dei suauitas in Franciscum Xauerium, alterum Indiarum Apostolum.

SED de illustri ac glorioso eiusdem Ignatij socio Francisco Xauerio, quod ad præsens institutum attinet, dicamus aliquid. Quid autem dicemus de hoc altero Indiarum Apostolo, & consolationibus quibus exundabat pectus eius, quod rem ipsam exæquare possit? Volebat enim Dominus Dauidicum illud in ipso comprobare : *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Scribit ipsemet in epistola quadam,in qua socios suos Europæos ad similes labores atque certamina inuitat, tantum liquidissimæ voluptatis affluere diuinitus operariis Indicæ vineæ, nullam vt vsquam gentium parem reperiri posse arbitretur; id autem propria doctus experientia dicebat. Auditus est enim aliquando, cùm solum se esse crederet, & cœlestibus vndique deliciis diffluerit, istis ad Deum vti vocibus, *Satis est Domine, satis est*, aut me hinc abducito in domum tuam.

I. Abundat cõsolationibus.

Psal. 93. 19. L. 2. vitæ c. 10.

Vix credi potest quantum laborum hic sanctus, quantúmque ærumnarum, atque vitæ discriminum exantlarit in Insulis, quæ Mori vel Maurorum vocantur, regione horrida, atque horribili, verissima imagine inferorum, populis omnium tunc orientalium immanissimis, regione rebus omnibus vitæ humanæ necessariis planè destituta, populis crudelitate & barbara feritate nobilitatis. Quæ cùm sociis scriberet, adiecit. Hæc scripsi vobis, vt intelligeretis quanta cœlestium consolationum copia abundent istæ insulæ : quoniam ærumnæ istæ omnes atque pericula, totidem thesauri sunt, maximis diuinísque consolationibus referti, adeo

II. Maximè in Insulis Mauricis.

L. 3. c. 3.

vt videantur hæ insulæ amittendis oculis idoneæ, propter suauissimarum copiam lacrymarum. Ego quidem certè non memini expertum me aliquando tantas, aut tam continentes animi voluptates; adeo vt iis malorum omnium loci huius, atque miseriarum sensus facilè obruatur. Hæc fere Romam scribebat vir ille sanctissimus.

III. *Gratia miraculorum insignis.* Compen. vitæ Ital. c. 13. Viri principes non facilè petentibus aliquid negant, & iis quos habent in deliciis omnia vltro largiuntur. Talis fuit gratia miraculorum, quam Deus isti dilecto suo, fidelissimóque famulo largitus est, non solùm expellendorum dæmonum, cœcorum illuminandorum, morborum quorumcumq; curandorũ, sedandarum tempestatũ, futurorum prænunciandorum, secretorum cordis enunciandorum; gratiam loquendi linguis omnibus, efficiendíq; vt cum vno idiomate vteretur, variarũ linguarum ca. 15. populi eum nihilominus intelligerent, perinde ac si lingua singulorum vteretur: gratiam satisfaciendi vnica responsione pluribus dubiis admodum inter se diuersis; verùm etiam gratiam, quæ summa non immeritò *Etiam mortuorum excitandorum.* creditur, mortuorum excitandorum. Qui enim mortuo vitam restituit, cœco visum, surdo auditum, & vsu omnium membrorum destituto omnia membra restaurat, totidem vt prodigia, quot sunt intus aut foris in homine membra, vnico prodigio contineantur.

IV. *Ad viginti quinque, & quidem insignes.* ca. 13. p. 83. Quot ergo miracula fecerit, à quo viginti quinque mortui suscitati referuntur, quæ in actis rerum ab eo gestarum Cocini, Malacæ, Goæ, Bazaini, regnísque Iaponicis perscripta, probatáque continentur. Restituit vitæ puerum, qui multis horis in puteo iacuerat mortuus, quem libitinarij ad sepulchrum deferebant, visceribus eius ad matris lacrymas conturbatis. Excitauit & alium, qui ipsas viginti quatuor horas linteo fuerat obuolutus, in quo sepulturam præstolabatur, dato vtrique præce- p. 84. pto, vt in nomine Iesu Christi resurgerent. Comorini cùm ad infideles conciones haberet, iique in suis erroribus pertinaces, veritati resisterent, mortuum pridie sepultũ in omnium oculis humo extrahi iussit: & euolui sindone, qua inuolutus iacebat; voluit & ab omnibus cerni probariq; mortuum. Hic cùm breui oratione vsus esset Xauerius, mortuus surrexit ipse per sese, cum somno Christianorum gaudio, & infidelium stupore, qui conuersi ad Christum omnes, & ab eodem sancto viro baptisati sunt.

V. *Alij mortui ab eodem ad vitam excitati.* Quidam Antonius Miranda dum somno oppressus iacet, à serpente in altero pedum mordetur, ex morsúque mox, tanta erat veneni præsentissimi vis, extinguitur: mansitque tota illa nocte mortuus, & postridie vsque ad meridiem, quo tempore Xauerius venit: cúmque locum morsus saliua liniuisset, paululúmque orasset, mirandam vitam Mirandæ reddidit. Malacæ pia quædam mulier filiam amiserat, & mandauerat sepulturæ. Cùm autem Franciscus Malacam post triduum appulisset, eosdem audiuit gemitus & lamenta, quæ olim Lazaro mortuo à sororibus eius Christus Dominus. Respōdet matri Pater filiam eius non mortuam esse, sed viuere. Itáne, inquit illa, at scito pater illam iam triduum esse sepul-

furæ traditam. Iubet nihilominus Frãciſcus mulierem adire ſepulchrum, ibique mortis expertem filiam inuenturum. Credidit mulier, ſepulchrum adiit, aperiri iubet, & viuam reperit, quæ triduo ſepulta iacuerat.

Hæc ergo puella vitæ reſtituta eſt, cùm triduo in terra defoſſa iacuiſſet. Sed ecce ſancti eiuſdem facinus alterum excitati pueruli, qui triduo marinis fluctibus obrutus fuerat. Cùm enim Malaca Chinas peteret, cum Mahumetano mercatore, cui nomen Sarangua, quinquennis eius filius in mare delapſus, fluctibúſque abſorptus non comparuit. Pater ſummo dolore affectus, ſuam viro ſancto calamitatem exponit. Spondet ille ſe parenti viuum filium redditurum, ſi ſtatueret Ieſu Chriſti fidem, deſerto Mahumeto complecti, conditionem admittit pater, & ecce poſt triduum ſub exortum auroræ apparet puer viuus in aſſerculo reſidens, qui ferebatur ad nauim: ad eámque cum omnium ſtupore acceptus eſt. Stetit promiſſis pater, cuius exemplum mater & ancilla ſunt ſecutæ, fuerúntque omnes cum puerulo, cui Franciſci datum eſt nomẽ, aquis luſtralibus expiati. Quantum valebat gratia apud Dominum ſuum iſte ſanctus, qui tanta miracula tam facilè ab eo impetrabat? Quanta in famulo fides, quanta in Domino dulcedo, facilitas, indulgentia? VI.

Libet aliud quoque in diuerſo genere miraculum præcedentibus adiungere, quod ſuauiſſimam Dei erga Xauerium ſuum amicitiam declarat. Sanctus hic Amboino inſulam petebat nomine Balauolam, cùm ingens tempeſtas exorta eſt; ſed eam Franciſcus breui ſedauit, cùm paululum oraſſet Deum, & mare, ſignum Crucifixi, quod appenſum collo geſtabat, manu tenens, benedixiſſet. Sed dulciſſima Dei prouidentia factum eſt, vt Chriſti ſignum manibus elapſum demergeretur, patrémque de iactura ſua afflictum relinqueret. Poſtridie in deſtinatum locum peruenit; cúmque in terram exſcendiſſet, & ſubtriſtis ad littus inambularet cum ſocio, ecce apparet aſtacus marinus, littori propinquat, ſignum crucifixi manibus tenens, quod quadraginta inde millibus in mare defluxerat: tenebat autem elatũ ex aquis, & curſu properabat ad virum Dei; ad quem vbi peruenit ſubſtitit, expectans dum ille accederet propius, & crucifixum ſuum caperet. Quod vbi factum eſt, carcinus munere perfunctus ſuo receſſit, reliquítque patrem dulci conſolationis nectare delibutum, & per dimidiam horam laudantẽ amabilem dulcedinem Domini ſui, qui ad ſe crucifixum ſuum, nũcio tam extraordinario remiſiſſet. VII. *Carcini piſcis famulatus.*

CAPVT XVIII.

Deliciæ quædam diuini ſponſi aduerſus S. Tereſiam.

ETSI vereor ne in hoc argumento prætergrediar mediocritatis fines, non poſſum tamen quin aliquid referam de duabus amantiſſi- I. *Sexus muliebris addictior pietati.*

mis Christi Domini sponsis, Teresia, & Catharina Senensi. Est enim hic sexus pietati fere, demissioni animi, simplicitati, & mansuetudini addictior, quarum virtutum Deus amantissimus est, ideóque in eum maximè prodit dulcedinem amoris sui: & tanquam sponsas mirum in modum dilectas, admirandis ornat gratiarum prærogatiuis, orationis in primis, ac contemplationis. Didicit enim à sponso suo S. Teresia quatuor gradus altissimæ contemplationis, quos illa stylo ac subtilitate mirabili, in vita sua, quam à superioribus suis iussa perscripsit, persecuta est, quos vel intelligere res est minimè vulgaris; in quibus illa se cælestis sapientiæ donis valdè locupletatam prodit.

Compend. vitæ eius ad canoniz. ed. Romæ c. 4.

II. *Extasis prima S. Teresiæ.*

Primis illis initiis, quibus eam Deus ad se traxit, cùm in paterna domo adhuc versaretur, extasin passa est quatuor ipsos dies, quando illi, tanquã vltimùm cum morte decertanti, extremæ vnctionis sacramentũ administratũ est, eiq; vt mox è viuis abituræ sepultura præparata. Post diẽ quartum virgo rediit ad se, dolẽs se à tam suaui somno fuisse excitatã. Retulit autem se eo tempore, post visas inferorum pœnas, in paradisum admissam fuisse: addidítque patrem suum, & quandam sibi familiarem, nomine Ioannam Suarez, sua opera salutem consecuturos, se in sanctis numeratum iri, aliáque id genus, quæ postea facta grandior studuit occultare, per animi demissionem, & deliria vocitare. Huiusmodi nihilominus extases, raptúsque, quos sponsi dilectam suam ad se euocantis amplexus appellare iure possumus, tam insignes passa est támque frequentes, vt ad eos cohibendos magnam omnino vim adhiberet, etiam manibus in clathros ferreos, aliámve rem obuiam cui adhæresceret, iniectis.

Et aliæ frequentissimæ præter eius voluntatẽ.

III. *Frustra impeditur ab officijs pietatis.*

Ergo cùm insignes quidam viri hæc eius visa suspecta haberent, ipsíq; à dæmonum illusionibus timerent, autores fuerunt ei qui sanctæ virgini erat à confessionibus, vt illam à perpetua illa orationis solitudine auocaret, nec ei tam frequẽtem sacræ Eucharistiæ vsum permitteret. Quæ cùm ille iussisset, virginem habuit obtemperantem, magno licet cum dolore animi. Sed adfuit ei in isto luctu Dominus, eíque apparens, *Ne timeas*, inquit, *filia, Ego sum, tibi adero, neque te deseram*. Qua voce ita roborata est, vt nulla deinceps eam impugnatio, nulla æmulatio, nullum aduersantium studium perturbaret. Cùm aliquando confessarius eius, qui parum fidei hisce visis adhibebat, artésque dæmonis suspectas habebat, iussisset, vt cùm ea se offerrẽt, signo crucis muniret se, ad inimicum repellendum, aduenit sponsus: illa memor obedientiæ, paret, nec abit propterea, aut loco absistit Seruator, sed illi se potiùs familiariùs addicit. Cúmque illa vltra id signum edere non posset, manu prehensam crucem toto visionis tempore tenuit. Tam porro grata fuit sponso eius ista obedientia, vt cùm illam crucem ei de manibus aliquando abstulisset, illam mox ei reddidit: sed ornatam quatuor maximis ac preciosissimis adamantibus, quos illa deinceps perpetuò in eadem cruce lignea sola vidit.

ca. 5.

IV. Sic ergo Dominus Iesus omnes æmulationum, calumniarum, re-

rúmque aduersarum fluctus, maiore consolationum influxu suauissimè obruebat, eiúsque animus passis ad cœlestem portum velis decurrebat, cœli magis quàm terræ ciuis. Die quodam vidit sponsum suum insigni splendore circumfusum, qui eam tenero affectu demulcens, Ne dubita, inquit, quin ego veritatem sim patefacturus, & aduersarij tui consilia in melius mutaturus. Ea visio ac promissio tantam in corde eius amoris flammam accendit, tam exuberantem infudit lætitiam, vt subinde anima eius ex sui corporis ergastulo euolatura videretur. Indéque frequentissimi raptus etiam publicè contigerunt, quibus promissionis diuinæ veritas confirmabatur. *Varia eiusdem consolationes.*

Sub extremum autem vitæ illius tempus, vidit aliquando iuxta se ad sinistram Angelum Domini cœlesti pulchritudine præditum, & ardenti facie fulgurantem, quem ipsa Seraphinum esse iudicabat. Is sagittam gestabat manu, aurea cuspide insignem, ex qua flammula quædam emicabat: cúmque eo telo cor illius repetitis ictibus compungeret, illud sibi particulatim foras extrahere videbatur, partésque ipsæ illi flammāti cuspidi adhærescere: quæ res summum illi dolorem, summúmque simul gaudium afferebat. Denique raptu quodam mirabili absorpta in Deum, & cum sponso suo Christo Iesu amantissimè colloquens, mortifero vulnere diuini amoris saucia, in manus sponsi sui animam reddidit. Ipsamet enim postmodum reuelante cognitum est, ipsam vehementiori quodam amoris æstu animam exhalasse, prærogatiua, quæ virgini matri concessa primùm, perpaucis aliis posteà creditur contigisse. Anima porro ipsa instar candentis columbæ ex eius ore visa est proficisci. *V. A Seraphino vulneratur, & vi amoris moritur.*

Nolo præterire silentio diuini sponsi dulcedinem, qua erga corpus Teresiæ suæ, sanctissimum dilectissimæ animæ receptaculum vsus est. Nam illi mortuo primum admirabilem impertitus est pulchritudinē, quamuis ad ætatem octo & sexaginta annorum peruenisset, & ieiuniis, laboribus, vltróque susceptis corporis afflictationibus esset exhaustum. Candore enim instar alabastri perfusum est; nulláque deinde apparuit in vultu macula, nulla ruga. Odor præterea tantus támque mirabilis ex eo corpore exhalabatur, vt longè latéque sentiretur, & omnibus eius vestimentis, imò rebus omnibus, quæ illud attingerent communicaretur. Quin etiam, mirabile dictu, post nonum à sepultura mensem, tantus odor in sanctissimo illo corpore perseuerauit, ipsam vt terram ingētiáque saxa peruadens, circumfusum aërem suauissimè perfunderet. Deinceps quoque cùm sæpius trium annorum spatio terræ mandatum, rursúmque eductum fuisset, perseuerauit idem odor, cum precioso liquore, quem sacrosancta membra fundebant, quæ tanto tempore corruptio non est ausa contingere, tanquam purissimum Spiritus sancti tēplū, & illius animæ beatissimæ, quæ instar fulguris coruscantis, ab alio quodam per cubiculi fenestras visa est transuolare. Quibus ergo deliciis beatam perfundit animam is, qui erga corpus demortuum tam suauem se prodit amatorem? *VI. Corpori mortuo insignem confert pulchritudinem, & odorem perseuerantem.*

CAPVT XVIII.

Aliæ rursum diuini sponsi deliciæ aduersus Catharinam Senensem.

I. *Ab infantia visis à Christo ad se allicitur.* Apud Suriũ in vita eius t.2.p. 916. 917.

BEATISSIMÆ Catharinæ Senensis vita omnis fuit, erítque seculis omnibus singularis admirationis argumentum: & gratiæ quibus eam præuenit is, qui eam sibi in sponsam dilectissimam destinarat, plenissimæ sunt admirabilitatis. Ab ipso enim sexto ætatis anno affectum eius omnem, amorem, cogitationem sibi rapuit, affixitque, adeò vt illa neque dicere quidquam, neque cogitare, nedum amare posset aliud ab eo, à quo iã tunc amantissimè tractabatur. Cùm enim iuxta Ecclesiam S. Dominici cum fratre aliquando transiret, vidit supra illam in aëre regiam exedram pulchritudine visendam, & claritate radiantem, in eáque Seruatorem imperiali throno insidentem pontificio apparatu, & thiaram pontificiam, quam regnum appellant, in capite gestantem, cuius latera stipabant Sancti Petrus, Paulus & Ioannes. Quæ cùm puella summa cum delectatione spectaret, intuitus eam Seruator illi suauissimè arrisit, extentóque brachio dextero, ei benedixit. Cúmque illa tota expers sui, nihil extra se audiret, aut cerneret, frater manibus apprehensam ad se trahens, ad se redire oculósque deiicere cum illa voce compulit. O si vidisses, quæ ego vidi, mi frater, superiora nihilominùs respectans nihil vltra vidit, iam transacta visione. O si vidissemus & nos! O si huiusmodi quopiam spectaculo nos ad se dulcissimus Iesus pellexisset!

II. *Ab eodem de vitispatrum edocetur. defertur ab Angelis.*

Sub hoc ipsum tempus infantiæ puellaris, Seruator ei vitam & institutum sanctorum patrum Ægyptiorum reuelauit, vnde factũ est vt solitudinis amans in speluncam se abderet, vbi orans, à terra in sublime ad concauum speluncæ fornicem ferebatur, vnde etiam monitu Seruatoris reuertit ad suos, sed inde ad portam vsque ciuitatis est transuecta diuinitus. Domi quoque cùm per gradus ascenderet aut descenderet, Angelorum manibus delata, ne gradus quidem ipsos pedibus attingebat. Tunc etiam eodem præceptore didicit Virginem Dei matrem omnium principem, voto emisso suam Deo virginitatem consecrasse; quod ipsa quoque magno Charitatis ardore imitata est, oblata matri filióque virginitate, quem, cum bona matris venia, sponsum habere cupiebat. Id votum ambo acceptissimum habuerunt, filius in primis, cuius maximè interesse videbatur, quique illi eam instillauerat voluntatem. Et ille ipse erat, qui tantam huic virgini delectationem in loquendo de Deo, rebúsque cœlestibus infundebat, vt si nacta fuisset auditores, cen-

tum ipsos dies cibi somníque expers, in eo sermone sine defatigatione p.911.
positura esset, imò tanta cum voluptate, quantam mortalis hæc vita ferre posset.

III. *Spirituũ diuersitatem à sponso addiscit.* p.923, 927.

Eodem ipso magistro ac doctore, didicit quæcunque ad vitam religiosam pertinent, & nominatim quo discrimine secernantur visiones, à spiritu bono malóve profectæ, ne fortè à nequissimo spiritu puella simplex induceretur in fraudem. Ab eóque tempore tam crebræ erant diuini sponsi visitationes, tanta cum sponsa dilectissima familiaritas, vix vt homines duo reperiri possent, tanta inter se vitæ consuetudine, vsúque coniuncti. Itaque inter orandum, legendum, meditandum sponsus aderat: vigilando, dormiendo, colloquendo etiam cum aliis, non carebat fructu iucundissimæ consuetudinis eius. Ergo colloquia illius cum hominibus extremorum erant labiorum, animus cum Deo versabatur, qui multiplici raptu sensuum vsum illi sæpiùs adimebat. Cúmque in corde illius iugiter habitaret, horribilium tentationum victorias illi cõciliabat, & gratulabatur adeptas, & maioribus gratiis magnificè munerabat; ac ne à verborum quidem blanditiis, ritu dilectissimorum coniugum, abstinebat; quam enim priùs in sponsam acceperat, filiam suam Catharinam appellitabat.

Mutua vitæ consuetudo.

IV. *Aliaque delicia mirabiles.*

Cùm autem duris illam rebus, asperísque tentationibus probasset, longiora erant amantium colloquia, cùm sponsus matrem secum aliquando comitem haberet, aliquando vnum aliquem de cœlitibus, sæpiùs tamen solus cum sola sermocinabatur, inambulabat in eius cubiculo, & alternatim cum ea psalmos recitabat, quos ipsam, ab ea rogatus, antè docuerat. Nec hic deliciarum finis. Virgo illum sæpè rogauerat, vt eximium ipsi fidei donum largiretur; cùm apparuit ei Christus Dominus, Virgine matre, aliísque Sanctis comitantibus, vt sponsaliorum illa quodammodo autor fieret, isti testes. Ergo in eorum oculis illam solenni ritu ducit in sponsam, hortatúrque vt animosè incumbat in res, quæ ad Dei gloriam, & animarum salutem promouendam valent. Cùm igitur tali sponso Catharina frueretur, multáque apud eum gratia, & autoritate polleret, non vtique mirum hanc virginem tantam miraculorum gratiam fuisse consecutam, quantam probatissima vitæ ipsius historia testatur.

V. *Ad sponsi latus potatur.* p.933.

Verùm haud scio an plus admirationis mereantur heroici quidam virtutum actus, quos illa aduersus aliquos pessimè de se meritos exercebat, aut gratiæ quibus illa vicissim à sponso amantissimo afficiebatur. Cùm enim cyathum fœdi fœtentísque puris plenum generoso animo exhausisset, quem tamen suauissimus sponsus illo ipso tempore, in potionem gratissimam, suauitérque fragrantem conuerterat; apparuit ei nihilominùs nocte sequente, eiúsque ore ad vulnus lateris sui applicito, liquorem illi dedit in potum, quem nullus sermo explicare possit: ex eóque dulcissimi amoris prodigio natum est alterum, vt deinceps eius

stomachus nullũ cibum terrenum retinere, neque ore accipere sine graui dolore posset; excepta dumtaxat aliquantula aqua, & sacrosancta Eucharistia, quæ æquè corpus eius, animúmque nutriebat; quæ res tam noua, támque insolens, & multas illi ab hominibus molestias peperit, & pulcherrimas patientiæ coronas cumulauit.

Móxque sola viuit Eucharistia.

VI. *Cor cum Domino cõmutat.*

Orauit Deum aliquando magna animi contentione Catharina, vt ipsi cor suum, omnémque propriam voluntatem auferret. Quas cùm illa funderet preces, visa sibi est venientem sponsum cernere, sinistrum ipsi latus aperire, inde cor extrahere, & secum abeuntem auferre. Post aliquot deinde dies, cùm exire vellet ab Ecclesia, obuium habuit sponsum suum magno fulgore radiantem, & cor rubeum & coruscans gestantem, qui propius illam adiens, illud in eius latus immisit, simúlque, dilectissima filia, inquit, tu cor meum habes loco tui; statímque clausit eius latus; in certius tamen veritatis argumentum, clausi apertíque lateris cicatricem in eo reliquit, quam eius sodales frequenter à se visam testatæ sunt. Ab eo tempore maximis fruebatur gaudiis, in communione maximè, aut visa dumtaxat sacrosancta Eucharistia, adeò vt cor illi exiliret in pectore, cùm eo sono, quem vicinæ sodales clarè exaudirent. Ipsa quoque fatebatur confessori suo, mirari se animam suam in corpore posse subsistere, tanto calore æstuantem, ipsæ vt flammæ frigere viderentur.

VII. *Omnia ab ipso obtinet. Pag. 924. & 936.*

Obtinebat illa à sponso suo quidquid optasset, quantumuis arduum. Itaque fratri Remundo confessario suo insignem spiritum contritionis rogata impetrauit, & Patri suo, vt purgatoriis pœnis immunis, cœlum recta peteret, & conuersionem duorum sontium, qui cùm ignitis forcipibus discerperentur, sacrilegis Deum vocibus impetebant, multorúmque aliorum, qui in suis sceleribus callum vetustatis obduxerant. Et cuidam religioso nomine Thomæ, qui dudum illi à confessionibus fuerat, cùm nihil minùs tum cogitaret, tam vehementem sensum deuotionis obtinuit, vt negaret se illi similem vnquam sensisse. Rogata quoque ab eodem Thoma petiit à sponso suo, vt ille idem pater, & aliquot alij æterna aliquando vita fruerentur, quod & impetrauit. Sed addidit idem sponsus auctarium admirabile, quod doceret quanti sint meriti apud ipsum dolores pro ipso tolerati, quámque vera sint indicia singularis eius in suos beneuolentiæ, quando Catharinam suam tantis doloribus exercitam vitam ducere voluit, quamuis innocentia præditam singulari.

VIII. *Quam tamen doloribus exercet.*

Nam vt mittam dolores, quos continenter pro anima patris sui tota vita tolerauit, inuisibilem à sponso suo plagam accepit in manu dextera, quæ illi perpetuum inferebat cruciatum, nec dubitabat ipsa, quin Christus Dominus illam vulneris sui participem esse voluisset, præsertim postquam id vulnus, in magna quadam extasi, quatuor reliquorum accessione cumulatum esset. Fatebatur autem confessario suo, tantum sibi

ab

ab illis inferri cruciatum, ab eo præfertim quod in latere patiebatur, vt negaret, nisi eo dolore mitigato, animam in corpore retineri posse. Postremò diuini amoris flamma cor eius cõsumpsit, vitámque ad quatuor horas eripuit, quam illi sponsus eius, ad salutem multorum & meritorũ incrementum, redintegrauit. Habetis hîc satis amplam exemplorum copiam, quæ vel peruicacibus fidem faciant dulcissimi Dei amoris aduersus dilectas sibi animas, doceántque quàm verè de Spiritu Dei canat Ecclesia, *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.* Habeo sanè, inquam, copiam exemplorum, quæ tepidos tam amabilis támque dulcis Domini amatores extimulet, & ad Sanctorum imitationem validissimè inuitet.

CAPVT XIX.

Profanum amorem honorum, opum, voluptatum esse longè amarissimum.

ABITE ergo nunc, ait Dulcis-Amor, abite inconsulti mundi amatores, persuadete vobis iter, quo Deus deducit filios & amicos suos ad gloriam, asperum esse, inuium, iniucundum, dumis horridum, & obseptum spinis: aut eorum vitam opaca & atra tristitiæ nube semper obscuratam. O quanto in errore versamini, quàm perniciosam in fraudem estis inducti. Si quod enim solidum est in hac vita gaudium, si qua vera delectatio, ea ipsi vni perfruuntur: non vos quos nulla tangit lætitia, cui dolorum vis ingens, etiam in hac vita, non appendatur, quæ tristissimis euentis non obruatur. Quod videtur significare Iobus ille sanctissimus, cùm de impio, *Dulcedo*, inquit, *illius vermes*; vna dulcedo, multi vermes, multi conscientiæ, sibi malè consciæ aculei, multa putredo vitiorum, multi acerbissimi casus pro vna dulcedine rependentur. Itaq; profanis hominibus contingit, vt mortis arborem plantent, cuius præter naturę ordinem radix vtcumque dulcis est, fructus autẽ amari.

I. Mundi amor amarus.

C. 24. 20.

Quot felleas potiones propinat ambitio superbis, dum superiora meritis ambiunt, aut ex alto deiici timent, & in ordinem redigi, aut quem sequuntur honorem assequi non possunt? Huius rei doctor idoneus esse possit superbus ille Aman, fructum vanitatis adeptus, qui tragicis theatris rectè celebrari possit. Quis enim dolor acerbior, quis mœror maiore sensu fodicare possit ambitiosi hominis pectus, quàm cogi inimicum hominẽ deducere in triumphum, quẽ ipsemet ad patibulum destinarat? Quàm atroci perfusus est pudore, cùm in regis oculis, à Regina audacissimæ crudelitatis accusatus, ac conuictus est? cùm misericordia quam quærebat, & submissio, qua abiiciebat se, transiit in nouum crimen? *Etiam reginam*, ait Assuerus, *vult opprimere, me præsente, in domo mea?*

II. Ambitionis amaror.

Esther 7. 8.

Quæ denique deſperatio hominis de altiſſimo honorum ſolio deturbati, bonis omnibus euerſi, & ad eandem damnati crucem, quam parauerat inimico, in qua etiam decem eius filij pependerunt?

III. Quos animi cruciatus aulici patiuntur, dum honoratam aliquando quietem aucupantur? & dum per ſcalas vanitatis in altum connituntur, quantũ inuidiæ ſecum trahunt? quot calumniis appetuntur? nónne fiunt perpetuum obtrectationum argumentum? Nónne ſexcentos habent in excubiis inimicos, intentos dum meliore loco ſint, vt eorũ ſpes inanes efficiant, & è ſummo deſideriorum ſuorum vertice, ad ima ſubſellia timoris ſui deiiciant. Nónne quaſi è ſublimi ſpecula perpetuò inuigilant actionibus inuidorum, aut apologiis conſcribendis, aut conſtabiliendo fauori, aut æqualibus euertendis, aut minoribus, ne emergant, aditu obſtruendo; quorum nihil eis ſine multis contradicentium aculeis, contráque pugnantium turbis, & necopinatis euentis contingere ſolet. Quid ſpinoſius ambitioſorum vita, quæ ſæpè ſingulari certamine terminata, corporis inuehit, animíque peſtem, atque interitum ſempiternum.

IV. *Et amoris opum.* Quantum fellis ſecum trahit auara cupiditas immenſarum opum, & ſuperfluorum vitæ commodorum, quæ ſummo cum ardore animi deſiderantur, inſatiabili cum fame deuorantur, incredibili cum ſollicitudine conſeruãtur, & furioſa cum deſperatione perduntur. Quanta fuit Achabi regis ſitis vineæ Nabothi, cùm ea morbum inuexerit, & cibi ſuſtulerit appetitum? *Proiiciens ſe in lectulum ſuũ, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* Sed eam ſitim vlti ſunt canes, ſanguinem lambentes, qui ex mortifero vulnere defluebat. Huic ſiti par erat rabida illa Ieſabelis fames, qua & vineam, & illius herũ, & heredes abſũpſit; itaque & iuſto Dei iudicio à canibus fame percitis lacerata morſibus, atque abſumpta eſt. Hi enim ſunt illi *peccatores terræ* quos memorat Dauid, amatores terræ, qui calicẽ diuinæ iracundiæ ad fœces vſq; exhauriẽt, *Fæx eius non eſt exinanita, bibent* ex cœno illo turbido, *omnes peccatores terræ.*

(3. Reg. 21. 4.) (Pſal 74. 9.)

V. *Seruitus auarorum.* Dulcis admodum res eſt, & quantiuis pretij libertas, & iuribus naturæ conſentanea; Itaque rectè quidam,

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Peccati pœna eſt ſeruitus, Deus enim hominem liberum procreauit. Quàm amara igitur eſt ſeruitus auarorum; eorum ſcilicet qui diuitias non poſſident, ſed ab eis poſſidentur; vt meritò eos Propheta regius non viros diuites, ſed *viros diuitiarum* vocet: quos ait dormiſſe ſomnum ſuum, ſed negat euigilantes quidquam inueniſſe in manibus ſuis: nullam ſcilicet laborum ſuorum accepiſſe mercedem, non ſecus ac mancipia, quæ ſui iuris non ſunt, & ſine vlla mercede pecudum inſtar heris famulantur. Rectè eos quidam canibus ad præſepe comparat, qui neque hordea comedunt, neque eſurientem equum comedere patiuntur. *Qui ſibi inuidet*, ait Sapiens, *nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ eius*, ſic videlicet Deus illum in hac vita punit. Bona ſua infœlix habet quaſi depoſita, illa vt attrectare non audeat. Ne panem quidem ad ſatie-

(Pſal. 75. 6.) (Eccl. 14. 6. & ſeqq.)

tatem ſumit, & inſtar Tantali mediis in vndis epuliſque, fame perit & ſiti. *Non ſatiabitur*, inquit idem, *pane indigens, & in triſtitia erit ſuper* v.9.& 10.
menſam ſuam.

VI. *Spinæ diuitiarum.* Luc 8. 14.

Nequaquam aberrauit à vero æterna Sapientia, cùm diuitias ſpinis comparauit, & rubis, qui non veſtimenta, ſed ipſa viſcera ſolicitudinum aculeis dilacerant; non attrectantium manus, ſed cupidorum corda diſcruciant, ac cruentant. Cùm enim auarus animaduertit aut tempus, aut occaſionem benè gerendæ rei elapſam è manibus, aut fures domeſticos externosve fuiſſe ipſo cautiores; annonam mora corrumpi: ignem villas abſumpſiſſe, domum à milite direptam, merces periiſſe naufragio, debitores datam fidem fefelliſſe, aut ceſſiſſe bonis, tunc videlicet imminentis paupertatis metu, & rerum aduerſarum impatientia; timens quoque ne ludibrio ſit inimicis ſuis, indignatione tumens confugit ad laqueum, qui ſtultiſſimæ, atque amariſſimæ vitæ finem imponat. Hæ ſunt deliciæ, hæc vita, atque interitus multorum auarorum, hæc conſolatio, quàm illis amor diuitiarum, ruta amarior atque fuligine procreat.

VII. *Fel impuræ voluptatis.*

Age nunc voluptatis dulcedinem cogitemus, amariſſimo moleſtiarum felle delibutam. Vide obſecro quàm amara ſit puellæ vita, quæ honeſto loco nata, honori non pepercit ſuo, quámque verè dictum ſit, delectationem vnam mille ſecum dolores inuehere. Primò aculeos conſcientiæ morſúſq; patitur, quibus acerbiore multò pudore perfunditur, quàm mille teſtibus; atque adeò tanquam à totidem ſerpentibus noctes diéſque corroditur. Deinde ſæua, ſed iuſta irreparabilis damni triſtitia cruciatur, nam lugeri id damnum poteſt, reſtaurari non poteſt. Tertiò vehementiùs reformidat ne facinus innoteſcat, eíque infamiæ nota, nulla temporis diuturnitate obliteradā, inuratur. Accedit quartò etiam alius timor, ne fortè concepto fœtu vterum ferat, & quotcumque coniecturis in eam opinionem adducitur, totidem aculeis cor eius, animúſque lacerantur.

VIII.

Quòd ſi de nata in vtero prole ſine vlla dubitatione conſtiterit, quā anxia atque atroci ſollicitudine premitur, ad facinus obtegendum, celandámque turpitudinem ſuam? inópſque conſilij centies quotidie maledicit vitæ ſuæ, centeníſque votis expetit mortem ſuam, quæ tamen inductam labem obliterare non poteſt. Videt ſe factam quaſi ſcopum in quem tela paternæ indignationis meritiſſimò torqueantur: videt ſe obuiam perpetuo fore conſanguineorum probris, inimicorum irriſionibus, atque maledictis: familiam pudore ac dedecore vndique perturbatam, ſe perpetuo contemptui, atque exprobrationi obnoxiam fore; itaque deſperatione fracta init ſcelerata conſilia violentæ mortis, ſiue ſuæ, ſiue infantis, certiſſimi teſtis impudicitiæ maternæ. Hæc vncia, hæc dragma, hoc granum lutulenti mellis, num centenas abſynthij, felliſque libras æquare poteſt?

IX. *Amaricies intemperantia.* Quid cibi potúſque intemperantia, nihilne habet amaroris admixtum? quale probrum eſt illius, cui verè obiiciatur in iurgio, abdomen inſaturabile, gurges, ingluuies, abdomini natus? Quod decus eſt puſtulati vultus, impuri & fœtentis halitus ex indigeſto cibo, ſtomachi crapulam exhalantis? nónne hæc idonea materies eſt amariſſimæ exprobrationis, & pudendæ ſubſannationis? taceo ſtuporem capitis, tremorem pedum, inceſſum dubium, linguam titubantem, & multo in mero natantem, cæteróſque gurguſtiorum & popinarum fructus, cum ſanitatis, ac longioris vitæ iactura. Vix auſim addere iacturam gratiæ tuæ Deus meus. Iſti enim helluones minoris faciunt diuinam amicitiam tuam, quàm patinam auidæ gulæ blandientem, aut hauſtum vini precioſi. O inſana iudicia hominum, quos ebrietas, & gula turpiſſimè dementarunt: quomodo, qui naturæ ductu guſtúque diligitis dulcedinem, tam amaram, támque præpoſteram delectationem amare, aut ferre poteſtis? quomodo tam acerbum æternæ mortis poculum exhaurire non dubitatis?

CAPVT XX.

Diuinum Ieſu Chriſti amorem aſpera omnia, illi dulcia ac delectabilia reddidiſſe.

I. *Diuinus amor amara reddit dulcia.* *cap. 5. 20.* VÆ *vobis*, aiebat olim Eſaias, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Illis vtique conuenit hæc prophetica infœlicitatis denunciatio, de quibus proximè dicebamus, quibus peccatum dulce eſt, & amara diuina lex. Illis contra fœlicitas præparata eſt, qui diuini ardoris opera, amaras atque aduerſas huius vitæ res in dulcedinem vertunt. O nobiliſſimam Chemiæ ſcientiam, ô deſiderabilem metamorphoſin. O præſtantem conditura m, qua cœleſtis ille ignis, quem detulit Seruator in mundum, non ſolùm natiuam fructuum aſperitatem adimit excoquendo, ſed eis ſaccharum etiam & mel inſtillat, vt fiat cibus Angelorum, qui diuinæ menſæ inferatur. Hîc deinceps Dulcis-amoris effectus, in Seruatoris primum perſona, deinde amicorum eius explicandus eſt nobis, quod hôc facilius erit, quod iam perſuaſum eſt, *Dulce & decorum eſſe pro patria mori.*

II. *Id Dei filius ſuo docet exemplo.* In hac itaque re maximè oſtendit Deus mortalibus dulcedinem amoris ſui, quam etſi olim in rerum molitione copioſè probauerat, voluit tamen etiam patiendo patefacere. Id cùm in natura diuina non poſſet, factus eſt homo, vt oſtenderet tantum eſſe in ſuo amore dulcedinis, quã-

tum opus foret ad omnes huius vitæ labores, molestias, & cruciatus, non solùm mitigandos, sed mellita etiam dulcedine condiendos. Itaque dulce illi fuit durum ac vile præsepium, dulce stabulum, vel antrum derelictum leprosis, qui vrbibus excluduntur, aut lupis cæterísque nocturnis feris. Et in signum lætitiæ, qua illic Dominus mundi perfundebatur, eius famuli mirabili concentu canunt, *Gloria in excelsis Deo*, mundúmque vniuersum ad Seruatori recens nato congratulandum inuitant. Nisi enim animo gauderet ipse, indecora vtique foret lætitia subditorum: ipsíque angeli in hac inuitatione, officio parum officiosè fungerentur. *In natiuitate.*

III. *Reliqua qua vita.* Dulcis ei fuit circumcisio, quamuis nocentis in innocente vestigium. Dulcis fuga in maternis vlnis, & exilium in barbaras idololatrarum terras: dulcis quoque obsequiosissimus ille in paterna domo famulatus, ad aliquod parentis vtriusque leuamentum, quamuis vniuersis angelorum legionibus, ad eius obsequium, atque obseruantiam destinatis. Dulcis obedientia, subiectio, labor pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis. Hæc enim omnia in bonum amicorum vertebantur. Dulce quoque quadraginta dierum ieiunium, cibi, potus, humanæque consuetudinis expers. Dulce in nocte frigida pernoctare sub dio, nunc flexis genibus orando, nunc facie sanctissima, totóque corpore in terram prostrato; sic enim amicis suis præbebat exemplum, simúlque illis veniam impetrabat, & gratiam. Dulce cum publicanis & peccatoribus manducare & bibere, quamquam à moribus suis, & innocentia longo interuallo distantibus, ideóque odio non amore dignis, castigatione & pœna, non beneuolentia singulari.

IV. Dulce illi fuit pedibus iter facere, & fortasse nudis aliquando, dum labore fatigatus & siti, non molli iaceret in culcitra, sed sederet sic supra fontem, & aquam precariò à muliere non optima postularet. Dulce in templo & synagogis habere conciones, edere miracula, aliísque sanctis operibus ad vesperã vsque, vires Hierosolymis exhaurire; nec inuenire quemquam, qui ei frustum panis in cibum, aut calicem aquæ frigidæ offerret in potum. Id enim haud obscurè Marcus Euangelista significat, cùm ait, *Et circumspectis omnibus, cùm iam vespera esset hora*, & videlicet cœnæ tempus appeteret, *exiit in Bethaniam cum duodecim.* Denique dulces illæ lacrymæ, non solùm quas in gratiam demortui Lazari amici sui profudit ad sepulchrum, sed illæ quoque dulces lacrymæ, quas commiseratione Hierosolymitanæ ciuitatis effudit, quæ occidebat Prophetas, & ipsum Dominum Prophetarum egit in crucem. *Ca. 11. 11. 19*

V. *Diuinus amor dulcem reddidit Domino passionem.* Sed hæc modica fortasse videantur. Obiiciamus diuino isti Amori aduersarium, quem possimus inuenire grauissimum; mortem videlicet, sed tormentis atrocibus, omnique ignominia & dedecore cumulatam. Inueniemus autem dulcissimum Seruatoris amorem, huiusmodi mortem non solùm tolerabilem, sed valde etiam optabilem, dicam etiam delectabilem reddidisse. Alioqui enim in die magnificentissimæ gloriæ

Luc. 9. 31. suæ, in Thaboræo monte, cum primariis amicis suis nequaquam de excessu quem completurus erat in Ierusalem, verba fecisset. Nam sicut, Eccli. 22. 6. & 32. 7. authore Sapiente, *musica in luctu importuna narratio, ita comparatio musicorum ornamento est conuiuio vini.* Quid sibi vult illud, *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*, qui erat vltimus ad mortem transitus? Nemo magnopere desiderat, nisi quæ magnopere diligit, nec quisquam rem tam ingratam acerbámque diligit, quàm ingrata est crudelis atque ignominiosa mors, nisi eam dulcem amor effecerit. Itaque rectissimè Augustinus, *Omnia sæua & immania prorsus facilia, & prope nulla reddit Amor.* Serm. 9. de verb. Domini ca. 3.

VI. Hic ipse amor fructum iucunditatis colligebat in pedibus teterrimi proditoris sui abluendis, & ore sacrilego deosculando: in sudore sanguineo, & extrema pene lucta spiritus abeuntis. Hic amor veri Samsonis nostri, brachia manúsque, veris istis Philisthæis immaniter ligantibus, permittebat; quin & genas cædentibus, & pulcherrimam faciem fœdè conspuentibus, oculos sydereos obnubentibus, & aures vocibus execrãdis continenter pulsantibus. Illa ipsa suauissima charitas tua, suauissime Iesu, spinarum quibus adorandum caput tuum circumquaque perfodiebatur, aculeos retundebat, & atroces virgarum ictus, quibus membra innocentissima pulsabantur, non auertebat ille quidem, sed molliebat, vt pretiosissimus sanguis, non sine acerbo dolore, sed sine cordis acerbitate copiosè deflueret, imo cum sensu commiserationis interitus eorum, à quibus immaniter, ac sine vlla misericordia torquebaris.

VII. Eadem illa charitas fel propinatum lenibat, & demitigabat acetum; Psal. 21. 7. pudorem, contemptum, contumelias regi gloriæ à nebulonibus illis irrogatas, quasi honorificè acceptus esset, amplectebatur, factus *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Ille idem amor dulcissimus inauditam hactenus illam vocem, sed omni melle & nectare dulciorem, in gratiam eorum, à quibus tam atrocem accipiebat iniuriam, ex diuino pectore Luc. 23. 34. profudit, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ille idem sensit *dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera*; molliuit videlicet Amor perdurum lectulum crucis, & crudelem clauorum violentiam, quibus perfossæ manus ac pedes hærebant stipiti. Leue denique reddebat corporis pondus, quando natiua membrorum grauitas deorsum propendens, perfossas lacerabat manus, si pedibus parcere voluisset; aut pedes amplificato vulnere cruciabat, si sacrosanctas manus tantillum cuperet subleuare.

VIII. Postremo dulcis amor Seruatoris diuinam illam animam eduxit ex eius corpore, & iuxta sanctissimam suauissimámque filij voluntatem, transtulit in paternas manus; quoniam ad parentis imperium *dulce & decorum est pro patria mori*, nõ patria illa ingrata, & crudeli Hierosolyma, quæ magnis vocibus eius crucem, mortem, sanguinem vlulans appetebat, sed illam electorum ciuitatem, illam cœlestem Hierosolymam, il-

lam societatem cœlesti gloriæ destinatorum, illam Ecclesiam triumphantem, cuius ipse caput est & princeps, quæ eius morte redempta, eius ornata meritis, cum eo in omnem regnabit æternitatem.

CAPVT XXI.

Quî fieri poßit vt diuinus amor res molestas dulces reddat, atque amabiles.

HIc ego, obsecro, inquam, vt tantillum interrumpam cursum orationis tuæ, simúlque rogem quî fieri possit vt Charitas, res natura sua molestas atque acerbas, quásque nemo non auersatur, dulces efficiat, quasi saccharo, aut melle conditas. Num potest aut ingrati obiecti natura mutari, aut subiecti ab illo abhorrentis? Neutrius, inquit Dulcis amor, naturam mutatur. Neq; enim absynthium in saccharum vertitur, neque homo in marmoreum aliquod signum. Sed amantis naturale fastidium rerum acerbarum, vehementer subleuatur forti illa cogitatione, quæ clausis, aut auersis ab amaritie tantisper oculis, rem vt medium ad obtinendum quod diligit, intuetur. Dilectus finis efficit vt media, quæ ad illum consequendum valent, acriter appetantur. Itaque mutuus amor, quem Amans vehementer desiderat, ac magnifacit, mediis ad illum necessariis suam bonitatem communicat. Nam sanitas tetram atque inamabilem potionem non modico auro gratiorem facit; Scientia studentium vigilias, labores, animíque contentionem attemperat suauitate sua. Quòd si mediorum istorum acerbitas hoc maius habet ad finem consequendum momentum, quo fuerint acerbiora, tanto etiam fient optabiliora ac dulciora; quales sunt labores, ærumnæ, tormenta, quæ amicus in gratiam amici pertulerit. Nónne aiunt amorem cœcum esse? Ergo neque album à nigro distinguit, neque lucem à tenebris, neque facilè à difficili, sed cœco impetu coniicit se in medium rerum omnium certamen atque discrimen. I. *Quomodo amore res acerbæ dulcescant.* *Cùm sumũtur vt media.*

Denique Amor hic ignis est ab eo Spiritu ortus, qui sub specie ignis descendit in Apostolos; Sumamus ergo ligna quantumuis scabra, aspera, tortuosa, aut spinas quamuis rigidas & aculeatas, vtraque ignis in cineres redigit, quibus nihil est mollius ad tractandum. Nihil videtur rigido saxo aut silice durius, ferro impenetrabilis est, calybeam retundit aciem, eius incussu dissiliunt cuspides malleorum, cruentant ac lacerant attrectantium manus, resonant ad malleorum ictus, & quasi ex ira crepitus edunt, scintillásque iaculantur. Mittantur in ardentem fornacem, in calcem abeunt, & perseuerante igne rediguntur in puluerem. Ipsum etiam ferrum & calybs, quibus tandem durissima saxa do- II. *Amor igneus domat omnia.*

domantur, in igne mollescunt, & pene instar arundinis omnem flectuntur in partem, denique incendij ardore tabefacta, igneum in flumen colliquescunt. Quid ergo mirum si igneus ille amor, qui flagrabat in pectore Seruatoris omnem laborum asperitatem, duriciem, amarorem condiuit, emoliit, læuigauit?

III. *Et difficilia facilia reddit.* His ergo consequens ac consentaneum est, si nobis molestum est ieiunium, si ingrata malè partorum restitutio, si acerba castitas, si difficilis reconciliatio cum iis, à quibus accepimus iniuriam, eò diuini amoris ignem inferendum esse, totámque difficultatem, acerbitatem, molestiam, voluntario sacrificio Deo mactandam, & consecrandam esse. Ita fecisse Christum Dominum ex regio Propheta liquet; illius enim est ista vox, *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* (Psal. 53.8.) Decretum efficax sacrificandi Deo patri, ad hominum expediendam salutem, crucis iter complanauit, Caluariæ collem campis exæquauit, & naturæ deuicit infirmitatem, quæ se illa tertiùm iterata oratione patefecit, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, (Matt. 26.39) quem sciebat esse longè amarissimum; simúlque à nobis intelligi cupiebat, quanto impendio ab ipso redimeremur.

IV. *E contrario voluntas repugnans, idque simili declaratur.* Efficax porro patiendi decretum ab amore profectum non efficit, vt quod acerbum est natura sua, careat acerbitate, sed vt nihili fiat ipsa acerbitas, perinde ac si nulla esset. Sumamus duos homines, quorum alter imitandi Christi desiderio diuerberationem vltro suscipiat, aut voluntate expiandi peccata sua, aliáve intentione laudabili: alter admisso furto, alióve quopiam crimine in manus Prætoris inciderit, eiúsque iussu flagro à lictore accuratè cædatur, vterque dolorem vtique sentit, sed alter mente hilari, serena fronte, & corde pleno consolationis, adeo vt ad iterandam postridie eandem mortificationem paratus sit, & expeditus. Alter ira & indignatione æstuat, & ad singulos ictus gemit, clamat, furit, & doloris impatiens modò lictorem contumeliosè appellat, modò iudicem; nunc minas in accusatorem, nunc in testes intentat. Itaque Seruator sentiebat, ferebátque res acerbissimas, non acerbè, sed suauiter, amicè atque beneuolè; naturæ repugnantis impetu, & inferiore voluntate, quæ suam quærit incolumitatem, deuicta planè, atque debellata.

CAPVT XXII.

Res declaratur exemplo, & accommodatur Christo Domino.

I. *Parabola bellatoris pro sponsa certantis.* PLACET hoc ipsum negotium nouo atque efficaciore exemplo declarare. Sit vir aliquis præstanti nobilitate, atque fortitudine, qui puellam insigni forma & pudore, parique nobilitate præstantem in matrimonium ducere cupiat, videátque illam, aduerso quopiam casu, in

manus

manus barbari alicuius, atque impuri tyranni deueniſſe. Quando igitur vir iſte nobilis amore ſtimulante aduerſus tyrannum illum, in gratiam dilectæ ſuæ, arma ſumit, in equum inuolat, diſtringit enſem, & ſingulari certamine inuadit perduellem, nónne delectatur bonitatis cauſæ conſcius & virtutis, liberandæ ſponſæ, ſibíque demerendæ cupidus? nónne tanta voluntate fertur in hoc certamen, vt de ampliſſima fortuna aduerſario malit, quàm de hac pugna cedere, quidni de fortuna, cùm vitam ipſam, ſibi rebus omnibus cariorem, in diſcrimen adducat? Vide autem quæ ſit eius ratiocinatio. Si mihi vitam, inquit, tyrannus abſtulerit, dilecta mea tota vita gemens atque illacrymans dicet, Hei mihi, quàm fidelis amici, & amabilis ſponſi iacturam feci! Sin autem morti ereptus, vitam prædoni illi rapuero, quanta mihi dilecta mea obligatione, quanta beneuolentia deuincietur? Quàm tenerè, quàm ſuauiter exoſculabitur cicatrices meas, indices amoris in ſe mei; quàm iucundè colloquemur inter nos de parta victoria; quàm ſuauiter totius vitæ amantiſſima conſuetudine perfruemur.

II. *Accommodatur ad Christum.*

Fortiſſimus hic nobiliſſimúſque bellator, omnium virtutum abſolutiſſimum exemplar, vnica eſt prępotentis Dei proles, deliciæ orbis terræ, qui omnes animas, quas Pater æternæ felicitati deſtinarat, ex animo diligebat, ſponſáſque ſibi deſtinabat, partim natiua earum pulchritudine allectus, ſunt enim diuinæ pulchritudinis imagines, ipſius Dei manu depictæ; partim ſupernaturali decore, quem habituræ erant, diuinæ gratiæ ſplendore ad natiuam venuſtatem accedente, incitatus: Permotus etiam illa beneuolentia, & amore immortali, quo illæ viciſſim eum proſecuturæ ſunt, tam in hac pugnæ, quàm in illa triumphi regione. Maximè autem illa gloria, quam accepturus erat Pater æternus, quando cœlo receptæ, hymnum agendis gratiis aptum perpetuo decantaturæ erant. Excitatus denique illo luctu, quem immani illi animarum tortori cacodæmoni erat importaturus, qui eas in fœdiſſimam ſeruitutem deſtinabat, earum gratia in certamen deſcendit.

Videbat enim barbarum illum ac trucem inferorum tyrannum, hoſtem ſuum infeſtiſſimum atque antiquiſſimum, animas illas peccati iure, vel iniuria potiùs retinere captiuas, vt eas profano carnis mundiq; amori proſtituat, indéque præcipites agat in deteſtandum fornicem inferorum. Iuſta ergo indignatione commotus eximius ille ſponſus, & dulcis amator animarum; Ergóne, inquit, ſpurcus ille ac probroſus nebulo, tam nobiles animas, tam indignis modis accipiat? & quas ſpõſas habere conſtitui tanti principis filias, ille veneficus faſcinet, & quaſi Circæo poculo cõuertat in lupas? Ego ne patiar vt tartareus ille draco deturbet in cloacam inferorum illas animas, quæ, vbi agni ſponſæ factæ fuerint, aptæ ſunt ad gloriam ſempiternam? Non ita fiet, non ita animo langueo, vt tam perfidum facinus in oculis meis ſciens prudénſq; permittam. Meæ ſunt, mea intereſt illas de ſcelerati prædonis manibus, in optatam aſſerere libertatem. III.

IV. *Dialogismus Christi, & Angelorum.* Hîc angeli; quomodo, inquiunt, nobilissime princeps, primogenite regis regum, contra hanc belluam paras inire certamen? Permitte nobis hoc prælium. Nos eum pridem ex empyrei cœli altissimo solio, in imum centrum huius vniuersitatis deturbauimus; minor est quàm vt aduersus eum tanta maiestas confligat. At princeps, non ita conuenit, inquit, ô filij, hanc ego mihi pugnam victoriámque reseruaui. Res erit mihi suauissima, gignet enim singularem aduersùm me illarum animarum amorem, quas ego in oculis fero; deliciæ enim meæ sunt familiaris vitæ consuetudo cum filiis hominũ. Ita quidem, inquiunt illi, si in ista tuo cum Goliatho pugna, aureis Saulis armis vti placeret, id est potentia diuinitatis tuæ, & non potiùs in sanctissima atque innocentissima humanitate tua magnis affici animi doloribus, corporísque cruciatibus confici; quod videtur cum recta ratione, & tua dignitate pugnare.

V. Non pugnat, inquit princeps; sed destinatum pugnæ modum persuadet Dulcissimi amoris abundantia. Accedit quod hoc modo tanto vehementius affligam ac prosternam superbiam tyranni omnium superbissimi, cùm agnoscet agi secum, tanquam cum agresti ingenio & rusticano, aut loris & fustibus quasi cum mancipio peruicaci. Aliqua enim foret eius superbiæ consolatio, si dicere posset, Ipsius Domini dextra cado. Imo vnius hominis manu cades, qui te prostratum in terram famulis suis ac famulabus conculcandum præbebit: quibus ego eadem opera corda suffurabor; idque tanto suauiore vi, quanto, in gratiam sponsarum mearum, pertulero grauiora, eáque à maioribus malis, & detestabiliore seruitute vindicaro; nullo ipsarum maiore sumptu, aut impendio quàm amoris, & grati beneuolíque animi aduersus labores meos, qui tam amicè, támque officiosè certarim prior.

VI. Religiosæ itaque animæ, quæ neque me, neque ærumnas meas ignorauerint, & earum causas, finésque didicerint, nónne purissimo castissimóque mei amore flagrabunt? nónne in lacrymas commiserationis solutæ dicent,

Sic tibi compatiar, sic te mea viscera plangant,
Hauriat vt sensus luctus amórque meos.
In lacrymas abeant oculi, in suspiria pectus,
Perfodiántque animum vulnera quinque meum.

Nónne execrabuntur stultitiam ac temeritatem suam, quòd isti sicario fidem habuerint, & meo, & ipsarum crudelissimo inimico? Ipsæ & viuum agnoscent & mortuum, & alternatim gloriæ & pudoris, magnificentiæ paupertatísque plenissimum: idque totum in gratiam ipsarum perfectum sentient, ab eo, qui grauissimas ærumnas, & dulces reputarit, & modicas, præ magnitudine amoris erga illas sui; sicut olim patriarchæ Iacobo contigit pro sua Rachele seruienti.

VII. Si mitis ac suauis oratio, si dulcis oculorum coniectus, si officiosum obsequium, si demonstratio syncera voluntatis Rachelem Iacobo de-

meruerunt, quî fieri omnino possit vt animas mihi charissimas non demerear, non verborum lenocinio, sed officiis, quæ vsque ad vitæ, sanguinis, & honoris iacturam progrediantur, & quidem hilarem iacturam, & mellifluo amore abundantem. Num illas aliquando capiet satietas exosculandi plagas, in gratiam illarum acceptas? num fastidient mecum miscere sermones, aut orando pernoctare, si id mihi gratum esse cognouerint? anni dierum instar ipsis erunt, & dies instar quadrantium. Intentæ perpetuo erunt in occasionem inseruiendi mihi: amórque mei, qui in cordibus earum tenebit imperium, omnem corporis animíque castigationem dulcem reddet, atque acerbitatis expertē, nimirum vt acceptilationem debitorum suorum, vt medicinam acceptarum plagarum, vt salutis fiduciam, & quotidianum cibum vitæ huius; maximè autem ne sanguis & vita sponsi sui dulcissimi, pro ipsis frustra profusa videatur.

CAPVT XXIII.

Dei ac Domini nostri amorem aspera quæque, sanctis Martyribus dulcia, & suauia reddidisse.

HÆc cùm dixisset Dulcis amor, finem videbatur impositurus orationi suæ, sed reuocauit ipse se, Finiebam, inquit, nisi me reuocasset ista cogitatio. Reliquum enim mihi esse video, vt ostendam quomodo sancti Dei famuli, Martyrésque in primis, qui diuini amoris & charitatis egregiè participes fuerunt, illius quoque dulcedinem in medio ipso cursu dolorum suorum participarint. Medio, inquam, in cursu, maiore quàm Christus ipse prærogatiua, qui suprema ipsa nocte vitæ suæ, ingenti pauore, tædio, tristitia concussus dicebat: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, & suprema hora apud Patrem, & Deum totius consolationis gemebat, tanquam in summo cruciatuum & mœroris æstu derelictus. Ostendamus ergo breuiter diuini amoris dulcedinem, in condienda ærumnarum, cruciatuum, & contumeliarum acerbitate, quàm Dei serui, & fortissimi Christi milites ita degustarunt, vt illa omnia non solùm patienter, sed hilariter etiam, gaudentésque perferrent. Nimirum oportebat impleri figuram aquarum Mara, & potionem filiis Israël destinatam, iniecto ligno dulcescere.

[Margin: I. *Dulces martyrum cruciatus.* Vide D. August. in Soliloq. ca. 22. — Exod. 15. 23.]

In ipsis quippe Apostolorum Actis legimus, eos iuisse *gaudentes à conspectu Concilij*, quare verò gaudentes? *quoniam digni habiti essent, pro nomine Iesu, contumeliam pati.* Ergo amor quo Dominum suum prosequebantur, contumelias in honorem vertebat; & quidem tantum, vt ne ipsi quidem Apostolorum principes eo se satis dignos arbitrarentur. Magno itaque sibi honori, atque insigni gloriæ vertebant,

[Margin: II. *Apostolorum in primis.* Act. 5. 41.]

quod immisso publicè viatore comprehensi,& quasi sontes, per vicos & plateas Ierosolymitanas deducti, & in carcerem coniecti essent. Nec minus mirabile fuit facinus virginum Romanarum, Rufinæ & Secũdæ, quas cùm nec promissis, nec terrore Iunius præfectus à proposito posset abducere, Rufinam primùm virgis cædi iubet; vulgare id est, sed audi rem nouam. Nam in Rufinæ verberibus Secunda iudicem sic interpellat. *Quid est quod sororem meam honore, me afficis ignominia*, quasi indignam quæ cruciatum pro Christo feram? *Iube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur.* O mulierem non à vino, sed à cælesti Amore temulentam!

SS. Rufinæ, & Secundæ. 10. Iulij.

III. Alios legimus in tormentis immanissimis negasse suauiùs se vnquam fuisse epulatos. Tiburtius nudis pedibus super ignitos carbones incedẽs, Fabiano Iudici dicebat, Disce ex hoc solum esse Deum, quem Christiani colunt; prunæ enim mihi flores videntur. Quanta erat S. Vincentij ex diuino amore animi suauitas, qui cùm à lictoribus flagris acerbissimè torqueretur, eáque hilariter ipse perferret, ratus fortasse Dacianus proconsul carnifices in Vincentio cædendo præuaricari, illos suis ipsorum flagellis pulsat, vt veros inferant cruciatus. Cui facetè Martyr insultans, gratias agebat, quòd verberando lictores, suas iniurias vlcisceretur. Deinde ad tortores conuersus, quàm molles, inquit, estis, quàm infirmi, ego sanè vos credideram fortiores. Et rursum Daciano dicenti vt sui misereretur, cuius corpus totum diuulsum ac dilaceratum esset, arridens Vincentius, Hoc ego perpetuò desideraui, Daciane. Illud autem persuasum habe, neminem mortalium rem mihi gratiorem facere potuisse, etsi præter mentem tuam seruias voluntati meæ. Tu ipse Vincentio torqueris acerbiùs, quòd ab eo te, tuáque tormenta victa cernas. Noli itaque remittere furorem istam aduersum me, neque cruciatus, quibus amplificas coronas meas. Si quis hîc non videt Martyris animum inusitato gaudio triumphantem, nihil profectò videt.

SS. Tiburtij & Vincentij.

IV. Quàm suauis extitit animi sensus in Apostolo Andrea mediis in tormentis, cùm vehemẽtius orare instititit, vt populus eum in cruce pendere diutius, ac languere pateretur, vt tanto diutius dilecto magistro probaret amorem suum? nónne eximium dulcedinis illius gustum habuisse, fatendũ est? Et hic gustus tanto erat admirabilior, quanto erat diuturnior cruciatus. Scriptum est enim eum biduum in cruce viuentem pepẽdisse; nec cessasse vnquam Christi fidem, & dominicæ crucis sacra mysteria celebrare. Aliud porro longè est hominem quietum, & frigido, vt aiunt, sanguine ferre cruciatus, aliud armis instructũ in hostem inuolare, mente turbida, pectore æstuante; nec mori certum, sed sperantem honorem, iucunditatem, atq; emolumenta victoriæ. Nolo vlterius in hoc argumẽto prouehi, non ignarus hæc iterum ab aliquo Fratrum meorum vsurpatum iri. Non possum tamen quin egregiam mellitissimi Bernardi sentẽtiam, cum bona illius venia de hoc Heroë præstantissimo, sancto inquam Andrea referam.

S. Andreæ Apostoli.

In vigil. S. Andr.

Andreas, inquit, *homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito à seculis gaudio tripudiabat, cùm paratum sibi eminus patibulum conspexisset. O crux*, inquit, *diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudij? Ita*, inquit, *vt & tu exultans: ergóne tanta est exultatio, vt exultet & ipsa crux, nec læti aliquid habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat, contra consuetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum minùs exultare quàm crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit, huic, si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingerítque dolorem.* Quid? nónne Ecclesia canit lapides torrentis dulces fuisse protomartyri Stephano, à quibus tamen oppressus est. Hoc ergo amoris balsamum non solùm curabat vulnera, sed auertebat, sic vt flammæ sine dolore amburerent, & ferrum sine cruciatu laceraret. V. *Ex Sancto Bernardo.*

CAPVT XXIV.

Sanctos quoque confessores in mediis ærumnis hanc amoris dulcedinem degustasse.

HANC quoque amoris dulcedinem sanctissimi confessores, heremitæ, sanctíque cœnobitæ degustarunt, cùm olim pene morientes viuerent, viuentésque morerentur: vsque adeò plerique omnes asperam ducebant, acerbámque vitam. In desertis enim illis Syriæ, Chananitidis, & Ægypti locis, nullus fere erat Heremitæ lectus præter humum ipsam, nullum tectum, præter speluncæ aut cœli concauum, nullus fere cibus præter radices agrestes, nullus potus præter aquam, eámque nonnumquam amaram, vel ex longinquo petitam, nulla tunica præter pannum asperum, rigidúmve cilicium. Nónne oportebat Charitatem, consolationum suarum dulcedinem ibi copiosè diffundere, vt iugum à facie olei computresceret? Charitatis, inquam, oleum, quòd terram in culcitram verteret, rudem saxi cauitatem in aurea laquearia, herbarum radices in carnes phasianorum aut perdicum, aquam insuauem in nobile ac generosum vinum, cilicium in pannum delicatum, aut pelles pontici muris. Nimirum *vbi est amor, non est labor, sed sapor.* I. *Aspera Heremitarum vita.* Isa. 10, 27.

Quid autem mirum ita vixisse anachoretas, cùm Bernardus ipse cum suis eam vitam in Claraualle viueret, quàm viri religiosi, non solùm commiseratione, sed ploratu etiam prosequerentur. Audi enim Guilelmum Abbatem in vita illius. *Ibi*, inquit, *in loco horroris, & vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei, & domum orationis. Vbi simpliciter aliquanto tempore Deo ser-* II. *Et religiosorum S. Bernardi.* l. 1. c. 5.

uierunt in paupertate spiritus, in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex filiis fagi conficiebāt. Panis instar prophetici illius, ex hordeo, & milio & vicia erat; ita vt aliquando religiosus vir quidam, appositum sibi in hospitio, vbertim plorans clam asportauerit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viuerent homines, & tales homines, qui olim diuites in seculo, tum in paupertate Christi gloriabantur.

cap.7 Et alibi. *Domibus*, inquit, *& habitationibus simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Panis non tam furfureus, quàm terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus. Cætera quoque cibaria, quæ vix erant aliquid saporis habentia, præterquam quod fames, seu amor Dei faciebat.* Sic ille.

III. *Et tamen sibi à delectatione timentium.* Ibid. sparsim.

Amor ergo Dei rebus insipidis aliquid saporis afferebat, imò & delectationem tantam, quantam religiosus eorum feruor suspectam haberet, & crederet esse fugiendam. *Persuasum quippe habentes*, ait idem Abbas, *inimicam esse animæ omnem delectationem carnis, quasi venenum arbitrabantur quidquid comedentem vtcumque delectaret, aut carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cùm præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius viuere sibi viderentur in eremo, quàm priùs vixissent in seculo. Cúmque res ad iudicium Catalaunensis episcopi, qui tunc aderat delata esset. Exemplo vsus Elisæi Prophetæ, & filiorum Prophetarum, eis diuinæ dulcedinis gratiam sine timore percipere persuasit. Olla*, inquit, *illa prophetica olla vestra est, nihil in se nisi amaritudinem habens: farina verò amaritudinem in dulcedinem conuertens, gratia Dei est operans in vobis. Sumite ergo securi, & cum gratiarum actione, quòd cùm naturaliter minus aptum fuerit vsibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est vsibus aptatum.*

4. Reg. 4.

IV. *Dulcedo amoris mitigat amaritiem victus.*

Hæc itaque gratia, hæc farinula, hæc amoris dulcedo omnem religiosarum exercitationum asperitatem mitigat, ac temperat. Ieiunium reuera nonnihil habet difficultatis, negari non potest, ideóque plerique illud non solùm fugiunt, sed etiam quasi in iurgio calumniis appetunt, & inimicum naturæ mentiuntur, cùm medici consentiant plures gula occidisse quàm ferro. Quàm multi religiosi magnam anni partem ieiuni transigunt, etiam qui mendicatò viuunt? quàm multi perpetuò carnibus abstinent, non solùm sine gemitu, sed magno etiam corporis bono, & animi voluptate? Persæpe etiam iuniores, quos ætas ieiunij legibus non astringit, vltro atque ardenter flagitant fieri sibi ieiunandi potestatem, ieiunántque maiori cum gaudio, quàm plerique vulgò conuiuantur.

V. *Et continentiæ.* Sap. 8. 21.

Amara est continentia intemperanti adolescentiæ, aut feruidæ iuuentuti, imò ne seruari quidem potest sine singulari Dei gratia, quod Scriptura ipsa profitetur. Nouimus tamen in vtrouis sexu pene innumerabiles, qui multos annos transcurrant, itáque cum hoste dome-

ſtico continenter luctentur, vt ne in vnam quidem impuram cogitationem conſenſerint. Diuinus amor glaciem iniicit in Babylonicam fornacem, & facit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, ita vt eos ignis ille tartareus omnino non tangat, neque contriſtet, neque quidquam moleſtiæ inferat. Spiritalis amor, animalem expellit, vt clauum clauus, atque extrudit foras. Expurgetur ſemel animus ſerio, vitentur occaſiones, quæ fortiſſimos aliquando deiiciunt, frequententur ſacramenta, improbæ cogitationes ſumma celeritate repellantur, vis aliqua adhibeatur, quam amor ipſe ſuggeret, & breui mirabilis quædam metamorphoſis agnoſcetur. Dan. 3. 50.

VI. *Exemplum Pauli, atque Hieronymi.*

Hic videlicet amor dexteram armabat Pauli Apoſtoli, ad corporis ſui contuſionem, diuerberationem, & plagas, vt fortia illa verba teſtantur, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Hic idem amor Hieronymo ſaxum immittebat in manus, vt eo pectus malarum cogitationum conſcium pulſando vlciſceretur. *Pallebant*, inquit idem Sanctus, *ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat: in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas.* Redibat ergo tranquillitas, quæ pugnæ acerbitatẽ obrueret dulcedine victoriæ. Subdit enim, *Poſt multas lacrymas, poſt cœlo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudénſque cantabam, Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Epiſt. 22. ad Euſtoch. de cuſt. virg.

VII. *Reprehenſio ignauiæ quorundam.*

Quiſquis ergo de huiuſmodi pugnæ moleſtia queritur, de amoris in Deum ſui tenuitate queratur. Ex dictis quoque colligenda nobis eſt illa concluſio, magno imbellem Chriſtianum pudore affici oportere, cogitantem magnanimos illos heroas, Chriſti martyres, & confeſſores ex magnitudine Charitatis ſuæ, acerbiſſima tormenta, dulcia & pene ridicula iudicaſſe. Ipſis autem Dei præcepta, ipſius Chriſti iudicio ſuauia & leuia, humanæ certè naturæ, ac rationi valde conſentanea, videri aſpera, & tanquam acerba repudiari. Quis pudor eſt profanos homines, leui ſæpè ex cauſa, dulcem reputaſſe mortem, Chriſtianos autem in cauſa diuinæ amicitiæ, & æternæ felicitatis acquirendæ, punctionem acus ferre non poſſe? Mart.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis,
Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

I. *Concluſio cum oratione ad Deum.*

O ſuauiſſime hominum amator Deus optime maxime, quàm neceſſarium eſt nobis mel dulciſſimi amoris tui, manna illicientis gratiæ tuæ, nectar & ambroſia Charitatis tuæ, quia proh dolor! cito nos

faſtidium capit rerum tuarum,profanarum autem inſatiabilem circunferimus appetentiam, digniſſima lacrymis peruerſitate. Principis conſpectus hilarior, qui ſpem ingerit non raro fallacem, palatum animæ noſtræ titillat vehementius, quàm præſens conſolatio, & ſpes æternæ vitæ; ſenſuum leuiſſima delectatio, ac pene puerilis, quàm veriſſima oblectatio rationis & mentis: denique lætitia, quæ æternam ſecum triſtitiam trahit, illa quæ ſimul pignus eſt deliciarum æternarum. Abducito nos ab iſtis vberibus, intinge papillas abſynthio, Ægypti allia lacrymas ex oculis noſtris eliciant. Contra verò doceat nos ipſa experientia, quàm ſuauis ſit Amor tuus, quàm tenera, quàm paterna tua erga nos beneuolentia; vt ſi amare pigebat, redamare non pigeat, vt dicebat magnus ille ſeruus tuus. Hactenus Dulcis-Amor.

Quinti Libri finis.

LIBER



LIBER SEXTVS,

De Solertia Diuini Amoris, qui & Ingeniosus Amor.

CAPVT I.

Descriptio Ingeniosi-Amoris secundi filij Charitatis.



REFERVNT nobis sacræ literæ Raguelem, virum antiquæ fidei atque probitatis, socerum Tobiæ iunioris, incredibili gaudio, & delectatione affectum fuisse, filia sua Sara, & sponso eius Tobia ab infestissimo dæmone liberatis. Itaque iis matrimonio ritè coniunctis, iuuenem hilariter habebat apud se quotidie, eiúsque conspectu ac consuetudine suauissimè pascebatur, & reditum eius ad parẽtem quàm poterat longissimè differebat. Vrgebat nihilominus Tobias reuersionem suam, asserens parentes suos numerare dies absentiæ suæ, & illius causa animo cruciari. Dulcis amor primus liberorum reginæ Charitatis, religiose lector, satis diuturno te sermone detinuit, vtinam tam lauto conuiuij apparatu, quàm epulæ ipsæ merebantur, aut iuuenis ipse cupiebat; non ignarus fœderis ac cognitionis tuæ cum parente sua. Quia tamen conscius erat desiderij tui aduersus fratres suos, noluit copiosiore oratione abuti patientia tua, & differre diutius eorum de te benemerendi voluntatem. I. *Introductio in nouam disputationem.* c. 8. & 10.

Alterum itaque illius fratrem, de cœtu fratrum deductum, quasi in proscenium spectandum, atque audiendum adduco, qui, meo quidem iudicio, nihil priori cedit in desiderio, ac facultate auditorem lautè liberalitérque tractandi. Vt enim prior ille ad bonitatem pertinet, Spiritui sancto attributam; hic rectè sapientiæ Filij, tertius potẽtiæ Patris accommodabitur: dulcis enim est bonitas, ingeniosa sapientia, potentia fortis. Sed fortem hunc amorem posterius audituri, Ingeniosum nunc audiemus, hoc quippe est illius nomen, cui quæ dicitur physiognomia non parum fauet, ita est fronte, oculis, vultu, totóque corpore cõposi- II. *Ingeniosi amoris physiognomia.*

tus. Vides enim festiuam vultus hilaritatem, in colore candido & rubicundo, mollem & flauescentem capillum, argutos ac nitentes oculos, tenuissimam cutem, sub qua passim sparsos venarum ramos agnoscas, membra ipsa corporis neque duricie, neque macie, neque pinguedine notabili: nam vt ait Philosophus, *duri carne duri mente.* Modici est somni victúsque, ad conditionem enim Angelorum accedit.

III *Ornatúsque corporis.* Filius est Charitatis, quæ & ipsa ingeniosa est, mentémq; reddit inueniendis excogitandísq; rebus idoneam, in gratiam dilecti sui. Induit eum mater veste serica, artificij non vulgaris, obscurè innuens quã ingeniosa sit inuentio bombycini texti; eius quoque nobilitatem indumento nobiliũ indicans. Illius color ex rubro albicat, vt dixi, qualis solet esse color in dilutiore rosa, argumento ingeniosissimæ inuentionis induti humana carne Verbi Dei. Eadem vestis plurimos exhibet opere plumario Cherubinos, plenos scientia Sanctorum, in quincuncem sparsos: limbus habet acu pictum circumquaque hoc elogium. *Puer eram ingeniosus, & sortitus animam bonam.* Fert & hanc manu epigraphen ex Propheta regio, *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* (Sap. 8.19. — Ps. 118.130.)

IV. *Et capitis.* Coronam gestat in capite ex viridante lauro, quam alligat tænia, multiplicique orbe circumdat, in eáque hæc Apostoli verba inscripta sunt, *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi:* vt intelligamus Dei amantes viros, quamuis præstanti ingenio, proprij iudicij victores esse oportere, fideique legibus vltro illud libentérque subiicere, nec velle sapere, vt ait idem doctor gentium, plusquam oportet sapere, sed modum ponere inquisitioni. E corona pendet in frontem preciosus lapis, quem Græci ἀγχίνοιαν, Romani solertiam dicunt: ad significandum Ingeniosi amoris expeditam celeritatem inueniendi rationes, quibus infidelis peruicax reuincantur, & admirabilis diuinorum mysteriorum conuenientia demonstretur. (2. Cor. 10.5. — Rom. 12.3.)

Propositio & ordo disputationis. Priusquam autem illi faciamus audientiam, rationi consentaneum est vt vniuersè loquendo, amorem ingeniosum esse doceamus. Tum demum id ipse in diuino amore, tam in Deo ipso, quàm in eius amicis declarabit.

CAPVT II.

Amorem vniuersè ingeniosum esse, & quam ob causam.

I. *Causa interior inuentionis.* FACILE probat hanc assertionem naturalis ratio, probat & sententia priscorum sapientum, ipsáque experientia omnium seculorum; quæ breuiter, & hoc ipso quem proposuimus ordine, expediamus. Quid ergo dixerimus esse causæ, cur hæc amoris affectio prompta, & expedita sit ad inuenienda ea, quæ vsui sint ad obtinendum quod cupias? Nimirum qui alicuius rei obtinendæ valde appetẽs est, perpetua cogitatione

versat rationes & vias quibus confici res, atque expediri possit: eam vndique contemplatur atque circunspicit; quæ illam attingant, quæ circunstent, quæ præcurrant, quæ consequantur videt, si quam fortè ansam aliquid præbeat opportunam. Atque ita cerebrum, crebra specierum agitatione incalescit, sicut attritu ferrum. Sicque non solùm illa quasi mentis rubigo detergitur, & torpor excutitur, sed spiritus, qui in cerebro resident, quasi radij quidam lucis, calidiores ac subtiliores fiũt, aliique subinde etiam puriores procreantur. Itaque phantasia obiicit intellectui & plura, & puriora phantasmata. Intellectus autem imperio voluntatis obsequens, maiori sese contentione applicat, inuestigando quæcunque instituto seruiunt, eáque pertractans mira quædam aliquando exprimit, atque excogitat.

II. *Delectatio inuentioni seruit.*

Amor præterea, sicut hactenus dictum est pluribus, dulcis est ac suauis, ideóque animum vehementer delectat, ac nutrit, sicut corpus cibi, qui dulcedine præstant. Delectatio autem, cuius natura sumus appetentiores, quáque omnino carere non possumus, facit vt sine satietate, vel tædio, aut defatigatione in rei dilectæ contemplatione insistamus, & sic eadem opera circa illam perfectiora sensa, cogitationésque concipimus. Delectatio enim, teste Philosopho, perficit operationem: qui autem ad opus suum parum afficitur, nihil accuratum efficiet, aut laude dignum. Eáque causa fuit viris sanctis, & amicis Dei, intentiore cura diuina opera, mysteriáque contemplantibus, tam multa excogitandi, quæ diuina sapientia in illis abscondit.

III. *De ingenioso amore sententia Platonis.*

Τινὰς πλέκοντα μηχανάς· φρονήσεως ἐπιθυμήτηρ, καὶ πόριμος.

Quod ad antiquorum sapientum hac de re sensum, vnus mihi erit instar multorum Plato, qui in sympoſio suo Amori tribuit artium ac disciplinarum inuentionem, affirmátque eorum inuentores Amoris discipulos extitisse. In iis enim elaborabant, vel cupiditate laudis & gloriæ incitati, vt extare præ cæteris atque eminere viderentur, vel cõpendij causa, & emolumenti alicuius, quod ambiebant: vel cuiuspiam mali metu, quod eis adamatum quodpiam bonum eriperet, honorem, opes, libertatem, sanitatem, vires, vsum sensuum, scientiam, aliáque id genus. Ait quoque idem Philosophus amorem machinari semper aliquid, quò se facilè ex difficultatibus expedit: eundem ait esse prudentiæ studiosum, Philosophum, oratorem, adde & mathematicum, quæ sunt omnes sciẽtiæ, nominatímque mathematicæ, in quibus inuentio & ingenium vehementer elucent.

IV. *Et Poëtarum, adeóque Pauli Apostoli.*

Hanc ipsam Poëtæ agnouere, ac celebrauere veritatem. Nam quædam apud Ouidium de amore sic fatetur.

Denique fidus amor quidquid properantibus obstat
Finxit, & ad causas ingeniosa fui.

& alibi, *Ingenio vires ille dat, ille rapit.*

Et rursum. *--Ingenij est experientis amor.*

Denique, *Æacus in pœnas ingeniosus erit,*

Desiderium videlicet puniendi eum reddet solertem in excogitando, quibus hominem puniat modis. Sed mittamus istos, cũ liceat vti Pauli Apostoli testimonio, qui scribens ad Corinthios ait se eos plus dilexisse, quàm ab ipsis diligeretur, vt qui spiritalia eorum augeret, & temporalibus parceret. Ipsi autem parum diligentes doctorem, & patrem suum, præbebant aures æmulis, dicentibus Paulum quidem nihil exigere à Corinthiis per se ipsum, sed callidè aliena vti opera, ad corradendas Corinthiorum pecunias. Quasi dicat, nunquid amor pecuniæ ingeniosum me fecit, vt callidè & occultè quærerem, quòd palam recusabam? Num astutè misi ad vos Titum, aut alium aliquem, vt eius opera vos circumuenirem?

2. Cor. 12. 16

CAPVT III.

Generali experientia ostenditur Amorem solertem, atque ingeniosum esse.

I. *Amoris solertiam latissimè patere.*

IAM verò experientia ipsa, rerúmque vsus Amoris subtilitatem tam perspicuè, támque vniuersè docet, nulla vt pene res sit, si quis attendat, quæ illius argumenta non suggerat. Amor quippe tam latè patet vt omnes humanas moderetur actiones, omnes animi commotiones excitet, dirigat, sedet. Denique non angustioribus finibus circunscribitur quàm bonum ipsum, quod amplectitur omnia quæ sunt; bonitas autem amoris & causa est, & obiectum. Coniiciamus oculos in omnia, quæ rationem boni aliquo modo participant, animi bona, corporis & fortunæ, vtique intelligemus amorem, & desiderium eorum obtinendorum, conseruandorum, vel augendorum mirabilia inuenta peperisse hactenus, & parere quotidie toto orbe terrarum: neque esse vsquam nationem suo cœlo tam immanem, & barbaram, in qua non existant aliqua ingenij monimenta, quorum princeps ac primarius artifex est Amor.

II. *Id in mathematicis inuentis ostenditur.*

Id in scientiis, mathematicis præsertim disciplinis, apertissimum est. Studium cognoscendi cœli, astrorúmque quibus illi orbes illuminãtur, & vicissim terras & maria, cunctásq; aëris regiones illuminant, hoc, inquã, studium quot iam olim sphæras excogitauit, glebos, astrolabia, & baculos, quos Iacobi vocant? quot quámque multiplicia genera horologiorum Solis, Lunæ, stellarum? quot tabulas cosmographicas, chorographicas, hydrographicas, nouas quotidie figurat, atque delineat? Magno Dei & ætatis ingrauescentis beneficio, inuenta sunt pridem conspicilla, quibus oculariæ infirmitati succurreretur; nunc astrorum distinctius visendorum amor tubulata conspicilla fabricatus

est, quibus & stellæ videntur & planetæ, qui hactenus aciem fugerant oculorum. Maculas Lunæ vident omnes, at non desunt, qui in Sole quoque maculas ingeniosè obseruent, & mirabiles illarum motus.

Vident omnes illustrem cœli faciem, & astra magnitudine, luce, colore, efficacitate diuersa, sed quis eorum numerum iniri posse credidisset, Deo præsertim dicente Abrahamo, *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes.* Inuenti sunt nihilominus, qui vitandæ confusionis causa, in certas partes cœlum omne distinguerent, ex astris signa octo & quadraginta conflarent, & singula nominibus idoneis appellarent: diuinitatis etiam æmuli numerarent multitudinem stellarum, plurimásque earum certis nominibus insignirent. Cœlestium orbium numerum, multiplicésque eorum tam proprios & natiuos, quàm aduentitios motus obseruauit antiquitas, nunc cometis in cœlum ipsum inuadentibus, parallaxes liquidos esse demonstrare contendunt, in iisque stellas ordinariis ac statis motibus, deducentibus angelis perpetuo cieri. Quid de excentricis & concentricis orbibus dicam, aut epiciclis? de domibus & aspectibus astrorum, de zenit & nadir, auge & opposito augis, cæterísque inuentis, quibus cœlorum magnitudines, situs, distantiæ, numerus; astrorum ortus, occasus, congressiones, occursus, defectiones, regressiones, elationes & deiectiones traduntur, quæ sciendi amor scrutatus est, excogitauit, atque in lucem protulit, vsúmque doctorum.

III. In primísq; in Astrologia. *Gen. 15. 5.*

Non promptum est oratione consequi, quàm multis inuentis contemplatrix musica, quàm multis instrumentis, quæ ad praxim, vsúmque descendit, locupletata est. Nam in tam multa distinctione vocum, ac sonorum, quàm multos eorum gradus & coniugationes, amor inuenit? quàm multa, quàm artificiosa, quámque varia instrumenta excogitauit, quibus demulceret auditum? aliqua sunt quæ concentum edunt contrectatione digitorum, vt lyra, vt cithara, vt testudo, vt barbiton, & quæcunque fidibus neruísque constant; alia pinnas habent tactiles, vt organa pneumatica & epitonica; alia concinnum quatiendo strepitum edunt, vt cymbala, vt tympana: alia oris inflatu resonãt, vt tubarũ multa genera, quæ materia formáque sæpe discrepant, vt fistulæ, tibiæ, syringæ, vtres symphoniaci, aliáq; sexcenta, idonea auribus lingua digitóq; recreandis.

IV. Et musica, eiúsque variis instrumentis.

Tantundem fere de cæteris scientiis dici potest Arithmetica, Geographia, Optica, Logica & Morali, Physica & Metaphysica, in quibus ingeniosus amor sexcenta arcana patefecit, quotidiéque vel antiqua inuenta explorat, roborat, perficitque, vel noua eruit è tenebris, & educit in lucem. Quàm multa sunt secreta lucis & opticorum? quàm multa miracula naturæ, igne rectè attemperato, perpetrantur? quæ metallorum, omniúmque fossilium metallis cognatorum concretiones, discretiones, metamorphoses? Mirabilis fuit inuentio infinitam sonorum & vocum articulatarum syluam, tam paucis constringere literarum elementis, easque figuris, nominibúsque dissimillimis apud diuersas gentes,

V. Et aliis confertim inuentis.

rationésque distinguere, ex quo vnica & natiua mundi lingua, in duas & septuaginta propagata est. Adiecit deinde humana solertia artem typographicam, quam à rudibus initiis, vt assolet, ad summam perfectionem adduxit, & ita codices multiplicauit, vix vt possint, vt olim, iniuria temporum deperire.

VI. *Rursum in medicina.*

Iam verò quod ad corporis commoda spectat, valetudinis & incolumitatis Amor, medicinæ inuentor fuit. Eius enim obseruatione, & experimentis cognita est vis & natura simplicium, & singula idoneis nominibus sunt definita. Eorum figuras infinita varietate distinctas, colores, odores, sapores, virésque mirabiles Amor idem studiosè notauit, & in communem mortalium vsum deduxit. Idem fabricatus est cucumellas distillarias, quibus herbarum, florum, aliarúmque rerum succos subiectis ignibus expressit. Quantam vtensilium supellectilem chirurgi, quantam deploratorum morborum medici repererunt, morbis ordinariis, & extraordinariis curandis, minuendísque, ad ægros aut curandos, aut subleuandos? Quid profanus voluptatis amor, quàm multas artes fraudésq; molitus est, quā varias ingressus est vias, quàm inauditas excogitauit rationes, vt quod malè sequebatur, peius assequeretur; testes historiæ, fabulæ, totáq; theatra poëtarū, quibus furta ista, & ex ipsis profusæ calamitates decātantur; qui eo elegantiores esse solent, quo sunt fœdiores. Insani plane atque ingrati, vt qui vehementer laborant, vt præstanti ingenio, diuina liberalitate concesso, abusi, plurimos secum in perniciem trahant, vt cacodæmoni, & fœdæ voluptati seruiant, Tartarum infelici turba incolarum frequentent; vbi illæ ipsæ furiæ, quas carmine celebrarunt, nouis in eorum pœnam cruciatibus excogitandis, ingeniosæ fient.

Ingeniosa voluptas corporis.

VII. *Gula item, ac necessitas.* Mat. l. 13. Pers.

Affines sunt istis ingeniosæ gulæ deliciæ; nam poëta quidam ingeniosam appellat gulam, alius ventrem artis magistrum, ingeniíque largitorem, quales videlicet erant illi parasitæ, vmbræ conuiuiorum, cupediarum mancipia, culinarum asseclæ, ventres obesi; qui amantes ignauiæ, fucorum instar, aliorum laboribus inhiant; blandi adulatores, qui potentes laxius prædicant, ingenium, opes, formam, gratiam, nobilitatem extollunt; amici, necessarij, affines etiam repente fiunt, vt beatos illos comitentur ad mensam. Ipsa quoque cibi necessitas docuit omnia in cibum vertere, vsque ad stercora columbarum; & materni stomachi rabiem filiorum carnibus exsaturare, quod Scriptura ipsa testatur.

4. Reg. 6. 25. 28.

Claud. l. 3. de Rap.

------- *rerúmque remotas*
Ingeniosa vias paulatim explorat egestas,
Vtque artes pariat solertia, nutriat vsus. ait poëta quidam.

VIII. *Gula curiositas.*

Quæ si excusat necessitas, quæ nulli se legi obnoxiam putat, insana certè gula, quæ gemmas didicit, aurum, succinúmque deuorare, quæ pisces in carnes, & rursus carnes in pisces, assando elixandóque vertit, quæ tot embammata & condimenta, tot salgama, & aromatites intinctus excogitauit, excusationem non habet. Quis enim excu-

ſet non ſolùm pretioſa vina, & multipliciter cōditas potiones, ſed quod commenta eſt ingenioſa ſitis apud poëtam,

Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem Mart. l. 14.
De niue, commenta ingenioſa ſitis.

Quin & niuem commenta eſt, & glaciem, diebus quamuis æſtuoſis, ſeruare incolumem, & ſtomachum blandiendo palato corrumpere. Quæ omnia ſatis ſupérque probant, cùm natura paucis contenta ſit, gulam & ſubtilem deliciarum famem ingenioſam eſſe, atque luxurioſi cultus, victúſque inuentricem.

IX. *Ingenioſus libertatis amor.*

Quid libertatis amor, & odium ſeruitutis, nónne mirabiles & omnibus retro ſeculis inauditas procudit artes? Quas fraudes intactas relinquere carceribus detenti ſontes, aliíque captiui, vt ſe in libertatem quoquo modo vindicarent? Hic amor igniariæ machinationis cuniculos, inuadendis arcibus, aut ſubruendis aggeribus molitur; idémque præparatos aduerſis cuniculis, difflat, atque irritos facit. Idem arces erigit euertitque: idem, vt ſcitè inuentum eſt à poëtis, Dædalo affixit alas, & volucris inſtar librauit in aërem, mare tranſuexit, reddidit incolumem terris, inuento non minus audaci, atque mirabili, quàm volatus columbæ ligneæ Archimedææ. Idem pecori ſubſtratum Vlyſſem eduxit ex cauerna immanis Polyphemi: idem cuſtodem Argum centenis circunſpectantem oculis fefellit, & turres, totidem ſeris clauibúſque clauſas, reſerauit. Quæ licet à poëtis decantata, minùs tamen abſurda videbuntur cogitantibus artes, quibus beſtiæ ipſæ venatores eludunt, vel ne capiantur, vel vt captæ amiſſam recuperent libertatem. Scimus incluſam in horto vulpem, ſed præaltis cincto muris, in quos cùm illa ſaltu inuadere non poſſet, obſeruauit famulum ad murum inclinatum, in cuius humeros cum vulpes inſiluiſſet, facile ei fuit reliquam altitudinem repetito ſaltu ſuperare, atque effugere. De brutorum induſtria multa ſuggeret Plutarchus, quæ miſſa facimus, vt certiora è ſacris literis exempla deprompta tangamus.

X. *In Samſone & Dauide.*

Samſon in vrbe Gaza clauſus, obſeſſúſque à Philiſthæis, media nocte conſurgens, apprehendit ambas portæ fores, cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, ſuámque ſecum abſtulit libertatem. Iud. 16.3. Dauid cùm nihil propius eſſet, quàm vt à Saülis ſatellitio caperetur, 1. Reg. 19. 12. 13. per feneſtram ab vxore demiſſus euaſit, eadémque, vt coniugi fugæ tempus diuturnius daret, quaſi ægrotantis ſimulacrum in lecto compoſuit, eóque regem, lictoréſque deluſit. 1. Reg. 21. 13. Dauid rurſum cùm à rege Philiſthæorum captiuitatem timeret aut mortem, ſtultitiam ſapienter ſimulauit, ſéque reſtituit libertati. Samuel, in gratiam eiuſdem Dauidis, 1. Reg. 19. 20. qui tantum non capiebatur à Saule, regis ſatellites vertit in prophetas, ipſúmque regem veſte poſita, diem totum noctémque cantantem detinuit, dum Dauid liber euaſit. Denique Paulus Apoſtolus fatetur, demiſſum ſe in ſporta per murum Damaſci,

2. Cor.11.33 Aretæ regis diligentiam irritam reddidiſſe,ſicut olim Rahab Hiericun-
Ioſue 2. 15. tini regis, eluſit curas, Ioſue exploratoribus eadem arte dimiſſis.

XI. *Amor honoris ſtratagematum inuentor.* In Piſ.

Venio ad ambitionem, victoriæ & triumphi cupiditatem, amorem denique laudis & gloriæ, qui cùm alios paſſim inſignes viros, tum Imperatores Romanos ita occupauit, vt quamuis aperta vi magis, quàm ingenioſis inuentis certare ſolerent, L. tamen Craſſus, teſte M. Tullio, homo ſapientiſſimus Romanæ ciuitatis, ſpiculis prope ſcrutatus eſt Alpes, vt vbi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſam aliquam quæreret; aliíque paſſim ſtratagematis gradum ſibi ad victoriam fecerunt. Plenæ ſunt hiſce de rebus hiſtoriæ, pleni annales Græci ac Latini congeſti: legũtur de hoc vno argumento libri, ſicut & de machinis prioris ac poſterioris æui, tam defendendi, quàm offendendi cauſa excogitatis, tam quæ pacis quàm quæ belli artibus deſeruirent, & eſſent idonea perdendorum hominum, & exterminandi humani generis inſtrumenta. Docuit hic amor domare tigres, ſub iugum leones miſit & elephantos; turres, & inſanas ſubſtructionum moles eduxit in cœlum, perforauit rupes, montes æquauit ſolo, valles ad excelſa nubium excitauit, maria immiſit in terras, & terras pelago cinxit, mare claſſibus operuit, & caſtris ſola terrarum; nauigia terra tranſuexit, & Aſiam Europæ ponte iunxit. Hic denique amor eſt, qui decantata illa mundi miracula fabricatus eſt, quæ ingenioſa naturæ miracula Plinius appellauit.

XII. *Situs & diuitiarum amor.*

Reſtat diuitiarum amor, ſubtilis & ipſe, atque ingenioſus, ſi quiſquam alius. Ipſe eſt cui neque ſolertia, neque animus defuit, ad tranſcendendos montes inacceſſos, perpetuis niuibus, frigoribúſque damnatos, vt inde glaciem in cryſtalla duratam erueret, non defuit ad foſſas cuniculóſque ad inferos vſque deducendos, vt ibi auri argentíque fodinas ſcrutaretur. (*Quaſque recondiderat*, ait poëta, de autore naturæ, *ſtygiíſque admouerat vmbris.*

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.)

Non defuit ad terram metallicæ concretionis excoquendam, purgandam, & in maſſas, in vaſa, in pecuniarum vſum, alióſque innumerabiles transformandam. Non defuit ad aquam in ſalem tam igne quàm ſole deſandam: ad vitrum coctile opacum, tranſlucidum, ductile, coloratum, ad vitrum hæmatinum, murrhinum, hyacinthinum, ſaphirinum, ſmaragdinum, alióve colore inficiendum. Quin & deſudat in arte metallicæ conflaturæ, ad aurum argentúmque ex cæteris metallis excernendum.

XIII. *Alia eiuſdẽ inuenta.*

Hic ipſe amor eſt, qui menſas argentariorum & trapezitarum excogitauit, & collybo curare pecuniam: qui vectigalia & tributa multiplicia, qui vnionum, ac margaritarum, & coralij piſcatum docuit, & abſtruſa ſedilia lapidum pretioſorum. Hic eſt qui innumerabiles nauigiorum formas fabricatus eſt, quibus maria omnia priſcis intentata ſeculis, non ſecus ac continentem, milites mercatoréſque percurrerent; ex quibus iſti precioſas merces huc tranſportarent, illi arces vrbéſque obſiderent,

murali-

muralibúſque tormentis, non ſecus atque in terra, quaſſarent, diffringerent, expugnarent. Hic deniq; eſt qui feliciter decurſo omnem in partem oceano, non ſolùm ignotas olim magno numero inſulas explorauit ac retexit, ſed tribus mundi partibus adiecit duas, alteram ad occidentem, ad meridiem ſub inuiſo polo alteram, quibus inferior hic mundus duplo pene factus eſt maior. Sed de ingenioſo amore profano hactenus; nunc de diuino, hunc alterum Charitatis filium, iam dudum ad dicendum paratum, ſi placet, audiamus.

CAPVT IV.

Diuino amore reddi homines ingenioſos, & ſolertes.

QVÆ cùm dixiſſemus, Ingenioſus Dei amor ſic orſus eſt dicere. Cùm profanus amor homines tam ſubtiles reddiderit ac ſolertes, vt explicatum eſt hactenus: & rationes patefecerit & vias, quibus illi compotes fierent deſideriorum ſuorum, dubitare non poſſumus, quin Dei amor ſit ingenioſus inuentor eorum quæ ad Dei gloriam, & ſalutem animarum promouendam valent. Verum quidem eſt inordinatum amorem ſui, qui profani amoris parens eſt, & acuit illius ingenium, domeſticum homini eſſe ac natiuum, cum eo viuere; neque illum niſi animam exhalantem deſerere; diuinum autem peregrinum hîc eſſe, atque hoſpitem, cœlo delapſum apud homines adhuc infantes, dum baptiſantur, rei totius ignaros tabernaculum collocaſſe, ex eáque domo non rarò coactum excedere, itum crebro ab eo reditúmque, partim amicis eum beneuolè inuitantibus, partim peccatoribus eum ſtultè aut malitioſè domo extrudentibus. Itaque minus videtur apud homines roboris habere, vel gratiæ, vt eos ingenioſos reddat ac perſpicaces, quod facere ſolet ille natiuus.

I. *Quid dubiã facere videatur charitatis ſolertiam.*

Nihilominus naturæ autor, Æterna, inquam, Sapientia, quæ infinitis partibus meliore conditione eſt quàm natura, ſéque hominibus tanta facilitate communicauit, vt germanus eorum fieret, illa inquam Sapientia eos reddit ingenioſos, vbi eos igne diuini amoris illuſtrarit, quamuis alioqui eſſent aut natura ſtupidi, aut à literis imparati. Qui autem vel naturæ vel doctrinæ præſidiis ſunt inſtructi, hac amoris face illuſtrati, multo etiam cernunt acutius, cœleſtia præſertim ac diuina, ne qua offendant, imo vt in mediis humanæ ignorantiæ tenebris, myſteria diuinæ ſapientiæ non temere perſcrutentur. Nam Magnus Antonius, teſte S. Athanaſio, etſi vni duntaxat diuinorum operum libro operam dederat, pleroſque tamen philoſophos, ſuperbiæ quàm ſcientiæ pleniores, ignorantiæ conuictos, & pudore ſuffuſos à ſe di-

II. *Diuina Sapientia ſupplet naturæ defectum.*

mittebat, qui Antonium eiúſque ſimplicitatem ludos facturi venerant.

III. *Varia diuini amoris inuenta.* 2. Cor. 8.8. Certè Apoſtolus ingenium charitatis Corinthiorum adhuc Neophytorum comprobat; in eleemoſynis largiendis: & meritò. Huic enim tribuenda eſt antiqua pulchritudo templorum, & ornamentorum magnificentia, quæ ingenioſa maiorum noſtrorum pietas & amor ſapienter ab idolorum ſuperſtitione, ad veri Dei cultum, à vanitate ad veritatem traduxit, in diéſque traducit. Hic idem diuinus amor tot religioſos ordines inuenit, atque inuexit in mundum, aut è mundo potiùs eduxit in ſolitudinem, omnémque eorum diuerſitatem ſapienter excogitauit, Pſal. 18. 10. vt procederet Eccleſia Dei, non ſolùm *in veſtitu deaurato* charitatis, ſed *circundata* etiam *varietate.* Ille idem varias Deo perfectius famulandi, animáſque iuuandi vias peperit, funem pannúmque craſſiorem, ieiunium & abſtinentiam, legumina & radices, aquam & ſecundarium panem, diuerberationem & cilicia, cæteráque arma domandis cupiditatibus, & in legitimæ obedientiæ rationiſque gyrum deducendis, accommodata.

IV. *Quid acuat hunc amorem.* Idem iuſto pudere animas afficit religioſas, cogitantes tam ſolertem eſſe amorem ſui, támque induſtrium excogitandiis viis, quibus quod ſemel ſuſceperit aliquando perficiat. Amorem autem diuinum tanto nobiliorem atque potentiorem, imo quendam diuinæ ſapientiæ radium, bardum quodãmodo in ipſis eſſe, ac ſtupidum excogitãdis idoneis rationibus promouendæ pietatis, & difficultatibus molliendis, quæ gloriam diuinæ maieſtatis impediunt. Diuinus amor ingenioſus eſt; ſi ergo Deum diligimus, nos quoque quamuis ingenij fortaſſis ac literarum expertes, par eſt eſſe ingenioſos; & iſtius amoris vim, induſtriámque mutuatos, ſapienter meditari, atque excogitare vias, quibus Dilecti noſtri amor & gloria in nobis, proximíſque noſtris augeatur. Hic amor aditum nobis aperiet peccatoribus, quamuis peruicacibus, & à noſtris moribus admodum alienis, humanitate quadam, & comitate mitigandis, nobíſque conciliandis ac demerendis; qua induſtria nihil habebat antiquius magnus ille Xauerius, illius exemplum imitatus, qui cum publicanis, & peccatoribus cibum ſumere ad potum non recuſabat. Vide l. 3. vitæ c. 15. Matth. 9. 10. 11.

V. *Amor diuinus non minus ſolers quàm neceſſitas.* Quod autem ad peccatorum infirmitatem attinet, ille idem amor excogitabit in dies, quæ valeant ad ſubigendos erumpentes animi motus, & centies quotidie opprimendos, quæ erunt totidem roſæ, ac violæ gratiſſimi odoris Deo, eiúſque curiæ vniuerſæ. Neque enim is minus habilis eſt ad excogitandum quàm neceſſitas, cui artium inuentio tribuitur. Quin potiùs nihil habet ingenij neceſſitas, niſi quantum illi largitur amor. Hæc enim neceſſitas nihil eſt aliud quàm timor imminentis mali, vt famis, vt dedecoris, vt mortis; ſed is metus ex contrariorum Iudith 10. bonorum amore pendet, eóque ſublato euaneſcit timor, & neceſſitas inconſulta iacet. Bethulienſium neceſſitas nequaquam reddidiſſet ingenioſam Iuditham, niſi Dei amor, & periclitantis patriæ ipſius indu-

ſtriam ſuſcitaſſet, quòd ſi quis illum amorem ſuſtuliſſet, nullam vim erat habitura neceſſitas. Cur enim viros bonos nihil tangit Turcarum neceſſitas aut hæreticorum, ſed delectat potiùs, angit autem eos amicorum periculum: niſi quia iſtos diligunt, illos humiles cupiunt atque afflictos. Amor itaque omnium inuentor eſt artium; diuinus autem, earum quæ referuntur ad Deum, quas illi facilius excogitant, atque exercent, qui maiores fecerunt in Dei amore progreſſus.

Non eſt autem diſcrimen exiguum inter diuini & profani amoris inuenta ac ſtratagemata; illa enim cœlum intuentur, illum habent curriculi finem, ad quem aliquando pertingunt. Iſta vanitatem reſpiciunt, ad eámque collineantes eruditi homines atque elati *euaneſcunt in cogitationibus ſuis*, vt illis exprobrat Apoſtolus, *& obſcuratur inſipiens cor eorum:* nimirum ſuperbiæ fumus ingenij claritatem obſcurauit, & quaſi ſoli nubem obduxit. Atque vtinam hoc vnum illis malum contigiſſet, nec ſimul immortales cruciatus incurriſſent. Quid factum eſt illis, qui ſolaribus radiis longè poſitas in mari naues incendebant? qui omnes planetarum motus globo vitreo includebant, qui ſigna lapidea, ad primum ſolis radium, vocalia reddebant? qui hominibus & columbis ligneis volatum tribuebant? qui funambulos exhibebant elephantos? qui imitabantur in aëre *nimbos, & non imitabile fulmen.*

VI. *Diſcrimen inter inuenta amoris.*

Rom. 1. 21.

Æn. 6.

Quid mercedis à Deo acceperunt, qui tantis laboribus, atque impendiis, animi gratia fecerunt montes peruios, hortos penſiles conſtruxerunt, theatra mobilia vnico ſingula nixa cardini compoſuerunt, quibus populus Romanus vniuerſus libratus in aëre circumferretur: qui terram cœlum verſus pluere docuerunt, & aquas edere tonitrua, non ſecus ac nubes, ſphæras perpetuo motu circumagere, pneumaticum organum, eiúſque concentum imitari, aliáque id genus opera inutilis atque inconſultæ magnificentiæ? Deus non conduxit iſtos operarios, non eſt quod vllam ab eo mercedem expectent, *periit memoria eorum cum ſonitu*, aut ſi qua ſupereſt, illic quoque illud occinitur, *laudaris vbi non es, cruciaris vbi es.* O quàm inania inuenta mortalium, quàm irritæ artes, quas profanus amor edit in lucem, & contra quam vtiles, quæ diuini amoris inflatu ſuſceptæ, æternæ vitæ mercede munerantur. Sapiunt vtique qui crebro à ſeipſis percontantur, an quod agunt ad Deum referant, illiúſque amore & gloria incitentur.

VII. *Diuini & profani.*

Plin. l. 36. 11.

CAPVT V.

Diuini amoris ingeniosi ac solertis varia auitæ memoriæ exempla.

I. *Solertia diuini amoris Amphilochij Episcopi.* Theod. l.5. c. 6. Nicep. l. 12. c. 9. Sozom. l. 7. c. 6. Baro. a. 383. n. 31.

PLACET etiam experientia ipsa docere, & præclaris sanctorum exemplis, diuinum amorem ingenio valere atque solertia. Legimus in historia Ecclesiastica Amphilochium Episcopum Iconij libellum supplicem Theodosio imperatori obtulisse, vt is vellet iuberétque Arianos à conuentibus, consiliísque celebrandis abstinere. Quod cùm à religiosissimo Imperatore, iustis vtique de causis, non impetrasset, elegantem rationem excogitauit expediendi negotij sui. Cùm enim paulò post Imperator Arcadium filium suum consortem imperij constituisset, adit Episcopus Imperatorem, qui tum in aula palatij cum filio suo consederat, eúmque perquam honorificè salutat, Arcadium autem ne respicit quidem, sed præterit insalutatum: cúmque eum moneret Imperator, vt filiũ quoque suum honore debito prosequeretur, satis est, inquit Præsul, vt debitum tibi honorem impertiam. Cúmque ob huiusmodi contemptum grauiter stomachantem vidisset Imperatorem. Mihi, inquit, irasceris Imperator, & filij tui contemptum in te redundare censes. Existima quoque cœlo imperantem Deum grauiter indignari aduersus eos, qui filium suum contemnunt, & contumeliis afficiunt, quæ est impietas Arianorum. Quæ cùm probè intellexisset Imperator, Episcopum voti compotem fecit.

II. *Euphrasiæ virginis Nicomediensis.* L. 7. c. 13.

Scribit Nicephorus Euphrasiam virginem Nicomediensem ob fidei constantiam militi permissam, qui pudori eius illuderet; cùm subito virgo facinus excogitat, quo & virginitatem suam in tuto ponat & fidem. Militi enim persuasit se vnguenti cuiusdam confectionem didicisse, quo membrũ corporis illitum ferro impenetrabile fieret. Id se illum docturã spondet, si modò is virginis integritati parceret. Et vt certò, inquit, tibi de vnguenti efficacitate constet, placet vt in meipsa experimentum capias. Cùm annuisset miles, eóque se crederet immortalem fore, Euphrasia ceram sumit in manibus, quam tractãdo subigit emollítque, eáq; mox oleo macerata collum suum huiusmodi vnguento linit vndiq; studiosè: & simul, Eia, inquit, bellator, ferrũ totis viribus adige in collũ meum. Quod cùm ille fecisset, abscidit primo ictu virgini caput, eiúsque puritatem ac fidem seruauit intactam, & illa vtriusque inimicos sapienter irrisit. Ecquod vnquam inuentum gloriosius profanus amor excogitauit?

III. *Religiosi, qui sibi linguam mordicus abscidit.* Ibid.

Recitat idem scriptor exemplum castissimi fortissimíque religiosi, qui cùm magnam iam tormentorum molem ab infidelibus tolerando superasset, occurrit profanis illis digna eorum nequitia, atque impietate cogitatio. Cùm enim sanctissimi athletæ corpus mollibus quidem vinculis, firmiter tamen colligassent, scortum impudens immittunt, quod

attrectatione venerea martyrem labefactaret, rati si pudorem expugnassent, facilè se constantiam fidei prostraturos. Hic iuuenis cum difficillimo certamine intus forísque quateretur, durum quidem ac violentum, sed fœlix stratagema excogitat. Mordicus enim sibi linguam abscindit, & in lupæ illius faciem despuit: quo facto & doloris acerbitate ignem extinxit, qui eo inuito accendebatur, & horrore nouitatis tam mulierem, quàm sacrilegos illos pudore perfudit; qui desperata victoria, truncato capite, tanto præstantiore corona martyrem ornarunt, quanto pro ea periculosius ab illo depugnatum fuerat, & ingeniosius debellatum.

Antiochena quædam virgo, cuius virtutem S. Ambrosius immortalitati consecrauit, cùm idolis diuinum cultum constanter negaret, iussa est in lupanar abduci temeranda. Cùm ecce tibi militem Christianum, qui animaduersa iniuria, quæ Deo, in virgine ipsi consecrata, imminebat, diuino amore incalescens, rationem sapienter excogitat, qua illam à dedecore liberet, & se martyrij candidatum coronet. Ergo lustrum adit, tanquam nequitiæ appetens, & puellæ vestium commutationem persuadet, *Tua vestis*, inquit, *me verum militem faciet, mea te virginem seruabit. Benè tu vestieris, ego melius exuar, vt me persecutor agnoscat. Sume habitum qui abscondat fœminam, trade qui consecret martyrem.* Quid multa, vestes mutant, virgo euadit, fraus retegitur, miles addicitur morti. Virgo superuenit, illi vitam, mortem sibi deberi contendit; vterque martyrio coronatur. Hæc pluribus S. ille doctor. Cui simile quoddam facinus narrat Nicephorus cuiusdam viri, qui & vestes dedit & vitam, vt puellam ab improbi hominis potestate liberaret.

IV. *Militis Christiani aduersus virginem Antiochenã.* l. 2. de Virg. to. 4.

l. 7. c 15. Vide l. 8. de vit. patr. c. 148. & 149.

Prouectus iam ætate Paphnucius iuuenile facinus ingenioso Dei amore instigante aggressus est, mirabilitérque perfecit. Cùm enim cladem videret animarum, quam Thaisis quædam Dei populo afferebat, multos illius causa non solùm fortunis euerti, sed vitas quoque, animásque pessundare, statuit dare operam, vt illa se ad frugem bonam reciperet. Sumpto itaque prophano habitu mulierem adit, domúmque ingressus simulat peccandi volũtatem, sed locum requirit abstrusum, ac longè secretissimum. Ergo variis aditis exploratísque locis, deducitur in cubiculum, negabat illa quemquam mortalium aut illum videre, aut facti conscium esse posse, præter Deum cui omnia pateant. Quid ergo, inquit, senex, nosti esse Deum, cui nota atque aperta sint omnia? Vtique, inquit illa, neque ignoro quæ de futura vita memorantur, quæ de felicitate Sanctorum, & peccatorum pœnis. Si ergo, inquit Sanctus, ista nosti mulier, qua fronte audes tot animas perdere, téque pro tuis, atque illorum sceleribus, reddere obnoxiam suppliciis sempiternis? Hæc vox instar sagittæ mulieris pectus tam altè peruasit, vt illa se statim ad Paphnucij pedes abiiceret, rigaret ora lacrymis, preces eius atque vltrices peccatorum suorum pœnas flagitaret. Cùm ergo illa se in peran-

V. *S. Paphnucij aduersus Thaisin.* In vit. patr.

gustam casulam abdidisset, modico pane quotidie, & aquæ potu contenta, triennium transegit, & mox religiosè defuncta est.

VI. *Abrahami eremitæ erga neptem. Transformationum inuenta Euphrosynæ. Eugeniæ.*

Eodem artificio, paríque successu vsus est Abrahamus eremita aduersus Mariam neptem suam, vt in vitis Patrum historia vtriusque testatur. Hic ipse est Dei amor ingeniosus, qui Euphrosynam virginem Alexandrinam in Smaragdum transformauit, qui ei comam in morem adolescentum totondit, qui religioso habitu induit, qui eunuchum esse persuasit, qui octo & triginta annos in solitaria cella conclusit, qui perseuerantiam felici morte terminatam coronauit. Idem ipse amor Eugeniam Philippi præsidis Alexandrini filiam, in Eugenium mutauit, vt cum Proto & Hyacintho famulis suis, vitæ religiosæ habitum formámque susciperet; idem improbissimis calumniis Melanthiæ appetitam, quales olim Iosephum innocentissimum Patriarcham in crimen adduxerant, gloriosè liberauit, & iterum in Eugeniam restitutam, totámque eius familiam sanctitate & martyrij gloria decorauit.

VII. *Marinæ.* Ex vit. patr. l. 1. in menol. 12. Febr. Martyrol. 17. Iulij.

Addam etiam alterum eiusdem Solertiæ miraculum, ex eodem fonte petitum, & incredibilis constantiæ laude cumulatum. Marina Alexandrina virgo sanctissima dissimulato sexu, Marini quoque nomen accepit inter religiosos, & calumniam passa, quasi hospitis filiam in pandochio corrupisset, noluit crimen, secreti sui manifestatione, refellere. Itaque eiecta ex monasterio ad eius fores mendicans quinquennium perseuerauit, tandémque, Abbate religiosorum precibus victo, in monasterium ita recipitur, vt vilissimis quibusque monasterij officiis addicatur, quæ dum illa perstudiosè exequitur, vitam breui clausit extremam. Dum autem ad sepulturam abluitur, sexu agnito, simúlque virginis innocentissimæ patientia, gloriosè sepelitur. Cùm Dei permissu mulier, quæ falsum Marinæ crimen intenderat, à dæmone correpta, suúmque crimen, & virginis innocentiam confessa, post septimum diem ad eius sepulchrum liberata est.

VIII. *S. Ioannis Eleemosynarij aduersus pauperem, quem finxit cognatum.* Ex vita Ioan. c. 33. vide & Sophr. in prato Spir. c. 193. & 201.

Nemo satis celebrare queat ingenium sanctissimi Patriarchæ Ioannis cognomento eleemosynarij, tam aduersus Episcopum Troilum, quàm iuuenem quendam perhonesto loco natum, sed quem paupertas vehementer opprimebat, fortassis & pudor, quòd filius esset viri quondam opulenti, qui moriens, ex ipsius consensu, cuncta pauperibus largitus fuerat. Re intellecta Ioannes tabellionem accersit, ab eóque scribi iubet testimonium cognationis Patriarchæ cum patre illius iuuenis, ídque antiquis inseri libellis: Deinde iuuenem ad se quasi propria sponte adduci. Quòd cùm factum esset, Patriarcha illum peramanter quasi consanguineum complexus, atque exosculatus, hominem, vt Patriarchæ Alexandrini cognatum decebat, ditauit, & in opulentum matrimonium collocauit; titulo iustitiæ & consanguinitatis, misericordiam in pauperem, & eximiam charitatem ingeniosè obtegens.

Nonnullam habet hilaritatem alterum Patriarchæ huius inuentum, in causa Episcopi Troili. Erat is aliquanto tenacior; cúmque aliquando Patriarchæ pauperes visitanti adesset cum famulo, qui secũ auri libras triginta deferebat, ea fere summa est trium millium aureorum, vt abacum argenti anaglyphi emeret, in vsum mensæ suæ. Id cùm innotuisset Patriarchæ, Troilum rogauit vt liberalitatem in Christi fratres exerceret. Episcopus non ausus quidquam negare Patriarchæ, omnem illam pecuniam in vsus pauperum distribui iussit. Sed eum mox huius largitionis ita pœnituit, vt morbum ex animi dolore contraheret: quòd cùm ex ingenio Troili Ioannis ingeniosa Charitas facilè coniecisset, facilè quoque morbi medicinam inuenit. Hominem adit, & simul, serióne credidisti Domine Troile voluntate mea distributam esse pauperibus pecuniam illam tuam? Ludus is fuit, aut mutuum potiùs, quòd tum pecuniam non haberem in promptu. Itaque eam tibi nunc integram, cum gratiarum actione restituo. Et ecce statim cum tristitia, febris abscedit sanitas redintegrascit, non alio pharmaco, ab eo quod ingeniosus medici huius amor inuenerat. IX. *Et aduersus Troilum Episcopum.*

Addam & tertium Ioannis inuentum, sed planè nobile, quod tota Alexandria meritissimò admirata est. Georgius quidam Patriarchæ nepos, cum tabernario quopiam, qui aliqua Ecclesiæ loca pretio conduxerat, rixatus, ab eo publicè acerbis affectus est contumeliis. Eam iniuriam non ferens adolescens, adit expostulaturus auunculum, sed cùm præ dolore animi, lacrymísque loqui non posset, qui tum adfuerant, acceptam à nepote iniuriam exposuerunt. Tum Patriarcha irato similis, & præsenti ægritudini congruam adhibens medicinam. Ergóne quisquam ausus est, inquit, mutire aduersum te, fili mi? Ego iniuriam tuam ea vltione persequar, quam tota Alexandria demiretur. Ea comminatione mitigatum, complexus ac deosculans, Fili mi, inquit, si reuera nepos meus es, paratum te esse oportet non solùm ad verborum, sed verberum quoque asperitatem pro Christo perferendam. Vera enim cognatio, non ex sanguine, sed ex virtute æstimanda est. Móxque accersito procuratore suo iussit gratis remitti tabernario illi pretium omne locationis eius. Mirante vniuersa ciuitate, esse qui malefacta benefactis vlcisceretur, támque nouo inuento non formidolosos, sed abiectos etiam & plebeios demereretur inimicos. X. *Et nepotem suum cuius iniuriam mirè vltus est, cap. 15.* *Mansuetudo Ioannis Eleemos.*

Nouit orbis terrarum vniuersus facinus admirandum gloriosissimi Alexij, quem Ecclesia noua mundum arte delusisse testatur. Flagrabat ille amore virginitatis, cuius videbat sibi imminere iacturam irreparabilem. Christi paupertatem ambiebat, & se in opulentas coniectum nuptias cernebat, gemebátque. Labores pro Christo, defatigationes, & peregrinationum molestias ferre cupiebat, & se mulieri immortali vinculo iam alligandum sentiebat, vt vitam otiosam XI. *Alexij amor in Christum.*

atque inertem, in deliciis Romanis traduceret. Aspirabat ad probra, contumelias, iniuriásque Seruatoris sui, *& nemo illi dabat*. Contra potiùs eum domi foríque in oculis ferebant vniuersi, & honore prosequebantur, pro dignitate, quam in principe imperij Romani ciuitate obtinebat.

XII. *Eiusdémque solertia.* Itaque inopinata fuga viam sibi patefecit, ad perpetuam corporis animíque puritatem, ad fruendam sibi dilectam paupertatem; ad experiendas, periclitandásque diurnas peregrinorum, nocturnásque molestias. Ergo patria domo nocturnus elabitur, & vili peregrini tunica circuntectus vela facit Edessam versus; ibi orat, ieiunat, mendicat, & iuuenilem vigorem corporis afflictatione domat. Sed quid facies, ô nobilissime Christi athleta, quid facies, quando hæc fuga impar est explēdis desideriis tuis. Aliquid enim non leue, sed planè palmarium defuturum est votis tuis. Viden' vt honor te strenue fugientem, incitato cursu consequitur? videtúrque cœlum ipsum in istam animi demissionem coniurasse. Mutæ imagines vocales fiunt, & quàm studiosè tegis retegunt sanctitatem. Ego, inquit, iteratam inibo fugam, at magnus est mundus ad homuncionem vnum abscondendum. Ergo in Tarsum Ciliciæ vela facit, sed eum Romæ tempestas aduersa restituit, vt ibi præter omnium opinionem, annuente Domino, optatis probris contumeliísque potiretur.

XIII. *Aliud rursum eius inuentum.* Suggerit illi Ingeniosus amor facinus audax, ac planè insolens, vt precario in paterna domo pauperis more modóque versetur. Id cùm ab Euphemiano parente ignotus obtinuisset, ligneas inuenit scalas, sub quibus modico in stramine iaceret, oraret, dormiret, cibum sumeret ipsos decem & septem annos. Ibi mitissimus Alexius à suis ipse famulis indignissimè tractatur. *Alexij in paterna domo patientia.* Hic illi probra ingerit, ille colaphos infringit, hic eum pedibus pulsat, ille pugnis: hic inspergit sputis faciem, ille iure aut lotio caput. Omnes patientiam hominis indolentiam, aut contemptum interpretari, illudere certatim insonti, atque insultare, cacodæmonis inuidia virtutem eius, quam perditam cupiebat, exercente, atque augente, & Alexio triumphante gaudio, quòd inuenisset artem proximè Dominum suum imitandi, qui moriens cruciatibus atque opprobriis saturatus est.

XIV. *Ceciliæ artes in lucrando sponso, & leuiro.* S. Cecilia Romana virgo in paucis illustris, Valeriano pari nobilitate iuueni desponsata fuerat à parentibus inuita, quòd maturius suam Christo Domino virginitatem consecrasset. Eius ergo conseruandæ viam tam feliciter excogitauit, vt eadem opera & posteriorem hunc sponsum priori lucraretur, & leuirum Tiburtium. Cùm enim Valeriano dixisset habere se diuinitus Angelum custodem, ac vindicem virginitatis suæ, tanta incensus est cupiditate videndi Angeli, vt sponderet, si desiderij sui compos fieret, se quoque corporis integritatem seruaturum, & Christo nomen daturum. Illa conditione accepta baptismum imperat, eóque

que ab Vrbano Pontifice susceptο, domum repetens Ceciliam orantem inuenit, iuxtáque illam Angelum miro splendore ac pulchritudine radiantem; Ergo voti compos, de germani salute sollicitus, illum accersit, simúlque Ceciliam exorat, vt eadem lege Tiburtium Angeli spectatorem efficiat. Idque non solùm factum, sed aliquanto post, interueniente martyrio, omnes faciem regis Angelorum, totiúsque ipsius curiæ iucundissimè conspexerunt.

Notum est, & magnorum virorum scriptis celebratũ Paulini Episcopi Nolani facinus, qui ingenioso Christi amore suggerente, inuenit vnde filium viduæ redimeret, quamuis iam omnia sua in vsus pauperum erogasset. Sed alterum isti planè germanum narrauit aliquando eleemosynarius Patriarcha, quod operæ pretium sit in hunc inferre sermonem. Petrus quidam teloniarius, de quo nobis iterum sermo alia occasione recurret, cùm nautæ cuidam naufrago propriam largitus esset interulam eleemosynæ nomine, eámque sibi ab ipso Christo repræsentatam vidisset, audissétque sibi gratulantem, & gratias agentem, ita pauperum amore, & cupiditate paupertatis exarsit, vt seruum ipse suum pretio metúque adigeret ad vendendum herum suum, & venditi pretiũ pauperibus erogandum. Paruit ille, & herus domini sui factus, eum famulari amictu vestitum duxit Ierosolymam, & fabro argentario amico suo triginta nummis vendidit, & pauperibus, vti conuenerat, cum fide distribuit.

XV. *Inuentum Paulini, & Petri Teloniarij.* In vita Ioã. c.21.

At Petrus argentario hero, quamuis sordido ac vili ministerio, alacriter famulabatur, & rem domini mirificè promouebat; nec minus interea à conseruis & stultus audiebat, & indignis accipiebatur modis; tãta constantia, vt etiam oblatam respueret libertatem. Apparebat quippe illi Dominus interula illa indutus, & pretium venditionis eius ostentans manu. Denique diuinitus agnitus, dum laudes, applausúsque fugit, surdo & muto à natiuitate, auditum impertitus est, & quam nunquam didicerat locutionem. Voluntaria ergo seruitus insignium virorum, Ingeniosi amoris inuentum est; sicut & opinio amentiæ vltro suscepta: qualem Simeon ille simulauit, cui Salus cognomen fuit, qui miraculorum gratiam, admirandásque virtutes stultitiæ simulatione contexit.

XVI. *Eorúmque voluntaria seruitus.*

Iamdudum nos magnus Athanasius ad se vocat, quẽ ingeniosus etiam amor erudiit, & crebro nefariis Arianorum manibus eripuit, eo maximè tempore, quo illi in nauibus aduersis sibi frontibus necopinanter occurrerunt. Cùm enim illi ab ignoto Athanasio quærerent, num quo loco Athanasium vidisset, affirmauit ac paululum abesse dixit, tum illi accelerato cursu prædam, quam habebant in manibus, improuidi amiserunt. Ille idem amor eosdem Arianos intolerabili pudore turbauit, ac perculit, tam in calumnia de Arsenij brachio abscisso reuincenda, eodem Arsenio cum vtroque brachio in iudicium adducto,

XVII. *Ingeniosus amor S. Athanasij.*

quàm illa altera impudentis mulierculæ, quæ se vim passã ab Athanasio mentiebatur; in omnium quippe oculis manifestò probauit, illi neque visum vnquam Athanasium neque cognitum, quando Athanasio suppositum Archidiaconum pro Athanasio sumeret, in illum inueheretur, & vltionem, de non accepta iniuria, procaci stultitia postularet.

CAPVT VI.

Aliqua recentis memoriæ ingeniosi amoris exempla.

I. *Ingeniosum S. Ignatij inuentum.*

ETSI plenæ sunt Sanctorum virorum historiæ ingeniosis actionibus, quas excogitauit diuinus amor, illísque suggessit: neque propter recentem, crebróque renouatam memoriam, ignotæ sint, aut obscuræ, visum tamen est pauculas delibare, propter suscepti argumenti rationem, vt diuinus amor omnibus ætatibus sibi similis esse intelligatur. S. Ignatius, quem nouissimis hisce temporibus Dominus suscitauit, ad multarum animarum salutem, cùm animaduerteret Christianam Rempub. partim perditis plurimorum Christianorum moribus, partim multarum hæresum peste corruptam laborare vehementer, sapientissimo instituto teneriorem ætatem erudire aggressus est, & nondum malè occupatis mentibus, Christianæ doctrinæ principia, & mores sanctissimæ fidei congruentes instillare; ratus hanc vel primariam vel singularem esse viam restituendæ auitæ pietatis. Itaque per se suósque operam dedit, non solùm vt templorum pulpita doctorum vocibus sacram Catechesim tradentibus circumsonarent, sed vt vici ac plateæ ciuitatum, ipsíque pagi puerorum, elementa diuinæ sapientiæ certatim recitantium, cœtibus; cum multa plebis frequentia, magno vtrorumque fructu, celebrarentur.

II. *In iuuentutis institutione.*

Sed cùm prouideret Ignatius fore plerosque parentes, quos cura tam necessariæ liberorum suorum institutionis modicè tangeret, vt qui à prima ætate neque probis ipsi moribus instituti, neque primis legis Christianæ mysteriis initiati fuissent: rectè quoque intelligeret quàm vera esset illa vox, quámque iusta querela Senecæ, *Bona mens non venditur, & si esset venalis, puto non inueniret emptorem.* Ea videlicet viro sanctissimo ac prudentissimo causa fuit, cur literas politiores, Philosophicas quoque ac Mathematicas disciplinas, & sacram Theologorum doctrinam, quæ sunt hominibus in pretio, iuuentuti tradenda susciperet, vt hoc hamo inescata, eadem opera illa principia disceret, quæ solitaria non didicisset, iisque degustatis cætera libentiùs, faciliúsque hauriret, probísque moribus sensim sine sensu informaretur. Id inuentum quàm feliciter illi cesserit, testatur Christianus orbis vniuersus. Quis autem hanc illi mentem dederit, præter ingeniosum Dei, & proximi amorem, nemo non videt.

Sancti autem Francisci Xauerij industriam, in deplorata ac propè deposita in Indiis Christianorum salute procuranda, nemo satis prædicare possit: vt se ille in eorum familiaritatem, quos curare statuerat, insinuabat, vt conniuebat ad tempus, vt præ se ferebat alia se omnia cogitare, dum eorum animos mirabili suauitate possideret: tum demum enim ita omnem in partem versabat homines, ita præsentium & futurorum timore percellebat, tam syncerum prodebat salutis eorum desiderium, vt tandem aliquando, tam suaui atque industrio animorum medico, manus darent, malè parta restituerent, libidinum flammas, sublatis sibi mulierculis, restingui paterentur: adeò vt septenas vni mercatori concubinas paulatim eripuerit, & honesto coniugio collocarit. Si quem ægrè diuelli à muliere, speciosa præsertim cernebat, eam vltro ipse laudabat, dignámque dicebat, quam ille sibi legitimo coniugio copularet. Ita plurimas id genus mulierum nuptias conciliauit: deformes autem, quibuscum spes non erat coalescere posse matrimonium, amica obiurgatione ita à fœda consuetudine absterrebat, vt ille quamprimum hoc nequitiæ mancipium suas sibi res habere iuberet. III. *Solertia S. Xauerij in curandis peccatoribus*

Ante annos aliquot, sæuiente iam dudum in nomen Christianũ Imperatore Iaponico, res contigit non iniucunda, & quæ solertiam diuini amoris ostendit. Latebat Pater quidam è Societate Iesu apud Iaponium quendam Christianum, sed ita latebat, vt propter vehementem tussim qua quatiebatur, latere non posset; tantus enim erat tussientis, & pituitam emolientis sonitus, vt totis ædibus, totáque vicinia resonaret. Veritus hospes ne tam extraordinaria tussis in fidem suam receptum hospitem proderet, est enim admodum infrequens in Iapone tussis, hunc fabricatus est dolum. Famulum accersit, monétque vt studiosè addiscat tussire, atque expuere more modóque Patris illius; rem si rectè imitari potuerit, idonea mercede non cariturum. Biduum ille in eo studio ponit, non sine fructu. Tum demum abducto longius Patre, iubet famulum in domus angulo tussim insigniter exercere, dum vicini, quos ad prandium inuitarat, cibum sumerent. Ille dicto audiens accurato ac sonoro motu viscera concutit, expuit, guttur radit, & stomachum, tanta vi, vt videretur pituitam velle sursum ex imis pedibus extrahere. Conuiuæ tantum demirari strepitum, circunspicere, rogare quid rei sit. Audiunt famulum ægrotare; illi quam primùm inuisere, miserari, remedia certatim suggerere; ille contra partim despuere, partim obtecta facie ridere commentum. Conuiuæ denique abeunt, & nouum famuli morbum vulgant. Redit Pater ad solita pietatis exercitia, gratiásque agit ingenioso hospiti, quòd eius opera factum esset, tutò vt ipsi tussire liceret. IV. *Alterum solertiæ exemplum in tussi vehementi occultanda.* Ann. Dom. 1620. ex lit. eius anni p. 129.

Erat in iisdem locis puella infans, quam morti proximam mater infidelis baptizari non sinebat. Pater qui aderat obseruata in moribundæ facie macula, à matre petit vt sibi potestatem faciat eius abluendæ, qua impetrata non tam facie abluta, quàm anima per baptismum, eam illico V. *Alia rursum exempla.*

transſmittit in cœlum. Ægrotabat ibidem nobilis quædam mulier Baptiſmi candidata, quem ſuis inſciis recipere cupiebat. Cùm autem pleriq; Bonzij fruſtra plurima ad eam curandam ſuperſtitiosè machinarentur; At ego, inquit pater, inuentum habeo ad reddendam ſanitatem in primis efficax. Eámque diſſimulanter baptizat, ſumma vtriuſque conſolatione, & Sathanæ pudore, omniúmque ſatellitum eius. Vix credi poteſt quã multa huiuſmodi inuenta vbique terrarum, vbi Catholicæ regionis hoſtes dominantur, religioſorum virorũ induſtria excogitarit, & quotidie excogitet, vt Catholicos, in medio nationis prauæ, variè vexatos conſolentur, confirment, expient ſacramentis, Eccleſiæ reſtituant, dæmoniſque faucibus eripiant.

CAPVT VII.

Deum in omnibus operibus ſuis Amoris ſui ſapientiam mortalibus patefeciſſe.

I. *Ingenioſa Dei ſapientia.* VERVM hæc inuenta mortalium, quæ diuinus, aut profanus amor ſuggeſſit, aliquando miſſa faciamus, vt æternæ Sapientiæ inuenta mirabilia meditemur. Fateri enim neceſſe eſt diuinam Sapientiam, quæ natura ſua Amor eſt, in omnibus operibus, quæ hominũ gratia præſtitit, ingenioſam ac planè mirabilem extitiſſe. Confitendum eſt nihil aptum inueniri poſſe animis beneuolentia comprehendendis, quod perſpicax ille Dei oculus non viderit, quod illa ſapientia, quæ arcana diuinitatis perſcrutatur, non agnouerit, quòd illa potentia non eduxerit in lucem, illa bonitas non vſurparit; cùm homo, cuius intelligentia in corporeo ergaſtulo immerſa, atque incluſa eſt, tam multa ope amoris hauſerit, expreſſerit, indagarit? Si ſol tam illuſtri ſplendore fulgurat, effuſis ſuper aquam, aut cryſtallũ ex obliquo radiis, quantus erit in ipſo eius corpore fulgor? quanta eſt illa flamma, quæ tot accendit in cœlo faces, & nihilominus ſatis habet lucis ad totam hanc rerum vniuerſitatem illuminandam?

II. *Præ humana, eiúſque ratio.* Si ergo humana intelligentia, quamuis admodũ impedita mole corporea, multiſque ſenſuum internorum, atque externorum diuerticulis circunducta, excitante tamen amore, ingenioſa fit ac ſolers: qualẽ par eſt æſtimare diuinam illam, infinitámque ſapientiam, omni penitus impedimento liberam, & præterea immenſa fornace diuinæ Charitatis accẽſam? Si amor, qui aut motio quædam corporea eſt, aut virtus, accidens certè quoddam, ſubtilem acutúmque ad excogitandum reddit hominẽ, quid faciet amor in Deo, & Charitas, quæ eſt ipſa natura diuina? *Deus* (1 Ioan. 4. 8.) enim *Charitas eſt*, vt teſtatur dilectus ille diſcipulus. Quòd ſi res tam parum amabiles, quales ſunt quæ ſubinde oriuntur & occidunt, non parum acuunt humanam induſtriam, qualem æſtimare poſſumus eſſe diuinam ſapientiam in contemplatione Charitatis, quàm animis ſi-

liorum ſuorum cupit infundere? quæ pluris eſt quàm elementa omnia, cum ipſis cœlis: quæ theſaurus eſt, quo ampliorem, aut præſtantiorem ne Deus quidem dare poſſit in terris.

Vide quàm latus ſe campus aperit mentis noſtræ oculis, in contemplatione inuentorum & ſapientiæ, quàm infinitus Dei in nos amor omnibus operibus ſuis inſeuit. Hæc videlicet inuenta meditabatur olim regius ille vates, cùm diceret. *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.* Voluebat ergo animo ſanctus ille princeps quantam ſapientiam Deus in ſuis operibus abdidiſſet, quantum decoris ac ſpiritalis pulchritudinis indidiſſet, quæ ſtudioſa meditatione paulatim eruerentur. Magnus autem Eſaias non ſolùm hoc ſtudium eſſe cupit bonarum mentium, ſed ab eis etiam edoceri cæteros, quæ ſint Seruatoris inuenta, vbi ipſi cum delectatione hauſerint, quæ proprias mentes reficiant. *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die, confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius.*

III. *Inuenta diuina meditatione eruenda.* Pſal. 76. 12. 13.

Et tradenda populis. Ca. 12. 3. 4.

Geminum ergo habemus inuitamentum inſiſtendi contemplationi diuinorum operum, & ſapientiæ aquas hauriendi, exemplum & præceptum, & nominatim inquirendi inuentiones eius, quæ non domi clauſæ, paucíſque notæ contineantur, ſed in populos liberaliter effundantur. Teſtis eſt Dauid quanta cum voluptate in hac ſpiritali exercitatione verſaretur, cuius nos quoque optat eſſe participes. *Delectaſti me Domine*, inquit, *in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Non delectabor ſolùm, ſed exultabo, neq; enim res vulgares docebis me, *Magnificata* enim *ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*: nec cernuntur ab iis, qui ſuperficie tenus opera tua reſpiciunt. Itaque inuentiones tuas *vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Abſcondita enim ſunt à ſapientibus & prudentibus opinione ſua, reuera autem ſtultis: & reuelantur paruulis.

IV *Delectatio illius meditationis.* Pſal. 91. 5. 6.

Neceſſarius eſt ſpiritus Dei, & abundantia diuinæ lucis, vt noui aliquid in hiſce diuinis inuentis & cogitationibus, quas illi ſuggeſſit amor, inueſtigare poſſimus, tam in ordine naturæ, rebus naturalibus producendis ac conſeruandis, quàm in ordine gratiæ, & rebus, quæ naturæ tranſcendunt fines, puta mundo reparando, atque redimendo. Geminus itaque apparet oceanus, vterque amplitudinis penè immenſæ. Prior enim ille, quamuis multis voluminibus editis, tam ſacrorum, quàm profanorum ſcriptorum induſtria, ſemper apparet inexhauſtus, licétque aperire quotidie, vt in nauigationibus Indicis, ignotas adhuc regiones, ſiue ignota naturæ ſecreta, quæ humana rimatur induſtria, cauſis, effectis, naturis, proprietatibus inueſtigandis. Et quamuis plures quotidie libri edantur in lucem, nunquam tamen humanum ingenium, quamuis finitum exhauritur, ſed noua

V. *Ordo naturæ & gratiæ quaſi geminus oceanus.*

ſemper in hiſce operibus excogitat, & vel in minimis materiam admirationis & amoris inuenit, intactam ſæpenumero ac recentem.

VI. *Quàm latè pateat prior.* Hic orbium cœleſtium, planetarum, reliquorúmque aſtrorum inerrantium varij motus, affectiones, influxus, & aptiſſimæ cum inferioribus agentibus concurſiones. Hic metallorum, plurimorúmque foſſilium, hic gemmarum & pretioſorum lapidum, ipſorúmque elementorum ignotæ vulgo qualitates. Hic mirabiles ſtirpium, herbarum, arborum, reliquarúmque plantarum vires ac proprietates, in vſum atque vtilitatem omnium animantium, ab homine ipſo vſque ad minimum inſectorum. Hic ſtupendæ ac prodigiis ſimiles multorum animalium induſtriæ, cautiones, præſentiones futurorum, imitationes hominum, alacritates ad conſeruationem ſui, ſiue inuadendis aduerſariis, ſiue inuadentium impetu propulſando, aliíque inſtinctus tam illuſtres, vt pleríſque viſa ſint ratione penitus non carere. Hic fabrica humani corporis, hic animi nobilitas & præſtantes vtriuſque dotes. Sed hæc tanta támque latè patens naturalium rerum ſylua, & infinitior eſt, quàm vt paucis comprehendi poſſit, & nos longius quàm par ſit à primario abduceret inſtituto. Præterquam quod multorum, iam ſtudiis inueſtigata, & magna ex parte patefacta eſt.

VII. *Quàm item poſterior.* Quod autem ad alterum oceanum attinet, is ſi latiùs priore non patet, præſtantior certè eſt, ac dignior, in quo diuina ſapientia eximios theſauros abdiderit, & quotidie in eius contemplatione defixis recludat. Tam latè autem patet, vt licet à mille iam ac ſexcentis annis tam multi ſancti Patres, Græci Latiníque, tam multi Doctores grauiſſimi, tam multi acutiſſimi Theologi magna librorum volumina in lucem ediderint, edántque quotidie, ad gratiæ myſteria illuſtranda, & opera, quæ humano corpore circumtecta Dei Sapientia perpetrauit in terris, nullus tamen erit vnquam aut inquiſitionis, aut inuentionis finis; nouæ ſemper rationes, noua decora, nouæ conuenientiæ emergent, noua amoris, venerationis, amoris, pietatis, fidei, ſpei, fiduciæ, cæterarúmque virtutum incitamenta. Itaque magnus Euangeliſta non dubitauit ſcribere, ſi quæcumque fecit IESVS ſingillatim ſcribantur, *nec ipſum mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Ioan. 21. v. 24. 25.

CAPVT VIII.

Deum patefeciſſe ingenioſum amorem ſuum in operibus gratiæ, & primùm in myſterio incarnati Verbi.

I. *Inueſtigatio ordinis naturæ omittitur.* HIc ego, libenter te, inquam, ingenioſe adoleſcens, ab onere & cura prioris illius oceani enauigandi abſoluimus, quando poſterior

iste, & magnam habet amplitudinem, & maiorem vt arbitror fructum animorum. Rectè sanè arbitraris, ait Ingeniosus amor. Nam vt taceam illam disputationem profanis quoque Philosophis conuenire, in hac Christianos vnos excurrere posse, præterea neminem; inuenta certè naturalia media quædam sunt ac viæ, ad supernaturalem finem, ad quem cognoscendum, ac fruendum homines conditi sunt; & arcana ista supernaturalis sapientiæ potentiora sunt ad excitandam voluntatem, ad amandum Deum, & ingenium ad excogitanda, quæ valent ad promouendam pietatem. Et sicut religioso intellectui dulciora sunt, ita & sublimiora profectò, ac diuiniora. Itaque indulgebis aliquid imbecillitati nostræ: *Loquimur* enim, vt ait Apostolus, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum huius sæculi cognouit.* Hæc sunt Christi diuitiæ, quas humana industria vestigare non potest, sed necessaria est fides, quæ oculum mentis illuminet, vt norit, *quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo*, vt idem ait. Quo æquius erit vos, grata habere pauca illa, quæ nobis Dominus dignatus fuerit communicare. 1. Cor. 2. 7. 8.

II. *Prolusio in amorem ingeniosum circa incarnationem.*

Imo gratissima, inquam, & sane, vt spero, non potes, non rectè fungi suscepto isto munere. Non deerit enim diuina Sapientia, quæ se tibi, & te nobis attẽperet. Itaq; sine prolusione aut cũctatione alia, effinge nobis aliqua diuinæ Sapientiæ lineamenta, quæ illa politissima duxit suscipienda humanitate nostra, vt nostrum in se amorem artificiosissimè prouocaret. Faciam, inquit ille, ac libenter quidem; quantum nobis æterna Sapientia mẽtis oculos aperire dignabitur. Qui maiore Dei amore præditi sunt, & interiore Dei familiaritate fruuntur, plures vtique illius ductus, præstantioresque nanciscentur. Quoniam ergo id nobis incumbit vnum, vt artes atque inuenta nonnulla, principis nostri naturam humanam induentis aperiamus, quibus ille nostrum erga se amorem elicere voluit, atque incitare, age id in primo vitæ ipsius aditu, sanctissimóque Incarnationis mysterio contemplemur, tum idem ipsum in vitæ ipsius decursu, digressúque conabimur.

III. *Prima conuenientia ex similitudine.*

In hac ergo sacrosancta humanitatis assumptione, cùm diuina Sapientia præclarè intelligeret similitudinem esse causam amoris, tantóque maioris, quanto illa expressior fuerit atque germanior; (quoniam natura duce se quisque diligit, & quanto quis nobis similior extiterit, tanto eum facilius alteros nos ipsos æstimamus, & erga eum afficimur, quasi in duobus locis essemus ipsi, aut in duabus personis.) Ergo Dei Verbum æterno Patri simile penitus atque æquale, tanquam natiua imago & character substantiæ, & omnium perfectionum eius, cum eo Amorem produxit infinitum, qui est Spiritus sanctus. Sic homo filium à se genitum, non solùm natura, sed moribus etiam & vultu similem, diligit, & hoc magis illum alterum se putat, quo illum similiorem esse contigerit.

IV.

Cùm ergo Deus hanc hominum propensionem probè nosset, eam

Homo Deo similis in creatione. enim ipse dedita opera humanæ naturæ indidit, poterátque ipsam aliter, si collibitum fuisset, & sine illa procliuitate fabricari, cùm vehementer ab homine diligi vellet, non satis habuit in eius molitione, eum condere ad imaginem, & similitudinem suam, sed in assumenda natura humana fieri voluit ad imaginem & similitudinem hominis. Prior enim illa ex creatione similitudo, non efficit vt Deus sit homini similis, quod innuebat Isaias, cùm diceret, *cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Nec verus ignis picto similis est, aut homo viuus imagini suæ, sed vice versa. Et quando accuratè & ex arte ab hominibus fabricati sunt cœli, aut terræ globi, rectè cœlo aut terræ similes dicentur, non è contrario natiuum opus artificioso simile dici poterit, natura enim prior est arte, quæ illam imitatur.

Ca.40.18. D.Tho.1.p. q.4.a.3. ad 4.

V. *Deus homini similis in incarnatione.* Qua in re egregia quædam conuenientia & decor ostenditur. Cùm enim homo duabus ex partibus, multum inter se distantibus, corpore videlicet animóque compositus sit, sitque ea ratione quasi horizon, aut vinculum potiùs spiritalis, & corporatæ naturæ, vtrique parti similem se Deus gemina similitudine reddidit, quarum altera nos Deo similes reddit, altera Deum similem nobis. Vna similitudo proportionis est, qualis creatorem inter & rem creatam esse potest; altera est similitudo naturæ in specie humana. Anima nostra ad eius imaginem producta est, corpus autem eius ad similitudinem nostri figuratum est. Diuinus enim spiritus nostro prior est, & corpus nostrum tempore diuinum corpus antecedit. Itaque certo quodam modo alter alterius idea, vel exemplar mutuo facti sumus.

VI. *Sicque illi factus amabilior.* Ex quo etiam consequens est, ac planè rationi consentaneum, Deum inter & hominem mutuum amorem ac veram amicitiam efflorescere, nisi ea ex parte humana deficiat. Itaque non est quod queramur, Deum nos habere, quem neque oculis cernere, neque vllo sensu capere possimus, & quod videtur consequens, ne amare quidem. Ne dicamus cum inepto illo anthropomorphita, *abstulerunt mihi Deum meum*, cùm se illo errore videret exsolutum, quo Deum in diuina sua natura humanis præditum membris suspicabatur. Post assumptam enim à Deo humanitatē Deum habemus similem nobis, cui vultus sit, & manus, & pedes, sicut & nobis, & cor & oculi lacrymabiles super humana miseria, & pectus & viscera tenera, quæ ingemiscant in malis hominum, sicut & nostra, sed multis partibus pulchriora, perfectiora, & amabiliora mortalibus. Esto igitur hoc primùm ingeniosi amoris inuentum, à Deo excogitatum, ad amorem hominis erga diuinum numen excitandum: quæramus etiam alterum.

VII. *Altera conuenientia ex absentia omnis mali ab hac humanitate.* Cùm intelligeret Dominus hominem, vti rationis participem, à malo, omnique turpitudine abhorrere: bonum autem & honestum, vt rationi consentaneum, natura inuitante diligere, in assumenda humanitate sapienter prouidit, iuxta id quod olim propheta prædixerat, vt quamuis

butyrum

butyrum & mel quaſi infantulus *comederet, ſciret* tamen *reprobare malum, & eligere bonum.* Naturam ſcilicet à Deo factam, culpam autem, qua dæmonis opera infecta eſt, penitus abiiceret ac repudiaret. Elegit enim humanitatem, in qua nulla eſſet macula, nulla ruga, nulla reprehenſio, nulla motionum corporearum perturbatio, nulla in malum propenſio, ac ne facultas quidem cuiuſcumque peccati, ſi ea facultas dicenda eſt, & non infirmitas potiùs, atque miſeria; partim ne id coniunctam, & gubernatricem humanitatis diuinitatem dedeceret; partim etiam, ſi placet, ne quam homo reperire poſſet occaſionem, vel tantillam alienandæ à Chriſto Domino voluntatis. Iſa. 7. 15.

VIII. *Et complexu omnium ornamẽtorum corporis, animique.*

Vice autem verſa humanitatem iſtam ſacroſanctam tot decorauit ornamentis, tot gratiarum theſauris locupletauit, quot vix capere mens humana poſſit. Generis nobilitatem habet, in quo decem & octo, aut viginti reges numerantur, pulchritudinem quæ omnes mortales longo poſt ſe interuallo relinquit, caſtimoniam intaminatæ virginitatis, ſanitatem integráſque vires, quæ nulla vnquam aduerſa valetudine defloruerunt. Sed hæc modica ſunt omnia, ſi cum immenſis penè animi monilibus componantur, demiſſione animi, manſuetudine, lenitate, prudentia, iuſtitia, liberalitate, fortitudine, temperantia, religione, diuinóque cultu; in primis autem charitate, quæ tenet in omnibus virtutibus principatum.

IX. *Cùm ſingula concilient amorem.*

Si ergo virtus eſt omnis amabilis, ſi amorem penè ab inuitis extorquet, ipſóſque conciliat inimicos: ſi virtus aliqua ſingularis beneuolentia coniungit ignotos, ſicut vitium notos obliterat, diſtrahitque coniunctos: ſi Ioſephum patriarcham, ſi innocentiſſimam Suſannam caſtitatis nomine diligimus, & impuros illos ſenes, & heram Ægyptiam, vt impudentis nequitiæ reos auerſamur: Amani ſuperbiam odimus, Mardochei modeſtiam amplectimur. Saülis crudelitatem deteſtamur, Dauidis clementiam & lenitatem in oculis ferimus: magnitudinem animi in heroë illo Iuda Machabæo, & Iuditha heroina cum amore prædicamus; ſi Abrahami obedientiam, ſi Iobi patientiam, & reliquas aliorum virtutes, vel ſolitarias amore proſequimur: nónne nobiliſſimum ingenioſi amoris inuentum fuit, omnes illas virtutes in vnam cogere filij Dei humanitatem? vt poſſet illud meritò vſurpare, Multi filij congregauerunt diuitias, ego ſupergreſſus ſum vniuerſos. Prou. 31. 29.

X. *Tertium inuentum & conuenientia ex ſcientia.*

Tertium, atque iſti cognatum occurrit ingenioſi Amoris inuentum. Omnes natura duce ſcientia delectantur, nec eſt cui ignorantia placere poſſit ipſa per ſeſe. Eſt enim ſcientia vna de præſtantiſſimis animi dotibus, quam, eximiam præſertim, in hominibus amore atque honore proſequimur; niſi fortè alioqui ſuperbia, aut aliis vitiis ſint inquinati, ſed modeſtia potiùs, atque humanitate commendentur. Quid ergo fecit hominum amatrix diuina ſapientia? Effudit ſuper ſanctiſſimam illam animam omnes theſauros ſapientiæ ac ſcientiæ Dei, omnem doctrinam quam

capere animus poſſit, ſiue diuinitus infundatur, ſiue naturali poſſit induſtria comparari, omnia dona Spiritus ſancti, omnes gratuitas facultates, ipſámque Dei in mortali corpore viſionem, denique, cum diuina perſona, omnes opes, atque inexhauſtos diuinitatis theſauros. Quid ergo tanto principe ac doctore amabilius fingi poſſit? præſertim cum auctario manſuetudinis ac demiſſionis animi ſingularis, qualem verba illa teſtantur. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Matt. 11.29

XI. *Quartum ex conſanguinitate.* Gen. 37.27. 2. Reg. 5.1.

Natiuus eſt in Adami filiis amor parentum, propinquorum, ac conſanguineorum ſuorum, vt qui ſunt quaſi eiuſdem carnis, ſanguiniſque participes. *Frater enim, & caro noſtra eſt*, aiebant filij Iacobi, de Ioſepho, quamuis non vterino fratre. *Os tuum & caro tua ſumus*, aiebant Dauidi decem tribus, id eſt fratres tui, filij eiuſdem Iacobi Patriarchæ. Et ſicut vnius corporis membrum alterius dolorem voluptatémque participat, ſic & rebus aduerſis ſanguine iunctorum, cognati animo contrahuntur, & quaſi diffunduntur lætis: niſi fortè inuidiæ veneno, aut quapiam alia peſte fuerint occupati. Verè enim dictum eſt, *fratrum quoque gratia rara eſt.* Perſimilis eſt ratio affinitatum. Nouæ ſiquidem affinitates nouas copulant amicitias, & ſæpe antiquas lites, diſcordiáſque conſopiunt, & bella inter principes accenſa reſtingunt. Res per ſe clara eſt, nullam vt deſideret probationis lucem.

Ouid. 1. Metam. *Quintum ex affinitate.*

XII. *Declaratur.*

Quid ergo fecit ingenioſa Dei Sapientia, hominum gratiam aucupari deſiderans & pacem, à quatuor annorum millibus Deum inter homineſque violatam redintegrare? cum homine contraxit affinitatem. Et poterat illa quidem cum Angelis, qui erant quaſi populus Dei, & Deo ſpiritali natura propiores, inire matrimonium, ſed maluit, inſtar Samſonis, incircunciſo populo coniungi, & Dei inimico, vt factus affinis, iure fiduciáque maiore veniam hominibus obtineret, & pacem. Sed Samſon Philiſthæam duxit, diuino conſilio. Quærebat enim Deus occaſionem puniendi populum illum, qui iamdudum Hebræos ſeruitute premebat. Seruator autem ſeſe cum hominibus affinitate ac familiaritate deuinxit, ad faciliùs ac magnificentiùs eorum expediendam ſalutem, & antiquam illius fortis armati tyrannidem acerbiſſimam conuellendam: eadémque opera vt tanquam frater, ſponſus, & pacis arbiter ab hominibus diligeretur.

Iud. 14. 1. 2. 4.

XIII. *Sextum ex honore quo ab eo affecti ſunt homines.*

Addamus poſtremò in hoc myſterio inuentū hoc, & amoris incitamētum. Naturæ inſtituto diligimus eos à quibus honoramur, & aliquo numero ſumus: & contra illos vulgo auerſantur homines, à quibus contemnuntur; idq; perſpicuè cernitur in amicitia Ionathæ & Dauidis, & odio Amanis & Mardochæi. Illi enim iis quos colunt id bonum deſiderant, quod in honore reperitur, ſéque ad humanum propriæ excellentiæ appetitum accommodant. Iſti contra quos ſpernunt eo bono priuant, & natiuæ propenſioni vim afferunt. Deus autem per aſſumptionem humanitatis, hominem non honorauit ſolùm, ſed in ſummum extulit faſtigium

dignitatis. O Dauid, Dauid visus es tibi fortasse non parum celebrasse hominum gloriam, quando acceptæ ab eis gratiæ memor, dicebas Deo, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* At cùm Deus factus est homo, tantum eis gloriæ & honoris contulit præ Angelis, quantum Deus Angelos antecedit. Nam Angelus angelicam tantùm habet naturam; at homo etiam diuinam, quod si hæc dignitas infinita est, amore vtique immenso ab hominibus rependenda esset, si quo modo infinitum ab homine rependi posset. Psal. 8. 6.

CAPVT IX.

Dei Verbum Ingeniosum Amorem in natiuitate sua prodidisse.

I. *Superbia morbus hominum.*

TRANSEAMVS ad ingeniosa mysteria sacrosanctæ vitæ Christi Domini, orsi ab eius humili & paupere natiuitate, in eáque nonnulla inuestigemus ingeniosi amoris inuenta. Principiò Seruator mundi, qui quasi medicus insignis salientem arteriam humanarum affectionum scienter explorauerat, omnésque cordis humani propensiones, probe norat hominem, quem multis dotibus, præ cunctis animantibus, ornauerat, esse gloriæ appetentem, & paupertatis non solùm contemptorem, sed acerrimum etiam inimicum. Huius accessionem febris insignem iampridem in vtroque hominum parente notauerat, qui vt euaderent Deo similes, Dei iugum, consilium cacodæmonis exemplúmque secuti, ambitiosè excusserant, ruptísque eius vinculis dixerant, *non seruiam.* Gen. 3. *Antiquus.* Ierem. 2.

II. *As perniciosus.*

Notauerat & in Caino, qui ex superbia metuens ne secundo genitus frater, diuino illi fauore obsecundante, maior eo atque potentior euaderet, innocentem crudeliter obtruncauit, se suósque à patre distraxit, & condita illis ciuitate, superbissimum primus dominatum inuasit. Sciebat quoque Dominus superbiam omnium peccatorum caput, & fontem esse; ad illam verò diuitias facilem viam sternere, vanitatem vnum esse diaboli laqueum, opes & copias alterum. Itaque diuinus ille medicus expeditissimam rationem inuenit curandi morbum, antiquissimum pariter ac difficillimum, non exemplo solùm suo, cuius vel ipsa natiuitas, demissionem animi clamat, ac paupertatem, sed artificio etiam insolenti ac planè singulari, reddendo vtramque honorificam, & planè gloriosam.

III. AVTHOR *Qua pugnare videātur cum gloria natiuitatis Christi.*

Etiamne honorificam, inquam, aut gloriosam reddidit Dominus paupertatem? quam nunc quoque plerique omnes Christiani vbique omni animi, corporísque contentione refugiunt, pauperibúsque neglectis, solos diuites ac potentes beatos putant? Itaque illustra obsecro, mi adoles-

Apostrophe ad Angelos. cens,hunc locum. Si enim istam ipsam Christi Domini natiuitatem, ex humani iudicij regulis,æstimemus, apparet ad hoc præsepe admirationis argumentum,aut querelæ aduersus angelos, qui in illo Verbum carnem factum adorant circumfusi. Ex ipsis enim percuntabimur,Ecquod mundo nuncium in peruigilio Dominicæ natiuitatis attulistis, cùm illa verba vsurparetis,*Hodie scietis,quia veniet Dominus,& mane videbitis gloriam eius.* Hoc stabulum & præsepe, hic bos & ille asinus, istæ paleæ & illi panni, ista solitudo & rerum omnium penuria, num ea gloria est quam promittebatis? fortè ne hodie hesternam emendatis promissionem in
Luc. 2. 14. nouo cantico, in quo non recens nato gloriam tribuitis, sed Deo, non iacenti in humili præsepio,sed in altissimis habitanti.

IV. *Interpretatio legationis Gabrielis in cōtrarium.*

O Gabriel Archangele gloriosissime, legate præpotentis Dei, nonne ante nouem ipsos menses dicebas sanctissimæ Virgini, *Hic erit magnus*? & ecce paruulus est instar infantuli diei vnius. An intellexisti eum plurimum fide atque autoritate valiturum? ne satis quidem habuit, aut ipse aut sui, vt cubiculum aliquod in publico diuersorio bruma rigente obtineret. Opibus fortassis & copiis magnum fore dicebas? Id videlicet stabulum olidum probat & præsepe, id fasciæ & panni docent. An robore corporis & viribus? tenellus est,& delicatus,plorat, & frigore contremiscit,non secus ac filius vilis ac deformis ancillæ. Numeroso fortasse seruitio,aut satellitio,aut subditorū turbis, stipatum significabas? Vnam secum habet matrem pauperculam,& nutritium parentem,& vos oculis nostris minimè aspectabiles: reliquus est opilionum & pastorum manipulus, qui ei pagano more blandiuntur, & non vt regiam stirpem decet: nec altissimi filium vocant, sed Iosephi arbitrantur.

V. *Ex humano iudicio, & figuris Christi.*

Dicebas Dominum Deum daturum illi sedem Dauidis patris eius: hoc solium versum est in præsepe, & purpura in pannos cunarum. Vbi ergo est illud,*hic erit magnus*? vbi illud, *mane videbitis gloriam eius*? Fratres Iosephi patriarchæ,ex Ægypto reduces,totam fratris in Ægypto glo-
Gen. 45. 26. riam ac magnificentiam denarrarunt, regni amplissimi gubernatorem esse, ac proregem, mundi denique Seruatorem. Id senex non illico sibi passus est persuaderi, sed tum demum cùm rhedas vidit & carros Ægyptio commeatu, & preciosa supellectile oneratos. Estne igitur hic noster verus Ioseph rex regum,an vmbratilis & imago veri? Regina Saba Salomonis gloriam vehementer celebrari audierat in patrio solo. Voluit etiam spectare. Venit ergo Hierosolymam, & inuenit quod vehementer miraretur: adeò vt negaret famam, quæ omnia auget in maius, æquare, imo assereret longè imparem esse Veritati. Quî ergo adduce-
2. Paral. 9. 19. mur vt credamus illud, *Ecce plusquam Salomon hic.* vbi est illa domus aurea? vbi thronus ille de quo scriptum est, *non fuisse tale solium in vniuersis regnis.* Vide igitur, Ingeniose Amor, vt huic obscuritati lucem afferas orationis tuæ.

CAPVT X.

Natiuitatem Christi Domini, quamuis repugnante humano iudicio, esse gloriosam.

INGENIOSVS AMOR.

HÆc tu quidem, ait Ingeniosus Amor, ex humano iudicio, elegantiùs profectò quàm veriùs, disseruisti. At quantò sunt mortalibus beati Angeli perspicaciores, qui gloriam agnoscunt, vbi illi nihil præter inopiam & humilitatem cernũt. Itaque magnificentiùs præcinunt suum illud, *Gloria in excelsis Deo.* Quòd si gloria, vt ait August. est clara cum laude notitia, veram gloriam illi agnoscunt, vbi ea reuera est; cùm homines, qui in terris talparum instar sepulti iacent, nihil vident, nisi extraordinario lumine collustrentur: quale acceperat is qui dicebat, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vtique vera gloria ex vera excellentia proficiscitur, quæ in Mundi Seruatore tanta est, quantam in vnigenito filio Dei, qui nihil patri cederet, inueniri par fuit. Sed omnis gloria filij regis ab intus: perfectiones quoque huius sacrosanctæ humanitatis, omni sunt opinione maiores, sed omnem istam gloriam, in vtilitatem hominum, summa humilitate contexit.

I. Responsio ad obiecta; quæ sit vera gloria. l. 83, qq. q. 31. Ioan. 1. 14.

Ridicula est hominum gloria, à vermiculis bombycinis, à gemmis & pretiosis lapillis, à metallis è terræ visceribus erutis mutuo sumpta; aut ab aliena & auita virtute, non à propria & sua, à forma viribúsq; corporeis, quæ tridui febricula labefactat ac prosternit: à fama denique quam inconstantia vulgi constantem esse non sinit. At filius Dei voluit omnem gloriam suam vere esse suam: nec voluit inanem aut falsam mutuari foris, qui interiore fruebatur. Voluit tamen instar Moysi diuinam gloriam humanitate velare, & ipsius humanitatis præstantiam velo paupertatis & humilitatis obducere, vt trans candentem hanc nubem eum contemplari, eiúsque heroicas virtutes imitari possemus. Quòd si magni viri propositi sunt imitationi, eorum facta, dictáque probantur; in pretio sunt, quæ ab illis magni fiunt, contemnuntur, quæ illi nihili faciunt, nónne hæc hominibus idonea causa est contemnendæ vanitatis ac diuitiarum, quando princeps ille noster, qui opes in potestate habuit, eas aspernatus est, abiecitá se, totámque in vitam respuit.

II. Quæ inanis & futilis. Exod. 34. 35. Et exemplo principis nostri.

Angeli ergo in fraudem minimè nos induxerunt, aut inducti sunt ipsimet; de vera enim, solida, ac perfecta gloria locuti sunt, quæ propria & interiore excellentia niteretur, non mutuatitiis plumis, quas vel auiculæ spoliatæ repeterent, vel ventus humanæ mutabilitatis auferret.

III Responsio pro nunciis Angelorum.

Coloss. 2. 9. 10. Num ergo secundum humanitatem ipsam gloriosior esse potuit, qui in ipsa factus est Rex regum, & Dominus Dominantium, *& in ea inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Angeli annunciauerunt hominibus gloriam fratris ipsorum Iosephi: qui si oculos haberent eruditos, vt beatæ illæ mentes, aut instar illius aquilæ Euangelistarum perspicaces, viderent profectò illum gratiis omnibus & perfectionibus abundantem. Agnoscerent stabulum illud, & præsepe omnibus cœli bonis, in quo dominatur hic paruulus, locuples ac refertum, plenum perquam amabili bonitate, plenum ingeniosa charitate, plenum cœlesti decore ac misericordia, plenum lucis, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, plenum gratiæ*, quæ nos Deo acceptos reddit & gratos, *plenum veritatis* & notitiæ secretorum diuinorum, quæ ille enunciaturus venit in mundum. *Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.*

Et figura Iosephi.

Ioan. 1. 18.

IV. *Et Salomonis.*

Fama verissimi huius Salomonis longissimè abest à meritis eius, & experientia familiarium eius & domesticorum, qui interiorem illam eius faciem intuentur. Illius in primis Angelorum Reginæ, parentis eius, quæ in hac spelunca stupore defixa, *non habebat vltra spiritum* contemplando admirabile hoc mysterium, eiúsque causas & attributa. Et vndique circunferendo mentis oculos, siue in Patris potentiam, sapientiam filij, bonitatem Spiritus sancti, siue in hominum pereuntium calamitatem, aut consanguineorum gloriam, omnia inter se mirificè congruere ac conspirare cernebat; nihil vt vidisse Prophetas præ illa, nihil agnouisse Patriarchas, nihil doctores omnes coniicere potuisse liceat affirmare. Ecce igitur plusquam Salomon hic, & gloria eius maior ac magnificentior gloria Salomonis, quæ ab iis opibus magna ex parte
3. Reg. 14. 25. pendebat, quas Sesacus Ægyptius breui erat asportaturus, & à sapientia quam mox exceptura erat dementia singularis. Illa autem gloria, ex immortalium diuitiarum copia manat ac prorumpit, quæ seculis omnibus totum Ecclesiæ Catholicæ corpus inundabit.

V. *Cuius aurea domus stabulo cedit, & solium præsepi.*

Vide autem quanto gloriosius sit stabulum Seruatoris, aurea illa regia montis Libani: & præsepe superbissimo solio eiusdem Salomonis. Quis est qui ad conspectum domus illius, aut huius solij genu flecteret, quis censeret huiusmodi spectaculum magno sumptu aut labore sibi esse redimendum? cùm tamen constet infinitam hominum multitudinem, multorum iam seculorum decursu, ingentia marium ac terrarum spatia transcurrisse, vitam, fortunas, libertatem, in discrimen adduxisse, vt in illo Domini stabulo ac spelunca venerabundi procumberent, & sanctum eius pauimentum lacrymis deuotionis abluerent, vt exoscularentur gloriosissimum illud præsepe, quod primùm Deum hominem factum complexum est, vt in eo filium Virginis adorarent, & lacrymas suas, cum filij lacrymis, matrísque confunderent.

VI. Quanta gloria est ea reddere gloriosa, quæ natura sua vilia sunt &

abiecta? Certè maxima, ſicut dulciſſimum eſſe oportet, quòd res amariſſimas diluet, & in dulcedinem conuertat. Cùm Salomon potentiſſimus idem ſapientiſſimúſque rex ea reddere glorioſa nequiuerit, quæ vulgus hominum cenſet eſſe glorioſa; quanta quæſo fuit Seruatoris induſtria, deſertum ſtabulum, ferarum cubile, informe antrum, honoratius reddere laqueatis ædibus, auro, cyanóque intermicantibus, regia columnis denſata marmoreis, aut porphyreticis? Quin etiam virgas & flagella, clauos & ſpineam coronam, ipſúmque adeò patibulum crucis reddere honorificentius aureis ſceptris, & coronis regum maximorum, quamuis illa hominibus execranda per ſe, hæc ſplendida glorioſáque videantur. *Glorioſum eſt vilia reddere glorioſa.*

VII. Si ergo veneratio, & honor Dei filio debitus, fecit vt quidquid illum attigit, aut ad ipſum quoquo modo pertinuit, iuſtam piorum venerationem obtineret & cultum, rationi profectò maximè conſentaneum fuit illam quoque demiſſionem animi, in homine Deo tam admirabilem, illam voluntariam paupertatē, eius in cuius manu ſunt omnes theſauri, qui cœli ambitu continentur, illa decora quæ ipſum maximè attigerūt, & quæ ad ipſum pertinuerūt, tanquam heroicæ ſanctiſſimæ illius animæ virtutes, inſigniter honorari, diligi, frequentari. ſic vt ſtudio imitandi huius infantuli, vileſcant honores, voluptates & vitæ commoda, in nauſeam faſtidiúmq; vertantur. Quid amabilius eſſe poteſt illa Sapiētia, quæ res ſenſibus humanis vſque adeò difficiles, & nihilominus tam neceſſarias, vt ſcriptum ſit de puerulo, multóque magis de humili & paupere Chriſto, *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum*, innumeris hominum turbis procliues reddidit, & expeditas? *Et virtutes à Chriſto honoratæ in pretio habendæ.* Matt. 18. 3.

CAPVT XI.

Alia quædam Ingenioſi Amoris inuenta in Chriſti Domini natiuitate.

I. ARDVVM profectò negotium fuit, nec ſatis explicatum, fidē facere hominibus demiſſionem animi ac paupertatem voluntariam, non ſolùm in vitiis non eſſe numerandas, nedum eas ad quandā mentis inſanitatē pertinere, quòd profani homines arbitrantur, ſed in maximis heroicíſque virtutibus cenſendas eſſe, quoniam diuina ſapientia, quæ illas complexa eſt, non potuit non ſapienter elegiſſe. Illud autem magis etiā impeditum fuit, vt quod homines verbo fatebantur, etiam in tota vitæ ratione ſequerentur; quòd innumerabiles religioſorum hominum non cœtus, ſed populi, ſeculis omnibus, toto pene terrarum orbe præſtiterūt; Chriſtum in ſtabulo pauperem, humilem in præſepio imitati. Hoc videlicet opus, hoc inuentum Ingenioſi amoris fuit. Sed alia nonnulla videamus. *Arduus amor paupertatis.*

II. *Naturalis in infantes amor.* Est in nobis à natura nonnullus in tenellos infantes amor. Illa enim innocentia, illa simplicitas, ille animi candor, fraudis expers & simulationis, valde amabilis est. Hunc ipsum affectum fuisse in Christo, Euangelica testatur historia; eiúsque conscius populus offerebat ei paruulos, *vt manus eis imponeret, & oraret* super eos; quòd cùm discipuli prohiberent, audierunt à magistro, *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.* Neque eorum tantùm ad se aditum permittebat, sed acceptos statuebat in medio, & complectebatur, & capiti eorum imponebat manus, & instar sui recipi iubebat, qui similes illis forent; & terribili comminatione percellebat eos, qui essent illis scandalo, id est ad ruinam doctores, aut duces. Huius ergo amoris ipse quoque conscius, & amari cupiens ab hominibus, quibus sciebat hunc amorem fore valde fructuosum, factus est paruulus, vt esset eorum oblectatio, deliciæ, consolatio, vt si fortè eos maiestas diuinitatis absterrebat, hæc infantuli dulcedo, syncerúsque candor vltro alliceret, redderet familiares, fidentísque animi ad complectendum, ad suauiandum, ad eum sexcentis blandiciis demerendum.

Matt. 18. 2. & 19. 13. 14. &c. Marc. 9. 35. *Christus vt amaretur factus est infans.*

III. *Appetitum similitudinis Dei vtilem reddidit.* Sit & hoc alterum infantis huius consilium, ad homines ad se alliciẽdos, iamdudum à S. Bernardo sapienter obseruatum. Viderat Dominus subditorum suorum principes, magno suo malo, Domini ac Dei sui similitudinem ambitiosius appetiuisse. Nam Lucifer superbus diuinitatis candidatus, paratam sibi suísque felicitatem malè prænsando miserè perdidit, & calamitatem incurrit, qua nulla dici maior, aut fingi potest. Eius vestigiis insistens Adamus, se suámque posteritatem vniuersam prorsus afflixit. O stulta, inquit Deus, & infelix ambitio? nónne facilius est vobis, qui partim ex nihilo, partim ex luto educti estis, fieri paruulos, quàm maiora viribus ac meritis affectare, in certissimum vestrum interitum ac ruinam? Ergo quando tantus vos pruritus extimulat similitudinis meæ, age fiam ego talis, vt quicumque mihi similis esse voluerit, sit illi hæc imitatio, & ambitio salutaris. Mihi facile est eam, quæ mihi naturalis est, prodere maiestatem, demittere non item: volo nihilominus fieri paruulus similis vobis, vt & imitari facilè sit, & ambire similitudinem fructuosum.

Serm. de Aduentu.

IV. *Liberalitatem, & placabilitatem paruulorum imitatus est.* Addamus postremum inuentum ineuntis huius infantiæ. Homo ex suæ conditione naturæ egentissimus est. Nam & nudus prodit in lucem, & toto corpore mollis atque inualidus; animus autem, præter ignorantiam & peccatum, nihil habet proprium & suum. Cum hisce malis, istiusmodi, quod dixi, corpori infunditur, vbi & propensionem acquirit ad malum. Itaque indigebat homo ope atque opera principis alicuius, qui liberalis esset ad succurrendum inopiæ, & placabilis ad crebros lapsus obliterandos. Huiusmodi sunt paruuli; nam, vt ait quidam, *citò dant, citò pacificantur.* Si quid præ manibus habent, petentibus non recusant, nulla ratione habita aut meritorum rogantis, aut pretij rei po-

stulatæ,

ſtulatæ: quòd ſi quis eis aliquam moleſtiam aſperſerit, illicò eam delet obliuio, nec minus quàm antea hominem diligunt, in quem iraſcebãtur.

Filius Dei factus eſt paruulus; nam, vt ait Eſaias, *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, nimirum vt augeret fiduciam profuſæ, qualis infantulorum eſſe ſolet, liberalitatis; præſertim cùm numquam illi deeſſe poſſit quod largiatur; itáque ſe geret quaſi oblitus eſſet ſe dediſſe quippiam: modò tamen ne quod acceptum eſt oſtentetur, tunc enim repetet quod antè dederat, vt pueri quoque ſolent: eáſque auferet gratias, quas reliquiſſet, aut auxiſſet potiùs, ſi eæ humili modeſtiæ velo tectæ latuiſſent. Sed omittamus modò hanc liberalitatem, omittamus & placabilitatem, ne videamur in alienos fines temerè irruiſſe; ſatis eſt mihi attigiſſe ſolertiam filij Dei in paruuli forma induenda, vt amabiles erga homines affectiones eadem opera ſe induiſſe oſtenderet, eáſque viciſſim prouocaret; Amorem denique Ingenioſum mortalibus in hac ſua natiuitate demonſtraret. IV. *Chriſtus æmulatus eſt. cap. 9, 6.*

CAPVT XII.

Ingenioſum Chriſti Amorem prodere ſeſe, toto vitæ ipſius decurſu.

SI quis attentius, cum Nazianzeno Gregorio, aliíſque ſanctis Eccleſiæ Patribus, atque doctoribus, conſiderauerit actiones vitæ mortíſque Seruatoris humani generis, inueniet profectò aut omnes, aut maximam earum partem referri ad fidem, animíque demiſſionem ſtatuendam, firmitérque ſtabiliendam. Itaque ſingula pene Chriſti myſteria illuſtre quiddam habent atque magnificum, quod det firmitatem fidei, & rurſum abiectum quippiam & vile, ad demiſſionem animi commendandam. Sapientiſſimo profectò paternóque inuento ad ſalutis humanæ negotium, quod ſine vtraque virtute ſubſiſtere nullo modo poteſt; præſertim cùm natura hominis ſingularem cum vtraque pugnam depoſcere videatur. Humana quippe mens cum fide pugnat, nec niſi rationibus idoneis victa cedit, & iis quæ capere poteſt acquieſcens, cætera reſpuit. Voluntas autem in eam fertur cupiditatem, vt homo inſtar ignis ſuper elementa ſubuolare, quaſi aurum inter metalla fulgere, & quaſi oleum cæteris liquoribus ſuperferri conetur. Cui rei argumento eſſe poteſt, quòd antiqui olim Philoſophi, quamuis moralium alioqui virtutum non malè periti, eas non agnouere virtutes, ſed alteram ſtultitiæ, alteram puſilli animi vitium credidere. I. *Solertia Chriſti in fide & humilitate ſtabilienda. Propter vtriuſque neceſſitatem*

Itaque oportebat eum, qui Catholicam fundabat ac ſtabiliebat Eccleſiam, earum virtutum ſolidiſſima ponere fundamenta. Fides enim II. *Et vtilitatẽ.*

omnium Christianarum virtutum fundamentum est, & demissionem fouet, demissio valuas aperit fidei. Hinc est quòd infidelis quisque hoc est fidei vicinior, quo minùs habet superbiæ; superbia verò viam sternit infidelitati, & est hæreseon parens. Conueniebat igitur Ecclesiæ principem atque architectum, & verbis & exemplis, vtramque hanc virtutem vehementer commendare, vt qui probè norat quantum fides humanum captum transcenderet, & quantum demissio animi extra gustum hominis & appetitum iaceat, vt qui pene omnia facit vt aliquid, imò vt magnum aliquid esse videatur. Illuc enim semper, vt iam dicebamus, studiosè collineat, vt sit lilium inter flores, aquila inter aues, delphinus inter pisces, & inter feras leo.

III. *Id declaratur exemplis Christi.* Vide porrò vt sapiens ille hominũ amator, statim à principio suorum operum rationem decori, ac necessitatis habuerit. Sicut enim humani generis ægritudo initium à superbia duxerat, ita par erat curationis initium ab animi demissione proficisci, eámque in stabulo, præsepióque fundari. Ad fidem autem fundandam, Angeli festis canticis hanc celebrant natiuitatem, Seruatorẽ mundi natum nunciant, eúmq; ad insignem lætitiam inuitant. Virtus illa circumcisionem ei persuadet, eóque signo foris peccatoribus aggregat, & subiicit Mosaicæ legi. (Gal. 5. 3.) At diuinum Iesu nomen allatum cœlo confirmat fidem. Demissio illi mutas inter pecudes cubile sternit, tanquam humilis ancillæ filio; at noua in cœlo stella coruscans, & viros principes ab Oriente deducens, qui eum in oculis Herodis, iam pridem regnum Iudæorum possidentis, Iudæorum regem publicè nuncient, eiúsque se clientes profiteantur, id verò plurimum momenti affert ad stabiliendam fidem.

IV. *Ab infantia & pueritia.* Summissio mentis in quinque siclorum redemptione nutritur, in fuga, exilióque Ægyptiaco, in reditu formidoloso; fides autẽ in vaticinio boni Senis, & Annæ prophetidis incrementa sumit, in deiectione simulachrorum Ægyptiorum, & morte accelerata omniũ, *qui quærebant animam pueri.* (Matt. 2. 20.) Illa in obediẽtia & humili subiectione pueri Iesu roboratur; hæc in illa monitione subaustera, *Nesciebatis quia in iis, quæ patris mei sunt oportet me esse?* Iam tum enim se filium Dei ostendebat, & eius imperiis obsequentem. Ad Iordanem humiliter cum peccatoribus à præcursore abluitur, sed ibidem paterna voce dilectus filius, patrísque deliciæ pronunciatur, & is cuius verbis fides, cuius imperiis obedientia debeatur; ibidẽ à Ioanne summis verissimísque laudibus honoratur. Instar pauperis ieiunat & esurit, sed illi Angeli vt Deo, suóq; principi famulantur, idémque cùm lubet pauculis panibus multa hominũ millia exsatiat. (Matt. 14. 21. & 15. 37.)

V. *Et tempore prædicationis.* Fatigatur vt peregrinus, & sedens sitiénsque à muliercula mendicat potum, sed arcana pectoris eius tanquam Propheta reuelat, & aquam pollicetur, quæ fiat fons saliens in vitam æternã. (Io. 4. 6. &c.) Media in naui sæuiente tempestate dormit, humanum est; at ventis imperat, tranquillat tempestates, sicco vestigio vndas calcat tumultuantes, diuinum est. (Matt. 8. 24. Marc. 4. 38.) Mortem

Lazari, vt homo luctu prosequitur, & tanquam ignarus, vbi fuerit sepultus rogat; at vox excitantis plena authoritatis est, plena diuinæ potestatis: hæc ergo vox fidei, illa Christianæ summissioni famulatur. Probris afficitur, & à dæmone dicitur incessus, sed ab cacodæmone confessionem diuinæ potestatis extorquet. Versatur cum peccatoribus, sed eos sordibus peccatorum emaculat. Vt ignarus, petit quis eum in turba tetigerit, & vt potens vel tactu fimbriæ morbos insanabiles curat. In montem ducitur, vt inde mittatur in præceps: in monte apparet gloriosus, & cœlesti testimonio diuinitatis honoratur.

Studet stabiliendæ humilitati, cùm ad discipulorum pedes abiectus, eos abluit, extergit, osculatur: studet & fidei, cùm instituit sacrosanctam Eucharistiam, mysterium fidei, memoriam & epitomen mirabiliũ suorum. Illi dat operam, cùm cœpit pauere, tædere, & mœstus esse, cùm fassus est tristem esse animam suam vsque ad mortem, cùm supplex orat transferri à se calicem acerbissimæ mortis, cùm ad sudorem vsque sanguineum cum tristitia & pauore luctatur: Isti autem dat operam, cùm ad se consolandum ac roborandum nobilissimum admittit è cœlo legatum. Humiliter & probrosè à satellitio capitur, ligatur, & multo cum tumultu in vrbem trahitur: sed illo ipso tempore non solùm hostili famulo truncatam aurem mitissimè restituit, sed verbo vno armatas cohortes allidit in terram, ac magnificè resupinat: rursúmque altero verbo prostratas erigit, & voti compotes facit: ac profitetur se plusquam duodecim legiones Angelorum habere in potestate.

VI. *Vsque ad vitæ finem.*

Eius numen Iudæi sacrilegis vocibus, manibúsque temerare non dubitant, dum ethnici exclamant, *Verè filius Dei erat iste.* Probrosè exuitur, virgis crudeliter laceratur, & fictis criminibus in crucem agitur. Sed sol tenebroso obnubitur velo, luna præpostero cursu retroagitur, cœlum omne lumine subtracto luget. Velum templi discinditur, lapides fracti dissiliunt, monumenta panduntur, terra insolito tremore concutitur, tota rerum natura confunditur. Instar latronis, & cum latronibus suffigitur cruci; & latronem illico sanctificat & recipit cœlo. Moritur, sed cum clamore valido: sepelitur, sed fit sepulchrum eius gloriosum, fit vi propria rediuiuus, clauso sepulchro exilit foras, abducit ab inferis captiuorum turbam ingentem, testem deuictæ mortis, & triumphati principis tenebrarum. Num maior aliqua quærenda probatio solertiæ Amoris Ingeniosi, in coniungenda infirmitate cum virtute, ad diuinam fidem, & Christianam summissionem, suíque contemptum validè solidandum?

VII. *Ipsámque mortem.*

CAPVT XIII.

Duo alia eximia Ingeniosi Christi Domini Amoris inuenta.

I. *Homo bonũ appetit, sed sibi.* QVOD ad prius inuentum attinet, minimè controuersum est desideria cordis nostri in bonum ferri, siue illud sit reuera bonum, siue bonum iudicetur ab eo, qui illud appetit. Appetit autem non vniuersè dumtaxat, vt bonum est, sed vt bonum eius est. Ille amor beneuolentiæ est, iste cupiditatis, qui toti pene mundo dominatur. Placet sibi quisque in conspectu pulcherrimi adamantis, egregiæ imaginis, aut domus, sed quisque malit possessione quàm conspectu frui. Amat quisque felicitatem, sed illam propriam esse cupit ac suam. Benè moratum ac liberaliter institutum diligis adolescentem; sed multo erit amor ille vehementior, si te is affinitate proximè aut consanguinitate contingat. *Christus fecit vt bona sua nostra fierent.* Quid ergo fecit ingeniosus ille Amator? Operam dedit vt omnia ipsius bona, nostra fierent, rationémque excogitauit, qua omnes eius spiritales opes ac copiæ, quas sacrosancta eius humanitas multo sibi labore collegerat, instituendis in Ecclesia sua sacramentorum thesauris, in vnumquemque transfunderentur, vt illis permodico suo labore ditesceret, ac frueretur vt suis.

II. *Id declaratur & probatur.* Ioan. 17, 19. Hoc nimirum est quod Seruator ipse profitebatur apud patrem, in ea oratione, quam fudit cùm adiret ad mortem. *Et ego pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Acquiro scilicet abundantes meritorum copias, quibus quisq; verissima sanctitate afficiatur. Eáque dilectissimi Filij voluntate ac petitione nititur, ius omne mortaliũ postulandi à Patre, quidquid ad eorũ perfectionem pertinet, ac sanctitatem. Omnia quippe merita sua profudit in suos, nec sibi tot tantisque sudoribus suis quidquam gratiæ acquisiuit, aut gloriæ, præter Phil. 2. 9. gloriam sanctissimi nominis sui; iuxta illud Apostoli, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Omnis itaque illius animi demissio, ac paupertas, omnes animi corporísque contentiones, mortifera illa tristitia, tædium, pauor, illa cordis desolatio, illa paterna derelictio, 1. Cor. 3. 23. illa patientia & obedientia, ab ipso stabulo, ad probrosissimum vsque III. *Christiani in Christo diuites facti.* patibulum crucis, *omnia vestra sunt*, totus quippe vestros expensas in vsus, *Vos autem Christi, Christus autem Dei*, vt dicebat Apostolus.

1. Cor. 1. 5. Itaque cum eodem gratiæ nobis agendæ sunt Deo, quod in omnibus diuites facti sumus in illo, non ad eum modum, quo qui multis annis

mercaturam multo cum labore exercuerunt, sed quo qui thesaurum ingentem terra obrutum vna hora casu reperit, aut copiosæ hæreditati successit. Permodicum enim opus, puta calix aquæ frigidæ, eius nomine ab homine illi grato sitienti pauperi datæ, mirabiles illi thesauros ingerit, & incrementa iuris ad hæreditatem cælestem. *Scitis*, ait idem Apostolus, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Ille laborem hausit, nos sine puluere & sudore alieni laboris emolumenta percipimus: medicam ille potionem hausit, & sanguineo sudore manauit, nos sanitati restituti sumus; ille bellorum tempestate iactatus est, nos serenitatem pacis consecuti sumus: *disciplina* enim *pacis nostræ super eum.* Ille obæratorum nomina dissoluit, & vincti restituti sunt libertati. Prædicemus itaque tam misericors Seruatoris inuentum, qui vt se amabilem redderet, tam ingeniosus fuit, vt ipsum, eiúsque bona diligendo, nos, nostráque emolumenta diligeremus.

Matt. 10. 42

2. Cor. 8. 9.

Isa. 53.

IV. *Vt difficilia crederentur, & amarentur aspera.*

Sequitur alterum ingeniosi huius amoris inuentum. Cùm tempus adesset Euangelicæ doctrinæ mundo enunciandæ, quàm satis constabat cum carnis & sensuum voluptate pugnare, in qua mortales demersi iacebant, quid obsecro excogitauit, aut quàm reperit eluctandæ difficultatis, & expediendæ inuentionis suæ viam? Ardua erat dilectio inimicorum, gestatio crucis, propriarum cupiditatum domitus, præsentium bonorum contemptio, expectatio futurorum. Ardua quoque erat fides vnius in personarum trinitate diuinitatis. Arduæ quoque vnius diuinæ personæ in carne mortali perpessiones, incredibilis virginitas illius, quæ filium edidisset, qui simul homo esset & Deus, qui simul infinita fœlicitate frueretur, & mortifero mœrore obrueretur, qui eodem tempore ignominiosæ suffixus cruci extremos spiritus emitteret, & cœlo terræque dominaretur. Quid ergo excogitauit, vt res ab humano iudicio vsque adeo discrepantes fidem facerent, & voluntati accepta essent, quæ sensibus tantoperè repugnabant?

V. *Quas inierit vias.*

Adhibuit primò vitæ sanctitatem, quæ isti doctrinæ planè consentanea foret, illique præcurreret. *Cœpit* enim *Iesus facere & docere, vt qui vir propheta esset potens opere, & sermone.* Deinde ingenti prodigiorum multitudine doctrinæ suæ veritatem firmauit, & quidem prodigiis, quæ simul miracula forent, & beneficia: qualia erant illuminationes cœcorum, excitationes mortuorum, expulsio infestorum dæmonum, leprosorum curatio, visus ac locutionis restitutio: vt miraculo vinceretur humanum iudicium, & voluntas beneficio vinciretur. Tertio interiore gratiæ balsamo naturæ roborabat infirmitatem, curabátque vulnera, vt ferendæ cruci, quamuis acerbæ, par esset, & iugum legis eius, quod ipsemet altera ex parte sustentaret: leue redderet, & rerum aduersarum amarorem, quasi infuso melle demulceret. Cùm ergo hisce artibus diuina sapientia vteretur, vtique se hominum amantem ostendebat, & eorum

Act. 1. 1.
Luc. 24. 19.
1.
2.
3.

sibi conciliabat amorem, simúlque fieri posse ac credi debere docebat, quidquid aut virtus exigebat, aut fides.

VI. *Et quanto cum fructu.* Hæc diuina inuenta innumerabilem Martyrum multitudinem pepererunt, nec pauciores confessores, qui mundi deliciis religiosam vitam antetulerunt: qui non contenti Euangelicæ legis exequi præcepta, ad sublimiora collimantes, incredibili animi fortitudine consilia euangelica maturè complexi, ea constanter ad vltimam vitæ periodum retinuerunt. Hæ artes fidem vbique gentium proseminarunt, & philosophorũ & sapientum mundi huius captiones ac sophismata, vt aranearum telas dissiparunt, vim tyrannorum infregerunt, spem eorum irritam reddiderunt, extinxere flammas, retudere gladios: imò, quod est admirabilius, Deus Christianam fidem doctrinámque roborabat, illis ipsis rationibus, quibus sæuissimi principes eam se extinguere posse confidebant. Terra enim martyrum sanguine irrigata centuplum quotidie proferebat. Qui ergo mortales tam sapienter allexit ad sese, & apud se retinuit, maximo eorum bono, num repulsam pati debet in eo amore, quem requirit ab ipsis, cùm eum tãta industria quæsiuerit, tótque beneficiis promeritus sit?

Tertul.

CAPVT XIV.

Ingeniosus Christi Domini Amor in sacrosancta Eucharistia; & primùm ratione affectatæ similitudinis.

I. *Deus fecit epitomẽ mirabiliũ suorum in ortu rerum.* SI Domini ac magistri nostri amor solertem sese ostendit initio, progressúque vitæ, non minùs se ingeniosum in extrema vita probauit: in eámque sententiam accipi possunt illa verba Ioannis, *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, quando, vt ait regius ille Psaltes, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Et quemadmodum in exortu rerum, cùm Deus eam molitionem absolueret, hominem fabricatus est epitomen diuinorum operum, mundum mole exiguum, perfectione maximum: ita in eiusdem instauratione, & sub eius finem epitomam fecit in sacrosancta Eucharistia mirabilis potentiæ suæ, sapientiæ, bonitatis. Dicamus nunc aliquid de iis, quæ ad amabilem eius mysterij sapientiam pertinent, Fratres mei deinceps, quæ ad potentiam ac bonitatem spectant, illustrabunt.

Ioan. 13. 1. Psal. 110. 4.

Et in Eucharistia.

II. *Primum sapientiæ inuentum ex similitudine.* Principio itaque cùm probè nosset amantissima ista sapientia, beneuolentiæ, vt supra dicebamus, conciliatricem esse similitudinem, adeo vt vnam in rem similia pene confluant, candida in ratione candoris, & calida caloris vnum quid fiant, bona item maláve in malitia vel bonitate. Et vice versa, quo maior est rerum, aut personarum dissimilitudo, quo minus inter se moribus aut lingua, doctrina vel religione con-

gruunt, hoc ægrius quoque inter se diligunt, aut in eandem sententiam voluntatémque conspirant. Cùm ergo videret Deus infinitatem atque immensitatem suam, longissimo interuallo à nostra humilitate, ac paruitate distare, similis nobis in hoc sacramento fieri voluit, sed ratione mirabili. Qui enim in principio erat Verbum, in tempore factus est caro, *& habitu inuentus vt homo.* Nec eo contentus, qui *amictus est lumine sicut vestimento*, albo rubróque amictu induit se, iuxta illud Sponsæ, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

Deus similis nobis factus.
Ioan. 1.
Phil. 2. 7.
Psal. 103. 2.
Cant. 5. 10.

Dei propria est magnitudo, in eámque titulis optimi maximíque nomen frequentissimum est, ipse quoque apud Ieremiam, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Et Dauid, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Et Esaias, *Hæc dicit Dominus. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Contra verò propria est hominis paruitas, nihil enim minus aut abiectius est puluere, ex quo ille coaluit; neque enim assurgit humo, vt lapis, aut planta. *Recordatus est*, ait Dauid, *quoniam puluis sumus.* Deus igitur vt se nobis similem redderet, non contentus ea humilitate, qua in vtero virginali *exinaniuit semetipsum*, tam paruum se in hocce mysterio exhibuit, vt mica panis, aut vini guttula, Christus totus, corpore, sanguine, animo, diuinitate, quantus quantus est contineatur. Videte mortales vt demissioni animi, quo ipsius ducimini conditione naturæ, studere par sit, in gratiam eius, qui cùm sit & natura & gratia maximus, tam paruum se reddidit in gratiam vestri. Videte num vos magnificè circunspicere debeatis, & quasi cœlum vertice tacturos erigere, quod plane est dissimilem se illi efficere, qui, vt vobis similis esset, vsque adeo studuit humilitati, vt ea cœlum & terram admiratione compleuerit.

III.
Nonobstante magnitudine sua, & paruitate nostra.
Ca. 23. 24.
Psal. 144. 3.
Ca. 66. 1.
Psal. 102. 15.
Phil. 2. 7.

Dei propria est potentia, & quidem ea potentia cui cuncta subiacent, vt quotidie profitemur, cui nihil vel in terra possit, vel in cœlo resistere; Homo contrà est ipsa infirmitas, atque imbecillitas, adeo vt eum Iobus folio, quod vento rapitur, & stipulæ aranti comparare non dubitet. *Contra folium*, inquit, *quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Vide ergo miraculum; vide Deum ac Dominum tuum factum in Eucharistia, quasi arboris folium, quod modicus venti flatus asportat; vides vt nullum sponte sua motum edat, nullum tantæ potentiæ argumentum, nisi fortè ad hæreticorum, cæterorúmque infidelium peruicaciam retundendam, &t catholicam fidem magis magísque firmandam.

IV.
Potentia sua & infirmitate hominum.
Ca. 13. 25.

Huic diuinæ potentiæ agnata est fortitudo, iuxta illud Dauidicum, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*; & rursum, *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Ipse est Dominus exercituum, atque virtutum, cui ad nutum omnes Angelorum legiones obsequuntur. Hominis autem propria est ac natiua imbecillitas, nihil eo infirmius,

V.
Fortitudine sua & imbecillitate nostra.
Psal. 23.
Psal. 92.

non vas testaceum, non imago cerea, non lagena vitrea. Exiguum frigus
3. de Orat. pleuritidem affert, & febrim importunus calor, & vtramque mors im-
prouisa consequitur. In cuius rei probationem L. Crassum memorant
Iudith. 8. 3. profanæ literæ, sacræ Manassem Iudithæ coniugem, & puerum quem
4. Reg. 4. 19 Elisæus suscitarat à mortuis, vt quotidianam mittamus experientiam, de
Iob. 14. 2. qua Iobus, *Homo quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra.*
Halitus insalubris, vespertinus aër, humor aliquis hominem morbo tentat, & morte prosternit. Quid ergo fecit Dominus ille fortis ac potens, ad cuius conspectum montes instar ceræ colliquescunt? tam infirmum se in Eucharistia reddidit, vt alterutra specie humore aut siccitate corrupta, ibi subsistere nequat, sed abscedere compellatur. Et quotidie natiuo eas calore consumente, in stomacho esse desinit.

VI. *Immortalitate sua, & corruptibilitate nostra.*

Dei propria est immortalitas, adeo vt dicatur ab Apostolo solus habere immortalitatem, à seipso nimirum, nullo cuiusquam beneficio; Est enim esse quoddam necessarium, à nulla alia re pendens. Nam de cœlis ipsis, qui inter res corpore constantes immortalitatis palmam
1. Tim. 6. 16. ferunt, *Ipsi peribunt*, ait David, *tu autem permanes, & omnes sicut vestimen-*
Psal. 101. 27 *tum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem*
ca. 14. 1. *idem ipse es, & anni tui non deficient.* De homine verò ait Iobus, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Perbreuis quoque mora est Seruatoris, in illis huius sacramẽti typis, qui cùm facilè consumantur, reuolat ipse ad patrem. *Nónne sicut lac mulsisti me*, aiebat Iobus ipse de se, *& sicut caseum me coagulasti?* Id cùm de materia dicatur de qua factus est homo, nónne idem de pane, de quo fit Christi corpus dici potest? Candida enim farinula aquæ mixta lacti similis est, & duas inter ferri tabulas excocta solidatur, & coagulatur vt caseus.

VII. *Conclusio.*

O inæstimabile miraculum! ô prodigium ingeniosi amoris, vt Deus infinitæ potentiæ & maiestatis, solus fortitudine, & immortalitate præstans, suo illum in homunculos amore inuitante, ita sui oblitus esse videatur, vt mortalibus & caducis, vt paruulis & infirmis similem se reddiderit; & nunc, quamuis extra conditionem patiendi moriendíque positus, mortalem tamen se quodammodo, patibilémque fecerit. Quid dicemus de te, ô sapientia æterna, ô bonitas infinita? Nónne videri potes imitari stultos amatores, qui etiam vitia imitantur eorum, quos amore atque honore prosequuntur, vt de Platonis, & Aristotelis sectatoribus legimus, quibus amicorum sordes mundæ sunt, pulchræ maculæ,
1. Cor. 9. 19. quos *delectat polypus Agnæ.* Nisi id potiùs ambiebas, vt omnibus omnia
&c. factus, vt magnus ille Apostolus & imitator tuus, omnes lucrareris. Quomodo non imitabimur te in diuinis moribus tuis, ob amorem tui, quando tu ob amorem hominis imitari non dubitasti miserias eius? Quomodo insignia tua seruis tuis pudorem afferent, cùm tu eorum infirmitate circunuestiri non recusaris?

CAPVT XV.

Alterum diuini amoris inuentum in Eucharistia ratione coniunctionis.

TRANSEO ad alterum inuentum in hoc mysterio absconditum. I.
Vnus de præcipuis amoris effectis, est vnio rei diligẽtis cum dilecta, *Deus coniunctionem suam quæsiuit cum omnibus.*
Itaque filius Dei cùm singularem illam personæ Verbi cum humanitate compositionem fecisset, in vniuersæ naturæ humanæ salutem & nobilitatem, eáque coniunctio in vnico naturæ humanæ indiuiduo consisteret, nec pateret latius, maius aliquid efficere aggressus est. Cùm tamen cerneret non conuenire, vt personam diuinam singulis hominibus copularet, admirabile, planéque diuinum excogitauit inuentum, quod nunquam in hominum mentem, vel angelorum incurrere potuisset, vt se videlicet, sub cibi potúsque specie occultatum, hominum corporibus animisque immitteret; eóque modo illis coniungeret, quo igni in fornace ferrum, quo cera liquida alteri infusa copulatur, quo fermentum reliquæ massæ immiscetur, vt antiqui Patres hanc coniunctionem interpretantur. Quæ res tam mirabilis est, omnem vt admirationem exhaurire possit. Sicque ô sapientissime amator, quod sequebaris assecutus es, vt animas amore tuo saucias quàm arctissimè, ac suauissimè cõplecterere.

Sed quare, inquã, sub eas se species abdidit, sub quibus diu durare non II.
posset; cùm amici, diutissimè simul esse cupiant, & à se mutuò diuelli non possint? O insigne, ait Ingeniosus Amor, deliciisq; refertum inuentũ. Cupiebat nimirũ crebrius hanc iterare coniunctionẽ, vt singulis cum dilecta anima renouãdis amplexibus, nouam reciperet ipse, tribueretq; delectationem. Alioqui non decuisset ἐπιούσιον illum panem quotidie petere, nec quotidianum vocasset, nec toties, támque amanter ad conuiuium suum ille nos inuitasset, nisi singulis vicibus cum spiritali refectione, delectationis fructus iteraretur. Et sicut in corporeo cibo tum demum sensus oblectationis existit, cùm is per palatum & linguam in stomachum transmittitur, non cùm in stomacho residet, ita in sumptione, & traiectu diuini huius cibi, gustus spiritalis percipitur, & gratiæ diuinæ incrementum datur. Eáque causa est cur redire crebrius velit Seruator, & quotidie instaurare conuiuium suum. *Quare sub speciebus cito corruptibilibus se dedit.* Matt. 6. 11.

Magnum tamen est inter viuum hunc & viuificum panem, reliquósq; III.
cibos emortuos discrimen. Nam isti delectationẽ nullam percipiunt, sed ille vnus qui eos comedit. In hoc autem diuino conuiuio, tam conuiua, quàm cibus ipse, qui est Christus Dominus, prædulci suauitate perfunditur; sed ille maiori, qui maiore charitate præditus est. Nec illam omittamus diuinæ sapientiæ in hoc epulo cogitationem, quod cùm eius ar- *Christi cibus percipiendæ voluptatis est capax.*

bitrij esset quemuis cibum eligere, quo indueret sese, vt carnem aliquam, & quidem infrequentem & preciosam, perdices, phasianos, aliáque altilia, aut etiam mel, manna, saccharum, aliósque fructus, panem maluit, tanto vt facilius nobiscum esset, minoréque sumptu reciperetur. Sic & baptismatis sacramentum in aqua instituit, quæ vbique, & sine sumptu reperitur.

CAPVT XVI.

Multi fines diuinæ Sapientiæ in naturæ operibus, præcipuéque in sacra Eucharistia.

I. *Sapiens ad multos simul fines intuetur.*

SEQVITVR tertium diuinæ Sapientiæ inuentum, quod si aliquanto latius explicaro, videor id mihi non sine vtilitate facturus. Proprium est sapientis vnam eandémque rem multis vsibus finibúsque destinare: vno verbi causa munere officióve plures sibi amicos comparare, vna pacificatione varias querelas extinguere. Philosophi quoque passim aiunt frustra multa media ad aliquem finem adhiberi, ad quem paucioribus perueniri potest. Hoc autem Deo vel maximè conuenit, qui vniuersalis causa est, quam par est effectus amplissimos producere, latissiméque patentes, nec eos absque necessitate multiplicare. Itaque in suis tam naturæ quàm gratiæ operibus, ita rem vnam ad finem aliquem primarium retulit, vt ad multos quoque alios multa cum vtilitate, & concinnitate referri posset. Placet eam rem exemplis aliquot illustrare.

Sicut & diuina Sapiētia.

II. *Varij fines oculorum.* vide Annal. Eccl a. 1. die 6. n. 26.

Quem ad finem Deus oculos in facie hominis collocauit? Nimirum vt iis ducibus cibum sibi quæreret, & ad omnem progressionem & motum vteretur, necubi offenderet, rueret, inquinaretur. Loco excelso collocauit, vt si malum aliquod ingrueret, citò atque à longè id agnoscere posset, atque auertere, ideóque in capite quasi in suprema domo excubitores & vigiles constituti sunt. Sed vltra primarium hunc finem dati sunt hominibus oculi in ornamentum faciei, quod ex oculis maximè pendere docet insignis illa differentia decoris, quæ cæcos inter oculatósque reperitur, quorum imam frontem insignes illi duo preciosi lapides, viui, mobiles, coruscantes exornant, tam composito & adæquato vterque motu, figura tam nobili, colore tam grato, ac vario, tam pelliciente venustate, tanta totius operis perfectione, támque amabili, nihil vt pulchrius toto hoc mundo aspectabili reperiri possit. Habent enim oculi in humana facie pulchritudinis principatum, facies in homine, homo in reliquo orbe terrarum. Supplent & linguæ defectum oculi, si quis aut loqui non possit, aut intelligi quid loquatur. Et cùm vultus totus animi motus affectúsque prodat, illa vis maximè sita est in oculis, qui in tristibus lugent, in lætis hilarescunt, inflammantur in ira, in liuore pallescunt.

Sume plantam aliquam exiguam, puta rosam, lilium, aliúmve florem, aut herbam, quam multis rebus est vsui? eius color & figura, quæ admirabilem, atque infinitam penè varietatem admittit, sensui blanditur oculorum, sapor gustatui, odor naribus famulatur, substantia ipsa nutritioni, & variæ proprietates fouendæ aut recuperandæ sanitati seruiunt. Vt sileatur interim finis ille generalis, excitandi homines ad diuinas supremi artificis perfectiones agnoscendas, ad admirandam ingeniosam eius sapientiam, gratissimóque amore complectendam eius erga se bonitatem, in quorum gratiam tantam optimarum ac pulcherrimarum plantarum syluam, illius imperio terra profuderit, quotidiéque profundat: quibus insuper ingenia nobilia, & sciendi auida vtiliter exercentur, eruendis arcanis proprietatibus, quas earum sator à principio in illis abdidit, *mundum* enim, vt ait Sapiens, *tradidit disputationi eorum.*

III. Et planta vnius puta floris, aut herba.

Eccl. 3. 11.

Coniiciamus oculos in vnam aliquam arborem, quæ radicibus, trunco, ramis, foliis, fructibúsque constat, quarum rerum singulæ ad diuersos referuntur vsus. Radices humi varios sparguntur in ramos, mediúmque truncum in orbem obeunt, partim ad natiuum eius pondus, & vim ventorum irruentium sustentandam, partim ad maiorem terreni succi copiam, ad suam totiúsque arboris nutritionem, exsugendam. Truncus assurgit à terra, ne fructus humi iaceant, ibique vel conculcentur ab hominibus, aut deuorentur à bestiis, aut sua sponte computrescant. Nec tamen minus est vsui marinis terrenisque ædificiis, & innumerabili vtrorumque supellectili: tot pontibus, tot curribus, tot belli, pacísque machinis: adde nutrimentum flammarum, & confectionem omnium, ad quæ ignis est necessarius. Rami longè latéque funduntur, ad fructuum circunquaque nascentium copiam & commoditatem, qui super truncum incommodè densarentur, in ramis autem commodiore sole, vmbra, ventísque fruuntur ac pluuiis. Adde lignorum copiam ad domesticos vsus. Quid quod instar tecti sunt omnibus terræ animantibus, vt à plerisque cœli iniuriis protegantur? Quid quod terram contra æstiuos cœli ardores inumbrant; & vltro latronibus ad patibula famulantur?

IV. Aut arboris alicuius, eiúsque partium singularum, radicum, trunci,

ramorum,

Folia à nimio caloris æstu, & impetu pluuiarum fructus protegunt, grandinis ictus excipiunt, atque infringunt, & vt fructus seruent incolumes, vltro se ventis, ac tempestatibus obiiciunt. Nec minus tamen tam arborem ipsam, quàm vniuersum agrum exornant: quod apertè docet, hyemis cum vere atque æstate comparatio. Deinde abeunte autumno & superueniente frigore, folia quæ ramos texerant, terram vestiunt, fouent, fertilémque reddunt. Denique fructus in vitam hominum, mutorúmque animantium vsurpantur, maximéque homini seruiunt, vt dicebam, cuius sensus omnes iucundissimè afficiunt, suáque vi, ac virtute, variis eius malis, ægrotationibúsque medentur. Sed ne longiores trahamus in naturæ contemplatione moras, par est nos ista ad nostrum institutum transferre philosophantes.

V. Foliorum, & fructuũ.

Si enim in exigua aliqua planta, si in flore, si in arbore tantam Deus ostendit sapientiam, tam multísque finibus vnica opera prouidit, quid illum fecisse putemus circa hanc vitæ arborem, in medio Ecclesiæ suæ paradiso plantatam, in illo empyrei cœli imperiali flore, in illa exquisitissima planta ex terra viuentium? Quàm multis rebus vtilis est diuinus hic cibus? tam aptè, támque congruè, perinde ac si ad singulos tantùm vsus, ac fines esset institutus.

VI. 1. *Diuersi Eucharistiæ fines.* Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. 25. Voluit Christus Dominus eius institutor sacram Eucharistiam esse monimentum sanctissimæ mortis ac cruciatuum suorum, vtque cruentum ipsius sacrificium non cruento repræsentaretur, ac renouaretur: idque apertè significauit illa vox ad discipulos suos, *Hoc facite in meam commemorationem*; ne scilicet vos vlla vnquam mei, aut redemptionis vestræ capiat obliuio. Voluit quoq; aspectabilis manere cum suis, quamuis solitam vitæ consuetudinem illis subtraheret, vt simul fidem eorum
2. exerceret, & quod canit Ecclesia, dum visibiliter Deum cognoscimus, per eum in amorem inuisibilium raperemur, sicque rationem excogitauit & viam, qua quamuis tectus, nobiscum tamen vsque ad consummationem seculi, non diuinitate solum adesset, sed animo quoque & corpore, & vtroque beato & immortali. Voluit etiam in fine vitæ, vt antè di-
3. ximus, epitomen edere omnium mirabilium suorum, quod non potuit excellentius, quàm mirabili hoc sacramento perficere.

VII. 4. *Alij quoque fines.* Voluit filiis suis, quamuis infirmis atque mortalibus, instaurandæ vitæ, viriumque animi pharmacum, in Ecclesiæ suæ promptuariis, relinquere: vt immoto vestigio, in lucta aduersus propensiones vitiosas, carnis quoque mundi & dæmonum petitiones, & insultus consistere valerent, & victoriam obtinere; alioqui id eis contingit, quod de se regius ille vates
Psal. 101. 5. prædicabat. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum*
Ioan. 6. 33. *comedere panem meum.* Quem obsecro panem, nisi eum de quo Serua-
51. 53. tor ipse, *Panis Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* & iterum, *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Et, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,*
5. *& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Voluit præterea Ecclesiæ suæ relinquere dignissimum acceptissimúmque sacrificium, quo Dei maiestas infinita pro meritis honorari posset; viuis mortuisque auxilium, satisfactio, libertas, felicitas impetrari.

VIII. 6. *Reliqui eiusdẽ fines.* Voluit moriens filiis suis testamento relinquere thesaurum, quo possent obtinere à Deo quidquid liberet, *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Quidni dabit? neque enim gratis dabit, sed vicissim accipiet, quod longè pluris est quàm quæcumque postulatis; ipsum scilicet filium gloriosa humanitate conuestitum: sic videlicet Christi nomen pro ipso Christo sumitur, sicut sanctum & terribile nomen Dei dicitur, pro
7. Deo ipso sancto atq; terribili. Voluit esse viaticũ abeuntibus ex hac vita, vt eis præsidio esset in grauissimo illo maximéque periculoso certamine.

Voluit esse cõsolatio superstitum, qui eius familiaritate & deliciosissima vitæ cõsuetudine frui possunt. Voluit afflictis asylum esse, atq; perfugiũ, 9.
cùm reuocant ei in memoriam mitissimã illam inuitantis ad se vocem,
Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Voluit 10.
eis esse fons inexhaustus omnium gratiarum. Voluit deniq; esse certissi- 11.
mum pignus æternæ vitæ. Eius enim est illa oratio, *Qui manducat meam* Ioan. 6. 55.
carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, in spe scilicet, præsenti pignore firmata: *& ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

CAPVT XVII.

Alia quadam inuenta Sapientiæ, in Eucharistia vsurpata.

I. *Sapiens res suas à longè disponit.*

SAPIENTIS esse omnes sentiunt nihil in negotiis suis raptim & turbulentè agere, sed rem totam longè antè prospicere, paulatímque, vt res tempúsque tulerit, promouere, tandémque perducere ad optatum finem. Itaque contingit nonnumquam vt res antè perfecta sit, quàm posset vulgus inchoatam suspirari. Prudens architectus, qui insigne aliquod opus animo versat, materiam omnem paulatim, & quasi aliud agens colligit, & rem benè meditatam multis committit artificibus, qui singulos lapides & ligna ad præscriptam normam figurent: quibus in opus diligenter incumbentibus breui tempore existit insigne palatium, quod propemodum integrum è terra eductum esse videatur. Ita videtur diuina sapientia sensim sine sensu præparasse omnia, quæ ad hoc cœleste conuiuium pertinebant, séque ipsum & homines ad illud à longè disposuisse; se quidem admirabili susceptæ carnis mysterio, mundum autem figuris ac vaticiniis. Inde cùm adesset præsens, geminato productionis panum miraculo, mutatione aquæ in vinum; prædictione quoque ac promissione eiusdem conuiuij, cùm diceret, *Panis quem ego* Ioan. 6. 52.
dabo, caro mea est pro mundi vita. Postremò in vltima cœna id sacramentum instituit; túmque intellectũ est, quò illa omnia pertinerent, quámque verè dictum esset de Sapientia, eam *attingere à fine vsque ad finem* Sap. 8. 1.
fortiter, & disponere omnia suauiter.

II. *Et se rebus accommodat*

Dicunt sapientes, quam quæque res ansam dederit, eam prudenti arripiendam esse: nihil item inuita minerua faciendum esse. Itaque prudens pater familias, qui vim inferre non vult naturæ, & propensioni natiuæ liberorum suorum, sed ei potiùs, quantum ratio postulat, accommodare se cupit, ea propensione cautè solertérque obseruata, vitæ rationem illi consentaneam præparat, séque tacitus ad illius captum, gustúmque attemperat. Medicus quoque agnito morbo, & genio, & cupiditatibus ægrotantis, eis quantum licet operam suam studiúmque accommodat, vt eum restituat sanitati. Vidit Deus hominem, à primæua

Psal. 48. 13. 21. illa calamitate, comparatum iumentis insipientibus, & illis similem factum esse; & cum illis inclinatione mirabili, cibi, potus, carnísque cupiditate flagrare, nobilissimo inuento, planéque prodigioso, carnem induit factus homo, eámque deinde in cibum potúmque conuertit, vt carnem carnis ope curaret, & cum cibo & potu, gulæ & ebrietati remedium afferret; sicut cum scorpij sanguine vulnus ab eo impositum curatur.

III. *Christus se præsentem exhibet ad amici nutũ.* Luc. 22. 1. Cor. 11. 25. Addamus postremò amantissimum honoratissimúmque inuentum Seruatoris illo contentum elogio, *Hoc facite in meam commemorationem.* Id enim fuit dare potestatem hominibus, cum pauculis verbis sibi præsentem constituere *quotiescunque* libuisset, suam enim liberalitatem nullis aut temporis, aut loci finibus circunscripsit, sed tanti mysterij confectionem voluit esse arbitrij sacerdotalis; omnem autem ceremoniarum modum, atque peristases voluit esse constitutionis Ecclesiæ suæ, quam veritatis magister & doctor Spiritus sanctus summa fide ac beneuolentia gubernaret. Certum nihilominùs est sacerdotem acceptum panem posse quouis loco, ac tempore, ac quantauis quantitate consecrare, sibíque præsentem efficere. O potestatem inauditam! O inuentionem dignam Deo! Quis amicus non se prædicaret mirum in modum beatum, qui certa verborum formula, posset amicum suum ad se transferre, quantauis terrarum ac marium longinquitate disiunctum?

CAPVT XVIII.

Mira quædam amantißimi Seruatoris inuenta, in conuersionem peccatorum, & gratiam amicorum suorum.

I. *Amoris solertia late patet.* CONICIAM huc alia quædam exempla, diuinarum inuentionum, etsi pleraque illorum ad alia quoque capita referri possint. Diuinus enim Amor Ingeniosus & solers abundat inuentis, quibus nunc dulcedinem suam, nunc liberalitatem prodat, hîc in aggrediendo fortitudinem, illîc in tolerando patientiam; hoc loco zelum suum, illo vigilantiam: hac se in causa comem ostendat, in illa placabilem: hoc tempore officiosum, illo actuosum, atq; ita de cæteris aut amoris proprietatibus, aut filiis Charitatis, vnde consequens est vt ad eos reuocentur fines. Placet tamen huc nonnulla exempla referre, ne vacuum relinquamus hunc locum, qui meritò seorsim explicari potest.

II. *Christi inuentum ad curandum Episcopi tenacis animũ* l. 6. c. 5. n. 9. Recitauimus supra inuentum sanctissimi Patriarchæ Ioannis eleemosynarij in curanda febri Troili Episcopi, hominis minùs aduersus pauperes liberalis, quàm præsulem deceret locupletem. Potuit illa inuentio febrim ex corpore exigere, ex animo non potuit, qui perseuerabat æger à cupiditate pecuniæ, & amore terrenorum; ex quo alia id genus

ſymptomata poterant ex occaſione proficiſci. At Dominus rationem excogitauit, qua laborantem animum Troili funditus curauit, & pulſa auaritiæ febri, eximium amorem beneficentiæ in pauperes, & liberalitatis infudit. Cùm enim Patriarcha Troilo libras auri triginta reddidiſſet, acceptilationem quoque in hæc verba ab eo accepit. Domine Deus reſtitue ſi placet domino meo Ioanni Patriarchæ, mercedem triginta librarum auri, quæ tibi in perſona pauperum donatæ ſunt, meas enim ego recepi, mihíque à domino Patriarcha cumulatè ſatisfactum eſt.

Accepta hac apocha Patriarcha Epiſcopum ſecum ad prandium in Patriarchium deduxit, aurum enim hominem integræ reſtituerat ſanitati. Prandetur, ſublatiſque menſis Troilus vrgente ſomno obdormiſcit, vidétque ſpeciem quandam mercedis quam amiſerat. Obiicitur enim mentis ipſius oculis regium quoddam palatium, magnitudinis ac magnificentiæ ſingularis, cuius aureum erat propylæum, cum toto columnarum, epiſtilij, zophori, & coronidis apparatu. In zophoro autem ſcriptum erat Manſio æterna, & requies Epiſcopi Troili. Hæc cùm ille ſingulari cum voluptate legeret, ſuperuenit quidam à Deo nuncius, qui iubet eam ſcripturam induci, & hanc eius loco ſubſtitui. Requies, & æterna manſio Ioannis Archiepiſcopi Alexandrini, empta triginta auri libris. Quæ cùm legiſſet, euigilauit illico, ſupérque iactura ſua ingemiſcens, viſum ſuum Patriarchæ recitat, ſimúlque diuinitus à morbo auaritiæ ſanatus, euaſit in virum benignitate in pauperes ſingulari. III. *Ex eodem exemplo.*

Recitauit aliquando idem Patriarcha, vt in eius vita Leontius Epiſcopus fideliter ſcripſit, quòd olim Petro Trapezitæ contigerat, quoque modo diuinitus à ſua in pauperes inhumanitate fuerat curatus. Erat enim vſque adeò humanitatis inops & inurbanus, nullum vt obolum vnquam pauperibus largiretur, ſed eos à ſe potiùs cum conuitio longiùs amandaret. Contigit autem aliquando vnum de mendicis ſponſione certare cum ſociis, fore vt à Petro eleemoſynam extorqueret. Adit ergo Trapezitam ſubeũtem domum, & ſolito importunius vrget hominem, ſibi vt aliquid ſtipis largiatur. Ille non ſolùm à ſe reiicit cum ira mendicum, ſed lapidem etiam quæritat, quam in caput eius intorqueat. Contigit autem caſu aſinum eius onuſtum panibus in ædes intrare, ergo cùm lapidem non haberet ad manum, panem arripuit, quem contorſit in pauperem, quem hic duplici de cauſa lætus, quaſi de ore lupi raptum abſtulit, abiítque victor ad ſuos. IV. *Eiuſdem enarratio Petri Trapezitæ.* Neapolis in Cypro Epiſc.

Biduo poſt incidit Petrus in morbum grauiſſimum, adeò vt breui ad extrema ventum fuerit. Vidit autẽ tunc anteactæ à ſe vitæ opera in trutina coram Iudice ponderari, & alteram lancium à quibuſdam Mauris confertim oppleri, & malis operibus exaggerari. Altera vacua erat, nec habebant Angeli, quid in eam ad æquilibritatem coniicerent, Cùm Angelus nec ſine pudore panẽ impoſuit, quem ille ex ira in pauperem proiecerat; cúmque facta eſſet æqualitas, dicunt ei Angeli, vade & adde V. *Per viſum diuini Iudicij.*

alia opera ad hunc panem, alioqui in manus istorum maurorum incides. Hîc ille euigilans agnoscit insignem Dei erga se misericordiam, mitissimámque prouidentiam, & mutatus in virum alterum tam liberalis euasit, vt non contentus sua omnia profudisse pauperibus, seipsum etiam in mancipium vendiderit, & venditionis pretium egentibus iusserit erogari, vt alio quoque loco diximus.

VI. *Conuersio Ethnici Christo fœnerantis. c.185.* Scribit in prato spiritali Sophronius iucundissimum miraculum factum à Deo in gratiam mulieris Christianæ, ad conuersionem mariti eius, tunc ethnici. Qui cùm tenui in re ambo essent, persuasit marito mulier vt pecuniolam suam Deo Christianorum, per manus pauperum, fœnori daret, qui centenis nummis singulos remetiretur. Id cùm factum esset, trésque inde menses abiissent, vir vrgente penuria, optabat aliquem vsuræ fructum degustare. Ergo ei autor est mulier vt se in templum Christianorum conferat; paret ille, in eóque nummum aureum fortè reperit, quo panem, vinum, & piscem emit, sed in pisce purgando mulier lapillum preciosissimum reperit, viróque ostendit. Eius pretium cùm neuter sciret, vir gemmarum propolam adit, & venalem proponit. Mercator lapidem inspectat, miratur, postulat quanti indicetur. Tum homo antiquæ probitatis, Domine mi quanti tu eum emere cupis? Mercator videns venditorem ignarum mercis suæ, offert ei quinque nummos aureos. Itáne verò, inquit ille, quinque nummis aureis gemmam æstimas? & loquebatur hilarior, vt cum ironia loqui à mercatore putaretur. Ergo pretium geminat, ille minimè malus tacet. Quòd videns mercator putat eum non ex admiratione & ignorantia, sed ex contemptu oblati precij tacere. Itaque quinquaginta illi nummos offert aureos, serióque se agere contestatur, eámque summam, si acquiescit, ait illico numeraturum. Tum demum cœpit venditor magnifacere gemmam suam. Quid plura? dum verba vltro citróque commutantur, pretium ad trecentos ascendit aureos, quos præsente pecunia propola persoluit. Inde homo simplex, sed fortunatus domum rectà ad vxorem, quam lætitiæ suæ participem facit. Illa vicissim Dei Christianorum expertam iam viro liberalitatem extollit, cúmque tam munifici principis clientem facit.

VII. *Aliorum inuentorum congeries. Soph. c.179 c.180.* Quid memorem sanctimonialem virginem, quæ cùm ad Iordanis deserta profugisset, vt cuidam iuueni peccandi occasionem adimeret, totos decem & septem annos ex paucis cibariis, quæ cilicio fugiens immiserat, sine vlla diminutione sustentata est, Deo ingeniosè reparante quotidie, quod quotidie absumebatur. Quid Ioannem referam anachoretam, qui cùm in spelunca sua cereum coram imagine sanctissimæ Virginis puerum Iesum in vlnis gestantis, accendisset, eúmque Virgini commendasset, ad religiosa loca peregrinabatur, ex quibus post vnum alterúmve mensem, interdum etiam post quintum aut sextum reuersus, candelam reperiebat accensam, & sine vlla diminutione dies noctésque

ardentem.

ardentem. Quid mulierem Alexandrinam? quam post meretriciũ quæstum, cùm nemo vellet è sacro fonte suscipere, misit Deus Angelos, sub specie virorum augustalium, qui pro ea apud clericos fideiusserunt, sícque baptismum consecuta, mox feliciter obdormiuit in Domino. Quid nubem, quæ religiosi naucleri nauem comitabatur pluens, in summa nauigantium siti, nusquam alibi aquæ gutta effusa?

Quid leonem, quem misit Dominus ad Pœmenem anachoretam, vt eum frigidissimo tempore, tota nocte accubans refoueret, sic vt nudus nullũ sentiret frigus; qui tamen triennio pòst à feris discerptus est, quòd cùm puer esset, peregrinum quendam à canibus dilacerari passus esset. Quàm insignis ac suauis fuit illa cogitatio, quam immisit Deus S. Dorotheæ sub ipsum martyrij tempus, vt iuueni cuidam, cui Theophilo nomen, insultanti, & poma & rosas de horto sponsi sui, ad quem se illa proficisci dicebat, ad se mitti postulanti, se missuram, per frigida anni tempestate promitteret, fidémque suam subitò liberaret? Statim enim à morte obita, pulcherrimus iuuenis Theophilo astitit, qui ei nomine Dorotheæ calathum cum tribus egregiis malis, totidémque rosis obtulit, Hæc, inquit, ad te Dorothea ex hortis sponsi sui; quo ille facto conuersus ad fidem, Christíque martyr effectus est.

VIII. *Circa Pœmenem, & S. Dorotheã.* c. 167.

Addo & diuinæ sapientiæ ac bonitatis inuentum, ad coniugum pudicitiam munerandam, latronémque conuertendum. Negotiator quidam naufragium passus, cùm sua omnia, alienáque perdidisset, saluus euadens Ascalonem venit, vbi à creditoribus in carcerem coniectus est, & bonis omnibus ita spoliatus, vt ne vxoris quidem vestibus parceretur. At mulier viro vitam precario quæritabat, cui cùm ægrè vel panem suppeditare posset, sedebat in carcere gemens cum viro suo. Contigit autem virum magnum adire carcerem, vt egenis & obæratis benignè faceret. Is visa muliere paupercula & perquam liberali facie, eam ad flagitium inuitat, spondens se omnia mariti debita, si annuerit, dissoluturum. Illa autem negat ex Apostolo, se corporis sui habere potestatem, sed virum: qui cùm pudorem vxoris suæ, diuitiis ac libertati antetulisset, retulit illa facinus viro non placere.

IX. *Remunerata piorum coniugum castimonia.* Idem Soph. c. 189.

1. Cor. 7. 4.

Quæ cùm latro quidam, qui eodem carcere detinebatur, audiuisset, intimis commotus est sensibus, eximiæ admiratione virtutis, eísque per fenestram aduocatis, docet se vt sicarium breui ad mortem raptum iri, ipsorum autem continentiæ amore incitatum, eorum paupertati velle, libertatíque consulere. Itaque certum indicat in ciuitate locum, in quo ingentem pecuniæ vim obrutam reperiant, qua eo extincto frui possint. Post paucos dies, fractis iussu Præsidis latroni ceruicibus, mulier indicatum locum sub noctem adit, eóque effosso, magnam auri argentíque vim in olla reperit, qua sublata, paulatim æs alienum omne dissoluit, virum eduxit è carcere, insupérque habuit vnde vitam cum pio coniuge commodè toleraret. Sicque puritatis amans diuina Sapientia piorum

X. *Et latronis cõuersio.*

coniugum continentiam probauit, & copiosè in hac quoque vita, quasi præsente pecunia muneratus est, quando illis pro flagitiosa adulterij mercede thesaurum ingentem reposuit, & eis insuper, quasi auctarium, animam peccatoris concessit, & furta in opus misericordiæ, iustitiæ & satisfactionis commutauit.

CAPVT XIX.

Ingeniosum Amorem Christo viam aperuisse ad patiendum.

I. *Patientia magna amoris illecebra.*

NVLLVS futurus sit disputationis nostræ finis, si omnia Ingeniosi Christi amoris inuēta persequi velim, vnum tamen addam atque alterum, quòd idem Seruator extrema vita maximè patefecit, in quibus tantam sapientiam, bonitatémque demonstrauit, vt in dubio reliquisse videatur amorísne in nos sui, an sapientiæ maiora protulerit argumenta. Non ignorabat ingeniosus ille, atque hominum amans Seruator, rerum acerbarum pro amico tolerantiam potentiorem esse ad conciliandum eius amorem, quam si quis aliis eum officiis, aut liberalitate quapiam demereri conetur; imò in omnibus beneuolentiæ illecebris, potentiorem nullam esse. Itaque mirabilem rationem inuenit patiendi pro amicis suis. At vide, inquam, mi Adolescens, ne dum de Amoris patiētia loqueris, inuadas in alienos fines. Prouideo sanè, inquit Ingeniosus Amor. Aliud enim est Amorem esse in patiendo fortem, aliud solertem esse in excogitandis patiendi viis, quod præsentis est instituti. Illud autem mox explicandum suscipiet hic frater meus: & Fortem Amorem digito demonstrabat.

II. *Christus animo licet beatus, patitur tamen animo, & corpore.*

Dico igitur, inquit, diuinam Sapientiam mirabilem inuenisse rationem patiendi, ad mortales sibi amore copulandos, profectò mirabilem. In cuius enim aut hominis, aut Angeli mentem venire potuisset illam animam, quæ Dei beato conspectu ita fruebatur, vt fidei, aut spei particeps esse nō posset, eam simul infinita quadam tristitia obrui posse, qualem illa verba testantur, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Illam animam, quæ omnes simul Seraphinos gloriæ magnitudine superabat, illo ipso tēpore omnes homines tristitiæ atrocitate superasse; & quæ intimè iuncta erat Deo, sibi nihilominùs derelicta, ac desolata diceret, *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Eadémque corpori affixa esset, quòd dolores cruciatúsque pateretur, cùm tamen corpus beatæ animæ societate sit beatum. O ingeniosum miraculum, eadem vt anima duorum simul contrariorum particeps fieret, quæ infinito pene inter se interuallo distarent, & summa contentione pugnarent. Deus bone quāta fuit ista solertia in salutem mortalium, & in damnum tuum!

CAPVT XX.

Conclusio, & congeries quædam diuinorum inuentorum in salutem hominum.

VT ergo quæ hactenus dicta sunt à nobis colligam in pauca, & cum debita gratiarum actione concludam, gratias, ô æterna Sapientia, quantas maximas capere potest animus meus, ago, atque habeo ingeniosæ Charitati tuæ, à qua tam multa inuenta prodierunt ad hominum tibi amorem conciliandum; perinde ac si amicitia mortalium aliquid esset, quod Dei ipsius studium, contentionémque mereretur, aut aliquod ipsi emolumentũ afferre posset. Non ita, Deus meus, non ita res habet. Profiteor enim, cum sancto famulo tuo Dauide, Deũ meum esse te, *quoniam bonorum meorum non eges.* Tota hæc beneficentia, mera gratia est magnificentissimæ naturæ tuæ, ac regiæ bonitatis, quæ, si fas est ita loqui, ingeniosam reddidit sapientiam tuam. Quomodo igitur non elaborabimus in excogitandis rationibus, & expediendis viis, honoris, famulatúsque tui promouendi, & amoris, quem tu nunc quoque vehementer ambis, atque ingeniosè procuras? I. *Gratiarum actio.* Psal. 15. 2.

O si quis oculum haberet satis perspicacem ad agnoscendas rationes, quibus sæpè vteris ad homines alliciendos ad te, penitúsque pertrahendos, quæ fini, quem intueris, nulla videntur proportione respondere. Vteris valetudine corporum ad animorum ægrotationem depellendam; iactura bonorum caducorum, vt ne incautis æterna depereant. Amici mortem adhibes, aut inimici contumeliam, aut dedecus proprium, ad resarciendam cum Deo amicitiam, ad distrahendam ab illis vitæ communionem, qui salutis nostræ sunt hostes, ad euadendum pudorem ac dedecus, quo in conspectu Dei, omniúmque Sanctorum obruemur, nisi finem aliquando perditæ vitæ imponamus. Educis aliquãdo ex improuiso nunc timorem aliquem, nunc conscientiæ aculeum, nunc desiderium aliquod bonum, puta audiendæ concionis, legendi librum aliquem religiosum, cuius ope redit ad se peccator, virus peccatorum apud sacerdotem deponit, vitæ rationem immutat, euadit in filium Dei. II. *Christus inopportunis viis salutem promouet.*

Venerunt aliquando nonnulli ad sacram concionẽ, vt verbi Dei præconem deriderent, qui præter spem præterque voluntatem animo sauciati resipuerunt. Quidam in religiosa cœnobia sunt ingressi, vt si qua in eis vitia perpetrarentur addiscerent, quæ mox egressi, longè latéque vulgarẽt. Sed Deo rem totam aliter moderante, ac dispensante mutati, III. *Id docetur exemplis.*

veri religiosi facti sunt, & quòd fictè cœperant, syncerè perfecerunt. Ethnici quidam histriones, cùm sanctis Christianæ religionis ceremoniis insultarent, vt Genesius, à Deo repentè mutati, diuinóque splendore illustrati, fortissimi Christi martyres effecti sunt. Sancti Bernardi fratres, & sorores S. Thomæ eos adierant, vt vtrumque à proposito vitæ religiosæ abducerent, vtrique contempta mundi vanitate, ad exercitationem cœlestis vitæ se transtulerunt. Crysta & Callista sorores, tormentorùm metu à fide defecerant, ab eáque Dorotheam germanam abducere conabantur, quæ multo feliciore conatu, ad Christum reductæ, martyrium pro eo pertulerunt.

In vita vtriusque.

IV. *Et Adami aduersus dæmonem.*

Improbissimus humani generis hostis illius se planè victorem credebat, quòd miserum Adamum è nobilissimo innocentiæ statu præcipitasset. At diuina Sapientia ex ea ruina occasionem arripuit hominem ad multò præstantiorem vitæ conditionem excitandi. Inimicus tuus, Christe optime maxime, hominem in carcere detinebat, eum tu perhumaniter inuisisti, & vt inde educeres, acceptis illius vestibus, *habitúque inuentus vt homo*, tuam illi vestem innocentiæ tradidisti, illiúsque loco captus atque occisus es, in certam eius ruinam, qui tantum facinus suscepit imprudens. Nunquam enim superbissimus dæmon tam humilia de filio Dei suspicari potuisset: & quamuis totus sit ex malitia & fraude compositus, nunquam tamen potuit ad diuinæ sapientiæ artem peruenire, quæ constituit, *multiformis proditoris ars vt artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde læserat.* Ne permitte igitur, Sapientissime amator, qui cornua inimici tui, seruorúmque tuorum confregisti, & fraudes irritas reddidisti, vt eos iterum impellat in fraudem, & à tuo abducat amore. Aperi dolos eius, vt & ipse in laqueos suos decidat, & nos intra brachia Ingeniosi Amoris ac misericordiæ tuæ. Amen.

Phil. 2.7.

Sexti Libri finis.



LIBER SEPTIMVS,

De diuini amoris fortitudine, qui & Fortis Amor.

CAPVT I.

Descriptio Fortis Amoris tertij filij Charitatis.



EXPLICATIS iis quæ de diuini amoris ſolertia dicenda videbantur, amice Lector, conſequens eſt vt tertium Charitatis filium & præſentem exhibeamus & loquentem; Eum nos Fortem amorem nuncupamus, poſſumus & Patientem. Eſt enim in aggrediendo magnanimus, nihil vt arduum occurrere poſſit, nihil laborioſum aut aſperum, quod pro dilecto ſuo non ſuſcipiat, non inuadat, atque perrumpat. Eſt etiam tolerantia ſingulari, nulla vt iactura fortunarum, nullæ ærumnæ, corporiſve cruciatus, nullum dedecus aut infamia poſſit illum ab amicitia Dei ſui tantillum abducere. Diuina patris potentia generoſum illum efficit ac potentem, ſicut filij ſapientia Ingenioſum eius fratrem; & Spiritus ſancti bonitas, Dulcem fratrem natu maximum. Neque verò periculum eſt ne fortè ſuccenſeat nobis nobilis hic adoleſcens, quod cùm eum Paulus Apoſtolus inter filios Charitatis primo loco numerarit, *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt*, &c. nos ei tertium locum dederimus. Nulla enim eſt inter virtutes inuidia, vel æmulatio: nec par eſt credere eum, qui Domini ſui patientiam, & Charitatis fortitudinem celebraturus eſt, ea virtute non ſatis inſtructum eſſe. Adde quod Paulus non videtur habuiſſe rationem ordinis, cùm is nihil ad eius inſtitutum intereſſet.

I. Tranſitio ad ſequentẽ diſputationẽ.

1. Cor. 13. 4.

Regius hic adoleſcens, ſi quis eum ab ipſo capite intueatur attentius, denſam habet cæſariem atque criſpantem, & inſtar Nazaræi Samſonis intonſam, ſed corona ex alba ſpina florenti cinctam, quæ renouet memoriam coronæ ſpineæ Seruatoris. Inſcripta enim eſt hoc carmine,

II. Proſopopœia fortis Amoris.

Horrentes capiti tribulos infigit arundo.

Indusio lineo amicitur, sicut & cæteri fratres eius, cui nomen Innocentia: eique laneum habet superpositum colore coccineo, quæ dicitur Constantia. Vultu est virili ac viuido, & colore rubicundo, quasi ex lucta progrederetur, non indecoro puluere sordidus. Tunicam quoque fert laxiorem, cuius pars anterior Christi diuerberationem acu pictam habet, posterior gestationem crucis; illa inscriptum habet hoc elogium,

Verbera deficiunt, non patientis amor.

Hoc autem, *Membra labant, animos aspera nulla domant.*

Fert humero dextro appēsum balteum, cui Resistentiæ gladius inseritur. Manu crucem gestat, cum hoc elogio in spiram circunducto, *fortis vt mors dilectio.*

III. *Esse filium Charitatis.* Filium esse charitatis res ipsa docet, Charitas enim, cognita bonitate, pulchritudine, cæterisque Dei perfectionibus, eum validè complectitur, atque inseparabiliter tenet, & cum sponsa clamitat, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Satis habeo virium ad repellendam vim omnem, quam quis ad eum mihi auferendum inferre moliatur. Cōstitutum est mihi ferre probra & contumelias, adeóque conculcari pedibus, vitámque ipsam prius cum cruciatibus amittere, quàm sponsum mihi dilectum dimittere. Audet & cum Apostolo dicere. Certa sum *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* (Rom. 8. 38.) Id si quis forte hostium attentare audeat, dicet cum poëta quodam, *Audax constituam intrepidos in puluere gressus,*

Brachia contendens; & anhelo pectore densum
Spirabo, densumque premens sudore madentem
Sudans concutiam, primáque à luce sub ipsam
Luctabor noctem; nec habenas ante resoluam,
Aut cæstus, donec nostro madefacta cruore
Ebria terra natet: neque cedam robore morti.

IV. *Quæ ipsius Epigraphe.* Alludit vtique ad hanc suam Epigraphen, *fortis vt mors dilectio.* Mors enim & amor vincunt omnia, ferunt omnia, contemnunt omnia, cuncta separant, congregántque. Mortales aggrediuntur omnia, vt vitam conseruent, & tela mortis effugiant: quibus tamen denique confodiuntur, & cadunt. Omnia quoque aggrediuntur homines, vt quod vehemēter amant aut conseruent, aut consequantur. Quid in diuturno bello, aut obsidione, longinquóve morbo toleratur, ne vitæ aut honoris, ne libertatis aut fortunarum iacturam fieri contingat? Neque amor neque mors sceptra vel diademata reuerentur, non coccum aut purpuram, non pannos aut telas aurei, vel argentei textus, non coronas aut monilia crebro adamante fulgurantia, non præsidiarium militem, aut aheneas turres. Mors separat ab anima corpus, & vtrumque à fortunis, amicis, cognatis, patria; spémque omnem rerum caducarum præscindit. Amor quoq; animam quodāmodo à corpore seiungit, dum efficit vt alibi viuat, quàm in

corpore suo, & vt præter rem amatam dimittat omnia, amittat omnia, omnia largiatur. Scriptum est enim hominem patrem ac matrem derelicturum, vt dilectæ mulieri adhærescat. Mors in terra corpora omnia colligit, redditque sibi similia; bonorum item animas ac malorum congregat, & suis vtrasque locis reponit. Tantundem efficit tam diuinus quàm profanus amor, tam in hac quàm in futura vita. Gen. 2. 24.

CAPVT II.

Amorem vniuersè fortem ac patientem esse.

I. *Probatio fortitudinis Amoris ex scriptoribus antiquis.*

AMORIS porro fortitudinem præclarè cognouit, ac celebrauit antiquitas, ille præsertim philosophus quem dixere diuinum; Is enim in suo illo conuiuio, & secundùm eum vir multiplici eruditione præstans Plutarchus. Quod ad vim, inquit, ac robur amoris attinet, tantum is viribus valet, vt ei ne Mars quidem possit obsistere. Non enim Mars amorem habet in sua potestate captiuum, sed Martem Amor, vt ferunt. Fortius autem est id quod possidet, ac tenet alterum, eo quod est in aliena potestate; & quod vincit omnium fortissimum, & ipsum longè fortissimum est. Alludit hic philosophus ad Homericam illam fabulam Martis & Veneris in adulterio deprehensorum, nec tam Vulcani retibus, quàm sua ipsorum cupiditate constrictorum. Vocat idem poëta Amorem mortalium atque immortalium domitorem. Cui succinens alius nihilo minor, *Omnia vincit amor.* Nec mirum, quando ne morti quidem cedit, vt paulò antè dicebamus, sed victor eius effectus, in omnem æternitatem in cœlo dominatur, ac regnat.

In Sympos. Καὶ μὴν εἴς γε ἀνδρείαν Ἔρωτι οὐδὲ Ἄρης ἀνθίσταται, &c. L. 8. Odyss. L. 4. Iliad.

II. *Vt qui roboret infirmos.* Οὐδεὶς οὕτω κακὸς, &c.

Hanc fortitudinem id vel maximè probat, quòd Amor infirma quæque roborat. Nemo enim est, inquit idem Plato, tam ignauus ac mollis, cui amor diuinum quendam fortitudinis spiritum non instillet, generoso ingenio minimè disparem; & reuera, vt ait Homerus, quæ vis diuinitus datur Heroibus, accepta ferri debet Amori. Addit præterea idem Philosophus, id proprium esse eorum qui inter se amant, non virorum duntaxat, sed mulierum etiam, vt alij pro aliis mortem subire non recusent; quod diuino illi oraculo consentaneum est, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quid gallina ignauius? quid contrà, si ei pullos dederis, animosius? suus in eos amor, eósque conseruandi desiderium eam reddit animosam, irascitur, inhorrescit plumis, sonum vocis edit quàm maximè potest horrificum, alas surrigit, rostrum & vngues in pugnam parat, in hominem inuolat, aut in molossum, sine vlla æstimatione aut propriæ imbecillitatis, aut alienæ virtutis. Quæ confidentia tam feliciter ei cedit, alterum vt distineat, alterum det in fugam. Quantam ergo vim, aut furorem potiùs,

Ioan. 15. 13. *Etiã in brutis, vt gallina.*

vrsæ inseret, aut leænæ, quam tygridi, aut pardali, in gratiam hinnulorum suorum? Audi mollem, & infractum animi poëtam,

Ouid. *Nec mora, venit amor, non vmbras nocte volantes,*
Non timeo strictas in mea fata manus.

III. *Et apibus.* Nihil est apicula imbecillius, leuissima res ei vitam eripit. Nihil contrà animosius, siue domum illæ suam, siue principem, aut mellificium tueri velint, iram amor accendit, qua flagrante bombos edunt minaces, in hostem ferociter irruunt, rostro, alis, pedibus, & maximè aculeo bellum gerunt; quod telum hostium corporibus validè infigunt, licet non ignorent se animas cum aculeo posituras. Nam, vt ait Poëta,

Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animásque in vulnere ponunt.

IV. *Amor opum fortes reddit.* Ecquid obsecro, præter amorem commodorum, tantum apud mercatorem potest, vt se triremi, nullius licet criminis conscius, addicat; cibo potúque abstineat, nudis asseribus, aut funi anchorario incubet, nulla expiandarum noxarum voluntate; sæpius etiam reddat, quæ nemini abstulit? Ille vnus amor diuitiarum fit ei dux & comes, vt quieto è portu soluens, vel Mediterraneum periculosè decurrat, & in Africam, Alexandriam, Constantinopolim, Epiphaniam, Venetias inuehatur: vel ipsum etiam tentet Oceanum, & Europa relicta, Canariásque præteruectus ad dexteram Brasileos adeat anthropophagos, fretum transcurrat Magellanicum, Peruanas auri argentíque fodinas inuadat; vel cursu in læuam inflexo, occidua legat Africæ littora, inuisat Angolanos, bonæ spei promontorium, aut leonem Africæ non exhorrescat: ad Melindam, aut Mosambicum appellat onerariam, & appente vere Arabicum sinum prætexens, Armusiam petat in Persico. Inde conuersa in meridiem prora, Goam & Commorinum promontorium adeat indefessus, & emenso Bengalico, Gangeticóve sinu, Malacam attingat extremam; & in Molucas insulas nauigatione delatus, Septentriones & Orientem solem Chinas, Iaponiósque perlustret, dum emenso totius mundi ambitu, ad Peruana rursum littora iaciat anchoras. An exiguam putamus requiri fortitudinem, quæ tot piratarum incursibus, tot fluctuum voluminibus, tot molibus arenariis, tot cœcis ac latentibus scopulis, tot marium ignotorum monstris, tot tempestatibus ac procellis, tot denique iacturis atque naufragiis par esse possit?

In nauigationibus longinquis.

V. *Et amor gloria in bellis.* Nemo facilè consequi oratione posset, ac ne admirari quidem satis, nisi consuetudo quotidiana admirationem sustulisset, quantum roboris ac firmitatis Amor honoris & lucri in militares animos infundat, ad tubarum & tympanorum sonos, incursum in hostiles copias imperantes, ad bombardarum fragores non timendos, & tonitrua muralium tormentorum. Irrumpit feruidus in armatas acies huius amoris impulsu, certus, si res tulerit, occumbere ignitæ glandis ictu, vel igniariæ machinationis

cuniculo,

cuniculo, ſublimem ac lacerum in cœlum rapi, aut flammato cantheriatæ catapultæ plumbo proſterni, aut corruentis alicuius muri ruina obrui, viuúmque ſepeliri, aut acinace validè in caput impacto horrendo ictu diffindi. Tantum apud militem poteſt amor prædæ, aut ſpes ductandæ turmæ, vel cohortis alicuius.

Quàm fortis eſt amor laudis & gloriæ in viro nobili, qui ſociis de primo, & periculoſiſſimo in acie loco, apud Imperatorem litem intentat, qui per ruinam murorum ingreſſum in vrbem molitur, nihil aut grandinem miſſilium ignitorum moratus, aut ab æneis è muro tormentis effuſam procellam, ſed lorica pectus, ſcuto corpus, galea tectus caput, acinace vel haſta fulminat, & per ſtrata mortuorum, aut morientium ſociorum corpora, per parietinas propugnaculorum, aut deiectarum turrium, per foſſas ſanguine ac cœno turbidas, ſcandit animoſus, timoris immemor, impos ſui. Nimirum altiſſimè demiſit in pectus illam vocem, Quid dicent? Ergo fruſtra vxor paſſis crinibus diſceſſum parantem clamore conturbat, fruſtra liberi vtriuſque ſexus eiulant, fruſtra neceſſarij, cognatíque monita, preces, pericula, terrores ingeminant; tympana reſonant, Imperator vocat, equi hinniunt, ſanguis inardeſcit; aut acquirenda viuenti gloria, aut in honorario cubili, medio in campo, ferrum inter & flammas occumbendum eſt. VI.

CAPVT III.

Amoris vi vim ac morſum doloris hebeſcere, non planè tolli.

NEQVE tamen exiſtimandum eſt tantum eſſe in amore virium, eius vt ope vis omnis laboris euaneſcat; minimè ſanè, non ſecus atque illius dulcedine, non omnis rerum aduerſarum amarities perit: obtunditur quidem certè, atque hebeſcit, funditùs tamen non tollitur. Alioqui irrita deinceps atque inutilis eſſet fortitudo, nec virtus in arduo fixas haberet ſedes, quò, non ſine puluere ac ſudore, adrependum eſt. Etſi enim virtus vſu ipſo, & laudabilium actionum frequentatione modo quodam fit naturalis, nunquam tamen in hac vita natiua prorſus euadet, ac naturalis, nunquã difficultatis omnis expers. Præſertim cùm mollicies animi, & procliuitas ad oblectamenta corporis, per peccatum inuecta, rationi ſemper obmurmuret; accedant præterea mundus, & malus dæmon in noſtram perniciem cõiurati, qui nos à recto virtutis tramite perpetuò reuocent, ſtimulóſque admoueant ad improbitatem, ineptiáſque ſectandas. I. *Quare non tollatur ab Amore labor aut dolor.*

Nullum eſt animal tam cicur ac domeſticum, neque ad imperium heri tam obſequens, quin incaleſcat ira, & in illum plagarum acerbitate, aut ſtimulorum punctionibus efferetur. Aculata muſcarũ importunitas per- II. *Probatur experientia.*

Num. 22, 28. quàm mansuetum equum agit in rabiem; & crebrius impacti fustes linguas asinarum aduersus heros soluunt ad querelam. Sic & humani animi pars inferior quamuis domita, & iussis rationis obtẽperans, si in eam dæmon, aut improbi mundi sectatores insurrexerint, aculeísq; eam suis altè pupugerint, vt Iobum olim, & Tobiam, alióſque Dei famulos, si non eis patientiam è manibus, aut lingua extorqueant, non leuem tamen doloris vel contumeliæ sensum, & quasi morsum afferent, quem lacrymæ gemitúsque testentur: nisi si quando magnus ille mundi rector tormentis omnipotentem manum iniiciat, próque potestate sua omnem vim doloris abstergat, vt aliquando sanctis Martyribus contigit: & regio Prophetæ videtur contigisse, cùm diceret probris appetitus. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Psal. 37.

III. *Obiectio ex propheta Esaia.* Verum enimuero, dicat aliquis, nónne illa est Dei vox apud Esaiam Prophetam. *Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Et rursum alibi, *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Verùm facile est intelligere hæc ab elegantissimo Propheta non sine verborũ amplificatione dici: sicut cùm solemus neglecta rei alicuius difficultate dicere, hoc nihil est, nihil est in ea re difficultatis: id est permodicum, & quod nihili fieri debeat. Sic Dominus ait iugum suum suaue esse, & onus leue; nec tamen iugum esse negat, aut onus: quamuis ex auxilio gratiæ, nec suauitas, neque leuitas desit, & vice versa pondus ex conditione naturæ; & quidem tantum, vt notos illos gemitus ex pectore fortissimi herois excutiat. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam illa Stoicorum ostentatio, quæ beatam vitam iactat in rotam ascendere, quæ sapientem, cum dolore cruciatur, putat esse dicturum, *Quàm hoc suaue est*, inanis prorsus est ostẽtatio, & si in rem ventum fuerit, planè mendax: aut certè, si ita loquatur in equuleo, quod lingua dicet, conscientia refutabit; præsertim cùm illi solis naturæ præsidiis instructi, in hanc arenam descenderent.

Cap. 10. 27. Cap. 40. 31. *Ei satisfit.* Matt. 11. 30. Rom. 7. 24. Cic. 5. Tusc.

IV. *Cõfirmatur ipso Christi exemplo.* Quis obsecro expetere, aut expectare possit à Deo tantum gratiæ, aut virtutis, tantum charitatis & fortitudinis quantum possedit ipse Seruator? Is tamen in ipso aditu difficillimi certaminis spiritum inter & carnem, luctuosam illam ad discipulos suos vocem edidit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* & mox ad Patrẽ, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste.* cuius amaritudinem sanguineus ille sudor cumulatè testabatur. Quo denique pertinet diuinum illud effatum. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Cœlum sursum est, nec potest graue corpus, quale humanum est, in montem arduũ sine labore perrepere. Non facilè in toto naturæ ambitu reperiatur amor, qui possit æquari cum materno amore erga vnigenitum filium, aut qui tanta constantia tot labores exhauriat, quos profectò non excludit amor, neque eorum sensum, quasi

Matt. 26. 38. Matt. 11. 12.

quidam lethargus eripit, sed tolerabiles efficit, & ferendi constantiam, ac perseuerantiam subministrat.

Quemadmodum igitur pax, quæ vna est de primariis fructibus charitatis, non colligitur, sine ea quæ proximè consequitur, patientia, iuxta eum ordinem, quem illis Paulus definiuit Apostolus: nec par est eam, in huiusce vitæ ærumnis, expectare omnium periculorum aut turbarum immunem. Ita neque ab amore expectandum est id robur, quod nulla vnquam infirmitate concuti aut labefactari possit: non enim imbecillos habemus aduersarios, aut saluti nostræ parum infestos; sed Deus eorum malitia, quasi manibus vtitur ad texendum nobis præclaras sempérque viridantes coronas: tantóque nobis amplius virium suppeditat, quo violentior fuerit, ac periculosior hostilis insultus. Quod si modico interdum succussu, Deo permittente, deiicimur, eo videlicet casu à superbiæ morbo sanare nos cupit. Sed placet etiam causam fortitudinis amoris huius paucis inuestigare.

V. Declaratur amplius. Gal. 5. 22.

CAPVT IV.

Quid causæ sit cur Amor fortitudine præstet.

NON est difficile intelligere quæ sit origo huius fortitudinis, & vnde vires hauriat hic Amor. Est enim ingenita propensio voluntatis in bonum sibi conueniens. Id si fortè illa possidet, ferre non potest vt sibi auferatur, sed ad vim vi repellendam animosa consurgit. Sin id bonum obtinere cupit, omnes exerit animi corporísque vires, obuias vt difficultates perrumpat, ad rem vel amicè, vel inuitè consequendam. Et pro amoris magnitudine, tenuitate, vel mediocritate, ita magnus erit, aut tenuis, aut mediocris conatus, atque impulsus, ad amolienda impedimenta desiderij nostri. Contingétque nonnunquam vt quis labore obrui, ac pedibus conculcari malit, quàm negligere quod dilexerat, aut nuncium remittere cupiditati suæ.

I. Vnde vires hauriat amor.

Quoniam ergo vis ista in mortalium animis ita penitus insedit, nullo vt euelli modo possit, ita dominatur, vt pugnantibus inter se motionibus ægrè moderari queat, fatendum profectò est tam illum amorem, quàm istam quæ eum comitatur fortitudinem, insitam esse pectoribus ab autore naturæ, eóque robore, quasi lorica ferrea, cor animantis, hominis præsertim, esse conuestitum, Quam ob rem autem? Nimirum quia ex quo peccatum orbem terrarum peruasit, & florentissimus ille status innocentiæ inde pulsus, atque exterminatus est, innumeris vita nostra periculis obsidetur ac malis; neque vllus est vsquam locus, vlla ætas, vlla vitæ conditio, quæ ab illis planè sit libera, atque immunis. Harum pœnarum, sicut & peccati originis, participes

II. A Deo autore naturæ,

quæ rebus pugnantibus componitur.

omnes ſumus; & præſidio natiuæ illius iuſtitiæ ſpoliati, in eum ſtatum conditionémque recidimus, quem natura contrariis elementis compoſita, & pugnantibus affecta qualitatibus poſtulat, quæ, vt pote ſeditioſæ ac turbulentæ, perpetuas in homine pugnas intus ac foris cient.

III. *Fortitudo neceſſaria in tot humanæ naturæ miſeriis.* Ca. 14. 1. 2. Cor. 11. 23 Eccli. 40. 1.

Hoc præclarè intellexerat magnum illud exemplar patientiæ, mediis in ærumnis ac querelis ſuis, cùm affirmaret hominem de muliere natum repleri multis miſeriis, adeo vt vitæ breuitas, quæ non poſtremum in iis locum tenere videatur, in beneficiis numerari poſſit. Earum ærumnarum ingentem catalogum, nec tamen integrum, propria doctus experientia recenſet Apoſtolus; *in laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*; aliáque generis eiuſdem, quæ Sapiẽs quoque non ignorabat, cùm affirmaret occupationem magnam creatam eſſe omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Itaque aptiſſimum eſt hiſce malis id remedium, cuius nobis autor eſt Apoſtolus, *Patientia*, inquit, *vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Quæ eſt autem Dei voluntas, quàm vt cœlum, quod vim patitur, violenti rapiamus? quàm vt cruce onuſtum Dominum, famuli cum cruce ſequamur? vt in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras.

Heb. 10 35. Luc. 21. 19.

IV. *Duo actus fortitudinis.*

Quod de patientia dicitur, de fortitudine quoque intelligendum eſt: Nam huius illa pars quædam eſt. Duo enim ſunt actus fortitudinis, quaſi totidem brachia, quorum alterum periculum laceſſit, atque inuadit pro re dilecta, ne quid ei mali contingat, alterum labores tolerat, pericula iacturáſque ſubit, dolores perfert atque cruciatus, mortem denique ipſam non exhorreſcit, dũm voti cõpos fiat. Illud dexteræ inſtar habet, eſt enim in humano corpore fortior, & opus aggreditur prior: ictu validiore ferit, validius retinet, quod dimittere non placet, maiorem denique calorem habet ingenitum: quæ cauſa fuiſſe videtur hominis molitori Deo vt cor fontem caloris inflecteret ad læuam, vt maiorem ei copiam ſui caloris impertiret: poſtremo dexteram quaſi marem, ſiniſtram fœminam ſi quis dixerit, vtique non abſurdè dixerit.

V. *Difficilius eſt ſuſtinere, quã aggredi aduerſa.*

Nihilominus vt vt ſit in brachiis corporis, in hiſce animi brachiis ratio eſt longè diſpar; eſt enim amor in ſuſtinendo, quàm inuadendo longè fortior. Difficilius enim eſt, irruente timore modum tenere, quàm audaciam reprimere. Periculũ enim, quod audaciæ ac timoris obiectum eſt, timorem auget, quem minui oporteret; & iuuat ad audaciam reprimendam. Adde quod qui alterum inuadit fortioris locum tenet, qui ſuſtinet inuadentem, infirmioris; difficilius autem ſuſtinetur fortior, quàm inuaditur infirmior. Sed hæc ipſa, atque id genus alia pluribus ſuggeret Doctor Angelicus; nos hoc quaſi præludio, aut ſi placet iacto fundamento contenti, Diuini amoris fortitudinem, tam in hominibus, quàm in Deo ipſo contemplemur. Ecce adeſt Fortis-Amor, qui hæc ipſa pro munere ſuo perquàm libenter explicabit.

2. 2. q.

CAPVT V.

Amorem diuinum, etiam ante legem gratiæ, reddidisse homines fortes, & casibus omnibus superiores.

FORTES profectò reddidit, inquit Fortis Amor, atque magnanimos, diuinus Amor, siue in adeundis vltro periculis, ad diuini numinis gloriam, & proximorum salutem promouendam; siue in tolerandis malis, quibus penitus impar est omnis mortalis infirmitas: adeò vt ne mortem quidem acerbissimis cruciatibus cumulatam reformidarint, modò ne diuinam amicitiam infringerent. Quæ res eo credibilior est, quo hic amor, quo de agimus, perfectior est atque diuinior: cùm ille alter, quem memorabas, vel motio quædam corporea sit, aut summùm virtus quædam moralis, quæ ne digitum quidem vires naturæ transgreditur. Ille autem noster Heroas facit, & quasi quosdam in terra Deos; iste rorarios, morti tanquam pecora destinatos. Ille Christi equites, triarios, cataphractos; iste mundi mercenarios, ac velites leuis armaturæ. Neque fuit vnquam miles tam prodigus sui, tam bello acer, tam studiis pugnæ flagrans, qui ad illos longissimo accederet interuallo: vsque adeò caussæ bonitas eorum conditionem meliorem facit. I. *Discrimen fortitudinis diuini humanique amoris.*

Adducam in medium exempla nonnulla, ex sacris literis, quæ possumus ab vltima vsque antiquitate repetere; addam & aliqua ex historia Ecclesiastica recentissimæ memoriæ, quæ nihil cedunt præstantissimis facinoribus, quæ vetustissima maiorum nostrorum memoria contigerunt. Abstinebo nihilominùs à celebranda primi parentis fortitudine singulari, in vitæ huius ærumnis, ipsis nongentis & triginta annis perferendis, quæ hoc illi erant acerbiores, quòd dulcissimum illum innocentiæ statum, septiduo tantùm, vt nonnulli non temerè arbitrantur, degustarat; quódque ad sese omnia Caini & Cainitarum scelera, omnes posterorum suorum, tam huius quàm futuræ vitæ, calamitates transferebat, quòd ea, sua vnius in primis culpa, contingere non ignorabat. Abstinebo, inquam, ab hac patientia commendanda, quia, vt ait Poëta quidam, *Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit.* II. *Exempla fortitudinis, siue patientiæ, Adami inprimis,*

Possem & illam celeberrimi Patriarcharum prædicare fortitudinem, qua ne ignem Chaldæorum adoraret, in ardentem fornacem dicitur missus, si fabulis Hebræorum niti placeret. Sed illam potiùs verissimam qua homo octogenarius, cùm expedita non multorum vernaculorũ manu, victores quinque regum exercitus non dubitauit inuadere, & benè propitio Numine spoliauit, profligauit, ac perdidit. *& Abrahami.*

Iacobi tamen nepotis eius ærumnas aliquot insigniores, numero duo- III.

Maximéque Iacobi Patriarchæ. Duodecim eius labores. Vide Ann. an. Mund. 2329. n. 72.

decim, quaſi totidem Herculeos labores, admirabili patientia exantlatos, tacitus præterire non poſſum; eas enim vir ille Deo chariſſimus tolerabat in gratiam Meſſiæ, quem certò ſciebat aliquando ex familia ſua naſciturum. Num enim leuis ei fuit patientiæ materia, cùm, metu fratris mortem ſibi intentantis, coactus eſt grandem natu patrem, matrémque dilectiſſimam, & patriam derelinquere, & exul in regionem ignotam, ac longinquam, ſolus fugitiuúſque proficiſci? Deinde in Meſopotamia, cùm per ſeptem annos duro in famulatu pro Rachele ſeruiſſet, ea fruſtratus, totidem rurſus annos pro eadem ſeruire coactus eſt: additis inſuper ſex annis famulatus, pro gregibus; quorum annorum miſeriam auxit Labani ſoceri, decies mercedem ipſius commutantis, iniquitas. Tertius Iacobi labor fuit ingens à fratre metus, in eius occurſum, cum quadringentis viris properante; quem, vt erat credibile, ſibi iam à tot retro annis infenſum, vix multa munerum impenſa effugit, & in beneuolentiam, animi demiſſione conuertit. Quartus fuit vnicæ filiæ Dinæ violatio, quam mox ſecuta eſt horribilis Sichimorum clades, & periculum ruinæ, ſibi à circumpoſitis gentibus imminentis.

1. (labor 1) 2. (labor 2) 3. (labor 3) 4. (labor 4)

IV. *Quintus & ſextus labor.*

Mors dilectiſſimæ Rachelis in puerperio, ac partu Beniamini quintum obtinet locum. Sextum nefarius inceſtus Rubeni primogeniti ſui, qui dolor etiam in morientis pectore hærebat infixus. Septimum amiſſio Ioſephi adoleſcentuli, filij omnium dilectiſſimi, quem, tanquam laceratum à beſtiis, inconſolabili luctu tres & viginti annos proſecutus eſt. Octauus luctus præmaturam habet mortem duorum filiorum Iudæ, ex quo ſciebat olim oriturum illum Deſideratum cunctis gentibus; cui mœrori Thamaris & Iudæ nequitia, quaſi auctarium acceſſit. Nonus in publica, priuatáque penuria conſiſtit, regione tota, propriáque familia cum diuturna fame colluctante, ob quam decem filios ſemel iterúmque in regionem longinquam amandare coactus eſt. Decimus labor fuit intenta calumnia filiis omnibus, & coniectus vnius eorum in carcerem, diuturnáque detentio. Vndecimus acerbiſſimus ille animi æſtus hinc cum fame domeſtica, & vinculis Simeonis colluctantis; inde cùm metu amittendi, mœroréque dimittendi Beniamini. Poſtremùm patientiæ argumentum fuit demigratio in Ægyptum cum tota familia, vbi non ignorabat eam grauibus ac diuturnis calamitatibus oppreſſum iri. Ad hæc autem omnia, aliáſque res aduerſas ecquis vires ſuggerebat, præter diuinum Amorem, qui eius in pectore viuebat?

7. 8. 9. Agg. 2. 8. 10. 11. 12.

V. *Moſis fortitudo in Ægyptia legatione pro Hebræis.*

Sed apertior eſt in principe Prophetarum Moſe fortitudo, ex Dei Amore ſingulari. Qui cùm electus eſſet à Deo, ac conſtitutus maximis de rebus ad Pharaonem legatus, imò quaſi in diuino regno prorex Hebræorum, Reipub. conſtituendæ, populo in libertatem aſſerendo, diuinis legibus ſanciendis, eodémque per obiecta maria, deſertáq; loca

traducendo, Ægyptium principem, cum Aarone fratre, magna cum fiducia compellauit, æternique regis denunciauit imperium; etsi non ignorabat rem sibi esse cum principe, omnium tunc secundum Assyrios potentissimo, séque illi odiosissima nunciare. Nec verbis egisse contentus, ad verbera ventum est, virga ipsum, populúmque eius vniuersum decies repetitis cladibus afflixit, atque perdomuit, donec eadem virga patefacto mari, móxque in antiquam sedem reducto, regem cum omnibus copiis vndarum mole obruit, atque extinxit; cuius tamē tantus tunc erat exercitus, vt sexcentis millibus bellatorum Hebræorum terrori esset, & acerbos obmurmurantium clamores excitaret. Solus vtique Dei Amor, cuius imperiis obsequebatur, quíque tanta prodigia patrabat vnus, ei magnitudinem animi suggerebat. Si enim propriæ obsecutus esset voluntati, nunquam repetiisset Ægyptum, summum in ea vitæ discrimen aditurus. Amor autem sui à principio formidolosus fuit, multásque excusationes ad onus detrectandum profudit. *Ex Dei Amore.*

VI. *Eiusdem patientia duodecies tentata à populo peruicaci.*

Hic idem diuinus Amor Mosis patientiam, in gubernatione contentiosi populi, ac ceruicosi, vehementer exercuit, vt qui duodecies publicè atque vniuersè contra mansuetissimum principem suum, partim oblocutus, partim in seditionem versus est; cùm in Mose ne minima quidem querelarum causa, vel culpa resideret. Principio cùm, occasione postulati à Pharaone commeatus, Rex populum acerbiùs accepisset, contra ducem suum, eiúsque fratrem iurgatus est populus, 1.
quasi gladium & flagella, quibus vltro cæderetur, tyranno præbuisset in manus. Altera obmurmuratio contigit ad quartam mansionem, cùm 2.
Hebræus totam à tergo Ægyptum armatam, & decem cladibus irritatam, infestam ceruicibus suis imminere sensit, cùm illi & obiectum mare, & inaccessæ rupes, & imperuiæ solitudines fugam vndique prohiberent. Tertia in quinta mansione exaudita est, cùm aquarum amaricies sitientem populum reddidit amariorem. 3.
Quarta erupit in octaua, consumpto penitus Ægyptio commeatu. 4.
Quinta in Raphidim mansione vndecima contigit, vbi sitis tam acerbam reddidit Iacobi familiam, vt ad lapides procurreret, quibus obrueret ducem suum. 5.
Sextam defatigatio peperit, quæ ignem protinus excitauit vltorem, qui 6.
negligentioribus morte sublatis, loco Incensionis nomen dedit.

VII. *Septima oblocutio ac seditio.* Num. 11. 2. 4

Vix incendium, quòd extremam castrorum partem deuorauerat, erat extinctum, sed fumabat adhuc, cùm improbissimus populus turbas septimùm excitauit, Angelicum fastidiens cibum, carnes & pisces Ægyptios, cucumeres, allia, porrósque affectabat, & meritas in sepulchris concupiscentiæ pœnas dedit. Octaua seditio, eáque grauissima in Cadesbarne exorta, & compressa est, in reditu exploratorum Chananitidis, 8.
cùm populus vniuersus, qui impias in Deū Mosémq; voces effuderat, amœnissima regione priuatus, in desertis & horrentibus locis mori iussus

9. est. Nonā ambitio Pōtificatus inflammauit, quam terra horrendū dis-
10. cedens, & coniuratos absorbens vlta est; quæ ipsa vltio etiam decimam accendit, Hebræis cœco impetu, ac lingua petulanti diuinam iterum vltionem accersentibus, quæ quatuordecim millia & septingentos,
11. igne latè grassante, consumpsit. Vndecima contradictionis aquis nomen dedit, vbi infelix Moses cum fratre, miserè animo conturbati, promissam ipsi quoque terram perdiderunt. Postremò in circumeunda Idumæorum regione populus obmurmurauit de more in ducem suum; vbi linguas vipereas, verorum serpentum linguæ, morsúsque castigarunt.

VIII. *Patientia Mosis duplici ex capite æstimata.*

Hæc porrò Mosis patientia duplici ex capite æstimari potest, alterum est malitia, stupor, & ingrati animi vitium populi huius, quæ mala patientiam valde perturbant, vehementérque labefactant, & stomachum mouent mitissimorum hominum, qualem legimus extitisse Mosem, de

Num. 12.3. quo scriptū est fuisse illum mitissimum, *præ omnibus hominibus qui morabantur in terra.* Alterum caput & fons patientiæ huius est magnitudo amoris, quo Propheta persequebatur hunc populum sibi diuinitus commissum. Causæ siquidem & effectus mutuum sibi testimonium præbent magnitudinis, pulchritudinis, bonitatis, reliquarúmque perfectionum. Is amor tantus fuit, vt vocem illam imo ex pectore profunderet coram

Exod. 32.32 Deo, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Quod fuit instar muralis tormenti maioris modi, quo disturbatus est diuisionis murus, quem peccatum, Deum inter & populum, erexerat, vt

c. 59. 2. loquitur Esaias.

IX. *Maternus Mosis in populum amor*

Illam ipsam patientiam illustrat comparatio matris, filiolum nutriētis delicatum ac fastidiosum. Huiusmodi enim mulier innumeras dies noctésq; molestias in eo educando exantlare solet, quas maternus amor non difficulter exhaurit. Hanc ergo comparationem instituit, sibique

Num. 11. 11. apud Deum accommodat Moses. *Cur*, inquit, *afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi. Porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum.* Hæc si quis penitius demittat in pectus, quomodo non exclamet; filij hominum quàm infirma est patientia vestra, quàm tenuis fortitudo, quàm exiguus vester in Deum amor & proximum, si cum Mosaico exemplari componatur. Quantula res eum labefactat, & benè susceptum negotium cum tædio, & stomacho cogit abiicere, nedum continentes ingratorum ac morosorum hominum rixas, seditionésque toleretis.

CAPVT VI.

Insignis patientia, ac fortitudo Dauidis.

ADIVNGAM ad priores illos fortissimo Dei Amore præstantes viros, heroëm nihilo minorem Dauidem, quem videmus omnes fortitudinis ac patientiæ numeros expleuisse, diuino illum amore roborante & naturæ dotes perficiẽte. Et vt generosam illam corporis animíque præstantiam missam faciam, quam demonstrauit adolescens, in leone & vrso inuadendo, conficiendóque, quòd non appareat illum diuino impulsum amore in ea certamina descendisse, sed studio conseruãdi gregis, quem eius curæ commiserat pater: vt missam, inquam, faciam primam illam roboris periclitationem, singulare illud certamen recenseamus, quòd generosè susceptum, gloriosius etiam perfectum est, ab adolescente aduersus veteranum militem, qui Saülem ipsum, totúmque eius exercitum terrore compleuerat; ab adolescente corpore modico, aduersus gigantæam membrorum molem; ab adolescente cannabina induto, contra bellatorem ferro à capite ad calcem obarmato; ab adolescente solitario, cuius tota, siue ad inuadendum, siue ad resistendum armatura, in baculo & funda, & quinque lapideis missilibus consistebat, contra militarem ducem, quem armiger non inermis antecedebat, & quem, si res tulisset, habere posset accensum; ipse nihilominùs baltheo accinctus & gladio, procedebat hastatus, truci vultu, & lingua minax. I. *Rudimenta Dauidicæ fortitudinis* *Certamen in Goliathum.*

Quid porrò dixerimus roborasse tyrunculum istum, & tanto inferiorẽ conditionem suppleuisse? quid, præter diuinum Amorem & gloriam, quã barbarus ille cõuitiis appetebat? quam hic protegere, amplificare, vlcisci cupiebat? Non enim illa probra ferre poterat, quæ in populum Hebræũ iactata, in ipsum Deum redundabãt. Id enim præterea hæc opilionis nostri verba testantur. *Tu venis,* inquit, *ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie: & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te; & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli, & bestiis terræ; vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel.* Ita dixit, ita fecit, vt omnes norunt; quod facinus seculis omnibus celebratum est ad hanc diem, & ad vltimam vsque posteritatem, gloria, & prædicatione efferetur. II. *Et victoria diuino Amori debita.*

Fortiorem tamen arbitror, ac valentiorem, omninóque mirabiliorem Dauidis virtutem, in tolerandis tam diu, tam atrocibus à Saüle damnis, tam frequentibus de capite ipso periculis, quæ, cùm vltionem haberet in manibus, nunquam tolerare potuisset, nisi fortissimus Dei Amor, & III. *Dauidis patientia præstat fortitudini.*

reuerentia in principem suum, quem Dei agnoscebat imaginem, eum sustentasset. Cùm enim illo tam glorioso certamine feliciter perfunctus esset, quarundam imprudentia cantatricum factum est, vt rex Saül aduersus Dauidem non leuiter inuidia tangeretur, quæ mox in capitale odium conuersa est; ex eóque hostiles, & furiosæ contra innocentem actiones profectæ sunt; adeò vt eum rex bis, térve lancea perfodere conatus sit. Is conatus cum diuina prouidentia factus esset irritus, eũ aliena Philisthæorum, aut domesticorũ suorum manu perdere molitus est. Maiorem natu filiam ei in matrimonium spondet, quam mox alteri genero summa cũ iniuria prioris tradit. Nec multò pòst iuniore illi tradita, eáque magnò, insigni cum vitæ discrimine, coëmpta, ipsiusmet filiæ interuentu, virum eius satagit morti tradere, cum ignominia fortassis atque dedecore.

Res aduersæ Dauidis.

IV. *Quanta à Saüle pertulerit.* 1. Reg. 19. 11. & seqq.

Iubet illum armata manu propriis in ædibus obsideri, vnde cùm demissum per funem lapsus esset, & Samuelem Prophetam tacitus adiisset, Saül ad eum comprehendendum palatinum destinat satellitium, & semel, iterum, tertiò Ionathæ opera Dauidi placatus, in illum semper acerbius, atque adeò in illum ipsũ Ionatham, filium suum, regníque heredem exasperatur. Dauid interea, quasi spinas inter & tribulos vitam infœlicem trahit, triduum agit in spelunca, dum decretorium calamitatum suarum præstolatur diem; nec vsquam habet, toto in regno, tutum receptus, aut perfugij locum. Abit ergo fugitiuus, inermis, incomitatus, imparatus à pecunia, indigens panis, & ignotus infestissimis se hostibus credit, apud quos motibus ineptissimis, & fœdo saliuæ defluxu stultitiam cogitur simulare. Inde elapsus in speluncam, quasi in arcem à natura præparatam, proripit sese, & ducem præbet hominum perditorum, quibus cùm Moabitas petit, vt tutum parentibus senio confectis receptum nanciscatur.

V. *Mirabile Dauidis & Saülis certamen.* 1. Reg. 14. 4

Ibi mox diuinitus mandatum accipit repetendi Iudæam, & incerta periculorum iterum experiri. Redit reducítque turbam hominum, ad vim, quàm ad vsum forensem promptiorem. Eum Saül indefesso animo atque impotenti persequitur, & vt eum comprehendat nihil intẽtatum relinquit. Dauid vice versa oppida subinde, solitudines, & cauernarum latibula commutat, dum ad illam ventum est speluncam, in qua mirabile certamen, & planè nouum exortum est, inimici contra amicum, & amici contra inimicum depugnantis. Vbi vnus odio certat & ferro, alter amore & obsequio debellatum cupit. Vnus mortem inferre paratus est, & fortasse cruciatus: alter dumtaxat metum, vel potiùs culpæ agnitionẽ suæ. Saül regiæ dignitatis amittendæ, aut metu, aut dolore, totus extra se positus in Dauidem fertur, qui eam ipsi eiúsque posteris, quantum in se fuerit, conseruatam cupit. Saül ardet cupiditate abscindendi caput benefactori suo, qui percutit cor suum, eò quòd oram chlamydis eius sit ausus abscindere. Ecquis amor, ecqua patientia, quæ denique vene-

ratio necessaria fuit homini innocenti, aduersus hominem, à quo tam diu, tam acriter, tam furiosè, modis omnibus, locísque diuexatur?

Necdum finis. Idem enim ipse rex, ingratissimus idem atque inconsultissimus, gemituum plenus & querelarum excitat atque exacuit subditos omnes suos, vt eum sibi viuum tradant aut mortuum, cuius tota culpa est, aut fuisse incõsultè laudatum, aut diuinitus electum in principem populi sui; quod erat vtique inferre cœlo bellum, & velle diuinæ prouidentiæ decreta peruertere. Vice autem versa Dauid per vim retinet necessarios suos, ne illum neci opportunum confodiant, etsi ex ea nece turbarum finis, tranquillitásque pendebat; & quidem eius hominis nece, quem à Deo reprobatum constabat; qui spiritum tot & tantis sceleribus contaminatum ducebat, & innocentissimi generi sui, omniúmque amicorum eius spirabat interitum. Eius hominis cui vnum illud fauebat, quod aliquando à Deo electus, & inunctus fuisset in regem. Vsque adeò magna fuit reuerentia Dauidis erga improbum regem, atque sacrilegum; vsque adeò magna patientia expectantis, dum exequeretur Dominus, quòd pridem statuerat de inimico suo, quamuis non ignoraret eius interitu certissimam sibi ianuam ad regnandum patere. O subditum meliore principe dignum! Deus meus quàm verè ac meritò dicere potuisti, reperisse te in Dauide hominem secundum cor tuum; eodem scilicet amore plenum, quo exundat cor tuum.

VI. De eodem. 1. Reg. 22. 7. 8.

1. Reg. 24. 5. & 26. 8.

1. Reg. 13. 14 & Act. 13. 22.

CAPVT VII.

Alia ex veteri lege fortissimi amoris exempla.

TRANSEAMVS ad mirabilem Iobum, singulare atque incomparabile ætatis suæ, inter omnes Orientales virtutis exemplar, plenum innocentia, timore, amoréque diuino. Quod nemo reuocare possit in dubium, cùm perquàm idoneum auctorem habeat, ac testem suæ virtutis ipsum Deum; qui eius amorem tam fortem, támque inuictum iudicauit, ipsum vt Sathanam, capitalem eius hostẽ, quasi dato codicillo, prouocarit, super inuicta Iobi fortitudine, & constantissimo in Deum amore. Et certè cùm propositum haberet hic calumniator, aut Deum mendacij, aut Iobũ mercenarij amoris arguere, Sabæos incitat ad quingenta iuga boũ, & quingentas asinas auferendas, custodésq; famulos occidendos. Neq; eo facinore contentus, ignem è cœlo tanta copia iaculatur, vt septem ouium millia cũ opilionibus pene momento consũpserit. Tres Chaldæorum turmas educit in aciẽ, qui tria camelorũ millia inuaserunt, eáq; cæsis custodibus, abduxerũt. Furibundũ excitat atra ex nube

I. Iobi Amor in Deum. Iob 1.

& à dæmone clades.

typhonem, qui concussam vndique domum, in qua decem eius liberi conuiuium celebrabant, prorsus euertit, omnésque ad vnum conuiuas oppressit. Neque tanta molitione sceleratus ille aliam expressit patientissimi hominis vocem ab ea, quæ ipsum maiore afflixit dolore, quàm Iobum quatuor illæ tam acerbæ calamitates.

II. *Singularis Iobi patientia in priore cum dæmone pugna.*

Illam nimirum vocem expressit, quæ singularem eius patientiam, & propriæ abdicationem voluntatis in manibus diuinæ prouidentiæ testabatur. Nisi enim illum, quem harum calamitatum agnoscebat autorem, vehementissimè dilexisset, nónne in eum execrandis clamoribus, quòd cupiebat dæmon, insurrexisset? Autorem enim agnoscebat, vt qui non dixerit, Deum quidem fuisse erga se valde munificum, sed eius beneficia, sibi inuidia Satanæ periisse; sed contrà, eundem ipsum Deum & cladis, & benignitatis agnoscit autorem, eíque vtroque nomine benedicit; séque etiam exhibet ad grauiora paratum. Nec frustra; quamprimùm enim in ipsum, grauissimum secundi certaminis pondus incubuit; in quo inuidus ille Dei athletam acerbissimis vlceribus, à summo vertice ad imam calcem, oppleuit, séque in eo torquendo tam ingeniosum ostendit, vt omnia eius membra interna externáque intolerandis doloribus arderent. Nec tamen ei simul omnes inflixit plagas, ne hominem extinguerent, sed subinde incussit nouas, vt languentem ad desperationem, quòd per ipsius vxorem conatus etiam est, vulnerum ac dolorum instauratione compelleret. Præsertim cùm non octo aut quindecim dies hæc carnificina durauerit, sed septem ipsos annos, quos in agris super sterquilinio terminauit, nemine fœtorem, qui ex misero corpore exhalabatur, vltra ferente; nemine oculos, à tam tetro spectaculo, non auertente. O admirabilē diuini Amoris fortitudinē! ô patientiam inauditam!

Posterior, multis ex capitibus acerbissima.

III. *Cum Eleàzari patientia comparatur.*

Possumus tamen fortasse hanc ipsam patientiam nonnullis gradibus altius euehere, si eam cum Eleazari senis, & septem adolescentum, qui cum matre grauissima tormenta perpessi sunt, fortitudine cōponamus. Etsi enim Iobum interior à Sathana, & exterior ab vxore motus, ad execrandas in Deum voces inuitabat, in Iobi tamen potestate non fuit, iacta in Deum contumelia, vel recuperare sanitatem, vel perditas reparare iacturas. At isti athletæ, quos nunc damus in theatrum, degustata porcina, vel illius esu simulato, poterant atrocissimos euadere cum morte cruciatus, & opes ac copias, cum magna regis beneuolentia sibi comparare. Itaque certamen illud quodammodo coactum fuit. Sic enim vir ille magnus cum hoste depugnauit, vt necessitati seruire, eámque in virtutis materiam vertere cogeretur, vt ægrotus aliquis in hospitali domo. At hæc pugna voluntaria prorsus fuit, ab ipso eius initio vsque ad finē, omníque puncto temporis in eorum potestate fuit, vel seipsos cruciatibus eripere, vel de tyranno, Sathana, & propriæ infirmitate naturæ triūphare. Quòd si Iobi mala fuerunt diuturniora, certè Machabæorum tormenta fuerunt atrociora, nec citra mortem vt illa constiterunt.

Coniiciamus oculos in nonagenarium illum ſenem Eleazarum, virum religioſiſſimum, vultu decorum, doctorum legis & ſcribarum decus, videbimus eum in manibus perditorum hominum, à quibus aperto ore hians compellitur carnem porcinam, per vim ingeſtam manducare. *At ille*, vt ait Scriptura, *glorioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens voluntariè præibat ad ſupplicium.* Id erat tormenti quoddam genus tympanum nomine, in quo rei diſtendebantur, & ritu tympani bellici certatim pulſabantur, donec fuſtuario contrucidati ac contuſi animam exhalarent. Ad hoc ergo ſupplicium ſanctus ſenex vltrò proficiſcebatur, ſuillam deſpuens, quam nebulones illi in os eius ingeſſerant. Cùmque ad ſimulandam ſaltem comeſtionem inuitaretur; ille fortiter repugnans, negabat ſe aut diuinam legem violare velle, aut ſcandalo eſſe iuuentuti, aut tanquam impium legis deſertorem execrationi eſſe poſteritati. Ergo inhumaniter ligatur, diſtenditur, tanquam tympanum aut incus pulſatur, ac tunditur, donec nobilis ille animus in ſinum Abrahæ victor euolauit. IV. *Certamen Eleazari ſenis.* 2. Mach. 6 18. & ſeqq

Sed illuſtrem, ſi placet, ſancti ſenis, & martyrij candidati orationem, qua importunam erga ſe amicorum miſericordiam reſpuebat, audiamus. Cùm enim dixiſſet malle ſe in infernum præmitti. *Non enim*, ait, *ætati noſtræ dignum eſt fingere, vt multi adoleſcentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo; adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſsimis, ac ſanctiſsimis legibus honeſta morte perfungar.* Audiamus poſtrema quoque illa verba, quæ cùm mactaretur plagis, olorino more profudit. *Domine*, inquit, *qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis, quia cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Atque ita moriens, cruciatus cum pace & quiete commutauit. V. *Oratio eiuſdem morituri. v. 24. 25. &c.*

CAPVT VIII.

Fortiſsimus ſeptem iuuenum amor in Deum, patriáſque eius leges.

TRANSEO ad cognatam hiſtoriam, quæ perſpicuè oſtendit quò peruenire poſſit heroica hominis conſtantia, cui eximius Dei amor & gratia velificantur, quo etiam tyranni barbara atque inhumana cru- I. *Tranſitio ad horum certamen ex 2. Machab. 7.*

delitas: quam placet magna ex parte ipsis Scripturæ verbis repræsentare, nisi si quid explicandi causa, in gratiam rudiorum, adiiciendum erit. Contigit ergo illo ipso tempore, quo in sanctum senem Eleazarum immaniter sæuitum est, septem quoque fratres, vnà cum matre sua apprehensos, compelli à rege, qui præsens aderat, ad eum enim Antiochiam deducti dicuntur, edere contra fas carnes porcinas, flagris, neruísque bubulis cruciatos; ineptus, qui non cogitabat se non superaturum iuuenes,
L. de Iacob. c. 11. qui turpiter à sene decrepito victus esset. Insultare licet tyranno, ait Ambrosius, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum elegit, qui discipulos faceret fortiores.

II. *Primi martyrium.* Eorum autem natu maximus primus in arenam prodit, simúlque compellans Antiochum, *Quid quæris*, inquit, *& quid vis discere à nobis? parati sumus* non solùm flagris, tauréisque cruciari, sed etiam *mori, magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Iratus itaque rex iussit sartagines, & ollas æneas succendi: quibus statim succensis iussit ei, qui prior locutus fuerat, amputari linguam, & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei abscindi, cæteris eius fratribus, & matre inspicientibus. Et cùm iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem*, ad ollas ac sartagines, *admoueri, & adhuc spirantem* martyrem *in sartagine torreri.* Cúmque adustæ carnis odor latè ad matrem fratrésque funderetur, mutuo sese hortabantur ad mortem, spe diuinæ consolationis fortiter perferendam.
Et secundi. Primo illo in hunc modum mortuo, secundum barbarè illudendum adducunt, *& cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant*, si manducare vellet suillam *prius, quàm toto corpore per membra singula puniretur. At ille patria* & generosa *voce respondens dixit, Non faciam. Propter quod & ipse primi tormenta suscepit. Et in vltimo spiritu constitutus, sic ait. Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Nihil veretur meritis tyrannum probris afficere, cùm videret eum non habere vltra quid faceret.

III. *Tertij, & quarti interitus.* Post hunc tertius illuditur eodem modo, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit, dicens, *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nūc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Quæ tam alacriter dixit, *vt rex, & qui cum ipso erant mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus.* Irrisioni succedit admiratio, ignorantibus qua spe, quáve mercede hæc tanta fortitudo sustentaretur. *Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes, & cùm iam esset ad mortem*, in extremo scilicet spiritu constitutus, quamuis
v. 14. execta, sicut cæteris, lingua, *sic ait, Potius est ab hominibus morti datos expectare à Deo resurrectionem; tibi enim resurrectio ad vitam non erit*, sed ad
Psal. 1. æternos cruciatus. *Non* enim *resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.*

VI. *Et cùm admouissent quintum vexabant eum. At ille respiciens in regem*

dixit, Poteſtatem inter homines habens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit. Nec vanus propheta fuit. Nam intra triennium Antiochus hic miſerè periit, filius autem eius Eupator vix biennium regnauit; indéque regnum ad Demetrium Seleuci fratris ſui filium deuolutum eſt, extincta funditus Epiphanis familia. Poſt hunc ducebant ſextum, iiſdémque cruciatibus mactabant, & is mori incipiens ſic ait. *Noli fruſtra errare*, circa diuinam prouidentiam humana negotia gubernantem, *nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum*, qui admirabili iudicio minus noxios per multo ſceleratiores caſtigat. *Tu autem ne exiſtimes tibi impunè futurum, quod contra Deum pugnare tentaueris.*

Mors quinti & ſexti.

Interea verò dum ſinguli filiorum horrendis cruciatibus perimuntur, *Mater ſupra modum mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios, ſub vnius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deum habebat, ſingulos eorum hortabatur voce patria*, generoſa & forti repleta ſapientia, & exſuſcitans fœmineam infirmitatem animo maſculo, dixit ad eos. *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi. Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis propter leges eius.* Agnoſcit ſancta mulier Deum authorem corporum pariter & animorum, qui poſſit à ſe primùm formata corpora, membráque omnia reformare; ſimúlque memoratæ à filiis ſpei reſurrectionis, ipſa quoque ſubſcribit.

V. *Filiorum fortitudinẽ acuit mater.* c. 7. 20. & ſeqq.

Hic Antiochus exiſtimans ſe contemptum iri, & honorem ſuum in diſcrimen vocari, ſi nihil tormentis, nihil authoritate regia, aduerſus adoleſcentes conſequi potuiſſet, & ſuſpicione tactus ne id ſibi exprobraretur, *cùm adhuc adoleſcentior ſupereſſet, non ſolùm verbis hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat, ſe illum diuitem, & beatum facturum, & tranſlatum à patriis legibus*, conſortem ſecretorum ſuorum eſſe facturum. *Sed ad hæc cùm adoleſcens nequaquam inclinaretur, vocauit rex matrem, & ſuadebat ei, vt adoleſcenti fieret in ſalutem*; perſuaſo regiæ iuſſionis obſequio, quando iam cæteros eius filios peruicacia miſerè perdidiſſet. Cùm autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo, quæ ſcilicet valebant ad ſalutem æternam, non vt ſperabat Rex ad retinendam vitam, & profanos honores conſequendos. Itaque inclinata ad filium *irridens crudelem tyrannum* alia omnia ſuggeſſit, ac perſuaſit.

VI. *Cur Antiochus ſeptimum magis conetur peruertere.*

Matris opera.

Quæ cùm illa maximè diceret, Deo adoleſcentis animum inflammãte, matris interpellat orationem, Quem ſuſtinetis, inquit, quid expectatis? *non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per*

VII. *Irrito conatu.*

Moysem. Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur, iusta scilicet satisfactione expiandis, *sed iterum reconciliabitur seruis suis. Tu autem ô scelesté, & omnium hominum flagitiosissime, noli extolli vanis spebus*, quasi populum Dei, & cultum eius exterminaturus; stulta moliris, & quæ tibi incredibiles accersent pœnas. *Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt*, cuius scilicet fiunt hæredes, vt filij paternæ hæreditatis in testamento scribuntur hæredes, *Tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exsolues.*

VIII. *Cur hîc asperius agat in regem.* Acerbiore multò postremus hic heros vtitur oratione in tyrannum, quàm præcedentes, veritus ne ab illo dimitteretur, & gloriosissima fratrum societate priuaretur. Itaque vocat inuentorem omnis malitiæ, peccatorum scilicet, ad quæ tam multos compulit, & tormentorum quæ inflixit: vocat scelestum & omnium flagitiosissimum, qui scilicet tunc viuerent, adeo vt figura illius esse potuerit, qui omnium hominum, qui vnquam fuerunt, futurive sunt, erit scelestissimus, qui futurus est Antichristus. Vocat superbum & contemptorem Dei, à quo tamen breui, vt deterrimum mancipium, verberibus tormentísque contrucidandus sit. Illud autem est horribile, quod tam atrocem Dei in Iudæos animaduersionem, qua affectos hoc tempore Scriptura testatur, modicam Dei iram appellat, & modicum fratrum suorum dolorem. Nimirum modica sunt hæc omnia, ad suppliciorum alterius vitæ immensitatem, atque æternitatem, quibus Deus hostes suos, non ad correptionem castigabit, sed in æternæ iustitiæ monimentum, & odij sui in peccatum, in omnem æternitatem torquebit. Sed cætera reddamus.

Ira Dei medica, & magna. 2. Mach. 5. 17. & c. 7. 33. & 36.

IX. *Septimi constantia.* *Ego*, inquit, *sicut & fratres mei animam & corpus meum trado pro patriis legibus: inuocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, téque cum tormentis & verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus*, quod & contigit exaudita martyris precatione. Postremo, *in me*, inquit, *& in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iustè superducta est.* Apparet non permissum adolescentem, regis ira efferuescente institutam antithesim absoluere, quæ hæc, aut his similia verba requirebat: Diuinæ autem iræ, quæ accendetur in te, nullus erit terminus, nullus finis. Id probabile reddit quod sequitur. *Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desæuiit, indignè ferens se derisum.* Si quid tamen addi potuit ad distentionem diuulsionémque membrorum, ad flagra, & taureos neruos, quibus vt incudes malleis, suspensorum corpora in tympano pulsabantur. Si quid addi potuit ad linguæ abscissionem, ad summarum manuum pedúmque obtruncationem, ad capitis aut totius etiam corporis crudelissimam excoriationem, ad sartagines succensas, & ollas oleo, pice, sulphure feruentes, nullum vt membrum aut sensus proprio supplicio careret. Nihil tamen compendij fecit. Nam

& mors.

septimus

ſeptimus quoque ad vltimam propoſiti certaminis metam, fortiter conſtantérque decurrit.

Nouiſſimè autem poſt filios, & mater conſumpta eſt, non minore vtique tormento neque corona. Licet enim ſexus mollire poterat truces animos, conſtantia tamen eius, & irriſio tyranni, & filiorum cohortatio ad mortem ferendam, & contemnenda mandata regis, reddebant grauioribus pœnis obnoxiam. Deſperatio deinde, dolórque tortorum, qui nihil neque precibus, neque minis, neque promiſſionibus, neque tormentis obtinere potuerant, crudelia pectora immanius exacerbabant. Sed quia prius quàm trucidaretur, naturali filiorum commiſeratione paſſa eſt ſepties, occies martyr dici poteſt. *Iſti in ſe ſinguli ſentiendo*, ait Auguſtinus de filiis, *illa videndo in omnibus paſſa eſt, facta mater ſeptem martyrum, ſepties martyr, à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo. Hoſtem ſubegit*, ait Prudentius, *ſubiugatum ſepties,* X. *Matris mors & laus.* Serm. 109. c. 6.

Quot fœta natis, tot triumphis inclyta.

Quid dici poteſt admirabilius, aut ad hiſtoriæ fidem certius, atque exploratius afferri poteſt ad probandam diuini amoris fortitudinem, quam Deus dilectorũ filiorũ pectoribus infundit, iis exemplis, quæ hactenus ex ipſa Scriptura retulimus, quæ hoc ipſo, vt obſeruauit Nazianzenus ille Gregorius, maiorem habent admrabilitatem, quod ante Chriſti Seruatoris aduentum contigere, qui diuinis ſanctiſſimæ vitæ, & crudeliſſimæ mortis exemplis, ignem miſit in terras, dedítque operam vt per Spiritum ſanctum ſuum vehementer accenderetur. Si ergo ſancti in veteri teſtamento *per fidem* in Chriſtum venturum *vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum*; imo *diſtenti ſunt*, cæteráque conſtanter pertulerunt, quæ Apoſtolus ad Hebræos copioſè perſequitur: quid de iis dici aut æſtimari par eſt, qui præter exempla veterum, ipſum quoque Chriſtum, abſolutiſſimum omnis ſanctitatis exemplar, oculis animíſque propoſitum habuerunt: quique copioſiore gratia inſtructi ad pugnam, etiam præmium æternæ felicitatis illico poſſidere potuerunt? & hæc deinceps conſideranda ſunt. XI. *Concluſio martyrum veteris legis.* Hebr. 11. 33. &c. Ca. 11. 33. & ſeqq.

CAPVT IX.

Dei amorem in lege gratiæ homines fortiſſimos reddidiſſe.

MINIME dubium eſt flumina tanto eſſe abundantiora, quanto fontes eorũ ac ſcaturigines fuerint copioſiores: & quo maior eſt ignis, hoc maiorem contingere deflagrationem; eóque aërem maiori luce illuſtrari, quò aſtrũ, quod radios ſuos eiaculatur in terras, maius fuerit atque luminoſius. Et vniuersè loquendo clarum eſt effecta tanto eſſe excellentiora, quanto cauſæ, à quibus illa proficiſcuntur, præſtantiores fuerint atque eminentiores. I. *Legis nouæ pra veteri præſtantia.*

Illustratā similibus, fontis. Gratia & charitas siue reipsa discrepent, siue nominibus duntaxat, inseparabili certè societate iunguntur, & instar habent fontis è cœlo defluentis, & longo circuitu recurrentis, ac resilientis in cœlum; iuxta illud, *Ioan. 4. 14.* *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Erat hic fons ante Seruatoris aduentum perexiguus sanè, atque exilis, vt intelligi potest tum ex paucitate sanctorum, qui temporibus illis floruerunt, tum ex spiritu seruitutis, qui tum late regnabat apud Hebræos. A Christi autem aduentu ita excreuit, totum vt orbem terrarum inundarit.

II. *Apud Esaiā.* *Esa. 35. 5. 6.* Huc enim pertinet magnum illud atque magnificum nobilissimi prophetæ vaticinium. *Tunc aperientur*, inquit, *oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum*; quæ sunt legis gratiæ prærogatiuæ singulares, siue spiritali sensu, siue historico verba sumātur. Quæ autem causæ tam mirabilium effectorum? *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum*: nec vltra tam salutares aquæ, támque viuificæ modico Iudææ angulo concludentur.

Ignis. Ignis quem detulit Seruator in mundum, & qui illum cupit vehementer accendi, non solam Iacobi familiam calefactam cupit, sed mortales omnes, qui remotissima sola incolunt terrarum vltimarum. In cuius rei argumentum cùm die quinquagesimo à Christo rediuiuo, ignis Spiritus sancti depluit in discipulos congregatos, in ipsa Euangelij promulgatione primaria, inuenti sunt Hierosolymis habitantes Iudæi viri *Act. 2. 5.* religiosi, ex omni natione, quæ sub cœlo est, vt testatur Lucas, qui fuerunt quasi Apostolorum præcursores.

III *Stellarum & solis.* Erant vtique viri iusti ante euangelicam legem instar stellarum micātium, sed erant nihilominus tenebræ diffusæ super faciem vniuersæ terræ. At superueniente mundi lumine, & sole iustitiæ exorto, nemo est qui se abscondat à calore eius, aut qui aliquam illius non percipiat lucem. Vnde consequens est in lege gratiæ, diuini amoris vim & robur longe, quàm in lege Mosis aut naturæ, maius, frequentius, abundantius extitisse.

Sanctorum copia in Euangelio præ veteri lege. In promptu est eius rei & manifesta probatio. Pro septem enim, aut octo martyribus illorum temporum, quanquam ingens eorum sub Epiphane numerus extitit, pro illis tamen facilè sub euangelica lege septingenta aut octingenta millia numerari possunt; & quidem non intra quatuor annorum millia, sed intra quadringentos, aut etiam pauciores. Et pro duodecim aut viginti patriarchis sanctitatis insignioris, quales æstimare iure possumus Adamum, Abelem, Sethum, Enosum, Henochum, Noëmum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, aliósq; nonnullos, reperiemus à Christo nato decem millia sanctissimorum pōtificum, ac præsulum, qui Dei Ecclesiam præclarè administrarunt, & præstanti virtutum ac doctrinarum gloria floruerunt. Non multorū autem regulorum locū qui in Chananitide Deum coluerunt, facilè explebūt permulti Imperatores ac monarchæ, maximíq; reges ac principes, quacunq; no-

men ac genus Christianũ patet, à magno Constantino vsque ad Charolũ magnum, & à Charolo magno, ad Henricum magnũ & Ludouicũ XIII.

Vix inuenias quinquaginta Prophetas aut Doctores in veteri testamento, ab ipso Moyse vsq; ad Malachiam, cum in Euangelica lege omnibus non dicam seculis aut ætatibus, sed propemodum annis, tot doctores, diuiníque verbi præcones reperiantur, tot scriptores sacri, tot diuinarum literarum interpretes ac propugnatores, vt singulis illorum facilè quinquageni nostri componi possint. Imo plerique proferri possunt, quorum singuli multo plura scripserunt, quàm vniuersi Hebræorum prophetæ, qui anre Christum tenuere synagogas. IV. *Doctorum item multitudo.*

Quanto maior est miraculorum numerus, & eorum qui illa edere potuerunt in noua, quàm in veteri lege? lege historias haud dubiæ fidei, vitæ sanctorum Bernardi, Antonij, Benedicti, Martini, aliorúmque multorum, plura in eis prodigia reperies, quàm, si à Mose vno discesseris, in omnibus prophetis. S. Augustinus multas miraculorum centurias memorat, editas virtute lipsanorum S. Stepani, præter ea, quæ in Actis Apostolorum celebrantur, aut cursim potius significantur. *Ac miraculorum.*

CAPVT X.

Antiquiora quædam fortitudinis huius exempla, inprimísque S. Stephani protomartyris.

CÆTERA missa facienda sunt nobis, quibus Christi Ecclesia Iudæorum synagogam antecedit, quando de vna duntaxat amoris diuini fortitudine nobis institutus est sermo. Et ea quidem in multis vitæ actionibus se prodit, in quibus cum graui aliqua difficultate pugnandum est; illa tamen fortitudo, qua mortis pericula, tormentáq; superantur, grauia præsertim atq; diuturna, cætera omnia rerum arduarum atque aduersarum genera, facilè antecedit. Itaque mitto illam omnem vitæ asperitatem, quàm prisci cœnobitæ & anachoretæ ab hominum frequentia secreti, desertis in locis pertulerunt: quam fortis amor animose sustinuit, dulcis autem, vt ipse quoque narrauit, suauiter mitigauit. Illam ergo fortitudinem, quæ acerba morte toleranda cernitur, in Stephano primùm protomartyre contemplemur. De illa quippe scriptum est, *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magno in populo.* Plenitudo gratiæ, qua Stephani pectus abundabat, plenum fortitudinis efficiebat. I. *Fortitudo in martyrio spectatur inprimis.* Act. 6.8.

Merito sanè; talem enim oportebat illum esse, qui sub imperatore Christo Domino, primus ductor ordinum militarium erat constitutus, in eo exercitu, in quo tot erant leunculi quot milites, ab illo leone de tribu Iuda progeniti, qui princeps de mundi principe triumphauit. Nec par erat ceruum aliquem constitui talium bellatorum ducem, sed leonem de II. *Ea S. Stephano maximè conueniebat.*

Prou 30.30 quo ſcriptum eſt. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* At noſter hic leo multarum beſtiarum occurſum, ac ne impetum quidem reformidauit. Occurrit enim Stephano furioſa plebecula, zelo religionis incenſa, armata odio, inuidia, indignatione. *Diſſecabantur* enim *cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.* Stetit animo nihilominus, nec

Act. 7. 51. &c. eos mellito verborum lenocinio mitigare conatus eſt, Sed, *dura*, inquit, *ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri ita & vos. Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui pranunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum, & non cuſtodiſtis.*

III. *Quam verbis prodit, & factis.*

Quid loqueris, ſanctiſſime Diacone, imò fortiſſime bellator, quid loqueris? quare hoſtium tuorũ iras ſermone dulci non demulces? neſcis te in concilio non iudicum, ſed inimicorum tuorũ verſari? eos falſos aduerſum te ſubornaſſe teſtes? te de legis, Deíque maieſtate poſtulari? contra te populũ vniuerſum tumultuari? Fremant, inquit, omnes licet, audient vel inuiti veritatem, quam eos audire par eſt; nolo vitam meam eorum ſalute antiquiorem habere, quæ in fide ac doctrina Chriſti, quàm ipſi peſſimè oderunt, conſiſtit. Quid? num æquum eſt philoſophorũ diſciplinam,

Rutilius, 1. de Orat. plus poſſe apud Romanum ciuem, quàm cœleſtem filij Dei doctrinam apud eius diſcipulum? Surdis auditoribus inclamandum eſt vehementiùs, & aſperitate verborum morum aſperitas perfricanda. Nec minus propterea plenus erat diuini amoris in ipſos, vt qui cùm animam penè ageret ſaxis contuſus, ſtarétque nihilominus & animo erectus & corpore, fundens preces ipſe pro ſe, in eodem veſtigio perrexit inſiſtere: pro ſicariis autem ſuis oraturus, humi in genua ſponte procubuit, non ignarus quanta Deus in eos ira eſſet incitatus, & quantum indigerent patrono, qui eorum cauſam ex animo ſuſciperet. Denique vt in pauca rem contraham, Stephanus moriens imitatus eſt dilectiſſimum magiſtrum ſuum, qui in cruce pendens flexit genua cordis ſui, patrem ſuum illis ipſis placare cupiens, à quibus crucifigebatur.

Cur oret pro perſecutoribus genibus flexis?

IV. *Inhumana atque ingrata crudelitas Iudæorum in ſanctum Stephanum.*

O fortiſſimam ac ſapientiſſimam charitatem tuam, ſanctiſſime protomartyr! Videbas profectò profanos iſtos homines phreneſi laborare; nec propterea habendam eſſe rationem eorum, quæ tunc ab eis dicerentur, aut fierent. E contrario mirabilis ac ſtupore dignus horum parricidarum furor, qui diſſecabantur cordibus, & indignatione rumpebantur aduerſus eum, cuius cor charitate & deſiderio ſalutis eorum æſtuabat: qui ſtridebant dentibus, & labiis fremebant in illum, qui ſua in docendis ipſis, ac miſericordia eis obtinenda continenter impendebat. Quæ barbaries inhumanior fingi poteſt, quàm cruentare lapidibus, ac contrucidare angelicã illam faciem, illam frontis ſerenitatem, viuidos illos ac vibrãtes oculos, genas rubicũdo candore gratiſſimas, floridum os diuinorum verborũ organũ; manus illas tot prodigiis nobilitatas in gratiam ingratorũ

hominum ac perfidorum; quos non pudet vti suis ad eas dilacerandas, quæ toties illuminandis cæcis, aperiendis surdorum auribus, mundandis leprosis, mortuis excitandis, aliísque signis medio in populo perpetrandis fuerant applicatæ. Moritur tamen, & nobilem illam animam emittit in cœlum, in manibus illius, quem viderat *stantem à dextris Dei*, paratum ad ferendum pugnanti auxilium, & victorem, qui pro ipsius gloria vitam amittebat, immortali laurea coronandum.

Sed heu me miserũ! cùm considero sanctissimum Christi martyrem, pro amantissimo Domino suo fortissimè depugnantem, & gloriosissimè triumphantẽ; & contra cogito perditos, ac deploratos mundi ac Sathanæ martyres; acerbissimo profectò luctu ac dolore conficior. Heu quàm doleo vicem vestram ô infelices, quàm miseret me generosæ nobilitatis huius! quantò meliore in causa ista constantia, quàm instrumentum esse vultis interitus vestri sempiterni, erat impendenda, quam in detestandis istis ex prouocatione pugnis! O quantum, quámque luctuosum damnum facitis, qui magnam in cœlo coronam, magnis inferorum cruciatibus commutatis. Num mundus, aut malus dæmon huiusmodi Domini sunt, quibus tantis impendiis meritò seruiatur? Quod tantum est eorum in vos beneficium, quæ tanta gratia, quod tantum vestrum debitum, quæ tam insignis obligatio, quæ tanta denique merces expectatur à vobis, vt propter illud, Quid dicent? ruinam familiæ vestræ, bonorum iacturam, vxoris viduitatem, orbitatem liberorum, corporis animíque vestri luctuosissimum interitum rectè collocatum putetis? V. *Deploratio nobilium in singulari certamine pereuntium.*

Si talem, tantámque à vobis cladem Christi nomine perferri peteremus, non iniusta esset profectò postulatio, si habeatur ratio dignitatis eius, & beneficiorum quibus vos obstrinxit sibi, & felicitatis, quam, nisi per vos steterit, præparauit vobis. Mundus autem quid? quid tartarea illa bellua? quo tandem titulo, in tam crudeli ac barbaro facinore, illi sic obtemperatis, vt nefas esse putetis illum amandare à vobis, qui vos euocat occidendi causa? Quò tanto suo in vos promerito ita vos sibi deuinctos tenent, nihil vt animi sit in vobis ad tam iniustam, tam crudelem & barbaram, tam execrandam seruitutem fortiter, constantérque repudiandam? Num furcifer ille tyrannus inferorum, qui fuit homicida ab initio, sustinuit mortem pro vobis? Num mundus cœlum aliquod habet, quod vobis aliquando largiatur? O amantissime Domine aperi oculos infelicium istorum Sathanæ martyrum, à quo, proh dolor! tam deplorandam mercedem mortiferi certaminis illicò sunt accepturi. VI. *Quos mundus & dæmon habent iniustissimos martyres.*

CAPVT XI.

Vis diuini Apostolorum Amoris, & nominatim Sanctorum Petri, & Pauli.

I. *Fortis Apostolorum amor.* QVAM animosus erat diuinus S. Petri, & cæterorum Apostolorum amor, quando, licet à magistratu, graui proposito supplicio, interdictum esset, ne Christum Dominum populo nunciarent, suum nihilominùs institutum tenuerunt, rati publicéque professi, Deo potiùs, quam hominibus obtemperandum esse: cúmque eam ob causam comprehensi, in carcerem coniecti, cæsi, contumeliísque affecti fuissent, *Ibant* nihilo secius *gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* (*Act. 5. 41.*) Ad quem enim sublimiorem patientiæ gradum conscendere possumus, quàm si mediis in cruciatibus, opprobriísque lætemur? O quantò facilius est in feruore orationis desiderare martyrium, & absentes vltro prouocare cruciatus, quàm ferre præsentem dolorem. Præsentia enim ipsa, sensúsque virgarum, ferrum candens, & oculis obiectæ flammæ, equulei, rotæ, gladij, audaciam facilè frangunt, & animi calorem, quasi frigida superfusa, planè extinguunt, aut vim eius vehementer certè debilitant.

II. *Et nominatim Petri.* Exemplo sit eiusdem Petri generosa illa, sæpiúsque iterata promissio: qua statuebat, sociorum omnium turbata constantia, suam nihilominùs inconcussam fore, vt qui paratus esset in carcerem cum magistro, atque in mortem ire. At postquam in rem ventum est, quid contigerit omnes norunt. (*in gradiendo supra fluctus* Matt. 14. 24) Quid illi animi defuit in lacessendo periculo, qui medio in mari, aduersóque vento, dum nauicula iactatur fluctibus, dum cæteri metuunt, turbantur, exclamant, ipse facultatem postulat ambulandi super aquas. Ea obtenta, vndis se credit intrepidus, solidóque vestigio calcat aquas, & graditur ad magistrum: non enim vanitas, illi tam insolens iter persuaserat, sed desiderium fruendi quamprimùm dilecto magistro. Sed cùm mox, animaduerso vento valido, Petri fortitudinem labefecisset timor, mergi cœpit, audiuítque, *Modicæ fidei quare dubitasti?* Sed quid miremur principem Apostolorum, Domini sui amore incitatum, in vndas desiluisse, cùm sciamus virgines Deo sacras non solum in profluentem, sed in paratum etiam rogum fortiter insiluisse, vt promissam Deo integritatem fidémque seruarent?

III. *In defendendo magistro.* Quid quæso fortius amore Petri, vel animosius fingi potest; qui cùm in Oliuetano monte cerneret amantissimum Dominum à prætoria cohorte, & à Pontificum & Pharisæorum satellitio captum iri, agressus est solus, nam socij diffugerant, eum contra Romanos, Hebræósque protegere, inuadit gladium, irruit in aciem quingentorum bellatorum,

cúmque ei fortè seruus Pontificis occurrisset, statuerétque ei caput bipertitò diffindere, diuina prouidentia ictus in aurem eius incidit, & insignem omnino stragem edidisset, nisi Domini vox impetum discipuli pro potestate cohibuisset, ferrum iussisset in vaginam recondere, & permittere mirabilem diuinæ prouidentiæ machinam, destinatum diuinæ gloriæ, & humanæ salutis finem sortiri. Sed videamus in eius obitu, nam longum est iter ad omnia, illustre fortissimi eius in Dominum suum amoris exemplum.

Verùm quidem est prænunciatum illi fuisse diuinitus, fore vt senex extenderet manus suas, & ab alio cingeretur, quóque minimè cuperet, duceretur, *significans*, vt Euangelista testatur, *quâ morte clarificaturus esset Deum.* Sed illa pugna obnitentis voluntatis, de ingenita naturæ propensione intelligenda est, quæ commodis famulatur suis, mortem exhorrescit, frangitur in aduersis, aut certè debilitata poscit auxilium ad absterfionem, aut diminutionem doloris. At heros hic noster naturæ iam placidè dominatur: itaque mortem non reformidat, sed appetit, atque amplectitur: & quidem mortem crucis, id est omnium acerbissimam, atque probrosissimam. Et quasi id non satis esset ad heroicam eius animi demissionem ac fortitudinem, in argumentum amoris & venerationis in Christum suæ, postulat obtinétque, vt inuersus, peditus sursum elatis, capite ad terram deiecto figatur cruci, vt interius exteriúsq; torqueatur, dum omnes humores, visceráque suis demouentur locis; & caput ipsum ita omnium iniuriis expositum est, vt luto inquinari, à canibus morsu peti, & ab insultante fæce puerorum alapis cædi possit. IV. *In mortis supplicio perferendo.* Ioan. 21. 18.

Quis agnouit aliquando hominem animo constantiore, aut confidentiore potiùs Saülo, qui postea Paulus Apostolus, cùm zelo Mosaicæ legis deceptus, & paternarum traditionem æmulator, supra modũ persequebatur Ecclesiã Dei, spirans minarum & cædis in discipulos Domini. Cùm per vim irruẽs in eorum domos, viros inde mulierésq; trahebat, & vinctos carceribus mancipabat, nullo sexus, ætatis, conditionísve discrimine. Audacia hæc erat, animíque impotentia, quàm ipsemet cæteris vehementiùs arguit, misericordiam tamen à Domino se consecutum fatetur, quòd per ignorantiam ista perpetrasset. Et erat sanè minimè laudabilis ista vis. Cùm enim Christiani non seipsos defenderent, sed libenter omnia pro Christi nomine perferrent, facilè fuit eos vexare, ac vincere non repugnantes. Id enim Paulus ipse testatur. Eius enim est hæc ad Corinthios oratio, *Sustinetis*, inquit, *si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* Tota nihilominùs ista quamuis importuna vis, ab eius in diuinam legem, in qua fuerat educatus, amore proficiscebatur. V. *Sauli naturalis fortitudo.* Gal. 1 13. Act. 9. 1. & 22 4 & 8. 3.

Cæterùm postquam diuina virtute, & singulari in Saülum misericordia factum est, vt velificatione conuersa alia omnia certamina decertaret, vt propugnaret quòd antè oppugnauerat, vt stabiliret VI. *Eiusdem fortia pro Christo certamina.*

quod priùs euertere conatus fuerat, denique vt pro singulari illius amore pateretur, cuius adorandum numen sacrilegis dudum factis dictísque violauerat. Tú videlicet infusa cœlitùs in illum Charitas longè iustiorem animi vim, rectiorémque fortitudinem procreauit, atque patefecit. Quando in illum, Christi gloriam crucémque prædicantem, cœlum, & terra, cæteráque elementa coniurasse videbantur, siue vt illi vitam eriperent, siue vt rebus ipsis docerent, quàm verè prædictum fuerat ab eo, quem superiore vita tanto animi ardore fuerat persecutus, *Ego ostendam illi, quanta oportat eum pro nomine meo pati.* Quarum rerum quem alium testem locupletiorem quærimus, illo ipso qui tulit; quíque pronunciandæ à se veritatis, testem appellat ipsum Deum?

Act. 9.16. 2. Cor. 11.31

VII. *Ab ipsomet recensita.*

Qualia enim sunt illa quæ nunciat Corinthiis sibi in Asia contigisse, *Quoniam*, inquit, *supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*, & aderat, præter vitæ tædium, certa mortis expectatio, nisi Dominus succurreret prouidentia singulari. Quantam putamus Apostolum subiisse animo tempestatem, virum alioqui præstanti fortitudine præditum, qui talia diceret, scriberétque, quamuis Demetriana illa seditione iampridem sedata? Sed quid singula morer? audi ex eodem plurima in vnum quasi fascem congesta; *Ministri Christi sunt*, inquit, *plus ego*, sed qua tandem in re? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* Inde excurrit in sexcenta pericula quæ adiit, & mala quæ perpessus est terra marique iter faciens, in vrbibus & desertis locis, à latronibus & piratis, à Iudæis & Gentibus, ab hæreticis & falsis fratribus. Quibus autem exercitus malis? labore & ærumna, vigiliis multis, fame & siti, ieiuniis multis, frigore & nuditate, præter illa quotidiana negotia, quibus obruebatur, & solicitudinem omnium Ecclesiarum, in quibus singulorum onera in vnum ipsum incumbebant: quorum infirmitate reddebatur infirmus, quorum offensionibus æstuabat, imò, vt ipse loquitur, vrebatur. Num minor patientia, aut mollior fortitudo requiritur, ad hæc omnia perferenda, quàm ceruicibus lictori intrepidè semel offerendis? O gloriosissime Paule, quantus erat in Deum & proximum amor tuus, qui tantam fortitudinem suppeditabat! Sed age nunc recentiora fortitudinis exempla, minúsque vulgata persequamur. Vrget enim nos, vltróque se offert.

Act. 19.23. 2. Cor. 11.23

CAPVT

CAPVT XII.

Insignis animi fortitudo, victoriáque mirabilis aliquorum huius ætatis martyrum.

HIc ego; fortitudinem martyrum prædicaturum te dicis, ô Fortis-Amor, vtique consentiente me; vereor tamen vt de victoria ista quam dicis assentiri possim. Si enim duo milites singulari certamine dimicent inter sese, quis dubitet illum victum esse, qui mortuus in arena procubuit, victorem, qui incumbens iacenti ferrum iussit recipere? Et qui in capitali causa damnatur, aut in ciuili bonis omnibus euertitur, an victor dici potest, aut aduersarius eius? Quos denique febris, aut casus aliquis acerbior amandat ad sepulchrum, ab illa vtique vel febri, vel casu victi periere; morbus victor fuit, medicina verò cum suo Æsculapio victori cessit, cùm medica plus valet arte malum. Martyre igitur in terram prostrato, si ei Tyrannus vitam vi tormentorum eripuit, apparet vtique non martyrem, sed tyrannum in certamine fuisse victorem. I. *An martyres victores dici possint.* Autor.

Nihilominùs, ait Fortis-Amor, in hoc negotio victoriæ nomen consultò vsurpatum est, & martyri attributum; & quidem verè, vt tute fatebere, si consideres illum in certamine esse victorem, qui obtinet ab æmulo, id de quo certamen est institutum. Qui tormentis arcem aliquam verberat, eámque tandem per vim hosti rapit, victor est, voti quippe factus est compos. Eodémque modo qui singulari certamine cum hoste confligit, eíque vitam aut eripere vult, aut precariò largiri, victoriam obtinuit, si quòd sequebatur est assecutus. Idem de litigante, cui propositum erat causam obtinere, dicendum est. Victor quoque medicus est, si aduersam valetudinem, vti cupiebat, expulerit. At tyranni, qui martyres tormentis excruciatos necabant, non habebant propositum omnia eorum membra dilacerare suppliciis, sed eos tormentis compellere ad abnegandam fidem; quòd cùm obtinere non possent, vtique vincebantur: quòd eos contigit aliquando confiteri. Sicut reuera victus est medicus, qui ægri sanitate in se recepta, morbum expellere non potuit. Et contra victor erat tyrannus, si quando Christi athleta impar cruciatibus, fidei desertor factus, illi consentiebat, & victas præbebat manus. II. *Rectissimè posse.* Fortis-Amor.

Vt ergo redeamus ad institutum, & omittamus nunc quidem immensam illam Sanctorũ martyrum penetrare syluam, qui priora secula nobilitarunt, de quorum laudibus pleni sunt antiquorum libri, neque vlla vnquam ætas conticescet. Quæ enim aliquando posteritas aut celebrare III. *Transitio ab antiquis martyribus ad recentes.*

desinet, aut admirari ardorem animi S. Andreæ, crucem suam complectentis, aut gloriosissimi Laurentij in craticula patientiam, aut Sebastianum inhorrescentem sagittis, atque ita de cæteris, vt illa, inquam, antiqua fortitudinis miracula nunc omittamus, placet nonnulla exempla martyrum Iaponicorum proferre, quæ fidem faciant Ecclesiam Dei, postremis hisce temporibus, de sede amoris & constantiæ aduersus sponsum suum minimè fuisse deiectam. Perpauca de multis eligam summa fide conscripta, in eo ipso loco, in quo contigerunt, & ab iis quibus ipsa vita antiquior est fides, & quæ publicis quoque monumenti consignata sunt.

Annal. Iappon. tom. 2. Hist. mart. Iap. ex l. 3. c. 11.

IV. *Titi Bungensis totiúsque familiæ constantia mirabilis.*

Anno æræ Christianæ 1614. in regno Bungensi, Titus quidam nobili loco natus admirabilem constātiam exhibuit pro fide Christiana. Duos ille filios habuit, alterum nouennem nomine Matthæum, alterum Simonem annorum sedecim. Habuit & filiam Martinam annorum quatuordecim, quos ex nobili matrona Marina susceperat. Euocatur ergo Titus à Bungensi regulo, ab eóque precibus, minis, imperio inuitatur ad deserendam fidem; quæ cùm irrita essent omnia, domum remisit victorem Titum, sperans se callidiore artificio hominem à proposito abducturum. Postridie itaque misit Tyrannus qui iubeat, nisi à sententia discesserit, mitti ad se filium natu minimum, quem statuerit vel fide priuare, vel vita. Tam acerbo ictus nuncio pater, tenellum filium nihilominùs ad carnificinam mittit, firmatum quantum puerilis ætas, tempúsque patiebantur. Biduo pòst mittit tyrannus, qui Tito nunciet extinctum Matthæum, in paterno decreto pertinacem, iubeátque, nisi velit ipse principi obtemperare, Martinam filiam ad se mittere, quæ eandem cum fratre aleam experiatur. Ne hoc quidem loco fracta est Titi constantia, sed cum eo sensu, quem cuique facilius est cogitare quàm dicere, puellam mittit, permittítque tyranno.

V. *Et singillatim probata.*

O mirabilem Titum, Abrahamo ne dicam supparem an fortiorem? qui duos iam Isaacos Deo ac morti dedit! sed accessit & tertius. Post aliquot enim dies mittit regulus ad patrem, qui doceat Martinam parendi nesciam fuisse trucidatam, mandétque etiam Simonem liberorum natu maximum ad se mitti, si fortè aut Simon fratrum morte territus cedat, aut Titus omnium liberorum luctuoso interitu frangatur. Non frangitur, Simonem mittit cum hoc monito. Vade, mi Simon, & si qua in palatio vestigia sanguinis aspexeris, intelliges eas esse notas constantiæ domesticæ germanorum tuorum; vide ne degener sis, quem ætas ipsa debet reddere fortiorem. Abierant dies aliquot, necdum perfectum erat mirabile Titi sacrificium. Itaque Barbarus illi renunciari iubet Simonem quoque in eadem obstinatione periisse, superesse igitur, nisi velit ipse resipiscere, vt ād se mittat vxorem. Acquiescit vxor, acquiescit & maritus, certus Marinam suam, liberósque in tuto iam positos, quamprimùm sequi.

Non ita multò pòst refert vltimus nuncius Tito, Marinam quoque fidem in Christum vitæ antetulisse; eandémque cum tota familia sortem, patrifamilias, nisi tot casibus sit factus cautior, esse subeundam. Negat Titus quintam sibi mortem, qui iam quatuor in liberis & vxore perpessus sit, esse pertimescendam. Venit itaque in conspectum reguli, vbi monitis, precibus, minis, cæteróque telorum genere, quatitur: nec labefactatur constantia Titi, cum Tyranni, cæterorúmque infidelium stupore singulari. Victum se ille agnoscit, ídque reddendis Victori spoliis confitetur. Adducuntur ad maritum vxor, ad parentem liberi, non viui solùm, ac spirantes, sed victrici lauro insignes, & triumphali corona gloriosi, eíque redduntur, cum potestate impunè profitendi Christianam fidem. Sícque nobilissimus athleta quatuor victimas quasi mortuas obtulit Deo, recepítque rediuiuas. VI. *Toti, totiúsque familiæ victoria.*

Domum vt rediere, narrant singuli Tito, quid ipsis in palatio, sepositis locis ad periclitandam frangendámque constantiam, singulis ferre contigisset. Narrabat Matthæus frigidissima tempestate gelidam capiti aquam infusam. Idem tulerat Marina quoque supplicium, sed cum probroso auctario nuditatis membrorum omnium. Martina totos tres dies noctésque ieiuna perdurauerat. Simoni vtrumque brachium retro ita distorserant, vt suis pene demota sedibus crudeliter luxarentur: sed steterant nihilominùs, vicerántque non minùs, quàm si mortem optatissimam fractis ceruicibus pertulissent. Ita diuinæ bonitati ac prouidentiæ visum est, gloriosos hosce quinque athletas, in vna eadémque familia citra mortem coronare victores; quibus placet nobilia duarum familiarum facinora, in perferenda pro Christo morte subtexere, etsi ea Titi certamen atque victoriam annis aliquot antecessit. VII. *Quid singuli passi fuerint.*

CAPVT XIII.

Nobile certamen duorum equitum pro fide Christiana, cum vxoribus & matre, filióque paruulo.

ANNO à Christo nato sexcentesimo tertio supra millesimum Canzugedonus in regno Fingensi regulus ægerrimè ferebat primarios è Fingensi nobilitate viros, Christo ita nomen dedisse, vt edicto à se anno superiore proposito de abiuranda religione Christiana, obtemperare negligerent. Cùm ergo superstitiosa quadam ceremonia probare statuisset eorum fidem, inuenti sunt præ cæteris duo equites, quorum vni nomen Ioannes, alteri Simon fuit, qui ne minima quidem in re, quæ tantillum honori fidei Christianæ derogare videretur, I. *Tyranni in Christianos edictum.* Ex Annal. Iapon. ann. 1603. lib. 14. c. 9. & seqq.

aut principi, aut importunissimis amicorum precibus concedere voluerunt. Capitalis ergo sententia in vtrumque destinatur, quàm cùm vterque spe atque opinione præsumeret, primùm ad Ioannem quidam eius amici veniunt, eam denunciaturi, nisi defectionem à Christo extorquerent. Ij priusquam verbum facerent, occupat sermonem Ioannes, Scio, inquit, amici, quamobrem hic sitis; sed vos vicissim hoc scire cupio, ita me animo comparatum, dierum vt viginti carnificinam, qua singulis diebus vnus mihi digitus euellatur, totúmque corpus in minutas particulas concidatur, potiùs subiturum, quàm vt Christo Domino nuncium remittam.

Ioannis Fingensis constantia.

II. *Superstitione tentatus & vi.*

Quæ dum principi renunciatur, iniquissimi iudicij curatores Ioannem per vim raptum in Bonzij cuiusdam domum deferunt, vt recepto supra caput superstitioso Idolorum volumine, à Christo defecisse diceretur, & morti eriperetur. Is dum deportatur, pone subit Magdalena coniux, simúlque exclamat. Vide etiam atque etiam quid agas, mi vir: si enim tantillum hostibus animæ tuæ cesseris, actutum ego vela facio, vt te neque vltra videam, neque maritum agnoscam. Eò vt peruentum est, exurgit Bonzius cum superstitioso codice, quem Ioannes semel iterúmque conspuit. Cúmque illatam vim queri vellet, & fidem profiteri suam, manibus ori admotis loqui non permittitur, sed refertur domum cum calumnia, quasi librum cum veneratione imponi capiti suo passus esset; quæ cùm ille verbis scriptísque literis, esset vbique detestatus, & Ioannis ac Simonis defectio desperaretur. Canzugedonus capitalem denunciat in vtrumque sententiam. Et primùm Ioannes in aulam euocatus, & multis rursum tum blandè, tum acerbè frustra tentatus, irruentes in se milites fortiter excipit, & quatuor ictibus, sancta Iesu & Mariæ nomina iterans, obtruncatur: octauo Decembris, anno ætatis trigesimo quinto.

Fortiter occumbit.

III. *Simon quoque ab amicis tentatur.* l. 14. c. 11.

Simon autem nihilo minore studio, aut meliore successu ab amicis vexabatur. In his eminebat Cacuzaimon, cui tam Ioannis, quàm Simonis certa mors vltrix peruicaciæ à regulo demandata fuerat. Cæso itaque Ioanne ad Simonem, quem iam toties frustra tentauerat, mœstus venit, eóque cum familia euocato, vbertim pro verbis fundit lacrymas: nec Simon ad amici lacrymas, retinere potuit suas. Ergo luctu ambo lacrymisque confecti, elingues erant. Donec Cacuzaimon conuersus ad matrem Simonis. Quoniam, inquit, filius tuus salutaribus amici consiliis non acquiescit, nec attendit quanta res agatur hoc tempore, tu quæ mater eius es, & auctoritate vales apud eum atque prudentia, iube vt regis voluntati acquiescat; hæc enim vnica ratio est, & vestræ, & ipsius expediendæ salutis: nisi regi satisfaciat, caput illi in oculis vestris abscindetur. Cui matrona sapiens, Si quis, inquit, ad hæc humana negotia dumtaxat aspexerit, meliora isto consilia neque requiret, neque reperiet.

Matris eius constantia.

At quoniam æterna nunc agitur animorum salus, in tali causa filium meum vitam ponere non laboro; æterna felicitas nimium magno emi non potest; si placet me quoque in eadem causa morte defungi, summo me beneficio tibi deuinxeris. Quibus auditis Cacuzaimon, cum contitio discedit indignans.

Nec tamen desistit alias atque alias comminisci artes, quibus malè dilectum amicum à suscepta sententia deducat. Domo abductum sua, profanis in ædibus collocat, vt vltima in eo peruertendo experiatur. At Simon ad suos, isti putant etiam animum cum loco mutari. Stabo nihilominus, Deo bene propitio, vósque pro vestro in Deum ac meipsum amore obtestor, vt constantiam istam ad extremum vsque spiritum conseruetis. Sed quid ego singula persequar? Mittit Cacuzaimon virum nobilem Iecicauam, Simoni non solùm amicum, sed cognatum etiam, qui ei à Rege mortem cum epistola nunciet, inferátque; quæ, ritu patrio, erat vltima gratia Cacuzaimonis in Simonem. Eum ille intempesta nocte adit, & offendit orantem, simúlque lecta epistola exclamat, ô lætissimum nuncium! cúmque Deo quàm potuit maximas egisset gratias, matrem adit atque vxorem in altero cubiculo quiescentes, eásque lætitiæ suæ participes facit; & quasi iturus ad nuptias, more Iaponio abluit se aqua tepida, & festo vestium cultu ornat, famulos eiulantes consolatur, ornátque munusculis. IV. *Artes amici infidelis ad eum expugnandum.* *Mors illi nunciatur.*

Hic vxor eius Agnes nomine, maritum interuentu matris exorat, vt ei capillos detondeat, ne forte quis eam, si diutius viuere contigerit, requirat vxorem, quod Simon lacrymanti negare non potuit. Tum cum bona venia Iecicauæ, tres viros de congregatione, quæ dicitur misericordiæ, accersit, vt adessent morienti, qui cùm amantissimè inter se, vt tempus ferebat, consalutassent, orasséntque, mater & vxor confessionem, & ter orationem dominicam cum angelica salutatione recitāt. Simon paululum rursus mente orat, & cereos ad imaginem Christi populo à Pilato post flagellationem propositi iubet accendi, & vna manu parentem, altera coniugem tenens. Hoc ego, inquit, amantissima capita, vltimum vobis vale dico, præibo itineri præparando, cúmque adiero beatam illam patriam rogabo pro vobis, vt me modico interuallo sequamini; quod ille crebro iterauit, nesciens eas iam morti destinatas. Adeunt mox omnes supplicantium ritu, cum Simone aulam martyrio destinatam, & iterata ab omnibus precatione, Simon coram Deo caput ad terram vsq; venerabundus demittit, & explicato fortiter collo, caput obtruncandum præbet; quo celeriter abscisso, omnes ei felicissimam mortem cum festo clamore gratulantur, Ioanna præsertim mater, & Agnes vxor, eúmque sibi propitium fieri tanta constantia, feruore, animíque demissione deprecantur, vt ethnici quoque circumfusi, hæc Christianarum virtutum miracula summopere prædicarent. V. *Vxoris pietas, & Simonis apparatus ad mortem.* *Egregiè moritur.*

A beata Simonis morte mater eius & vxor mœstæ in sua cubicula VI.

Cognatarũ mulierum insignis fortitudo. secedebant, quod vererentur ne martyrij palmam amitterent, eáque de causa vberes fundebant lacrymas; cùm vir quidam nobilis, qui Simoni adfuerat morienti, & illius monitu in viam rectam à defectione redierat, non modica eas lætitia perfudit. Accepi, ait, Magdalenam Ioannis viduam morti addictum esse; itaque ne vos quidem alia sors manet. Ea spe recreatæ nullum deinceps mœroris indicium aut voce aut vultu ediderunt, quin obnixè potiùs tres illos viros de congregatione misericordiæ obsecrarunt, ne eas in hac vltima pugna desererent. Ipsæ in genua procumbunt, & beatissimæ Virgini rosarium quasi valedicturæ, singulari cum pietatis sensu recitant, ipsi vt alieni à fide satellites, eo fortitudinis spectaculo vehementer obstupescerent. Vnum deesse videbatur ad cumulum lætitiæ, si eis Magdalena socia iungeretur; quod cùm à Gubernatore impetrassent, tanto gaudio in occursu perfusæ sunt omnes, vt eo explicando impar sit omnis oratio. Deduxerat autem Magdalena septennem puerulum, & ipsum martyrij candidatum, fratris sui filium, & à se maritóque adoptatum: cui mater, fili mi Ludouice, breui ad patrem tuum ibimus, vide vt ne tibi excidat suauissimum Iesu & Mariæ nomen. Non excidet, mater, non excidet, inquit puer.

VII. *Se ad mortem comparant.* Cùm dies ille abiisset in sanctissimis colloquiis, & admonitionibus, ad eos qui lapsi à fide, nobiles mulieres, vltimùm salutaturi inuisebant, obscura iam nocte, id enim tempus vitandæ populi frequentiæ magistratus elegerat, monentur vt se ad iter & mortem parent, quod illæ multis cum precibus ac lætitia faciunt, quasi ad conuiuium, non ad supplicium proficiscerentur. Ventum erat ad locum, vbi iam cruces erectæ erant, Ioanna Simonis mater prima alligabatur ad crucem, cùm ad carnifices conuersa. Quando, inquit, Dominus meus Iesus Christus affixus est cruci, acerbissimos dolores tulit, quem quia imitari cupio, rogo vos vt me atrociter toto corpore cruci alligetis. Quod cùm illi facerent, & collum ipsum arctius constringerent, Laxate, inquit, paululum colli vincula, vt commodius orem; & scilicet vt circumfusum populum monere posset, quæ ad eius salutem facerent: quòd dum facit, vnus de satellitibus hastam de more defigit in corpus, sed mollius. Itaque Ioanna clamat, Ferri acies non bene exacuta est. Iesus Maria, ferri acies non bene exacuta est. Ergo carnifex vulnus illico redintegrat, tanta vi vt ferrum in sinistro latere impactum, à dextera scapula emineret, sicque beata illa anima sanctum Iesu & Maria nomen implorans euolauit in cœlum.

Ioanna cruci alligatur, *& hastæ transuerberatur.*

VIII. *Magdalenæ martyrium, & filij eius Ludouici.* Deinceps Magdalena cùm immitius alligaretur ad lignum, de carnificum inhumanitate, quasi de nouo beneficio, gratias agebat Deo. Ludouicus autem videns alligatam ad crucem matrem, ad suam ipse accedit vltro, cúmque iam colligandus esset, quidam de astantibus, nihilne, inquit, times fili mi, tam vicina morte? Minimè, inquit puer, per Dei gratiam. Clamauit tamen paululum, cùm atrocius à satellite constringeretur. Eam innocentis puerulí vocem cùm præfectus audisset, lacrymas

tenere non potuit, modicéque funes laxari iussit. Astabat matri filius, eámque intentius intuebatur,& alternis Iesus & Maria resonabant. Ludouicum lancea priorem perstrinxit, nec, incertum quo casu, ferro fallente perfodit. Ergo iteratur ictus;& ingemiscente populo,nullus pueri clamor, ac ne gemitus quidem auditur, ne lacryma quidem vlla teneras madefecit genas; Móxque ferrum idem innocenti adhuc sanguine filij distillans in maternum pectus sub dextera mammilla immergitur, quæ cùm sanctissimum Iesu nomen iteraret, hoc dolebat vnum, quod velo capitis in oculos defluente, cœlum videre prohiberetur, vbi statim cum triumpho recepta est.

Agnes Simonis vxor vltima peruenit ad palmam, crucémque suam insidens gratias agebat Deo, quòd mortem in ligno subitura esset, quod ipse sua morte consecrasset. Et innuebat ministris vt accederent, quod illi defunctarum & huius, quæ reliqua erat, constantia stupefacti, facere cunctabantur; Ergo seipsa sponte componebat ad crucem suam; cùm Ethnici quidam, quibus nulla erat huius rei commissa cura, eam funibus constrictam in crucem tollunt, multísque confossam ictibus, cum dolorum & meritorum incremento vita spoliant, in vrbe Iateuxico regni Fingensis, nono Decembris, 1603. Eorum corpora reguli iussu annum vnum è crucibus pependerunt. Lipsana nihilominus, quantū summa diligentia fieri potuit, religiosè collecta,& conseruata sunt, animarum beatitudinem lumina cœlestia permultis conspecta testata sunt: glorioso autem triumpho sacer manipulus, diuini amoris: fortitudinem omnibus gentibus, seculísque prædicabunt.

IX. *Agnetis certamen forte.*

CAPVT XIV.

Illustre specimen admirandæ fortitudinis octo Christianorum lento incendio consumptorum.

VIx equidem me contineo, ait Fortis Amor, quin præcedentibus duabus historiis, addam & tertiam, si placet;& quidem vtraque mirabiliorem, variis licet iam linguis literísque celebratam, magnóq; plausu à populo Christiano vbique receptam. Ego verò, inquam, maximopere tibi sum autor, ne te contineas, néve huic labori parcas. Sunt enim eiusmodi, ea quæ parturire te sentio, quantum ex prioribus coniicio, vt digna sint quæ quotidie ab omnibus Christi cultoribus, eiúsque amoris candidatis, lingua literísque celebrentur. Dicam ergo, quoniam ita placet, sed ita moderabor orationi meæ, vt nec longitudine, vestra abutar patientia, neque nimia breuitate, rei dignitatem elidam atque obscurem.

I. *Transitio ad aliam historiam.* Ex historia de Martyrum Iaponiorū triūphis l. 1. c. 5. & seqq & l. 2. c. 13. 14. 15. Et annal. Iapon Anno Christi, 1613.

Michaël in regno Arimensi in Iaponia regulus, cùm dominandi cupiditate Ioannem parentem calumniis, apud Imperatorem Iaponium Cubum nomine, auito regno deturbasset, ea tamen lege vt Christianam religionem abiuraret ipse, & ad eandem defectionem subditos

II. *Causa vexādi Christianos Arimēsi regulo.*

suos Arimenses pertraheret. Accepit & ab Imperatore quasi tutorem Safioium, nomini Christiano infestissimum caput, cum eo mandato, nihil vt ille ageret aut moliretur, nisi de istius cõsilio, præsertim circa euersionem Christianæ pietatis. Tantum malum misero principi persuasit ambitio, quam etiam, quasi admota face, accendebat neptis imperatoris, Fima nomine, quam, legitima vxore repudiata, Michael duxerat, mulierem, quæ pessimè oderat Christianos. Ab his ergo duobus, Arimensis regulus ad immensam contra Christianos crudelitatem pertractus est; quamuis nullo admodum odio laboraret ipse aduersus eam fidem, quam maxima cum offensione, perfidiáque deseruerat.

III. *Fallitur à Saffioio, suo quasitutore.* Nam, vt cætera eius facinora missa faciam, & nominatim duorum eius fratrum Francisci & Matthæi iniustissimam cædem, cùm Saffioius, extimulante Fima, scripsisset ad desertorem istum, accepisse se à regia literas, quibus ferebatur Arimensem principem delatum ad Imperatorem, quasi virum in persequendis Christianis, leni animo ac remisso, ideóque illum agere de ipso aliò transferendo. Quæ non absurdè ficta, & inde exortum timorem, cùm Saffioius literis, Fima sermonibus coram amplificaret, hominem facilè perpulerunt, vt aliquot de primariis subditorum suorum familiis eligeret, quas à Christiana religione omni opera, artificióque deduceret; id si minus hac ratione consequeretur, lento igne perderet vniuersos. Valiturum id tum ad iustissimum aliorum terrorem, tum ad remissionem illam apud Imperatorem purgandam.

IV. *Octo Christianos per se suósque tentat,* His acquiescit infœlix, mandátque magistratibus suis, vt octo viros nobiles, quos nominatim proferebat, ad se euocent, omníque studio, & animi contentione ad defectionem pelliciant. Quod cùm illi frustra tentassent, eos ipsemet sigillatim accersit, Safioij literas ostentat, docétque quanto in discrimine regnum Arimense versetur propter Christianorum contumaciam. Demonstrat hoc maximè nunc agi, vt maiorum suorum hæreditate pellatur, & ipsi ignotum aliquem, externúmque principem experiantur. Itaque obsecrat atque obtestatur, vt aliquantisper dissimulent, ac tempori cedant. Quibus precibus cùm verissimas lacrymas, singultúsque coniungeret, id expressit vt quinque ad externam *Et quo euentu.* speciem fidei Christianæ nũcium remitterent, quorum tamen quatuor paulò pòst feliciter resipuerunt, tres in tanto certamine perstitere constantes; quibus alios quinque adiunxit, qui in supplicio locum desertorum tenerent. Quamuis autem in decem Christianos decretum fuisset incendium, octo tamen duntaxat subiere martyrium, quod duos consanguineorum fauor morti eripuerit: qui tamen omni studio contenderunt, vt reorum numero redderentur; maioréque ambitu vitam ponere, quàm alij retinere studuerunt.

V. *Octo morti addicit.* Mortis ergo sententia in octo Christianos pronunciata est, quorum ista sunt nomina, Adrianus, eiúsque vxor Ioanna, Leo cum Martha coniuge, duobúsque liberis Iacobo & Magdalena. Alius item Leo cum

Paulo

Paulo filio. Nam vxorem eius Monicam, cum filia, is quem dixi cognatorum fauor viuere coëgit. Octo itaque illi coniiciuntur in vincula, & dum expectatur destinatus morti dies, totum Arimense regnum peruadit rumor insolentis adhuc in Iapone supplicij, acciuitque omni ex sexu, ætate, conditione Christianos, tanto numero, facilè vt viginti millia explerent; nec videndi solùm gratia, sed etiam, si res ferret, singulare Dei munus participandi. Venerunt autem, contra Iaponiorum morem, prorsus inermes, vt reipsa demonstrarent se non pugnandi, sed patiendi causa conuenisse; itaque loco armorum omnium rosaria singuli è collo suspensa gestabant, & infidelibus gloriosè ostentabant. Feruor autem is fuit, vt de cibo in viaticum nemo omnium in tanta multitudine cogitaret. Erat quippe decretum omnibus ac persuasum, sibi Arimæ pro Christo Domino esse moriendum, & superfluum videbatur vitam cibo propagare, quæ foret illico profundenda. De necessariis tamen ita ipsis à capitibus sodalitiorum prouisum est, vt nemini quidquam deesset. *Adspectaculum Christiani confluunt.*

VI. *Magno numero, modestiáque, & fortitudine.*

Mirabile porro spectaculum fuit Deo, angelis, & hominibus, videre in magna planicie, arci tyranni subiecta, viginti millia hominum martyrij candidatorum, præter ipsos Arimenses ciues, tanta lætitia turbulentis temporibus gestientium, quantam nemo in placidissima pace, maximáque ludorum celebritate meminisset. Interdiu ciues sobriis moderatísque conuiuiis hospites suos excipiebant, iidem noctu crebris luminibus, ignibúsque excitandis, simul nocturnam rerum confusionem vitabant, simul rogum quisque sibi, quasi martyrum societate fruiturus, præparare videbatur. Misit princeps qui renunciarent, immissurum se, nisi abirent, armatum militem, qui catapultariis ictibus omnes confoderent. Hoc accepto nuncio gaudio exiluerunt Christiani, nec quisquam omnino repertus est in tanto numero, cui glandium ignitarum timor discessum persuaderet; quin potius globos vndique densauere, ne catapultæ irrito vsquam ictu disploderentur; quando interea Bonzij, vim ac tumultum veriti, diffugiebant, Saffioius autem sibi, tanquam harum turbarum authori, ab Imperatore metuebat.

VII. *Terrentur infideles, & confirmantur.*

Ipse quoque princeps cùm vim à tanta multitudine formidaret, consilium iniit de martyribus, in domo, in qua custodiebantur, incendendis. Quod cùm percrebuisset, eam domum illico Christiani frequentes cingunt, ne sacris martyrũ spoliis, lipsanisque priuarentur. Hic vehemẽtius etiam formidare magistratus, omniáque trepidè circunspicere. Etsi enim omnes inermes confluxerant, in promptu tamen eis erat, vel lapidum coniectu, si libuisset liberare captiuos. Ergo sodalitiorum præfecti iudices adiere, timorémque sustulere, ostendentes nihil esse formidandum; à vi omnia longissimè abesse, quàm si afferre voluissent, aut deterius aliquid animo agitassent, potuissent vtique à primo statim aduentu fieri voti compotes. Sed improba ista facinora summopere à Christianis legibus abhorrere; rogare solùm ne conspectu tam insolentis spectaculi priua-

rentur, cuius causa huc vndique accurrerant, sed ritu Christiano suos comitari morituros permitterentur, adesse morientibus, & vita functos sepelire: omnem tumultum, vim, iniuriam se præstituros; nihil enim ab iis esse periculi, ne principis mandata impediant, qui tale supplicium, tali ex causa sibi suisque vehementer ambiant.

VIII. *Statuitur publicum incendium. Locus.* His confirmatus princeps, iussit decretum incendium publicè executioni mandari: vt si tanta supplicij acerbitas minus ad terrendos Christianos valeret, Imperatoris certè suspicionibus curandis, aut mitigandis prodesset. Eligitur ergo iuxta vrbem campus latè patens, in quo lignea domuncula excitatur, octo nixa stipitibus humi defixis, arundineo stramineóque tecto: circunquaque crebra validáque tigilla statuuntur arcendo populo, ne propius accedat ad reos. *Modus.* Interiectum autem spatium septum inter atque domunculam materia incendio apta farcitur, vt igne concepto, paulatímque ad domunculam serpente, ad suos ligati palos martyres torrerentur, eodémque mox tectum eius corripiente, omnia confuso incendio miscerentur, & verterentur in cineres. *Tempus.* Isti sacrificio dicta est dies septima Octobris, anni 1613. quæ fuit secunda hebdomade feria.

IX. *Supplicatio deducendis martyribus.* Hoc accepto nuncio Christi milites triumphare gaudio, procumbere in genua, Deo gratias agere, tam felicem sortem sibi mutuo gratulari, & accepto præmissa confessione sacro viatico, ad vltimum translati sunt carcerem. Tota autem illa multitudo vrbe recepta, & in certas turmas à sodalitiorum præfectis, vitandæ confusionis gratia, digesta est, seni gradiebantur, aut cereos accensos manibus, aut rosaria præferentes; medium supplicationis huius occupabant octo victimæ sacrificio destinatæ, quarum latera duo congregationum præsides claudebant. Viri candidis erant amicti vestibus, reuinctisque ad dorsum manibus, excepto Iacobo vndenni puero, quem vincula postulantem lictores reiecerunt, negantes se funes habere ad puerum constringendum; in vinculis nihilominus erant mulieres cultiore amictu vestitæ.

X. *Feruor Christianorum.* Non defuerunt è Christianis aliqui, qui feruore concepto suũ transgressi ordinem, ad martyres propius accederent, illisque suam gratularentur felicitatem, & si quid possent de eorum vestimentis raptim auferrent. Sed id martyres non permittebant, eúmque titulum recusabant, eorum vicissim precibus imploratis. Optauit quidam puerum Iacobum in humeros suos sublatum deferre, vsque ad locum supplicij; quod Iacobus recusauit, asserens Seruatorem suum Caluarium conscendisse non solùm peditem, sed propria etiam cruce onustum. Non vicit tamen. *Maximéque Iacobi pueri martyrij cãdidati.* Nam Christianus ille fortior, nihil repugnantem moratus, eum per vim in humeros sustulit, & pia lætus sarcina, eam ad supplicij locum portauit. Interea supplicatio ordine progrediebatur, beatissimæ Virginis, omniúmque Sanctorum opem nominatim implorans: cúmq; nonnulli præ cordis teneritate lacrymarentur, Iacobus ad eos conuersus, Nolite

flere, inquit, nolite flere, procedite hilares, vt me videtis facere: qua pueri excitatione, tanto ipsi vberius lacrymabantur.

XI. *Executio martyrij.* Ventum erat ad sacrificij locum, cuius apparatus idoneus erat ad incutiendum fortissimis terrorem. At intrepidi martyres suam quisque columnam, vt poterant, erant enim brachia eorum ligata, complectebantur, &, vt olim S. Andreas Apostolus, singulari affectu salutabant. Interea circumfusi populi gratulationibus, plausu, acclamationibus omnia personabant. Cùm autem cæteri ad suos quisque palos alligarentur, *Leonis confessio.* Leo Cayemon euasit in tectum, & indicto, atque impetrato manu silentio, sonora voce pronunciauit omnes hilariter pro sola Iesu Christi fide mortem oppetere, extra quam nulla sit homini salus. Expectare ipsos Dei iudicium, ad quod ipsorum corpora excitanda sint ad meliorem vitam, eóque tempore illos, à quibus nunc afficerentur suppliciis, æterni cruciatibus addictum iri. Postremo adhortatus omnes ad constantiam, etiam cum vitæ discrimine, atque fortunarum, cùm applausus, lacrymæ, singultus, acclamationes omnium Christianorum audientiam impedirent, descendit, & ad suam columnam reuersus, illam tenerè complexus est, quasi prælibans gaudium & gloriam, quàm ei tigillus ille parturiebat.

XII. *Populi deuotio, ipsorúmque martyrum.* Hic Gaspar præfectus primarius Sodalitatum Arimensium vexillum extulit, in quo Christi ad columnam alligati, & flagellis concisi depicta erat imago. Cúmque paucis martyres ad postremum hoc certamen, & Christi imitationem esset cohortatus, accensus est ignis circumquaque, cuius illi vim desiderio suo prouocabant, donec ad ipsos peruenit; cúmque illi certatim magna voce Deum obsecrarent, populus quoque circunfusus procumbens in genua, Deum pro ipsis, pro sua quisque deuotione deprecatus est, aliqui cernentes eos igne corripi, pugnis sua pectora præ commiseratione tundebant, alij misericordiam diuinam voce lamentabili postulabant. Ipsi autem martyres nunc flammas animosi, nunc socios gratulantes respectabant, deinde etiam circunstantem populum, re magis quàm verbis, ad martyrium incitabant. Quod enim spectaculum admirabilius à multis seculis vidit Ecclesia Dei? In populo præsertim, qui nuper Deum cœpit agnoscere, populo in vltimis terrarum ac marium finibus constituto, qui nunc honorat fidei suæ tyrocinium, & acerbissimo incendio sui in Deum amoris fortitudinem attestatur.

XIII. *Mors vtriusque Leonis.* Interim autem dum admirabiles hosce pugiles intuemur, ignes qui eos afflabant ac torrebant, nunc correptos cum suis stipitibus incendunt. Leo ille qui supra tectum concionabundus ascenderat, vbi tigillo suo alligatus fuit, nusquam vel tantillum à cœlo dimouit oculos, quasi ibi spectatores videret angelos, à quibus iamiámque laurea donandus erat. Alter Leo grassantis victor incendij, tanto impetu spiritum profudit, pronunciandis Iesu ac Mariæ nominibus, vt non

vocem, ſed rugitum edidiſſe videretur. Nam quamuis flammæ crepitantes magnum ſtrepitum ederent, quem confuſæ tantæ multitudinis voces vehementer augebant, ab omnibus tamen qui aderant Chriſti & Idolorum cultores, vox Leonis noſtri clarè ac diſtinctè exaudita, adeóque multitudinem omnem ſpectatorum longè prætergreſſa eſt. Atque ita heroica vis animi languenti corpori ſupra naturæ modum, fortitudinem impertiuit.

XIV. *Magdalenæ & Iacobi fratris glorioſa mors.* Quod ad Magdalenam, & ætate, & voto virginem, facinus edidit mediis in flammis prorſus admirabile, & vniuerſæ poſteritatis prædicatione dignum. Cùm enim funes, quibus alligata fuerat, flamma conſumpſiſſet, ſatis habuit animi ad candentes prunas vtraque manu accipiendas, capitíque ſuo honoris ac venerationis cauſa, imponendas, quaſi pulcherrimorum florum coronam, móxque igni ſuauiter ſuccumbens, puriſſimam efflauit animam. Quid autem frater eius Iacobus? Agnellus hic, maiores inter victimas Deo mox animam redditurus, vbi ſenſit ſe vi flammæ vinculis exſolutum, medios per ignes, prunáſque ardentes accurrit ad matrem, eámque complexus eſt. Tum mater, Aſpice in cœlum fili mi, aſpice in cœlum; Iacobus autem Ieſu & Mariæ nomine ter appellato, capite ad matris pectus inclinato, animam Deo, cum glorioſo reliquorum martyrum globo, reddidit.

XV. *Exhortatio ad peccatorē.* O infelix peccator, te enim appello gemens, miſertus tui, quid tibi aliquando dicent & puella illa, & iſte puerulus? quibus tibi verbis exprobrabunt ignauiam tuam, qui non habeas ſatis animi ad calorem & moleſtias ſtimuli carnis modico tempore ſuſtinendas, cùm ipſi per medias prunas, globóſque flammarum, incedere non dubitarint? prunas manibus collegerint, capiti cum reuerentia impoſuerint? Probarunt illi ſui in Deum amoris inuictam fortitudinem, quæ illis cœlum aperuit; tu ignauiæ tuæ argumenta præbes, in hac tyrannide cupiditatum tuarum, quæ te in tartarum præcipitem dabunt. Age verò per Deum immortalem! num illi alios habuerunt inferos, quos pertimeſcerent? num ad aliam aſpirabant felicitatem, ab ea quæ tibi promiſſa eſt, ſi teipſe in tentatione viceris? num maiore quàm tu reuerentia à peccando retineri debuerunt, ne precioſum Chriſti ſanguinem pro vobis effuſum polluerent? Ecquid meminiſti Romanum illum militem, qui inepta ex cauſa flammis brachium exurendum dedit? tu Chriſtiane pro æterna gloria voluptatis igniculos non elides? Age igitur, & iam nunc firmiter ſtatue, & decerne conſtanter emori potiùs, quàm diuinam amicitiam mortifera noxa violare.

CAPVT XV.

Diuinum Iesu Christi amorem eximiam fortitudinem in ortu, vitæ suæ demonstrasse.

GREGORIVS Nazianzenus antistes Macchabæorum constantiam fortitudinémque demiratur, qui in lege Mosaica, antè Christi patientis exempla, præstantissimi Dei martyres extitere: cuius tamen meritis, quæ se in præteritas ætates transfuderunt, diuino illi animi robore præstiterunt. Quò iustior est exprobratio, & in cœli terræque conspectu minùs excusanda humani in Deum amoris ignauia, infractúsque vigor in frangendo iniusto vindictæ appetitu, in abdicanda illicita voluptate, in aspernando improbo quæstu, denique in tolerandis aduersis rebus, quarum perpessio longè minorem habet acerbitatem, ea morte, quæ animas à corporibus atrociter disiungebat, prout hactenus recensuimus; & quibus multò plura proferri poterant: sed à famulis ad Dominum, à discipulis ad magistrum transeundum est. Is enim maiora suppeditabit argumenta demirandi fortissimi amoris eius, propter infinitam amantis dignitatem, quàm primi illi martyres, aut isti postremi. I. *Transitio ad Domini fortitudinem.*

Hic ego, Sed in hoc primo aditu, inquam, velim à te illustrari difficultatem, quæ statim infidelibus occurrat. Cùm enim vis amoris duabus maximè in rebus cernatur, vt suprà dictum est, primùm grauibus incommodis tolerandis, in gratiam eius qui diligitur, deinde in arduis pro eodem aggrediendis ac peruincendis, non videtur Deus alterutro modo fortitudinem amoris sui demonstrare potuisse. Rectissimè dicis, ait Fortis-Amor, Pati enim, ex quo patientia nomen accepit, cum summa, perfectissimáque beatitudine pugnat, nec aggressio rerum difficilium infinitæ potentiæ conuenire potest. Nihil enim illi difficile est, nec res vlla ei magis in promptu est, quàm quæuis alia. Singulas animas tam facilè quotidie producit, quàm olim totam hanc rerum vniuersitatem procreauit; neutro quippe in opere vim adhibet, præter consensum potentissimæ voluntatis. Cuius rei hæc ratio est cum primis efficax. Difficultas enim conficiendæ rei ex magnitudine aut tenuitate petitur illius facultatis, à qua res effici, & difficultas expugnari debet. Quòd si potentia in immensum creuerit, ita difficultas proportione minuetur, vt penitus euanescat. Itaque nos res faciles difficilésve dicimus, prout res vltra vel citra potentiam nostram positæ sunt; & sic pro modo nostro de rebus diuinis coniicimus atque disserimus. III *An fortitudo in Domino locum habeat.*

At Deus factus homo rationem inuenit ac viam, qua vtrumque fortitudinis actum exercere posset in terris: quam in gratiam religiosarum IV. *Habere per incarnationem*

animarum, non sublimi quapiam, sed populari oratione explicabimus. Quadraginta iam secula ab ortu rerum abierant, aderátque plenitudo temporis, annus decretorius mundanorum morborum, annus quem respiciebant omnes anni præcedentes, quem sancti vates studiosè notauerant, cùm cœlestis orator Dei iussu venit in Galilæam in oppidū Nazareth, magni vtiq; momenti legationē obiturus; quando qui mittit Deus est, & qui ea fungitur vnus est de primariis cœli ciuibus, & ea ad quam mittitur, mortales omnes seculorum omnium, si ab vno eius filio discesseris, dignitate antecedit. Quæ porrò causa est legationis huius?

IV. *Qua illius causa.* Visere voluit Deus terrestrem hanc regni sui partem, magna rerū perturbatione, multis magnísque morbis, grauissimísque miseriis oppressam, quæ viscera eius ad commiserationem propensa, poterant ad opem ferendam commouere: iuxta propheticum illud oraculum, *Per viscera* Luc. 1. *misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Errorum quoque tenebras depulsurus, *Illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Æs alienum populi sui dissoluturus, *visitauit* enim *& fecit redemptionem plebis suæ.* Et sicut olim Pharaonem debellaturus, in Ægyptum descendit, ita & nouissimis temporibus populum suum à Diabolica tyrannide liberaturus, illúmque fortem armatum expugnaturus, qui mortales omnes tam tetra seruitute opprimebat, vix vt suam auderent gemere seruitutem: simúlque eum expugnando demonstraturus, quam forti nos amore prosequeretur. Itaque in istum quoque quadrasse videtur, quòd olim Deus in Pharaonem dixerat, *Idcirco posui te, vt osten-* Exod. 9. 16. *dam in te fortitudinem meam.*

V. *Dialogismus Verbi incarnandi cum Angelis.* Quòd si quis attendat quanam homines venientem regem suum ratione tractauerint, dicere vtique licuit beatis Angelis, qui huius diuini consilij conscij esse potuerunt, quòd & piè meditari licet hominibus. Placet ne igitur, inquiunt, ô fortissime mortalium amator, in eorū gratiam probare in terris fortitudinem & patientiam tuam? Vtique placet, inquit Seruator. Bene habet, aiunt Angeli, sed memento quæso animū ferre ad patientiam bene comparatum. Nam quæ duæ res hominē diuexare possunt, eiúsque patientiā exercere luculenter, corporis dolores, & animo illata dedecora, probra, contumeliæ, ambabus mensa tua co- *Qui ei proponunt obiecta varia patientiæ.* piosè instruetur. Veniam nihilominus, inquit ille, placet vexari cruciatibus, & opprobriis saturari, sicut olim Dauid & Esaias de me prænunciarunt. Includeris, inquiunt Angeli, in angustissimi vteri carcere, vbi de- Psal. 21. c. 53 cimum ad mensem humanis constrictus vinculis, & densis circumfusus tenebris latebis; tu, cuius magnitudo immensa est, cuius splendor supremam cœlorum regionem illuminat.

VI. *In vtero virginis.* Ibi mutum erit Verbum patris, quod linguam mutorum soluturum est: ibi nihil videbit is, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Ioan. 1. mundum: ibi subsistet immotus, qui vitam præbet & motum rebus omnibus, quæ eorum possunt esse participes. Ibi rerum omnium

effectrix potentia nihil aget, quòd oculis cerni possit, nisi quòd matri conseruabit illibatam virginitatem. Ibi ignota mortalibus, atque otiosa videbitur Sapientia, sed Bonitas in amando otiosa esse non poterit. Illud quoque animaduerte, si placet, ô magne princeps. Si quis sapiens iter suscepturus esset, in quo resciret se in carcerem coniectum iri, in quo totos nouem menses, neque cœlum visurus esset, neque vllam lucem, nónne à proposito desisteret? vix totidem horis miseriam illam ferre vellet. Imò vellet, inquit Seruator, si nosset susceptum negotium id exigere, sicut illud exigit, quòd ego suscipio: quæ est gloria Patris mei, & per nouum hominem hominum salus.

Exeunti porrò ab illo carcere, inquiunt, paratum tibi erit olidum stabulum, aut spelunca in extrema rupe Bethlehemitica, quò se per noctem lupi recipiunt, & syluestres feræ; aut homines, quos à communione cæterorum pestifera contagio secreuit; aut leprosi, quibus aditus ad vrbes non patet; aut peregrini pauperes, quos occupauit improuisa nox, vt ventos & pluuias, cæteràsque cœli iniurias deuitent. Locum autem ipsum aranearum telis, quasi aulæis circumuestient, solum autem boum, equorúmque stercoribus latè consternent. Ibi lectus erit præsepe, plumea culcitra, fœnum aut palea, lac, cibus, panni fasciæque, vestes. Scio amici, inquit ille, probè, scio isthæc omnia. Non vlla laborum facies mihi noua, vel improuisa nunciatur: VII. *In stabulo, & præsepi.*

Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi.

Pergunt; Intempesta porrò nocte non alio lumine frueris, quàm quod Luna, vel stellæ ministrabunt, nisi quòd tu isthinc fortè detuleris, aut Angeli tui, si quos volueris interesse, qui ad hasce miserias commiseratione tangantur. Quin media ipsa in bruma, non alio igne foueberis, aut calore, ab eo quem suggeret virgineum matris pectus, aut halitus bouis & asini. Deferam mecum, inquit ille fortis amator, Charitatis incendium, eóque exardescens animus, calorem corpori, si videbitur, communicabit. Veniam itaque perlibenter, nec vlla me morabitur difficultas. Vtique perlibenter, inquiunt, sed quàm hilariter, tu videris. Ibi certè gemes, & contremisces, & lacrymaberis, nec maiorem cæteris infantibus gratiam experieris; primam quippe vocem similem omnibus emittes plorans. Pedes manúsque fasciis colligabunt, nec eorum tibi, aut cæterorum membrorum liberum vsum permittent. Denique postquam maiestatem tuam infantilibus membris obtexeris, experieris ipse vt mortales dignitate tua licentius sint abusuri. VIII. *In frigore & tenebris.* Sap. 7. 3.

Flebo illic quidem, inquit Seruator, vt ætas feret, sed flebo præ gaudio, vbi me contemptum sensero, ad exaltandam gloriam Patris mei, & ad corda hominum mihi demerenda, eísque promerenda sancta desideria imitandi paupertatẽ ac labores meos. Præ gaudio verò, aiunt illi, imò & præ dolore. Ferreo quippe, aut lapideo cultro præcident in circuncisione carnẽ tuam, & innocentissimo tuo sanguine manus suas, tenellaq; IX. *In circumcisione.*

mēbra tua cruentabunt. Maximè verò, ait, ſed hoc erit pignus integræ redemptionis, quam ſuo tempore pro ſubditis meis exoluam, corpus autem meum, indicio regiæ dignitatis, ſanguine meo purpuraſcet. At regiæ iſti dignitati, aiunt, erit qui ſe animoſè opponet, atque interimat, niſi tibi longinqua apud Barbaros fuga conſulueris: quíque, ad te comprehendendum, crudeli aduerſus bimulos infantes carnificina ſæuiet. Atque ita qui in cœlo rex es, eris in terra fugitiuus.

X. *Et fuga in Ægyptum.* Verum eſt, inquit Seruator; ſed hæc ipſa fuga iis conſolandis ſeruiet, qui iniuſtè à patrio ſolo extorres fient propter me, vbi ego illos peramanter comitabor, vt me in Ægyptum mater mea comitabitur, & in ſinu per mellitos amplexus deferet. Illi rurſum Sed pueriles iſtæ blanditiæ multo triſtitiæ felle diluentur, cùm in ea regione viuendum erit, quæ omnium, quas ſol ille perluſtrat, ſuperſtitioni addictiſſima eſt. Quo ſcelere nullum tetrius, nullum diuinæ maieſtati inimicius eſſe poteſt. Ita eſt, ſed ego iſtorum idola præſentia mea de ſedibus ſuis ignominioſè deturbabo: quod erit præludium idololatriæ toto orbe terrarum paulatim exterminandæ, & tyrannidis illius fortis armati, per me, meóſque fortiſſimis certaminibus profligandæ.

CAPVT XVI.

Diuini Ieſu Chriſti amoris in progreſſu vitæ fortitudo.

I. *In paupertate & laboribus vilique famulatu.* *Pſal. 87. 16.* QVOD ſi placet, inquiunt Angeli, vitæ tuæ in terris degendæ conſiderare progreſſum, ô quàm ſæpè, & quàm verè licebit tibi dicere cum Dauide, *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Adeóque ab ipſa infantia, teneráque pueritia. Cùm fames & ſitis, frigus & calor, cæteráque humanæ infirmitatis argumenta, quibus ſubinde vexaberis, toleranda erunt, num hæc quaſi pueritiæ, aut adoleſcentiæ oblectamenta reputabis? cùm Hieroſolymis triduo deſertus à tuis, aut mendicabis, aut ex aliena comitate, & benignitate pendebis. Quando, quaſi alius eſſes ab eo qui es, domi vltro ſeruies obſequioſiſſimo famulatu, aut, in lignarij fabri officina, iuga boum & aratra conficies, immiſſitios cardines, & incaſtraturas. Tu, cui beatarum mentium ordines vniuerſi ſumma cum veneratione famulantur. Totis quoque legionibus, ait Dominus, famulabuntur in terris, ſi viſum fuerit nobis. Sed volo ego quoque, vt ille olim Iacobus Patriarcha, ſeruire Patri meo, vt ſponſus fiam pulcherrimarum animarum, non annis bis ſeptenis, ſed omnibus diebus vitæ meæ.

II. *In aduerſariis Iudæis.* Statuiſti ergo, ô cœli princeps, vitam agere in terris humilem, pauperem, famularem, ignotam atque contemptam, qualis eorum eſſe ſolet, qui iuga boum & aratra conficiunt. Deuenies autem paulatim ad

tempus

tempus illud acceptabile, ad illos salutis dies, quibus denunciandum erit mundo regnum cœlorum esse patefactum; quibus reformandis hominum moribus, refellendis erroribus, ignaris edocendis desudandum erit, doctrináque ipsa, & è cœlo deuocata philosophia insignibus prodigiis confirmanda. Cùm insurgent in te illico turbæ improborum, & in te sagittas suas, quasi in iaculatoriam metam collineabunt. Doctrinam accusabunt, quasi Mosaicæ legi, & seniorum traditionibus inimicam; miracula dæmonum opera virtutéque perpetrata calumniabũtur, quasi impurum quoddam Beelzebub mancipium fores. Intérque concionandum quidam te mente captum, alij à dæmone obsessum dicent, sublatis alij saxis lapidationem parabunt, alij extra ciuitatem eiectum, & ad supercilium montis abductum præcipitem te dare conabuntur.

Contr a-ctrinam, miracula.

Luc. 4. 29.

III. *Totámque vitam.*

Quando vicos & plateas obambulabis, pagos & oppida peccatoribus inquirendis, vt solet pastor dissipatas oues, atque aberrantes, quando pœnitentibus veniam dabis, offensionem illi patientur, quasi in temerario facinore, hominis profani. Si communem egeris vitam, calumniam patiere, quasi homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Quòd si asperiorem vitam, instar Ioannis Baptistæ adamaris, non secus atque ipse audies, Dæmonium habet; Nisi errores & superstitiones hypocritarum Iudæorum protexeris, aut Dauidem certè imitatus fueris, qui factus erat *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, Samaritanum te dicent aut hæreticum, & diuinæ legis euersorem. *Non est*, inquient, *hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Denique nisi vita tua æmulorum tuorum vitæ consentanea fuerit, quòd fieri profectò non potest, eorum in te odia, inuidiæ, calumniæ, maledicta exardescent, dum illud impleant Sapientis oraculum, *Probemus patientiam eius, & morte turpissima condemnemus eum.*

Matt. 11. 18.

Psal. 37. 15.

Ioan. 9. 16.

Sap. 2. 12. &c.

IV. *Sed quo fructu bonorum.*

Verissimè, amici mei, ait Seruator, hæc omnia dicitis: sed ex hoc veneno pestifero theriacum ego antidotum conficiam. Docebo enim discipulos meos, vt exemplo meo in huiusmodi difficultatum occursu, ne frangantur animis, sed beatos se potiùs arbitrentur, cùm persecutionem patientur propter iustitiam, & quando pro bono opere maledictis, aut lapidibus appetentur. Secum enim ipsi meritò reputabunt, seruum non esse maiorem Domino suo, neque meliore conditione esse debere. Minor erit amaritudo calicis, minórque molestia, quando ego illum degustauero prior. Et sicut illa omnia beneficentiam erga ipsos meam minimè retardabunt, aut diuturnam patientiam labefacient: sic etiam cupio Christianos meos assuescere malefacta obruere benefactis, nec vllã eis excusationem relinquere peruicaciæ, vel obstinationis suæ.

CAPVT XVII.

Diuini Iesu Christi amoris, in extrema vita, fortitudo & patientia.

I. *Exemplar perfectissimum esse debet.* QVOD exemplar propositum esse debet artificibus ad imitandum, valde perfectum in suo genere, suísque numeris absolutum esse debet, ne quæ deinceps ex archetypo exprimentur, errata in laude ponant, & qui proximè ad exemplar accesserint, longè à perfectione operis abesse reperiantur. Magna ergo diuinæ Christi patientiæ perfectio esse debuit, quæ toti eius posteritati tanquam prototypum, in quod perpetuo intuerentur, obiici debuit, id est semini illi longæuo, quod ei promiserat pater, si animam suam pro peccato posuisset. *Isa. 53.10.* *Per patientiam,* ait Apostolus, *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* *Heb. 12.2.* Et Petrus ad hoc nos ait esse vocatos, vt benefacientes patienter sustineamus aduersa, *quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit,* ob quod talia, & tanta pateretur. *1.2.21.*

II. *Christus exemplar fortitudinis.* Hoc est exemplum, quod non tam Moysi, in monte Sina, quàm omnibus Christianis in monte Caluariæ excitatum & propositum est ad imitandum. *Vtrumque es mihi Domine Iesu,* aiebat Bernardus, *& speculum patiendi, & pretium patientis. Vtrumque fortiter prouocat, ac vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia maiestatis, siue quia pugnantem te specto, siue quia te expecto non solùm coronantem, sed & coronam.* *Serm. 47. in Cant.* Denique Saluator ipse, adito singulari animi demissionis exemplo, *Exemplum,* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* *Ioan. 13.15.* Videamus ergo, iuxta dialogismum paulò antè inchoatum, & ab Apostolo indicatum, quanto animo Dominus ferebatur ad sustinendos dolores, atque ignominias crucis, quamuis *proposito sibi gaudio,* eundémque vitæ suæ finem elegerit, in certissimum inuictissimi amoris sui argumentum. *Heb. 12.2.*

III. *Renouatio superioris dialogismi.* Quid ergo Angeli Filio Dei, iter in mundum molienti, dicere potuerunt, re ad humanum captum modúmque accommodata, si nota illa priùs habuerunt, quæ nos posteà facta didicimus, de tristitia, opprobriis & tormentis, quæ innocentissimæ eius vitæ finem attulerunt. Si quæ hactenus, inquiunt, aut nomine cæterorum vnus, exposita sunt à nobis, dictu aspera, atque acerba perpessu institutæ vitæ tuæ cursum retardare non possunt, nónne finis eius constantiam istam infringet, aut certè de-

bilitabit? Nónne æstuosum hoc pro hominibus patiẽdi desiderium, quasi frigida superfusa tepescet, tantorum malorum incursu, quæ mortem tuam comitabuntur? Bone Iesu quàm malè accipieris! quàm malè accipieris à tuis, ô agne Dei! Si quando tristem illam ac tenebricosam noctem, quæ tibi postrema futura est, mente verso, & quæ tibi ipsi, totíque familiæ tuæ contingent, angor animo vehementiùs, ipsáque commiseratione soluor in lacrymas, nec dubito quin ante totius tragœdiæ catastrophem, Angeli pacis amare fleant.

--bella, horrida bella,
Et Solymam multo spumantem sanguine cerno.

Ecquis erit tantus amor, qui satis patientiæ suggeret, ad toleranda omnia, quæ tuis video ceruicibus imminere? Meus, inquit Seruator, ac multò etiam plura, grauioráque, si necesse foret. Maxima procul-dubio necessaria erit. Vnum enim habiturus es è familia tua proditorem, qui te præsente pecunia, vendat hostibus tuis, qui mox magnitudine criminis in desperationem actus, gulam sibi obterat infœlix. Alter se tibi discipulum, aut omnino te sibi notum, semel, iterum, tertiò, in tuo populíque conspectu inficiabitur. Cæteri tristissimo tuo, ac difficillimo tempore, te deserto fuga sibi consulent, oppleti luctu, timore, diffidentia. Quid mœrorem illum memorem, ô rex meus, qui luctuosam illam vocem ex sacrosancto pectore tuo excutiet, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Quod est tantam profiteri tristitiam, quæ animam à corpore possit morte disiungere.

IV. *Et expositio malorum Christo imminentium.*

Mar. 14. 34.

Quomodo enim tristitia non contrahatur, qui cum Isaia dicere possit, *In vacuum laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi;* quod scilicet ad maximam Iudaici populi partem attinet, in quo tamen iuuando studium omne collocaueris. Quomodo non conficiatur mœrore, qui videat dissipatam familiam suam, filiósque charissimos spem inter & metum fluctuantes, doctrinam antiquatam, contempta miracula, totámque vitam probroso fine exautoratam, afflictam, infamia deformatam? Quid immensus Matris amantissimæ luctus, reliquarúmque sanctissimarum mulierum, optimè de te meritarum? Quid interni tui, externíque dolores, qui quasi agmine facto, in te confertim ita irruent, itáque vexabunt, vt te ad vltimum expirantis hominis discrimen adducant, & cruentum toto corpore sudorem exprimant, tanta copia, vt decurrat in terram. Ibi videlicet mortis imago in facie tua picta cernetur, opúsque erit mitti ad te vnum de cœtu nostro, à quo confirmatior ad patiendum euadas. Quid hîc dicturus es, Deus meus? Quis terribiliorem certaminis apparatum cogitare queat, ad amoris tui fortitudinem quamuis heroicam debilitandam, aut si fieri posset, euertendam?

V. *Et nominatim summa tristitia, & causarum eius.*

Isa. 49. 4.

Quilibet alius amor, ait Dominus, vinci posset atque prosterni; meus autem ita præsentia diuinitatis meæ, auxilióque roborabitur, vt

VI. *Cui par erit Christi fortitudo.*

quamuis ad animum meum exhilarandum eius consolatio non pertingat, eum tamen fortitudo inde profecta ita roborabit, vt cedere, aut sub onere inflecti non possit. Itaque perge porrò memorare excessum, quem Hierosolymis cōpleturus sum, vt iam nunc præcipias, ac prælibes fortitudinem amoris mei, & desideriū instaurandæ Hierosolymæ cœlestis, quæ vobiscum Dei gloriam celebret in omnem æternitatem. Veniam igitur, inquit Angelus, ad dira illa supplicia, quæ istum apparatum sunt consecuta, quæ ab iis inferentur, quos quantouis damno tuo, diligere statuisti. Vbi ergo familiam tuam non improuisus pauor hinc inde disiecerit, irruet in te militaris cohors, ac forense ministerium, cum gladiis & fustibus, in nocturno tumultu, tanquam ad perditissimum latronem comprehendendum; & fune in collum, mediúmque corpus iniecto, sanctissimas illas manus atrociter constringent, quæ paulò antè mirabilia opera patrarint, fuerı́ntque ad pacem, & veniam eis à Patre impetrandam, elatæ. Tum in descensu Oliuetani montis ignominiosè traheris à nouis hisce Philisthæis, præ gaudio, vt capta Dei arca, aut fortissimo Sāsone, vociferantibus; multóque citatiore gradu cogeris incedere, per vallem illam, vicósque Hierosolymitanos, versus iudicum & hostium tuorum domos, quam ferat modestia, & pudor tuus.

Eiusdem patientia in fuga discipulorum, suáque comprehensione.

VII. *An congruè Christi vita hisce malis obiecta fuerit.*

Non diffiteor equidem, ô princeps pacis, si mortalibus membris tectus essem, vt tu, cùm Verbum caro factum fuerit, sanguinem mihi horrifico frigore conglaciaturum, ad spectaculū tam luctuosum, non ignaro te tunc non solùm innocentem fore, sed principem speciosum forma præ filiis hominum, sed regem æternæ gloriæ, cuius honor & vita longè pluris est, quàm salus & vita omnium filiorum Adami, quos vasa iræ, & filios perditionis esse constat. Rectè tu ista quidem, ait Filius Dei, sed scito gloriam Patris mei, cui ex rigida seueritate iustitiæ satisfaciendum est, & constitutionem beatissimæ ciuitatis electorum, quæ diuinæ maiestati perpetuò famulabitur, non indignam videri, in quam labores, ac vita hominis impendantur; præsertim cùm omnes hi labores & ærumnæ quamprimùm in gloriam commutandæ sint, & vita ipsa triduo recuperanda. Vt omittam cœlestes illos orbes, terræ, cæterísque elementis, alias item res nobiliores ignobilioribus, in bonum commune, deseruire. Sed hæc per otium accuratè consideranda sunt. Tu interim susceptam si videtur, narrationem pertexe, & ex libro diuinæ circa me prouidentiæ recognosce.

VIII. *Quæ sit passurus apud Pontificem.*

In ædibus summi Pontificis, falsis testibus, quos Scribæ & Pharisæi subornarint, variísque calumniis obrueris; eiusdémque dissimulatione Pontificis, ab ipsius improbissimo famulo cæderis in faciem, vi tanta fortasse, vix vt pedibus cōsistere possis, sed concussis dentibus os ipsum cruore cōpleatur. Móxque adiuratione cōpulsus ad fatendā veritatē dignitatis tuæ, communi omnium consensu, tanquā blasphemus iudicaberis mortis reus. Quin & tota nocte, tanquam contumeliosus in

Deum, vt seditiosus in populū, vt pseudopropheta in vtriūsq; iniuriam, ludus eris improbo petulantique seruitio, ad exsaturandum inimicorum tuorum furorem; si tamen tam acerbum atque inueteratum luporum istorum odium expleri aliqua ratione possit. Heu me! quid tibi malorum ingerent acerbissima illa nocte impurissima Satanæ mancipia? ecquis ea possit, sine totius corporis tremore, cogitare?

Tu interim, ô magnanime Leo de tribu Iuda, num poteris vim continere potentissimi brachij tui, vt insanos istos fulmineo ictu non ferias? Maximè verò, inquit, brachium potero, ipsámque etiam retinere linguam, ne vel vlciscar, vel conquerar de inimicis meis. Imo & cor ipsum amore & commiseratione abundabit aduersus illos, qui me alapis cædent, pulsabunt pedibus, sputis oblinent. Quo modo plena pietatis mater, quæ febri & phrenesi laboranti filio adest, neque sputa filij, neque contumelias, iniurias numerat, vt quæ illum nouit impotem sui, & ægrè laturum ista facta, vbi fuerit sanitati restitutus. At illi, ait Angelus, neque brachia à verberibus, neque linguas à maledictis, neque solertiam ab excogitandis maleficiis abstinebunt, quibus te, tanquam improbissimum post homines natos nebulonem, diuexent atque discrucient. Ibi nullus erit, qui vel modicè subleuet animum tuum in tristitiæ pelago fluctuantem, nullus oculus qui te, cum aliquo commiserationis sensu respiciat, præter oculos illius discipuli, qui suppliciorum tuorum acerbitate conterritus, per insignem ignauiam, negabit se esse discipulum tuum, aut te sibi cognitum: & in confirmationem mendacij suum diris omnibus deuouebit caput. IX. *Quantáque patientia.* *In negatione Petri.*

Quis erit tum gemitus cordis tui, quis contuitus oculorum tuorum, ad erigendum collapsam ouem tuam; oculorum, qui mox à tenebrionibus illis velabuntur, vt maiore impudentia cædant pulcherrimam faciem tuam, & cum cachinno rogent, *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* O potentissimum amorem, qui tam acerba, támque indigna maiestate tua, sine vlla patientiæ iactura ferre possit! quomodo non vehementer pudet, ac pœnitet homines dilectos tuos imbecillitatis amoris in te sui, qui vix verbum vnum iniurium ferre possint, quin animis commoueantur, quin queruli rixentur, quin facinus indignum exclament, quin cœlum terræ permisceant: ignari homulos se ex luto, & argillo fictos, neque animo reputantes quid debeant tibi. X. *Et ministris variè insultantibus.* Matth. 26. 68.

Hic erit, ô nobilissime ac patientissime agne Dei, quasi primus actus terrificæ cruentæque tragœdiæ, quam dilecti illi tui excitabunt aduersus innocentiam, & dignitatem tuam: in qua potestas tenebrarum in omnem contra te effusa licentiam, omne fellei cordis virus euomet, & ea inferet in te, quæ perditissimis sicariis, & latronibus destinantur. Ego vicissim persuasum habeo, ait Dominus, quamplurimos in tanto amoris argumento, vehementer dilecturos eum, qui pro se talia passus sit, & quemlibet dolorem meum fore instar facis accensæ, quæ eorum XI. *Cum fructu dominicæ patientiæ.*

charitatem accendat, aut fulcri eorum infirmitatem ſuſtentantis, ne rerum aduerſarum pondus incumbens, eos aliquando proſternat, atque præcipitet. Scio equidem, ait Angelus, non defutura ſummi amoris incitamenta mortalibus, ſperóque fore permultos, qui ſingulari cum fructu te mentis oculis intueantur, iſtis tempeſtatum fluctibus agitatum; ipſi pueruli fortes euadent bellatores, & puellæ molles ac delicatæ, in bellatrices Amazones conuertentur.

XII. *Et multorũ mortalium negligentia.* At quàm multi erunt, proh dolor, ſtupidi atque hebetes, molles ac languidi, qui tam prodigioſum tanti principis amorem non magnifacient, & quos dolores tui modicè tangent? Quinimo, ô rem luctuoſam! & quam vix profari auſim, quod videatur tibi pudorem iniicere, & in dedecus tuum admodum redundare, ſimúlque incredibilem hominum vel malitiam patefacere, vel cæcitatem. Plerique enim ob ineptam vanitatem, aut fœdam puncti temporis voluptatem, aut ſordidum vnius quadrantis lucrum, & tibi, & amicitiæ tuæ nuncium remittent. Nónne ſatis eſt, ô princeps, in tanta iniuſtitia turpitudinis, vt propterea à ſuſcepto conſilio deſiſtere conueniat, & amorem tuum decentius aliò, vtiliúſque traducere? Homini quidem, ait princeps, ſatis ſupérque foret, ad eius amorem extinguendum; ad meum autem debilitandum non ſatis. Heroica enim eſt fortitudine præditus, ad ſubeundas omnes ingratorum hominum iniurias, ineptiáſque deuorandas.

XIII. *Quam mirabilis Chriſti patientia obruet.* Immenſus eſt enim amor meus, & abyſſus, quæ exhauriri non poteſt, ac ne ad eius quidem fundum perueniri. Satis quippe roboris habet ad inflectendum cor meum, vt ab iis à quibus, non ſemel atque iterum, ſed ſæpius fuero perfidioſè deſertus, inueniri me ſinam, ad reconciliationem paratum, adeóque inquiram eos, inuitem ad amicitiam inſtaurandam, orem vt negotia ſalutis ſuæ ritè componant, ne miſeri pereant.
Cant. 6. 12. Hinc illa *Reuertere, reuertere, Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te*; faciem quippe tuam auertiſti à me ſponſo tuo, & conuertiſti ad res creatas. Hinc & illa prædulcis exprobratio apud Ieremiam Prophetam.
Ca. 3. 1. *Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me*, dicit
Ca. 18. 31. 32 *Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Et apud Ezechielem, *Proiicite à vobis omnes praeuaricationes veſtras, in quibus praeuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſraël?* Et quamuis præfractior fiat in reſiſtendo, atque obſtinatior, nunquam tamen peccatorem dum viuit, penitus deſeram, neque abiiciam, vſque adeo fortis & patiens eſt amor meus.

XIV. *Angeli pro peccatoribus petitio.* Licet autem plerique in ſua illa duritie, atque obſtinatione perituri ſint, amore meo & patiẽtia prorſus indigni; bonorum tamen in me amor efficiet, vt improbitatem inimicorum meorum, & ingratitudinem amicorũ libenter feram. Domine meus, & Deus meus, ait Angelus, obteſtor ego te, per immenſam bonitatem tuam, & fortiſſimum iſtum amorem tuum, ne permittas te hunc in modum à peccatoribus contemni, & car-

nis amorem aut mundi, apud eos plus posse quàm tuum : ne per insignem perfidiam frustreris expectatione tua, & pro vuis recipias ab eis labruscas. Stabit quidem per ipsos, quo minus curentur, sed illud etiam, quod facilè potes, effice quæso, vt non stet per ipsos, & vt abundantia gratiæ tuæ resistentiam omnem suauiter emollias, & libertatis vsum, quæ vel honori tuo, vel eorum saluti fraudi esse possit, in bonum vtriusque optabili efficacitate conuertas.

Verùm vt ad vlteriora prouehar, illud etiam demonstrabo maiestati tuæ, tristissima illa nocte transacta, inimicos tuos, satanæ synagogam collectum iri summo mane, ad perficiendum inchoatum parricidium: rursumq; ibi vltimi supplicij dãnatio aduersus innocentiam tuam proferetur. Rursumque vinculis, si fortè per noctem soluta fuerint, constringeris, totáque vrbe ligatus circumduceris, populi Ierosolymitani ludibrium & fabula. Illa Ierusalem, quam tu ita nobilitasti, vt eam constitueres Dominam gentium, principem prouinciarum, gaudium vniuersæ terræ, te tradet in manus gentium, & Prætoris prouinciæ, vt ab vniuersa terra infesta irrisione ludaris. Hoccine expectandum erat ab illa ciuitate, quam præsentia tua sanctificaueris, sanctissima doctrina erudieris, diuinis prodigiis illustraueris ? Illa te atrocibus calumniis appetet, asperget infamia, magnisque clamoribus exposcet ad mortem ; quam vt obtineat, homini sicario & latroni vitam dabit, & ingenti cum pernicie sua postulabit, vt vindicta sanguinis innocentis in se effusa, in seram quoque posteritatem redundet. XV. *Christi apud Caipham damnatio.* *Et per vrbẽ traductio.*

Ægrè feram, ait Saluator, eorum acerbissimam calamitatem, multóq; magis improbissimã malitiam. Nihilominus paratus sum ad calumnias, pro ipsorum reliquorúmq; mortaliũ salute, ad infamiã, ad cruciatus, ad mortẽ crucis. Fateor quidẽ, ô rex meus, ait angelus, persuasis mori facilè omnia persuaderi ; sed aliquãdo quæ mortem antecedunt acerbiora sunt ipsa morte. Itaque vehementer angor, ô mitissime Seruator, cum animo verso indignum illud & petulans contumeliæ genus, quo afficiendus es apud Herodem, vbi tanquam insanus alba tunica vestieris, sibilis excipieris & cachinnis, ab omnibus aulicis, militibúsque profani regis : deinde per vicos ab insana plebecula ; in satisfactionem criminum, quæ in bacchanaliorum diebus, à nescio quibus corybantibus, soluta pene omni Christiana disciplina, perpetrantur. Quem amicorum tuorum non pudefaciat pudor tuus, qui videant profanos homines lætari, dum se demẽtissimo ritu vestitos sapientibus atq; insipientibus deridẽdos propinant, se autem in gratiam tui vix adduci, modica vt verecundia suffundantur. XVI. *Apud Herodem irrisio.* *Bacchanalia.*

Transeo ad alteram periclitationem generosi amoris tui, ô fortissime amator, sed ita vt totis artubus interea contremiscam, ac propemodum soluar in lacrymas, in aulę illius ingressu, in qua, instar nequissimi mãcipij toto corpore, summo tuo cum pudore, nudaberis, móxque virgis laceraberis ac flagellis, arbitrio rigidorum satellitum, qui tristissimo casu, tanto se clementiores erga te fore arbitrabũtur, quo inclementius verberabũt, XVII. *Flagellatio ad columnã.*

rati hac inhumanitate, vitam se tibi conseruaturos, quàm molossi illi multis latratibus ambient: stridor videlicet discissi aëris, mixtus gemitibus resonabit.

Hinc exaudiri gemitus, hinc sæua sonare
Verbera. ------

Iis maximè partibus corporis verberibus, vt apparet, deformatis, quæ teneriores sunt, & ad sensum molliores, in carne præsertim delicata, atque virginea nobilissimi principis, atque sanctissimi.

XVIII. *Commiseratio patientis.* O miserabiles gemitus, & omnium mortalium comploratione prosequendi, quomodo ad intima eorum viscera non penetratis? ô flagella crudelia, quomodo illorum intestina non rumpitis? O purissima filij Dei atque innocentissima caro, quomodo impudicis adulterorum oculis, risibus, verberibúsque pates? O sanguis omnium hominum atque angelorum adoratione dignissime, quomodo ad terram vsque decurris, & flagra, manus, vestésque immitium lictorum cruentas, quem illis ne videre quidem fas fuerit. Et quî fieri poterit vt eorum mentes non illuminet iste sanguis, quando sputum ipsum idoneum erit, ad illuminandos cæcos natos. O diuinum corpus, cui tanta gloria debebitur, vt in cœlo futurum sit obiectum beatitudinis corporum beatorum, quomodo tunc supra omnia corpora deformaberis? O Dauid, Dauid, nónne olim dicebas, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nunc tibi vice versa in persona ipsius dicendum est, *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* (Psal. 90. 10. & 37. 18.)

XIX. *Crudele coronationis ludicrum.* Quid referam crudele illud, & plenum ignominia ludicrum, in quo ministri Satanæ mimos agent aduersum te, & tanquam persona de mimo rex fies, omnium contemptissimus, atque miserrimus. Plenum erit ignominia ludicrum, cùm rursum denudabere coram maiore multitudine satellitum, qui soluti in risus corpusculo tuo cruento, lacero, contrucidato petulanter insultabunt. Plenum crudelitate, quia ista denudatio, vulnerum erit refricatio, & dolorum. Ignominiosa erit, quia nuditas tua glabra purpura & detrita semitecta ridebitur; crudelis, quia venerandum illud caput, cui vni flagra pepercerint, duobus & septuaginta in locis perforabitur, spinea corona in caput infixa. Ignominiosa, quia sceptro arundineo, quod purpuræ & coronæ respondeat, impedietur manus; crudelis, quia eodem sceptro percutietur corona, & altius spinarum aculeos demerget in cerebrum. Ignominiosa, quia fex illa lictorum per ludibrium genu flexo, regem te Iudæorum, iam tum contemptissimæ nationis, celebrabunt; crudelis, quia præter sputa sordidissima in faciem coniecta, genas alapis cædent. (S. Vinc. ser. de pass.)

XX. *Christus exhibendus populo, & repudiandus.* Hoc tam luctuoso instructus ornatu, sisteris coram populo vniuerso, ex præalta porticu prætoriani palatij, quæ prægrandem habet subiectam plateam, populo refertissimam, vt in celebritate Paschali. Quem cùm par esset, in tam tristi spectaculo, commiseratione frangi, dæmone fu-

rorem, interuentu Pontificum ac Pharisæorum, inspirante apud Præsidem vociferantem audies, Tolle, tolle hominem è conspectu nostro, crucifige, crucifige eum. Quis erit tum pudor tuus, dulcissime Iesu, in tanto dedecore tuo, atque contemptu! ô quàm magnò lues immodicum humanæ superbiæ ornatum, & cultũ! quàm magnò emes rem haud magni pretij, mortalium inquam amorem, quem ne sic quidem facilè obtinebis, ô amantissime Iesu, ne sic quidem facilè obtinebis. Vsque adeo immodici ambo estis, alter in cõferenda gratia, alter in non agnoscenda: alter desiderio eliciendi amoris, alter perfidia non diligendi; quam adumbrabit perditissimorum Hebræorum obstinatio, in procuranda tibi morte, quam tanta contentione postulabunt, tot rationibus vrgebunt, vt eam denique à Pilato sint extorturi.

Is enim cùm animaduerterit industriam omnem suam in nihilum recidere, seditionem potiùs ac tumultum imminere; suam quoque aduersus Cæsarem gratiam periclitari, personam quoque, qua de agitur, non magni momenti videri, vt quæ parum gratia apud optimates, minus etiam opibus valeat, existimabit publicam quietem, & Cæsaris amicitiam, & principum populi, hominis quamuis innocentis interitu esse redimendam. Ergo publico decreto cruci addicet innocentiam tuam. Cùm tu nixus genibus, capite spinea corona degrauato, resti in collum iniecta, constrictis fune manibus, corpore cruento ac contrucidato, quasi à cœlesti patre profectam sententiam, quamuis omnium, quæ vnquam latæ sunt, aut ferentur iniquissimam, accipies, & animo libentissimo subibis. O si homines tanto studio amorem tuum, tanta contentione, tanto animi ardore postularent, si tam incensis studiis perquirerent, tot rationes ac vias ad eum acquirendum cõminiscerentur, eum sine dubio ab amantissimo corde tuo adipiscerentur, atque à te audirent, Rem magnam postulasti, nihilominus fiat tibi sicut vis. XXI. *Damnandus à Præside.* 4. Reg. 2. 10

Interea, ô autor vitæ, supplicio mortis addictus es; eo te denique adducet constantia beneuolentiæ in homines tuæ. Hoc nimirum inueniet, qui, tanquam alter Samson, affinitates & connubia, apud infideles & barbaros quærit. Si libuisset matrimonio iungi in hac terra viuentium, cum spiritali gente, tibi, qui spiritus es, naturæ conditione viciniore, in hac terra Israëlitica, vbi facie ad faciem videtur Deus; non in regione Philisthæorum incircuncisorum, nunquam ea mala perferres, quæ passurus es. Credo equidem, ait Seruator, verùm nemo vnquam agnoscere, ac ne suspicari quidem, aut credere potuisset, quò possit vsq; pertingere amor, quo mortales istos prosequor, quibuscum alioqui conuersari, & virtutum exempla præbere, & veras audire & reddere voces non potuissem. Nã quæ memoras opprobria & cruciatus, sitio profectò, magnísq; haustibus expleri desidero; iis abundat regio vniuersa ad quã proficiscor. XXII. Iud. 14.

In magna itaque copia, ô patientissime Redemptor, ait Angelus, minimè parci erunt. Cùm primùm enim vltimi supplicij damnatio inso- XXIII. *Ducendus ad suppliciũ.*

nuerit, illico, per omnes plateas & quadriuia Hierosolymorum tubarum clangore promulgabitur: & videlicet infinita populi multitudo vndiq; confluet, accita spectaculi nouitate, atque insolentia. Quod enim prodigium seculis omnibus prodigiosius visum fuerit, eo quo infami patibulo spectabitur moriens, is à quo paulo ante dæmones è corporibus animísque fugabantur, cæci illuminabantur, muti ignoto sermone donabantur, mortui quatriduani ab inferis excitabantur. Tunc igitur ista purpuræ ludibria exueris, propriáque vestimenta recipies, vt ab omnibus agnitus, omnibus infamis fias; & inter exuendum, tam nuditatis pudor, quàm vulnerum cum purpura concretorum dolor, corpore toto renouabitur. Humeri conscissi verberibus, crucis immani pondere onusti opprimentur, quod erit lignum veri Isaaci sacrificio destinatum. Hic vnus antecedens fune ligatum trahet, alter impacto hastili progredientem propellet, & coget oneri succumbere, & cruentum humi vultum affligere, nisi qua spinæ, magno cum cruciatu, ictum ruentis excipient.

XXIV. *Affligendus matris, & sanctarum mulierum occursu.*

Proh quanto luctu conficietur cor tuum, quando in maximos sanctarum mulierũ luctus incides, quæ te Caluariam adeuntem sequentur. Vt tibi pectus tristissimæ parentis occursus dolore perfodiet! neque mea mens cogitando sufficere, neque lingua verbis exprimere rem tam luctuosam potest. Poterisne, ô mitissime Seruator, tantum in corde materno procreare luctum, aut illũ ferre mœrorem, qui in te ex ipsius luctu redundabit? O fili Dei, ô mater Dei, ô vir dolorum, ô mare contritionis mater! quomodo cõsistent animæ istæ omni solatio destitutæ, in corporibus suis dolore tabescentibus, nisi amor vtrique vim suggerat tanto oneri parem, ne tam atrocis calamitatis pondere frangantur ac fatiscant? túque in primis, qui vltimum penè spiritum trahens, subsidium aliquod ferendæ crucis accipies. Adoro interea, amantissime Iesu, luctuosissimum cor tuum, amore viuidum, & mœrore confectum, & in cæteris tibi repræsentandis propero, sicut & hostes tui. Neque in iis aliud quidquam præter animi dedecora, corporisque cruciatus reperio.

XXV. *In Caluario monte cruci affigendus.*

Cùm primum ventum fuerit ad funestum Caluariæ theatrum, tot latronum, proditorum, sicariorum funeribus infame, denudaberis iterum vestibus tuis, iterúmque plagarum tuarum sanies renouabitur, moribundum corpus in prædurо crucis lecto sternetur, manúsque altera, tot mirabilium effectrix, correpta ingenti clauo perforabitur, & affigetur cruci: totius autem brachij neruis dolore contractis, manus altera, non sine ingenti alterius cruciatu, ad destinatum foramen pertrahetur, ossáque suis è sedibus luxata dimouebuntur. Altera igitur manu cum pari tormento perforata, hoc opus, hic labor, vt pedes & tibiæ, quæ subleuandis brachiis contraxerant sese, ad paratum vsque porrigantur locum. Eo denique protracta perfodientur ambo, itáque implebitur illud, *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea,* propter distentionem scilicet dinumerari poterunt. Et illud quoque *Factum est*

Psal. 21. 15. 16. 18.

cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.

Perpende quæso, mi Rex, hoc tormenti genus: est enim multo grauius, quàm primo contuitu mentis appareat. Et vt taceam internorum membrorum dolorem, quorum nullum erit quod proprium cruciatum non ferat: certè si manibus quas ferrum, & corporeæ molis pendus dilacerabit, subsidium aliquod afferre volueris pedibus nixus, vulnera eorum crudeliter amplificabuntur, non ex traiecto solùm ferro, & grauitate corporis, sed ex ipsa distentione pedis in longum, contra quam natura ferat, quamuis & vulnus abesset, & pondus. Contra verò si miseri pedes auxilium manuum implorent, non paruò id manibus constabit. Caput quoque aculeatis horrens spinis, quò se tandem ad aliquam quietem inflectet? Si supra dextrum brachium, sinistrúmve, vterque configetur spinis; si ligno inniti voluerit, aculei altius infigentur in caput, adeo vt ne cœlum quidem sine cruciatu liceat intueri. Quanquam quid cœlum intuearis, vnde nullum tibi solatium, patre ipso te derelinquente, sperandum est? Itaque meritò illud inclamare licebit, *Circundederunt me dolores mortis, dolores inferni circundederunt me.*

XXVI. *Maximo cũ tormento.*

Psal. 17.5.6.

Denique, ô magnanime princeps, tristitia & cruciatibus exhaustus, contumeliis, probrisque confectus, spiritum vtrorumque victorem, ipsáque morte amoris magnitudine fortiorem, trades in parentis manus. O Deus meus quàm fortis, quàm excellens, quàm heroicus est amor tuus, si atrocissima omnium tormenta membrorum, si tristitia mortifera diuinæ animæ tuæ, si dedecus supplicij latronibus destinati, si grauissimus pudor toties iteratæ nuditatis, eum non debellare, non imminuere, non labefactare potuerunt. Quis vnquam ausus esset cogitare liberũ Dei amorem erga res creatas, tam fortem in ipso, támque potentem esse posse? viles præsertim, & odio potiùs, ob peccata præsentia, quàm amore dignas ob gratiam, aut gloriam futuram. Quis autem intellectus satis admirari possit, animal è luto spiritúque conflatum, tam effusè, tam prodigè dilectum à rerum omnium molitore Deo, feruido in ipsum amore non colliquescere? non linqui animo? non perpetuas alienatæ mentis aberrationes pati? aut qui fiat vt iidẽ homines non afficiantur intimis sensibus, non ardeant dolore, cùm & suas & alienas in eum noxas agnoscunt, qui tanto amore dignus est. Hactenus ille diuinæ in amãdo fortitudinis admirator.

XXVII. *Denique in cruce moriturus.*

Dicant ergo mortales, cum Dei amantissimo Dauide, *Vidi prauaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Non enim ferre poterat vir sanctus tantum Dei amorem, tanto ingrati animi crimine quotidie à mortalibus rependi. O sancte Deus, fortissime, ac patientissime hominum amator, si diligis nos, vti tam prodigiosis argumentis apertissimè demõstrasti, mihi quoque indignissimo seruulo tuo amorem largire fortem & validum, patientem & constantem, qualem tu nobis,

XXVIII. *Optatio.*

Psal. 118.

cum cœli ac terræ ſtupore, patefeciſti. Ineam à te hanc gratiam, vt ob amorem tuum eam crucem libenter feram, quam impoſueris humeris meis: vtque in cruce moriens offeram tibi miſeram vitam, quando tu prior in tanto acerbiore cruce fortiter moriens mihi donaſti diuinam.

CAPVT XVIII.

Diuinum in homines amorem fortem ac patientem reddere ipſum Deum.

I. *Dei fortitudo.* Ca. 15. n. 2. EXPLICATVM eſt à nobis, non multo antè, ait Fortis amor, qua ratione fortitudo Deo conuenire poſſet, pro noſtro agendi, atque intelligendi modo, quamuis nullam ipſe habeat in agendo difficultatem propter agendi potentiam infinitam. Itaque ſacræ literæ, quæ captui noſtro accommodant ſeſe, eum fortiſſimum vocant ac potentiſſimum, manum eius fortiſſimam, & poteſtatem cui nulla æquari, nulla comparari poſſit. Et quemadmodum omni ex parte infinitus eſt, ita & eius amor, & quæ ex eius amore proficiſcitur fortitudo: proprietates enim naturas, à quibus emanant, imitantur. Vides fortitudinem eius expellendis è cœlo momento temporis deſertoribus angelis, non alio niſu, quã conſenſu potentiſſimæ voluntatis: quamuis de vno illorum Deus ipſe pronunciet, non eſſe in terra poteſtatem quæ comparetur ei, itáque factum vt nullum timeret. Et hoc quidem facilè intelligitur; non item quomodo ſecluſa humanitate patiatur, cùm eum impatibilem fateri & immortalem, & vndique circunfluere felicitate neceſſe ſit.

Num. 16. 22. Pſal. 44. 4. Ioſue 22. 22. & 4. 25. Ierem. c. 32. 18. 1. Reg. 2. 2. Iob. 41. 24.

II. *Et patientia quomodo intelligenda.* Et certo quidem conſtat nihil eum in ſeipſo, perſonáque ſua pati poſſe. *Non accedet ad te malum*, ait Dauid, éſtque externum tantum obiectum peccatorum, quæ contra ipſum, eiúſve legem fiunt, eáque ratione, violata ipſius maieſtate patitur, ſicut & nos cùm contemnimur, aut maledictis appetimur. Maximè autem agnoſcitur iſta eius patientia, in diu tolerando peccatore, nec ſubita animaduerſione caſtigando. Hinc illi tituli patientis, longanimi, *diſſimulantis peccata hominum propter pœnitentiam.* Hanc Dei patientiam aduerſum peccatores Paulus appellat diuitias diuinæ bonitatis. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Id autem ſi vel in vno mortalium verum eſt, quis æſtimare poſſit magnitudinem diuini amoris in homines, ex quo tanta manat patientia, quanta neceſſaria eſt ad mundum tolerandum, tot iam ſeculis, omnibus vitiorum generibus exundantem?

Pſal. 90. 10. Sap. 11. 24. Rom. 2. 4.

III. *Peccatum Deo nocet in rebus ſuis.* Si quis aliquid ſordium in vultu habet, vel in manu, aut in veſte, eas continuò excutit, purgatue quamprimùm, ſiue quia nocent, ſiue quia non decent. Si qua eſſet recipiendi damni facultas in Deo, nihil id ei,

præter vnum peccatum, inferre posset; sed quia ad illum pertingere non potest, dæmonem imitatur, qui illi nocere studet, in omnibus rebus ab eo creatis. Nam peccatum earum finem vsúmque peruertit, hoc ipso quod ad Deum colendum amandúmque non referuntur. Quòd autem ad turpitudinem attinet, quàm indecorum est vt res præstantissima, & quæ Deum omnis boni, pulchritudinis, atque perfectionis fontem agnoscit conditorem, inficiatur malitia, fœditate inquinetur, & peruerso libertatis vsu deprauetur?

IV. *Dei offensi patientia declaratur.*

Præterea in offensa Dei reperiuntur omnia, quæ solent ex hominum cordibus patientiam extorquere, & indignationem ore manúve prodere. Primùm accepta iniuria, peccatum scilicet, illúdque in primis, quòd Deum directè petit, blasphemia, hæresis, periurium, & alia id genus. 1.
Deinde contemptus; nam homo peccando à Deo contemptim auertitur, & ad rem creatam conuertitur. 2.
Tertiò indignationem mouet, & extorquet vltionem conditio personæ offendentis, & offensæ: Nam iniuria, quæ interuenit inter pares, faciliùs ferri, aut dissimulari potest. At Deum inter & hominem proportio nulla est; & contemptus hic non solùm est inferioris aduersus superiorē, sed subditi aduersus principem, sed serui contra dominum suum, sed eius qui plurima accepit beneficia, accipítque quotidie, aduersus illum qui dedit, quíque etiam nunc illi vitam, victúmque suppeditat. 3. *Quæ patientiam exaggerent.*
Postremò vindictæ opportunitas iræ stimulos admouet, maximè cùm acceptæ vltor iniuriæ nihil habet quod timeat, aut speret ab eo, à quo offensus est. 4.
Quantus est ergo Dei aduersus hominem amor, à quo tanta aduersus peccatorem patientia proficiscitur, in tot vlciscendi causis, & tanta opportunitate vltionis?

V. *Alia diuinæ patientiæ ratio, erga electos.*

Est & alia ratio, quæ hanc diuinam patientiam vehementer exaggerat, quòd sæpe grauissimas ab illis ipsis iniurias ferre solet, quos ab omni retro æternitate elegit, ad sempiternam felicitatem, ad quam omnino sunt aliquando peruenturi. Quo referri potest illa Dei apud Ieremiam querela contra dilectum suum. *Quid est quòd dilectus meus, in domo mea fecit scelera multa?* (c. 11. 15.) Quasi diceret, Quàm ego illi causam dedi vt à me alienior fieret, vt offenderet, vt iram prouocaret in se meam? quid ego feci, aut qua in re hominem contristaui? quid denique in me inuenit quod posset arguere? *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique*; (Ier. 2. 5. Psal. 54. 13.) tu autem dilectus meus, & notus meus, super quem ab æterno conieci misericordes oculos meos, vt mecum perpetuò lætareris, circumfluens omnibus bonis, reddis *mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* (Psal. 108. 5.)

VI. *Diuina querela Paraphrasis.*

Reuereri debuisti præsentiam meam, & honorē habere domui meæ. Homines enim hunc ædibus principum habent honorem, nihil vt indecorum in iis agant, nihil in præsidiariis stationibus tumultuentur. Num ignorabas me desertores Angelos, in mea cœli empyrei domo, non tulisse? non Adamum aut Euam in horto deliciarum? non Abrahami poste-

ros in promissa Chananitide? Tu autem profanā duxisti Ecclesiam meā, terram Sanctorum, paradisum terræ, inferius atrium aulæ cœlestis. Ausus es facere, quod ne cogitare quidem debuisti? voluisti tamen, suscepisti, perpetrasti, iterasti, iactasti. Quid autem? num leuiculum aliquod delictum? num defectum aliquem, quales plerique sapientibus obrepunt? minimè, sed scelera, sed crimina capitalia; neque vnum aliquod, sed numero plurima, generibúsque diuersa. Nec res in coniectura tantùm est, exempla clarissima patientiam istam docent.

VII. *Singularia diuinæ patientiæ exempla erga prædestinatos.*

Quàm fœda, quàm pudenda sunt, quæ pertulit Deus, aut à Maria Magdalena, aut ab Ægyptiaca, aut ab infestissimo pridem Christianorum hoste Paulo? quos tamen ad eximiam sanctitatem, maximámq; in cœlo gloriā destinarat. Quid de Guillelmo duce Aquitaniæ, quid de Manasse rege Iuda, quid de Salomone Dauidis filio dicam? quid de magno Babyloniorum rege Nabuchodonosore? quid de nobis ipsis, quibus licet cum Dauide dicere. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meū, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Quidni liceat? neque enim dilecto Dei Dauide meliores sumus. Et apparet sanè, si quis rem accuratiùs intueatur, Deum idipsum facere circa electos suos, quod Isaacus olim Iacobo filio, à quo fuerat deceptus. Qui post fraudem agnitam, alloquēs primogenitum, *& vltra quàm credi potest admirans*, ait, *Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, benedixitque ei, & erit benedictus?* Vbi enim eos æterna illa benedictione Deus affecit, quamuis fallantur & fallant, & à recta nonnunquam via deflectant, redeunt tamen ad se, rectámque ineunt ante mortem viam, recipiúntque destinatam benedictionem; quia benedicti sunt, & erunt benedicti.

Psal. 39. 5.

Gen. 27. 33.

VIII. *Certo futuros beatos.*

Ioan. 10. 27. 28.

Quàm grauis est vox illa Seruatoris ad reprobos Iudæos. *Oues meæ vocē meā audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Turbet omnia dæmon quantum potest, turbent mundus & caro; intestinis seditionibus, & coniuratione sæuiant, titubare poterunt interdum, interdum & labi, sed lapsus erit non perpetuus, sed certi definitique temporis. Protendam enim adiutricem manum, & sine vlla dubitatione resurgent. *Quia firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognouit Dominus qui sunt eius.* Et quamuis aliqui nonnunquam de salute desperantes perire voluerint, non perierunt tamen, Deo interitum mirabiliter impediente, nec decretum, ob præuisa multa peccata, mutante, *Ego enim Dominus*, inquit ipse, *& non mutor.* Itaque postmodum ad se reuersi, Deóque supplices facti, bono fine vitam eodem miserante terminarunt.

2. Tim. 2. 19.

Malach. 3. 6.

IX. *Quæcumque Deus patitur, in eorū gratiam patitur.*

Addamus & hoc argumentum diuinæ patientiæ, non consideratione solùm, sed etiam admiratione dignissimum, quòd scilicet quidquid Deus vel ab ipsis, vel ab aliis patitur, in eorum gratiam atque vtilitatem patitur. *Scimus* enim, ait Apostolus, *quoniam diligentibus Deum omnia*

cooperantur in bonum; nec tamen omnibus: sunt enim qui diligunt, qui in dilectione non sunt perseueraturi, *sed iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, electi scilicet à Deo, atque immutabiliter prædestinati: quibus omnia, ita cooperantur, vt etiam peccata, quæ ab ipsis sunt, in occasionem humilitatis & incrementum virtutis, diuino proposito seruiant. Contra verò reprobis omnia cooperantur in ruinam, peccata quæ committunt, res creatæ quibus abutuntur, gratiæ & illustrationes diuinæ quas floccifaciunt, quibus resipiscere potuerunt, & diuina ipsa patientia, quæ eorum emendationem frustra præstolatur. Perspicuum autem est Deum hæc ab istis pati, propter electos, & non propter reprobos, quibus expediret, statim à primo peccato mortifero, morte ad diuinum iudicium rapi; minorem enim secum damnationem traherent.

Rom. 8.28. August. l. de correp. & gra. c. 7. t. 7. *Infelicitas reproborum.*

X. *Non cuiusquam alterius.*

Dei autem nihil interest eorum differre interitum, perinde ipsi est; expectatio nullam ei vtilitatem affert, neque damnum improuisa vindicta. Neque verò differt Angelorum gratia, vel brutorum; nihil enim aut hæc aut illos tangit ista clades. Interest ergo dumtaxat electorum, qui suam interim negotiantur salutem, & in patientia Dei possidebunt animas suas. Itaque rectè Deus illud vsurpare potest. *Omnia sustineo propter electos, vt ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cœlesti.* In quorum gratiam nouissimis illis temporibus regnum Antichristi contrahetur? *propter electos breuiabuntur dies illi.* Quasi diceret, non quia tædet me tantorum malorum tolerare diluuium; sed quia periculum est ne diuturnitas rerum aduersarum in electos incumbentium, patientiam eis aliquando extorqueat. Nonne est clara Pauli sententia, *Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.*

2. Tim. 2. 10

Matt. 24. 22

Rom. 9. 22.

XI. *Boni Deo obligati supra opinionem suam.*

Ex his ergo facilè intelligi potest, quantum Filij Dei, qui hæredes futuri sunt regni cœlestis, Deo debeant supra opinionem suam, cùm in eius ære sint, non solùm propter recepta ab illo beneficia, & omnibus rebus creatis data propter ipsos, vt paulò pòst dicturus est Liberalis Amor, sed propter omnia mala, quæ multa cum patientia perfert ab improbis, vt interim dum Deus illorum peccata dissimulat, ipsi merita accumulent, quæ gloriæ ipsis præparatæ respondeant, & ipsi periculo eximantur. Nam amicus debitor est amico vulnerum, quæ is accipit, dum dat operam, vt qui à confertis hostibus opprimebatur, periculo se eximat, in tutúmque recipiat. Probi item viri toties Deo benedicere debent, quoties is ab improbis, insanis vocibus appetitur, eámque insaniam deplorare, quando illam Deus in eorum vtilitatem patitur. Sacrilegia, quæ in Sacramentorum administratione admittuntur, à Deóque tolerantur, debitores eos constituunt, qui rectè iis vtuntur.

Nisi enim eorum vtilitati patienter seruiret, Gallia esset instar Africæ, Ægypti Græciæ, Asiæ, & multarum regionum ad Septentriones.

XII. *Explicatur vlterius eadem obligatio.*

Addo etiam illud, bonos ciues, bonos religiosos, omnésque pios alicuius ciuitatis incolas, pluribus actionibus bonis Deo famulari debere, puta fidei, spei, amoris, demissionis animi, modestiæ, obedientiæ, castitatis, quàm improbi actiones eliciant infidelitatis, desperationis, inuidiæ, superbiæ, contumaciæ, luxuriæ, cæterarúmque noxarum. Quid enim caperet emolumenti mercator, qui duabus in officinis mercaturam exerceret, si in altera quotidie decem aureos lucraretur, in altera totidem amitteret? Et tamen, ô mirabilem Dei patientiam! contrarium planè contingit. Multò enim plura malè fieri contingit, quàm bona; siue quia multo maior est numerus improborum, quàm bonorum; siue quia, vt pares numero essent, maior est illorum propensio, animíque ardor ad malè agendum, quàm istorum ad eliciendos actus virtutum, quas in arduo sitas esse constat. Nihilominùs in gratiam pauculorum, pauca quædam bona patrantium, patientissimus Deus ingentia, plurimáque multorum mala tolerat. Vsque adeò magnus est amor, quo electos suos prosequitur, & mirabilis inde profecta patientia.

XIII. *Conclusio.*

Si ergo in huius diuinæ patientiæ mercedem, nihil aliud Dominus à nobis petit, quàm vt in eius famulatu aduersa in eius gratiam, cum insigni nostro merito, perferamus, nostrámque cum ipso crucem toleremus, quòd perfacile erit amantibus, quis animo tam ingrato fuerit támque barbaro, qui hoc illi debitum recusare possit? Quid obsecro Romani recusare potuissent Horatio Cocliti, postquam in ponte solus vim exercitus vniuersi excepit atque sustinuit, donec à tergo pons ille frangeretur, qui hostem in vrbem inferebat, ipséque se in profluentem armatus abiiceret, ciuésque omnes ab imminenti periculo liberaret? Recusabimus ne laborem aliquem in eius famulatu, qui quotidie tot tela linguarum ab inimicis suis, in nostram salutem patitur? qui in persona filij sui, præcipitem se dedit in pelagus tristitiæ, ac dolorum, vt patientiæ ipsius clypeo tecti, aliquando in cœlestis Ierosolymæ portum feliciter inuehamur.

Septimi Libri finis.

LIBER



LIBER OCTAVVS,

De Liberalitate Diuini Amoris, qui & Liberalis Amor.

CAPVT I.

Descriptio Quarti filij Charitatis, cui nomen Liberalis-Amor.

FORTITVDO & patientia quam præpotens ille rerum molitor Deus, eiúsque vnigenitus Christus Dominus Mundo patefecit, quámque ambo quotidie in gratiam electorum suorum exercent, ostendúntque mortalibus, validissimum argumentum est amoris in ipsos, & vsque adeò potens, vt par sit infringendis hominum cordibus, quamuis marmore, ferróve constarent; & ex eis non solùm scintillis, sed flammis etiam diuini Amoris eliciendis, aduersus illum mundi Seruatorem, cuius, pro salute mortalium, tam fortis fuit, tam generosa, tam heróica, tam constans ac diuturna perpessio. Fatendum tamen est liberalitatem amoris, non minore præditam efficacitate ad suffuranda corda mortalium, nec minùs beneuolentiæ argumentum in liberalitate, si eam tota sua latitudine vsurpare placet, quàm in fortitudine reperiri. Liberalis enim Amor satis animi habet ad communicandas cum amico, non solùm fortunas, & vitæ commoda, gratiam, laborem, industriam, scientiam, honorem, sed vitam quoque, ac seipsum totum. Quid vltra quæso potest fortitudo vel patientia? I. *Fortis ac Liberalis amoris comparatio.* Autor.

Quod non admodum mirum videri debet, cùm Fortis & Liberalis amor fratres sint, eandémque habeant parentem Charitatem, vt significauit Apostolus, qui pari vtrumque gradu collocat. Cùm enim Charitatem summis laudibus extulisset, & singularem eius demonstrasset necessitatem, eius deinceps proprietates & effecta pertexit, qui sunt totidem filij Charitatis. *Charitas*, inquit, *patiens est*, *benigna est*, id est liberalis, siue benefica, quo modo Tertullianus Latinam illam vocem, aut Græcam χρηστεύεται interpretatur. Neq; est qui ignoret opera misericordiæ, tam spiritalia quàm corporea, esse opera Charitatis, totidémque II. *Fratres esse.* 1. Cor. 13. 4.

liberalitates, quæ corporibus fiunt, aut animabus inopia laborantibus. Par est autem quartum hunc quoque Charitatis filium mentis oculis spectandum præbere, priusquam illum loquentem audiamus.

III. *Liberalis amoris ornamenta.* Dicamus itaque breuiter hunc quem vocamus Liberalem-Amorem, vnum esse de pulcherrimis filiis reginæ Charitatis, nec eo quemquam facilè amabiliorem esse; accedente præsertim hilaritate vultus, quam nunquam patitur obsolescere, quibuscunq; inclinationibus temporum, vel fortunæ. Altè enim demisit in mentem illud Apostoli, *Hilarem datorem diligit Deus*, & illud quoque, *Qui miseretur, in hilaritate*. Quod tāto ante docuerat Ecclesiasticus, *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Cōmodus est illi valetudinis habitus. Nam Salomone teste, *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.* Sícque præuertit ætatem, & viam ad sepulchrum compendiariam parat. Toga induitur perampla, magnáque sinuum laxitate, in qua misericordiæ opera pereleganter acu picta sunt: eodémque opere plumarij scriptum est illud elogium, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Sinistro brachio, ac manu, Amalthææ quod dicitur cornu gestat, indéque hausta bona, omnibus facilè Dei causa dextera dispertit. Gestat & hoc elogium. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Eum porrò priusquam audiamus, de diuini amoris liberalitate disserentem, aliqua vniuersè de amoris liberalitate dicamus.

2. Cor. 9. 7. Rom. 12. 8. Eccl. 35. 11. Prou. 17. 22. Ioan. 3. 16. 2. Cor. 9. 6.

CAPVT II.

Amorem vniuersè sumptum esse liberalem.

I. *Amoris liberalitas experientia probatur.* AMOREM communiter atque vniuersè sumptum liberalem esse, experientia primùm, deinde ratione demonstrari potest, siue illum amorem spectemus, qui beneuolentiæ est, siue eum qui est Appetitionis, vel vt vulgò dicitur, concupiscentiæ. Si quis nobis est intimus, atque in necessariis principatum tenet, nihil est in nostra potestate, quod ei non libenter largiamur, si rem illi gratam nos putemus esse facturos. Si quid autem esse contigerit quod vehementer optemus, nulli omnino rei parcimus vt voti compotes esse possimus. Nobile nobis suggerit prioris exemplum Ionathas Saülis regis filius, qui vt Scriptura testatur, Dauidem instar animæ suæ diligebat, itaque factus est erga eum insigniter Liberalis. *Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad baltheum.*

1 Reg. 18. 1. 3.

II. *Et exemplo maximè Ionatha erga Dauidem.* Poterat ille quidem Dauidi dare pretiosa munera, ex selecta pretiosáque supellectili: poterat magnam auri vim atque argenti: maluit tamen tum illi dare vestes suas, atque arma bellica. Voluit nimirum quampri-

mum occurrere amici necessitati, quem ritu pastoritio indutum diutiùs ferre non potuit, ne ludibrio esset aulicis patris sui: cùm Ionathæ vestitus, Dauidi honorem ac venerationem, quasi alteri Ionathæ conciliaret. Volebat quoque Dauidem, dum se in Ionathæ vestibus circunspiceret, eum quoque in mente sua circumferre. Suum quoque illi arcum in manus tradit, dorso suspendit pharetram, balteum renibus, lateri ensem accommodat, vt pastorem commutaret in ducem, fundam & lapides in arcum & sagittas, baculum in gladium, & zonam canabinam in balteum auro argentóque illusum. Et cùm viri militares arma sua singulariter diligant, præsertim quæ bonitate simul, & pulchritudine præstant, qualia solent esse virorum principum, insigne amoris Ionathæ in Dauidem argumentum fuit, ea ipsi dono dare, & egregium bellatorem armis instruere, quæ Dauidis virtutem, & liberalem Ionathæ in ipsum amorem copiosè testarentur.

Amicus in amici gratiam, omnibus cupit esse gratiosus, vt fauorem illi conciliet, vt laborem, industriámque suam illi accommodet. Ionathas hæc omnia apud patrem suum, in Dauidis vtilitatem contulit, laudat hominem, excusat, defendit, eius ostendit innocentiam, eum sæpius regi conciliat, præsentissimo periculo eripit, admonet ingeniosè discriminis, animos addit, consolatur, collacrymatur ploranti, regiam ei prænunciat, ceditque dignitatem; quid officij potuit amplius amicus ab amico expectare? aut quid infelix Ionathas offerre preciosius? *Ne timeas,* inquit, *neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus.* O principem infelicem, & meliore patre dignum! non eris vtique secundus à rege, ô Ionatha, neque enim fata aspera rumpes. Denique amicus, in amici causa, & honorem profundit & vitam. Ionathas dum Dauidi patrocinatur apud patrem, non solùm eius offensionem incurrit, sed turpi etiam ab eo conuitio appetitur, & lancea pene perfoditur. Quod exemplum præstantius, veriúsque reperiri potest liberalitatis, in syncera, & omnibus numeris absoluta beneuolentia, & nusquam propriis emolumentis intenta?

III. *Ex eodem exemplo.*

1. Reg. 23. 17.

Videamus quoque quotidianam experientiam in patrefamilias, qui vnicum filium vnicè diligit, modestum præsertim, benè moratum, & ad imperia paterna egregiè factum. Vide vt hic amor illum parentem liberalem efficiat. Principio quod attinet ad fortunæ bona, in quibus liberalitas plurimum cernitur, clarum est omnes eum opes & copias, siue quas hæreditario iure consecutus est, siue quas sibi multo labore atq; industria acquisiuit, abiudicare à se, & in filium transferre, non solùm quando naturæ necessitati parendum est, & ex viuis abeundum, sed prius etiam, cùm vxore illi tradita, iubet eum esse patrem familias. Nec contentus exuere se, maturius partis bonis, si quid præterea acquirit, illi acquirit, si quid parcendo defraudat genium, illi defraudat,

IV. *Paternus amor liberalis in filium.*

adeò vt neque sui, neque æternæ vitæ aliquando recordetur. Huic quoque affectui matres seruiunt, & pene filiis se dãt in prædam, cùm bolum sibi de faucibus eruunt, vt prolem macie tabefactæ saginent.

V. *Omnibus in rebus, vt patet in Dauide erga Salomonem.*

Deinde largitur filio hic Pater, quidquid apud alios fide, gratia, fauore valet, eiúsque æs alienum proprium ducit ac suum, eiúsque nomine se constituit fideiussorem, Deum illi hominésque conciliat. Quid de honore dicam? non solùm id agit vt muneribus publicis, quæ pater gerit, filius succedat, sed in eius quoque gratiam condonat iniurias, atque in eius gloria atque honore lætatur. Talem se Dauid erga Salomonem ostendit, quem thronum suum regium insidere iussit, quem & adorauit in lectulo suo, gratiásque egit Deo de accepto, in persona filij, sibi in regno succedentis, beneficio.
3. Reg. 1. 47. *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Ingentique cum gaudio audiuit populum exclamantem, *Viuat rex Salomon.* Nec minore proceres, dicentes, *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius, super thronum tuum.*

VI. *Etiam animi bonis.*

Largitur postremò, scientiam suam, experientiam, doctrinam, virtutem, quando eum docet, instituit, admonet, arguit, exercet tanto animi affectu, vt si necesse foret, iis se omnibus priuaret, vt eum perfectum redderet, omnibúsque numeris absolutum. Inde est quod eum subinde commendat, vt illi acquirat amicos, Deum illi cœlitésque placare studet, vt eum ab omnibus tueantur aduersis, quæ ille vehementiùs sentit, quàm quæuis incommoda sua, eáque in se transfert, quantum potest. Reperti sunt amici qui subirent carcerem, vt suos inde amicos eriperent, & propria seruitute alienam redimerent libertatem: alij certum capitis adiere discrimen, vt Damon & Pithias, Castor & Pollux, quorum vterque fratrem alterna morte redemit, vt est in fabulis. Alij etiam inferos adire non dubitarunt, vt Theseus pro amico Pyrithoo. Nónne Nisus armatum in se hostem accersit, vt periclitantem Euryalum morti eripiat? ait enim,

Me me: adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli, &c.

Si ergo reperti sunt amici, qui hæc pro amicis facerent; quid mirum reperiri patres, qui eadem pro filiis facere non dubitent, cùm primarium inter eos reperiatur amicitiæ, ac mutuæ beneuolentiæ fundamentum?

CAPVT III.

Amorem appetitionis, siue concupiscentiæ liberalem, aut effusum potiùs, ac prodigum esse.

TRANSEAMVS nunc ad ignobilius illud amoris genus, quo amando non alteri bonũ volumus, sed cõcupiscimus nobis, quãdo non tam rem aliquam diligimus, quàm nos ipsos. Nolo autem moras trahere in exponenda vita plurimorum prodigorum, qui sua omnia, in vita voluptaria, stultissimè profuderunt: & vnam aliquando breuissimam voluptatem fortunis omnibus, honore, sanitate, vita ipsa, adeóque æterna salute mercati sunt; exemplis plena sunt omnia, præsertim cum plus sit in huiusmodi narratione periculi, quàm vtilitatis. Satis erit vnum, atque alterum exemplum proferre profusionis, quam in theatrum vitæ huius ambitiosus amor inuexit. Prius erit Michaëlis Iaponij, principis Arimensis, in cuius mentionem nuper incidit Fortis Amor. Is ambitioso regni Arimensis amore incitatus, vltro iacturam fecit omnium, quæ potuit vsquam, aut debuit habere carissima. Pater eius paulò antè regios thesauros exhauserat, vicinum vt regnum interuerteret, ad séque transferret: ipse fidem, amorem, venerationem, quam debebat patri, eiecit ex animo, & improbissima proditione, & calumniis illum è suo regno præcipitem egit, móxque etiam vita maiori scelere exturbauit. I. *Voluptarius amor profusus.* *In primisq; ambitiosus.*

Paterni ergo regni possessionem inuadit, sed qua commutatione? ad quas conditiones cõpulit hominem libido regnandi? De regno annuerat Imperator, ea tamen lege, vt Christianæ religioni nuncium prior ipse remitteret, tum vt subditos suos ad eandem impietatem compelleret: Safioium quendam teterrimum Christianorum perduellem consiliariũ, & quasi Tutorem haberet, cuius consilio ac voluntate vbique vteretur. Itaque qui patrem quasi regni collegam ferre non potuit, improbissimo pædagogo committitur, à quo perfidiosè prodatur, & ad immania facinora pertrahatur: eúmque in omnibus iubetur audire, de ratione præsertim ac via exterminandæ in Arimensi regno fidei Christianæ. Quid hîc facturus es infelix, quidve dicturus? an conditionem tam impiam, tam sacrilegam, tam iniustam admissurus es? Deseres conditorem ac Seruatorem tuum: abiicies fidem, religionem, charitatem, spem æternæ vitæ? Tyrannus fies ea religione persequenda, quam tu ipse ac tui à prima infantia estis amplexi? Assentitur miser, accipit conditionem, dat fidem tyranno, quam abrogat Deo. O insanum principem! quantam vno verbo iecisti aleam! ô prodigam ac prodigiosam regnandi cupiditatem! II. *Id ostenditur principis Arimensis exẽplo.*

Posterius exemplum ex sacris literis petitum, vt vulgo notum perstringo paucis. Cui enim ignotus est Aman ille, quem in oculis ferebat III. *Amanis ambitiosi largitio.* Esther. 3. 8. 9

Assuerus, qui regi decem millia talentûm obtulit de suo, vt Iudæum militem vlcisceretur, à quo non satis honorari se arbitrabatur? nónne ambitiosus amor hanc profusionem expressit? Expressit & illam, quantum in se fuit, hominum stragem, qua certam ad diem vniuersa natio Iudæorum, quæ centum & viginti septem Artaxerxis Longimani continebatur prouinciis, perire iubebatur. Quis nescit sumptus immensos, quos Romæ candidati ad incertum casum faciebant, quibus non sua solùm, sed aliorum etiam patrimonia profundebant, exhauriebant prouincias, sociorum regna expilabant. Quem authorem habuerunt hæ largitiones, præter vanitatis amorem? Quid spectabat L. Sylla, Iulius Cæsar, M. Antonius, cùm profundebant opes, quas subiectis populis rapuerant, nisi vt iactare possent, vel sibi id impune licuisse, vel se ea contemnere, vltróque proiicere, quæ alij in oculis ferunt: vt cum Cleopatra de epularum magnificentia cum Antonio certans, immensi pretij vniones liquefecit, atque absorbuit.

Aliáq; eiusdem exempla.

IV. *Hilaritas largitionis socia.*

Satis itaque constat ex dictis Amorem hunc vulgarem ac profanum largum esse atque magnificum, aut potiùs inconsulta largitione profusum; qui nihilominus ad perfectionem veræ liberalitatis aspiret, addita illi socia hilaritate. Si enim teste philosopho, delectatio perficit actionem, experientia ipsa docet nos amicum intimum ita diligere, vt multo plus delectationis capiamus in muneribus ei conferendis, quàm ab illo accipiendis: recusari autem quæ offerimus ægrè ferimus, aut contumeliam etiam quandam putamus. Veremur enim ne non diligamur ab eo, qui beneuolentiæ nostræ indicia non admittit. Hinc illa,

Amantium munera.

------ *sordent tibi munera nostra*,

Virg. Egl.

quæ pastoris istius tristitia, non obscurè docet voluptatem, qua fuisset affectus, si amicus ille oblata munera hilari vultu accepisset.

V. *Sichemi liberalitas.* Gen. 34.

Nec deest in Scriptura iucundæ huius liberalitatis exemplum, in Sichemo Hemoris filio, qui cùm Dinam Iacobi filiam vxorem habere discuperet: *Inueniam*, inquiebat, *gratiam coram vobis: & quæcunque statueritis dabo, augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quæ petieritis; tantum date mihi puellam hanc vxorem.* Quanto autem libentius ipsi puellæ dedit, quam mitigare cupiebat, eiúsque amorem obtinere? Neque enim ignorabat munera peridoneos fore curatores affinitatis, quam quærebat. Cuius delectationis ea fortassis causa fuerit, quòd iucunditas aut vtilitas, quam amicus ex muneribus nostris hauriet, in nos ipsos redundat, quòd cum quasi alterum se quisque reputet, & ad eum seipse referat, quasi ad finem suum; perinde ac si quoddam ipse foret additamentum, ad amici bonum perficiendum, eiúsque diuitias propria paupertate accumulandas. Sed placet vt huius quoque liberalitatis causas inquiramus.

CAPVT IV.

Quibus ex causis Amoris liberalitas profecta videatur.

EXPERIENTIA, de qua proxima fuit nostra disputatio, apertè docet amorem esse liberalem, eadémque docuit antiquos illos Sapientes Amorem ad largiendum esse propensum. Itaque in suo conuiuio Plato amorem vocat φιλόδωρον εὐμενείας, beneuolentiæ largitorem. Et Salomon in Canticis, *Si dederit*, inquit, *homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*: tantum est precium veri amici. Cui consentiens Syracides, *Amico*, inquit, *fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius*. Sed arguta est atque elegans comparatio apud Salomonem, amoris cum sponsæ vberibus, quæ lac liberaliter profundunt, quod vtique non ad possidendum, sed ad largiendum acceperunt, & cum voluptate largiuntur, & grauantur copia, itáque exposita sunt omnibus, vt capra lupæ catulos nutriat. Donant autem sine strepitu, sine fastu, sine exprobratione: neque expectant dum vrgeantur aut comprimantur, leuis tactus promptissimam excitat liberalitatem, adeo vt beneficium accipere, non dare videantur. Denique vbi dederint quod habent, quamprimum acquirere satagunt quod iterum largiantur.

I. *Amor sapientum iudicio liberalis.* Cant. 8. 7. Eccli. 6. 15. Cant. 1. 1. *Cur vberibus comparetur.*

Sed quæ germana est huius causa liberalitatis? An quod amor, sicut & bonitas, quæ eius obiectum est, & Deus ipse bonum omnis boni, natura sua longè vim suam, latéque diffundit? vt sol lucem, & cum luce vitalem calorem ac beneficentiam suam, vt oleum effusum, quod latiora spatia semper occupat. Nec flamma exiguis coarctatur angustiis, sed exilit, atque erumpit foras, aut si id minus potest, extinguitur. Ita quidem, sed hoc ipsum quærimus cur fiat, ista enim effusio liberalitas quædam est, cuius causam inquirimus. An quod cæcus & inconsultus est amor, nec ei penes se habitare placet, penes dilectum placet? At non omnis amor cæcus est, aut inconsultus, sed ille duntaxat, qui non habet rationem ducem, quæ facem præferat, & ea quæ reuera sunt amabilia præ cæteris eligat. Itaque causa hæc angustior est, quàm vt omni amori quadrare possit. An quod ex veteri prouerbio, amicorum omnia communia, atque ita quod quis dat facilè dat, vt qui illa quodammodo apud amicum deponat, neque ea secus habeat in potestate, quàm si non dedisset. At verus amor dat planè gratuito, nec vllam suscipit damni vitandi, aut resarciendi cogitationem.

II. *Inquiruntur variæ causæ huius liberalitatis.*

An potiùs liberalis est amor, quod is propensio quædam est, & naturæ pondus vergentis in rem conuenientem ac placentem sibi. Quod præ-

III. *Conuenientior causa.*

clarè videtur intellexisse S. Augustinus, cùm diceret, *Amor meus pondus meum, eò feror, quocunque feror.* quod æque in res vtiles, delectabiles & honestas pro amoris conditione valet. Denique amantis est ad amantem inclinatio, cui copulari desiderat, & adhærescere, nec distractionem aut absentiam ferre potest. Quis enim nisi inuitus à se dimittit quod diligit? Quia tamen fieri nequit vt personæ, quæ inter se diligunt, perpetua præsentia, ac vitæ societate perfruantur, vterque cupit vicarios amoris sui apud alterum relinquere, qui perpetuo apud amicum resideant, neque vnius memoriam apud alterum obsolescere patiantur, quod fit muneribus, quæ sæpenumero inter amicos vltro citróque vicissim commeant.

IV. *Naturalis propensio in bonum suũ.* Hæc porro quam dixi propensio latissimè patet, adeo vt non in homines duntaxat, sed in omnes etiam conueniat animantes, adeóque in res quæ sensu ac vita carent. Agnellus enim vix effusus in lucem mammam diligit, inquiritque matris: equulus rhedariam equam, à qua lactatur, nusquam defatigatus comitatur: frutex, sponte inclinatur, & ramos extendit ad solem, à quo accipit calorem & vitam; radix sitiens humoris, ad eum exugendum occultos agit cuniculos. Flamma in rem aridam & calefactam saltu insilit, ascendit descendítque vsa vehiculo fumi. Tota denique natura hæc aspectabilis propensionem habet admirabilem ad vitandum vacuum, & conseruandum plenum, sic vt ad illud impediendum ignis deorsum feratur, aqua sursum euolet, rupes in frusta dissiliant, omniáque elementa suarum oblita qualitatum, ac proprietatum, quas singulis natura inseuit, assumant externas, & quæ præter naturam sunt, penitúsque violentas.

V. *Quis liberalitatis finis.* Videamus quoque quem spectet finem Amoris ista liberalitas. Vtiq; fertur ad acquirendam, conseruandam, augendámque beneuolentiam. Cùm enim munera reparandis amicitiis idonea sint, offensionibúsque tollendis, iuxta illud Poëtæ,

Quæ munerum vis. Ouid.

Munera, crede mihi, placant hominésque Deósque,
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Quanto potentiora fore credendum est, ad amicitias iamdudum partas, conseruandas, constituendásque, nulla in cordibus acerbitate residente, quæ his beneuolentiæ testibus obsistat? Valere autem ad conseruandas amicitias ista munuscula, ex eo facilè agnosci potest, quod natura dictante, tum demum maximè videtur his esse locus, cùm separationes inter se diligentium contingunt. Tunc enim donari vicissim solent, quæ sint monimentum & pignus amoris. Eodem etiam pertinent apophoreta conuiuiorum, & vertentium annorũ xenia, plerisq; gentibus vsurpata. (Virg. Martial.) Ambitioni quoque seruiunt, si quando necesse est vt munera expleant meritorum vices. Multis quoque sumptibus, vigiliis, laboribúsque doctrina emitur; sanitas item & vita, & quidquid demum in hac vita diligitur. Quæ cùm satis vniuersè liberalitatem amoris probent, æquum est deinceps, nobilissime adolescens, vt in liberalitatem diuini Amoris excurras.

CAPVT

CAPVT V.

An diuinus Amor Dei amicos liberales poßit efficere.

LIBERALIS AMOR.

EGO vero faciam, ait Liberalis Amor, & quidem liberaliter ac libenter. Neque enim par est in diuini amoris liberalitate prædicanda illum parcum esse, qui ea tam prolixè, támque effusè deuinctus sit. Tanta est enim vis huius amoris, vt non solùm Deum, cuius infinitæ sunt opes & copiæ, in res omnes liberalem efficiat, sed ipsos etiam homines aduersus Deum. Quidni enim id possit amor tanto nobilior, cùm profanus amor, vt tute narrasti, immensis sumptibus par esse possit? Quomodo non cedet humanus diuino, & naturalis ei qui vim omnem naturæ transcendit? Denique *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, tanquam moderator cordis eius, voluntatis, atque libertatis, quam pro arbitrio flectit in omnem partem: & vt vim illi non afferat, tanta nihilominus suauitate, támque opportunè eam allicit, vt effectus ipse sine vlla dubitatione consequatur.

I. *Vis diuini amoris in Deo & hominibus.*

1. Ioan. 4. 8. 16.

Certum nihilominus est Charitatem, quæ in Deo est, & ipse Deus immensus & infinitus, aliam esse à charitate, quæ à Deo in hominibus, angelísque producitur, certísque finibus circunscribitur, atque adeo perexiguis aliquando. Accedit quod quasi in alieno solo peregrinatur, nec pro ortus sui dignitate tractatur. Sic calor in aqua longè minorem vim habet, quàm in igne, qui aurum, argentum, atque adeo saxa ipsa liquefacit. Et sicut calor aqueus dissipatur ipse per sese, aqua natiuum frigus recuperante, sic diuinus amor nimium facilè in homine dissipatur; permittit quippe se homo perturbationibus suis, quæ illum, nisi diuina gratia opem ferat, alia omnia moliri suadeat, quàm quæ postulat diuinus amor. Quòd si magna pars hominum huius amoris egentissima est, quomodo liberalis esse poterit operibus exercendis, quæ ab illo proficiscuntur?

II. *Diuina charitas alia à nostra.*

Sed demus eum tam illo amore, quàm istis operibus affluere atque abundare, vt ne vlli quidem Apostolorum cedat aut martyrum, quî fieri potest vt liberalis sit aduersus Deum? num quisquam potest benignè facere illi, cui quæ illius ipsius sunt duntaxat largiatur? At profectò constat nihil in nobis esse, nihil circa nos, aut in nostra potestate, quod ad illum rerum omnium molitorem ac conseruatorem Deum multiplici iure non pertineat. *Quis ego*, aiebat Dauid, *& quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Et rursum, *Domine Deus noster om-*

III. *An vlla liberalitas esse poßit aduersus Deum.*

1. Par. 29. 14. 16.

nis hæc copia, quam parauimus vt ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia. Eadem vsurpabat multis pòst seculis Iustinianus Imperator, cùm Cõstantinopoli magnificentissimam ædem Sanctæ Sophiæ construeret.

IV. *Aut etiam aduersus pauperes.* At vide, inquam, si placet, quo progrediatur vsque tua ista probatio. Hinc enim profectò consequens erit, ne aduersus pauperes quidem posse nos esse liberales. Perinde quippe est siue regi ipsi, siue quæstoribus eius soluere quod debeas. At satis constat egenos eius esse nummularios, qui dixit, *quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* (Mat. 25. 40.) Quod deinde in cibo, potu, vestitu, cæteróque commeatu latè persequitur. Eadem ratio est recipiendorum hospitum, visendorum ægrorum, & eorum qui sunt in vinculis subleuandorum. Quin imo Dei quædam liberalitas est, quòd per istius modi trapezitas aliquid recipiat à nobis, vt qui grauissimi fœnoris debitorē se constituat, centenis nummis in singulos persolutis; & centenam sortem decem millibus remetiatur. Addo quod qui potat pauperem, pluuiam deriuat in vineas suas, qui cibat, agros suos efficit fructuosiores; detrita vestis, qua eum induimus, vellera reddit vberiora, denique mensarum reliquiæ in oues armentáque multiplicantur.

V. *Posse esse erga vtrosque;* Verè tu quidem isthæc omnia, inquit Liberalis Amor; ea tamen non impediunt quo minus amici Dei possint in illum esse liberales. Magnificentissimus enim ille mundi princeps magnificentiæ suæ interesse existimauit subditos habere locupletes, quique & inter se, & cum Domino suo liberales esse possint. Quamuis enim omnia quæ possident eius magnificentiæ accepta ferant, qui vtile dominium in illos transtulit, perpauca tamen ab illis exegit, vt intelligerent alieni se iuris esse; cæteris omnibus eorum liberalitati, voluntatique permissis. Sic primarius & legitimus ædium dominus eas dilecto famulo, eiúsque posteris in perpetuum largitur, ea tamen lege, vt quotannis vnus ei assis, ad agnoscendam gratiam persoluatur, & pro earum hortis sertum vnum. Ille assis, & sertum istud ex iustitia, summóque iure debebitur Domino, cætera quæ illi offerentur à famulis non ingratis, erunt germanæ liberalitatis.

VI. *Quomodo id contingat.* Res non admodum est in Dei causa dissimilis. Dedit enim Dominus homini corpus quo constat, animum quo vitam & spiritum ducit, & hæc externa commoda quibus fouetur; in quibus omnibus ampla illi latifundia reliquit exercendæ erga se liberalitatis. Certa quædam temporum momenta definiuit, quibus honor & cultus illi, & pro acceptis beneficiis gratiæ referantur, puta Dominicum, aliósve festos dies; si quis ritè atque accuratè fuerit hac obligatione perfunctus, velitque nihilominus cum Dauide septies in die laudem Domino, cultúmque deferre, illíque se subinde sistere, vt se cunctis eius voluntatibus accom-

modet, sine vlla dubitatione liberalis erit aduersus Deum. Obligat hominem Deus vt in obsequium fidei, captiuum reddat, & quasi dedititium intellectum; qui ergo eandem homini propter Deum mentis exhibet seruitutem, licet is multis sibi rebus sit fortassis inferior, magnam vtique exercebit, non aduersus hominem liberalitatem, sed aduersus ipsum Deum.

Hæc ego, inquam, de intellectu facilè adducor vt credam; de voluntate autem, & amore qui ipsius actus est primarius, vereor vt assentiri possim; Quis enim reliquus ei esse potest liberalitatis in amando modus, qui Deum toto corde, totis viribus, tota anima diligere iussus est? quem potest voluntas actum amoris elicere, qui necessitatis non sit, ac præcepti? Respondeo, ait Liberalis amor, simúlque nego præceptum hoc alium omnem amorem excludere, præter eum, qui directò fertur in Deum. Natura enim, eiúsque autor Deus docet, iubétque amorem parentum, coniugum, liberorum, eúmque amorem altius ille pectoribus nostris inseuit, quàm vt facilè deleri possit. Quod si res ad viuum resecanda est, vt illi solent, qui hæc subtiliter disputant, hoc vnum exigit à nobis Deus, nostros vt necessarios, omninóque proximos in ipso diligamus, & propter ipsum, adeo vt si Dei amor cum cæterorum omnium amore in contentionem venerit, hic planè iaceat, ille vincat, ac palmam ferat. Quod nihil impedit quo minus isti necessarij suo ordine modóque colantur, atque diligantur. Si quis autem peculiaris Christi discipulus esse velit, poterit ita se gerere erga cognatos, ipsámque animam suam, quasi illos odio prosequeretur. Qua in victoria diuini amoris, quis dubitat amorem fore valde liberalem? Si enim iustitiæ id esset, & non liberalitatis, Christus Dominus omnium rerum derelictione proponenda mortalibus, non statim præmisisset, *si vis perfectus esse*, ostendens velle se rem totam arbitrij ipsorum esse, ac voluntatis, non iustitiæ & obligationis.

VII. *An possit esse liberalitas amoris in Deum.*

Et qui id fiat.

Mandatum Apostoli est, atque adeo per Apostolum Christi Domini, *vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, quales sunt reges & principes, & magistratus, qui legitimam ab eis potestatem accepere, & in primis Deus, in cuius clientelari iure & ipsi sunt, & cæteri mortales, qui iubet eorum leges ac præcepta seruari, quæ non tam latè patent, vt non plurima in hominis arbitrio, ac potestate relinquant. Qui ergo Paulum imitari voluerit, qui *cùm liber esset ex omnibus, omnium se seruum fecit, vt plures lucrifaceret Deo*, nónne imitanda hac apostolica liberalitate, ipse quoque liberalis erit? Nam qui diuino amore incitatus, nuncium libertati suæ in vita religiosa remiserit, & obedientiæ voto se ad mortem vsque obstrinxerit, nullam sibi potestatem de seipso, suisve rebus decernendi reliquam fecerit, eximia vtique in Deum liberalitate vtetur.

VIII. *Amoris in subiectione liberalitas.*

Rom. 13. 1.

1. Cor. 9. 19.

IX. *In castigatione corporis.* 1. Cor. 9. 27 Matt. 16. 24. Psal. 87. 16.

Testatur Apostolus se corpus suum castigare solitum, & in seruitutem redigere, ne aliis prædicando, ipse reprobus efficeretur. Non rarò contingit vt necesse sit, vel Domini, vel Ecclesiæ matris imperio, aut propter periculum imminens edomare corpus ieiuniis, aliisque id genus afflictationibus acerbè accipere, nequando illud, quasi demorso freno equus, equitem ex alto præcipitem agat in cloacam, aut allidat ad saxa. Possunt nihilominus imperia huiusmodi, & motus necdum erumpentes anteuerti, acritérque supprimi, iuxta vocem Christi Domini, admonentis eos, qui eum sequi velint, vt tollant crucem suam, quamuis nulla cogente necessitate. Potest etiam aliquis multis se commodis, delitiísque priuare, in victu, vestitu, somno, vitæ consuetudine, vt sancti olim religiosi factitarunt, faciúntque nunc quoque plerique, qui in eorum vestigiis pedes ponunt, vt propius ab exemplo Seruatoris absint, cuius illa vox est apud regium vatem, *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.*

X. *In externis commodis.* Psal. 23. 1. Rom. 11. 35.

Eadem est ratio commodorum externorum. Etsi enim verissimum est illud Dauidis, *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Et illud alterum Apostoli, *quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Non tamen negat dari posse aliquid, imo plurima Deo: sed illud necessarium est, vt Deus omnem donationem nostram sua liberalitate præueniat, atque anteuertat; quæ si desit, rerum omnium egentissimi sumus; si adsit ac præueniat, multa omnino nobis adsunt, quæ illi largiamur. Quæ enim dedit ille nobis, nostra sunt optimo iure, vbi iuribus eius satisfecerimus, & in eorum vsu parci esse possumus & liberales. Amor diuinus ad liberalitatem inclinat, nec sine fructu; certum enim est, quo liberaliores fuerimus erga diuinam maiestatem, hoc illam erga nos liberaliorem fore, hominémque in dies magis idoneum redditum iri, ad vberiora ab eo dona spiritalia recipienda.

XI. *Religiosum quoque posse in Deum esse liberalem.* Rom. 4. 15.

Et dictis facilè intelligi potest, religiosum hominem, qui se totum consecrauit Deo, posse nihilominus aduersus eum esse liberalem. Innumera enim sunt quæ Deus, & qui vices eius gerit in terris religioso relinquunt libera, quæ dicuntur opera supererogationis, quæ si exequitur, rectè facit, eadémque sine culpa missa facit, *vbi enim non est lex,* ait Apostolus, *ibi neque præuaricatio.* Itaque potest in dies horásque singulas mille actus fidei, religionis, spei, charitatis elicere, cæterarúmque virtutum, quæ non prodeunt foras, sola mentis actione contentæ: quas vt exercere non posset, vti sæpe non potest liberalitatem in opera misericordiæ, quæ ad corpus pertinent exercere, illa tamen vnica liberalitas, qua se totum, suáque omnia, quoad licuit largitus est Deo, pluris omnino est apud Deum, quàm omnes eleemosynæ, quas aliquis de populo tota vita facturus est, quamuis Mathusalemi viuendo expleret annos.

Neque profectò mirum; Secularis enim, siue de populo quispiam, siue de clero, instar illius est, qui amico suo fructus aliquos ex horto suo largitur. Religiosus autem Deo donat fructus omnes, cum arboribus ipsis, ipsóque fundo, in quo illæ sunt satæ. Ille particulam aliquam bonorum suorum tribuit, hic in Dei gratiam profundit quidquid habet, quidquid habere potest, aut desiderare; quis autem desideriorum modus esse, aut finis potest? Iste nihilominùs abdicat à se non solùm possidendi, sed etiam desiderandi facultatem. Adde quòd insignis ista liberalitas non semel tantùm exerceri potest, sed repeti sæpiùs, & votorum instauratione renouari, qua prima illa donatio confirmatur, fixa ac rata esse decernitur, simúlque iterando sacrificio meritorum thesauri cumulantur. Denique Religiosus non dat Deo sterilem fundum, aut effœtas arbores, fructúsve cariosos, sed vt plurimum vegetum corpus, animúmque omnibus sensibus ac facultatibus præditum, in ipso adolescentiæ flore, vel iuuentutis, non vt fructus aliquos quotannis ferat, sed in horas singulas, ac pene momenta, fructus honoris & honestatis, fructus sanctitatis, omniúmque virtutum maximarum. XII. *Multo magis quàm secularem.*

Quòd ad alteram liberalitatem, quæ suscipitur propter Deum, & transfertur in proximum, clarum est magnam eorum operum partem, quæ dicuntur misericordiæ, siue ad corpora, siue referantur ad animos, esse in religiosi hominis potestate; & quo plus minúsve exercentur, hoc maiorem amorem prodere vel minorem, quantum quidem suscepti instituti ratio patitur. Nam riuuli, magnitudinem scaturiginis ostentant, & magnitudo lucis luminosi corporis claritatem, & frequentia bonorum operum, sanctarum animarum Charitatem. Si ergo possum conciones habere ad populum; si adhortationes ad moniales, si Catecheses ad rudes, si possum consolari afflictos, nec tamen facio, vbi est liberalitas amoris huius? si ægros in nosocomiis, si vinctos in carceribus inuisere valeo, si egenis opem ferre aut curare, si orphanis instar patris, & mariti viduis esse possum, si perfugium miseris atque derelictis, & malo nihilominus otio desidiáque torpere, quomodo meum in Deum amorem probo, qui me ad hanc erga miseros liberalitatem inuitat, & se propterea in ære meo fore pollicetur? XIII. *Posse in proximos quoque.*

CAPVT VI.

Amore diuino homines, etiam ante legem Euangelicam, factos esse liberales.

LIBERALITAS diuini amoris tanto est in lege naturæ aut scripta prædicabilior, quanto angustior erat tum gratia, quàm mortalibus I. *Extare in*

lege Mosaica diuinæ liberalitatis exempla. diuina prouidentia largiebatur; sine qua tamen liberalitas, omnísque vera virtus exarescit. Modicus ignis exiguum calorem effundit, neque aër exigua luce admodum illustratur: & fons tenui scaturigine exiliens, tenui quoque riuulo manat; Denique permirum foret puerulum, æquare fortitudine virum præstanti robore præditum. Itaque meritò numeratur in prodigiis, Dauidem adolescentem lapidis ictu virum deturbasse militarem, cui regius Saülis exercitus neminem habebat parem. Deus nihilominùs ipsis illis temporibus, amicissimis quibusdam, sed perexiguo numero, tantam amoris & gratiæ vim largitus est, vt pari gradu cum proceribus nouæ legis incedere videantur.

II. *Vt Iosephi Patriarchæ aduersus fratres.* Iosephus ille Patriarcha maximam mihi admirationem mouet. Est enim quod in eius liberalitate vehementer admiremur, siue personas consideremus quibus benignè fecit, siue illum ipsum Patriarcham, qui liberalitate vsus est, siue magnitudinem liberalitatis eiusdem. In eos enim eximiam liberalitatem exercuit, quos olim apud patrem coactus fuerat accusare crimine pessimo, qui eum capitali odio prosecuti fuerant, adeò vt præter quotidianæ locutionis atrocitatem, *neque enim poterant ei quidquam pacificè loqui*, etiam de ipso interficiendo sermones inter se conferrent: qui nudatum adolescentulum in cisternam veterem proiecerant, vt ibi extabesceret fame, aut venenatorum animalium morsibus conficeretur: qui eum facti plagiarij, peregrinis mercatoribus vendiderant, & apud parentem bestiis deuoratum finxerant, illúmque tot annos immani luctu confecerant, eóque mendacio illius redemptionem impediuerant, neque per eos steterat quin ingenuus atque adeò innocentissimus adolescens in misera Madianitarum, vel Ægyptiorum seruitute consenesceret. (Gen. 37. 4.)

III. *Sed in Dei gratiam.* At sanctus hic Patriarcha non tam illos, vtique beneficio indignos, & malè de se meritos, in benefaciendo intuebatur, quàm ipsum Deum, à quo tantæ amplitudinem dignitatis, tantúmque vitæ splendorem acceperat. Cuius rei hoc non leue argumentum est, quòd cùm eos modicè ex Dei voluntate castigaret, præteritam vt culpam cum animi dolore memoria repeterent, illis dicebat, *Facite quæ dixi, & viuetis; Deum enim timeo.* Quasi diceret, Deus est, qui moderatur actionibus meis, cuius ego nutu seueritatem cum mansuetudine misceo, carcerem cum largitione frumenti. Amor in illum meus, & sanctus timor totam hanc, quæ agitur, fabulam regit. Clarius id etiam patefecit, cùm œconomum suum instrueret, & verba, quibus illos compellaret & consolaretur, in os ingereret, *Pax vobiscum, nolite timere, Deus vester, & Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Ita sanè; Ipse enim erat in cuius gratiam omnis ista liberalitas exercebatur. (42. Gen. 18.) (c. 43. 23.)

IV. *Magnam fuisse illam liberalitatẽ.* Magna vtique liberalitas. Decem enim erant, & accipiebat quisque gratis tantum frumenti, cuius tum, vt in fame, maximum erat pre-

stium, quantum asini singulorum ferre poterant; præter lautitiam epularum quibus accepti sunt, & redditam clam frumenti pecuniam; occultam enim volebat esse liberalitatem suam. Quam etiam secundùm iterauit, cumulauítque multa vestium, cibariorum, pecuniarúmque supellectile. Denique *addens & asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitiis Ægypti, & totidem asinas triticum in itinere, panésque portantes.* 45.21.&c. Sed hæc modica sunt adhuc. Senem ad se parentem, cùm tota septuaginta capitum familia, euocauit, quibus fertilem prouinciam ad habitandum singulariter obtinuit, eósque in Ægypto, non reliquos illos solùm quinque annos famis, enutriuit gratis, sed omnino quamdiu superstes fuit, quod duorum & septuaginta annorum tempus fuit. Sed quid mirum fuisse liberalem in suos, quando & profanis hominibus prædia sua immunitatésque conseruauit? Dominabatur vtique in illo pectore Diuinus-Amor, qui cæteras summi viri virtutes perpetua liberalitate cumulauit.

V. *Iobi liberalitas.*

Sub eadem tempora vixit Iobus Idumæus homo sanctissimus, speculum insigne non patientiæ modò, sed commiserationis in pauperes; quod ille ipse testatur his verbis. *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum: Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem, humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Iob 31.16. 17.&c. Et aliquanto pòst. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* v.32. Quid aliud expectari potuit à perfectissimo Christiano?

CAPVT VII.

Alia quædam eiusdem temporis Liberalis Amoris exempla.

I. *Liberalitas Tobiæ senioris.* Tobiæ 1. 18.&c.

SENIOR ille Tobias eximius Dei famulus, misericordia & liberalitate in captiuos Israëlitas insignis fuit. Cùm autem Sennacherib, sub extrema regni sui tempora, non paucos Iudæos morte afficeret, fugam ex Iudæa suam, ignominiámque cladis vlturus,

Tobias fratres suos Iudæos quotidie inuisebat, ac consolabatur, & opem ferebat indigentibus, quantum facultates ferebant; & cùm adfuisset viuis, non deerat mortuis, ne periculo quidem vitæ, ac bonorum omnium iactura deterritus; quæ tamen illi breui restituta sunt, illius prouidentia, qui ei largitus fuerat animam bonam, ac misericordem. Et quamuis à cognatis & amicis vehementer argueretur imprudentiæ in benefaciendo, vt qui vitam superstitum, pro vita functorum sepultura, in discrimen adduceret, & vitam suam ac necessariorum suorum, pro iis quos nulla affinitate contingeret, ac ne nosceret quidem; perseuerabat nihilominùs in iisdem pietatis operibus, nominatímque abiecta necatorum corpora rapiebat, abscondebat domi, & nocte mandabat sepulturæ.

cum vita discrimine, & fortunarū iactura.

II. *Ad eandem filium informat præceptis.* c. 4. 1. 2. &c.

Hic ergo vir misericors in primis, & exemplar pietatis in proximos, cùm se breui moriturum speraret, quòd à Deo feruidis dudum precibus postularat, filium suum sibi cognominem euocauit ad sese, non tam vt eum non magni patrimonij declararet hæredem, quàm beneficentiæ & benignitatis in pauperes, quam ex animo perpetuò dilexerat. Inter cætera verò monita, cùm diuinum illi timorem commendasset, adiecit illico.
v. 7. 8. &c. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Quo modo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, in idem relapsus argumentum
v. 17. mox subdit. *Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.*

III. *Liberalitas Tobiæ iunioris.* c. 12. 1. &c. *Abdiæ, & totius populi Israelitici.* 3. Reg. 18. 4. 13. Exod. 35. 20 &c. & c. 36. 3. 4.

Vide autem vt Tobias iunior paternum hunc liberalitatis animum imbuerit, & quasi sapientis magistri prælectionem didicerit, qui duci itineris sui dimidiam partem tam aduectæ pecuniæ, quæ decem talentorum fuit, quàm reliquarum omnium fortunarum mercedis loco dare voluerit, & eandem in illum liberalitatem parenti persuaserit. Quid de Abdia regio Achabi procuratore dicam? qui sæuiente improbissima Iesabele aduersus Dei Prophetas, quinquagenos abscondit in speluncis, enutriuit, & certissimæ morti eripuit. Quid de mira Hebraici populi liberalitate, in offerendo diuino Numini, in vsum Tabernaculi, auro, argento, purpura, cocco, gemmis, lapidibúsque pretiosis? Eò namque progressa est illa magnificentia, vt artifices ad Mosem venire compulsi sint, vt iussu ipsius populo præconis voce nunciaretur, nemini quidquam vltra in opus sanctuarij esse largiendum, *eò quòd oblata sufficerent, & superabundarent.* Exemplo liberalitatis singulari, & memoria digno sempiterna.

Sed

Sed quid memorem Dauidem, qui vt cæteris omnibus regiis virtutibus illustris fuit, ita magnificentia, quæ maximè regia est, minimè caruit. Amor enim, & reuerentia, & obseruatio, qua prosequebatur Deum, qui eum pastoritia eductum casa, regio in throno collocarat, non exiguum illi ruborem iniiciebat, cogitanti habitare se in domo cedrina, Dei verò arcam positam esse in medio pellium. Itáque cogitare cœpit de magnificentissima illi æde construenda. Cùm autem aliquantò pòst, Propheta Nathane interprete, didicisset, diuinam prouidentiam Salomonem eius filium ad id opus destinasse, acquieuit ille quidem diuino decreto, eius tamen ingeniosus ac liberalis amor rationem inuenit ac viam, qua plurimam eius operis partem deriuaret ad sese, materia sumptibúsque præparandis: relicta interim filio gloria & consolatione de templo, tam magnificè exædificato, vt inter celebrata illa mundi miracula principem locum facilè obtinere posset.

IV. *Maximéque Dauidis.*

2. Reg. 7.2.

Sed ipsummet Dauidem audire placet alloquentem Salomonem suum. *Ecce ego in paupertate mea, præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* Addit præterea alio loco tria millia talenta auri, de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos, ac conuestiendos parietes templi, quæ tota auri argentíque copia ad summam pene incredibilem exerescit. Ea si ære gallico æstimetur, erit duûm millium sexcentorum & septuaginta duorum millionum, & prætereà centum & viginti quinque millium aureorum. Sed his addenda insuper illa talenta, quæ regni proceres rogatu Dauidis in templi sumptus viritim pependerunt, quæ ascendunt ad duos & septuaginta milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos. Quòd si vtrumque numerum placet in vnam reuocare summam, euadet tota illa auri argentíque vis, ad bis mille septingentos & quadraginta quinque milliones, vnum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex nummos aureos nostrates. Eam auri summam, vt tota ex auro esset, non ferrent decem millia curruum, nongenti & octoginta, quamuis singuli currus ferrent ducenta & quinquaginta millia aureorum. Quàm prodigiosè liberalis est amor, qui tantam auri vim collegit, & in Dei cultum distribuit, & parui etiam æstimauit, & quasi aliena reputans dixit, *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1. Paral. 29.14.

V. *Quantam vim auri argentique præpararit in constructionem, vsúmque templi.*

1. Par. 22.14. c. 29. 4.

2671125000.
72926666.
2745051666.

Sunt 25. quæ dicuntur quintalia in singulos currus, singula verò centum libras capiũt.

CAPVT VIII.

Diuinum amorem homines in Euangelica lege reddidisse liberales.

I. *Fons & origo Euangelicæ liberalitatis.* CVM Seruator mundi amorem voluntariæ paupertatis, & diuitiarum contemptum, verbo exemplóque docuisset, non ægrè persuasum est plurimis Christianis illam vt amplecterentur vltro, istas vt repudiarent, atque derelinquerent. Facilè enim homines amplectuntur quæ diligunt, & missa faciunt quæ contemnunt. Et cùm eadem opera vitæ rationem illam comprobasset, quam nonnulli quondam Prophetæ adamarant, & plerique illorum Discipuli, solitariæ vitæ sectatores fuerant æmulati, multos habuit magni Eliæ & Elisæi, imò sui ipsius deserta loca inhabitantis, ac subinde frequentantis, imitatores, tam in monte Carmelo, quàm in aliis Iudææ, maximéque circa Iordanem locis, quos olim filios prophetarum vocabant. Quod vitæ institutum, præsertim quod ad contemptum diuitiarum attinet, post aduentum Spiritus sancti in Apostolos, reliquámque Christi familiam maximè floruit. *Regnum liberalis amoris initio Ecclesiæ.* Tum videlicet liberalis Amor ita florebat, itáque in Christianos omnes dominabatur, vt fortunarum suarum dominium vltro deponerent, illásque Deo, Apostolis interpretibus atque internunciis, iisdémque ipsorum patribus, ac magistris libentissimè consecrarent.

II. *Ex S. Luca declaratur.* Eam rem Lucas Euangelista summa cum autoritate prædicat, & illustribus confirmat exemplis: *Omnes*, inquit, *qui credebant erant pariter*, eadem scilicet vitæ communitate vtebantur, vt nunc religiosi, *& habebant omnia communia.* (Act. 2. 44.) Additque; *Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et rursum: *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; neque quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.* (c. 4. 32. 34.) Et inter alios Ioseph quidam, qui ab Apostolis cognominatus est Barnabas, tribu Leuites, genere Cyprius, cùm haberet agrum eum vendidit, & confectam inde pecuniam, ad pedes Apostolorum abiecit. Itaque iugis erat tum Christianorum, perennísque liberalitas, quam Spiritus ille diuinus Amor Patris ac Filij fidelium cordibus infundebat, & ad illum, quem dixi, vsum, actionémque deducebat.

III. Sed hæc ipsa liberalitas perfectius aliquid habebat, atque diuinius;

Am

den Herrn


Vielgeliebter

schickt mir

was von seinen

Vsportl zu

machen



voto enim, seu facta Deo promissione firmabatur, vt ex Ananiæ & Saphiræ causa perspicuè intelligitur, quos ad vnam Petri vocem repentina mors sustulit, mendacij aduersus Spiritum S. damnatos, ob partem pecuniæ sibi seorsim ex agro vẽdito reseruatam. *Anania*, inquit Petrus, *cur tentauit* aut impleuit *Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* Nonne ager & pretium illius erat arbitrij ac potestatis tuę? cur hanc fraudem commentus es, vt partem pretij, pro vniuerso pretio, fraudulenter offerres Deo? Quod enim antea proprium erat ac tuum, cùm à te oblatum est Deo, desiit esse tuum, & oblatio sacrilegio imminuta est, quod capitali supplicio expiandum est.

Christiani bona sua vouebant Deo.

c. 5. 3. Act.

IV. *Quanta sit liberalitas omnia propter Deum derelinquere.*

Christiani ergo primis illis temporibus Apostolorum ac Discipulorum vestigiis insistebant, quorum omnium nomine Petrus Christo dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quæ est ista liberalitas, vt quod quisque habeat in bonis, quidquid acquirere industria, quidquid optare votis potest, id totum in Dei gratiam, abiudicet, atque reiiciat? Quis nescit ex quàm humili loco, in quam amplam fortunam peruenire quis possit? Gregarius miles Rex potentissimus euadere potest, aut Imperator. Quò vsque desideria tendunt? quo vsque vota porriguntur? Quæ sestertia, quæ talenta, qui thesauri statuere certos fines cupiditati, aut quæ fræna ferocem illam belluam cohibere possint? cùm quò maior est opum copia, hoc magis cupiditas accendatur. Ignis enim est, quem adiecta ligna non extingunt, sed vehementer amplificant. Quæ est ista largitio, vt de omnibus quæ quis aliquando ritè possederat, ne teruntium quidem suum appellare possit? non de ligula statuere, non de folio chartæ decernere, rebus omnibus ex aliena potestate pendentibus.

V. *Idque maximè mirum in viris principibus.*

Vide Plat. l. 2. c. 26. de bon. stat. rel.

Maximéque in Anglia.

Beda hist. Eccl. Angl. t. 3. l. 3 c. 18.

Hic nimirum est liberalis ille Amor innumerabilium animarum, pietate ac religione præstantium, qui hoc admirabilior fuit, quo ij, qui eam paupertatem amplexi sunt, erant in seculari vita ditiores, ac potentiores, quales fuisse legimus Lotharium & Hugonem Occidentis Imperatores; qualis fuit Rachisius rex Longobardorum, Pipinus filius Caroli magni, cùm iam Italiæ regnum obtineret: Veremundus Castiliæ rex, & Ramirius Aragoniæ; quales in Anglia plurimi, cùm insula illa in multa regna Pictorum, Saxonum, Merciorum, Scotorum, Northumbrorum diuisa esset, quos venerabilis Beda in historia Ecclesiastica memorat, in quibus Sigebertus rex Anglorum Orientalium, qui factus in Gallia Christianus, in patriam reuersus, & regno potitus, eam quam in Gallia didicerat pietatem æmulatus, institutis erudiendę iuuẽtuti scholis, regnique negotiis cognato suo Ecgrico commendatis in monasterium, quod ipse construxerat, ingressus, detonsúsque, monasticam vitam professus, diu Deo magna cum laude militauit.

VI. *In quibus Sigebertus, & Sebbi.*

Bed. l. 4. hist. c. 11.

Memorat & Sebbi Orientalium Saxonum regem, qui totis triginta annis, simul rex & religiosæ vitæ candidatus, cùm primùm per vxorem

licuit, monasticæ vitæ nulla planè re sibi reseruata, nomen dedit, breuíque sine vllo corporis dolore, sed magno cum lucis splendore nobilis eius anima corpore soluta est. Addit & Coënredum, qui cùm regno Merciorum aliquanto tempore nobilissimè præfuisset, multo nobilius regni sceptra reliquit. Nam Constantino Pontifice Romam venit, ibíque attonsus, monachúsque factus, ad limina Apostolorum precibus, ieiuniis, & eleemosynis intentus, ad vitæ diem permansit extremum. Cuius itineris, & instituti socius fuit filius Sigheri regis Orientalium Saxonum, nomine Offa, iuuenis, vt ait Beda, amantissimæ ætatis, & venustatis, totíque suæ genti, ad tenenda seruandáque regni sceptra, exoptatissimus. Hic ergo & florem ætatis, & corporis formam, & muliebres voluptates, & regni gubernacula, & studia populi vniuersi Deo animosè liberalitérque consecrauit, & sanctius vitæ institutum sanctissimo fine conclusit.

Coënredus. l.5.c.20.

Offa.

VII. Nec multò pòst eorundem in Anglia Saxonum rex Inas, belli pacísque artibus clarus, post multa pietatis opera, & regnum suum sedi Apostolicæ vectigale factum, diuino sese famulatui in monasterio consecrauit, cuius exemplum imitata Edilburga regina illius vxor, sanctarum monialium institutum arripuit, & regiam dignitatem atque delicias, Christi paupertate ac seruitute commutauit. Eandem erga sedem Apostolicam liberalitatem alius quoque Offa post annos 35. æmulatus est, cùm pœnitentiæ causa Hadriano Romano Pontifice Romam venisset. Quin etiam Ceolulphus rex Northumbrorum, cui Beda gentis suæ historiam Ecclesiasticam inscripsit, cùm octo annis imperasset, quasi fessus & quietem expetens, Egberto patruo regno relicto, vitam religiosam amplexus est. Sed ipse quoque Egbertus, cùm 20. annis regnasset, nepotis exemplum secutus, in eodem monasterio consenuit.

Inas & Edilburga vxor eius. Polyd. Bar. Platus ann. Christi 740 & 775. *Alius Offa & Ceolulphus,* *& Egbertus.*

VIII. Attexamus huic regum Anglorum Catalogo, Carolomannum Caroli Martelli filium, Pepini fratrem, Austrasiæ & Sueuiæ regem, quem Zacharias Pontifex regiæ magnificentiæ pertæsum, sacris ordinibus, habitúque religioso donauit; Addamus & Trebellium Bulgarorum regem, & posterioribus seculis Ioannem Brenam Hierosolymorum regem, & Henricum Cypri regem, qui se ordini, atque instituto S. Francisci addixerunt. Licet eidem Catalogo filios regum attexere. Carolus enim magnus tres filios monachos habuisse traditur Hugonem, Drogonem, Pipinum, siue vt aliis placet, Theodoricum, quorum duo priores sponte volentésque religiosum subiere iugum, tertius autem in pœnam affectati regni, factus est monachus; qui tamen gustata religiosæ vitæ suauitate, necessitatem in virtutem vertit, sub Christi annum trigesimum supra octingentesimum, vt quidam recentiores scripsere, licet rem aliter ab aliis narrari non ignoremus. Tres quoque Vibeano

Carolomannus, Trebellius, Plat.l. 2.c. 26. sed vide Baron. ann. Christ. 817. *Brena & Henricus Cyprius, filij Caroli magni.*

Hybernię regi fuere filij, ſanguine & ſanctitate, & religioſo inſtituto fratres. Duo Richardo Angliæ regi Villebaldus & Vnebaldus; totidem Carolo Caluo Franciæ regi Clotarius & Carolomannus, aliique multi filij regum, ac fratres, principes, duces, comites, ac magnarum prouinciarum Domini, ac Dynaſtæ, qui maximis opibus Dei cauſa contemptis, pauperes in cœnobiis, quàm in mundo clari ac potentes eſſe maluerunt. *Et Vibeam Hiberni, Richardi Angli, Caroli Calui.*

Infinitus profecto ſim, ſi ſanctarum mulierum indicem texere libeat, quæ omnibus prouinciis, ſeculiſque, è ſummarum quarumque dignitatum faſtigio vltro demiſere ſeſe, & imperiorum, regnorum, ducatuum, magnarúmque prouinciarum, copiarum, nobiliſſimique ſanguinis oblitæ, repudiatis ſæpenumero maximorum principum nuptiis, monaſteriis ſeſe incluſere, paupertatémque religioſam Chriſti cauſa complexæ, quidquid in mundo poſſederant, aut poſſidere potuerant, à ſe abdicarunt, aut Chriſto potiùs, eiúſque pauperibus ſunt elargitæ. Quæ liberalitas alteram virtutem comitem habebat, in talibus perſonis non minùs difficilem, ſed arduam planè atque heroicam; animi videlicet demiſſionem, ſine qua ſubiectio aut obedientia nulla eſſe poteſt: quæ ſuperbiam ingenitam nobilitati conculcat, propriæ voluntati, iudicióque bellum ſempiternum indicit, eorúmque ſe arbitrio ſubiicit, quos vix olim famulos, aut ancillas habere voluiſſent. IX. *Mulieres principes Deo ſeſe dicarunt maximo numero.*

O quanto pretioſior eſt coram Deo iſta liberalitas, quæ in ſui ipſius donatione conſiſtit, quantóque apud homines difficilior, quàm collegiorum aut Academiarum, Eccleſiarum aut cœnobiorum, xenodochiorum aliarúmve religioſarum domorum fundatio. Viri enim principes hiſce locis, aut in vita, aut ſub mortem dotandis, nonnullam fortunarum ſuarum particulam impenderunt, nec potentes propterea, aut opulenti eſſe deſierunt: At qui ſeipſos religioſæ alicui familiæ, non vſu ſolùm & fructu, ſed mancipio etiam nexúque dediderunt, nihil ſibi reliquere penitus, quod dicere poſſent eſſe ſuum. Ne corpus quidem ipſi ſuum deinceps in ſua poteſtate habuerunt, ſed illud, ex ſuperiorum arbitrio & conſenſu, ieiuniis, vigiliis, diuerberatione diuexabant, vili lectulo, vili cibo, veſtitúque vtebantur, non ſecus ac qui erant in eadem religioſa familia infimo loco nati. Quid corpus dico? ne animum quidem ipſum ſibi retinuerunt, ſed proprium iudicium ac voluntatem, honorem ac libertatem præpotenti Deo, per ſuperiorum interuentum, conſecrarunt, & à ſe, ſine vlla temporis, locive, aut rei cuiuſuis exceptione, abdicarunt. X. *Maximâq; liberalitate præ quauis alia.*

CAPVT IX.

Exempla quædam singularia liberalis huius Amoris, & nominatim duorum Antistitum, Gregorij magni, & Ioannis Eleemosynarij.

I. *Gregorij magni eximia liberalitas.* INGENVE confiteamur magnum illum Gregorium, eximium sedis Apostolicæ decus & ornamentum, egregia planè in Deum magnificentia, sex in Sicilia cœnobia, suo è patrimonio condidisse; & Romæ in propriis ædibus septimum, S. Andreæ nomine, quibus omnibus idoneos reditus ad omnem vitæ religiosè necessitatem & cultum liberaliter suppeditauit. Sed liberalior etiam multo fuit ac magnificentior, *Præsertim religioso instituto suscepto.* quando reliquiis amplissimi patrimonij distractis, & in pauperes erogatis, ipse se dedidit in holocaustum Deo, sumpto religioso habitu, vt vitam reliquam in voluntaria paupertate, demissione animi, obedientia, & angelica mentis corporisque mundicia, ad mortem vsque traduceret. Quòd si ob placidè ac patienter toleratum flagitatorem molestum, qui sibi merces suas naufragio periisse dicebat, Deus eam liberalitatem summo Pontificatu rependit, quàm illi gratiam, quàm mercedem reposuisse dicemus, ob plenam sui ipsius, suorúmque omnium liberalitatem, qua tam multi Dei famuli sustentati, Deo tot annos sanctissimè seruierunt? Aut quàm repositurum dicemus iis, qui aurem simili vocationi præbuerunt, & eandem pro sua facultate exercuere liberalitatem?

II. AVTOR. *Eiusdem liberalitas qua meruit Pontificatũ.* Hic ego, perlibenter, inquam, audiuero id exemplum, quod nunc cursim attigisti, aliáque, si qua occurrerint eiusdem argumenti. Et ego vicissim, ait Liberalis Amor, perquam libenter piæ voluntati tuæ faciam satis, & mensam huiusmodi dapibus instruam. Plenæ quippe sunt hisce exemplis vitæ Sanctorum; pauca seligam in gratiam tui. Scriptum itaque est in vita magni Gregorij, Angelum, sub specie naufragi mercatoris, scribentem adiisse Gregorium, eique calamitatem suam miserabiliter exposuisse, ac subsidium aliquod præsenti necessitati postulasse. Iussit Gregorius sex illi nummos aureos à procuratore suo dari; quibus ille acceptis, ad Gregorium querulus redit, asserens modicam esse gratiam illam ad magnitudinem cladis suæ. Iubet ergo Sanctus iterari eandem stipem. Post biduum redit idem mercator tertiùm, additque lacrymis preces ad eleemosynam tertiùm impetrandam: eique Gregorius misericors sex rursum aureos dari iubet, quos cùm procurator tum domi esse negaret, neque adesse aliud, quod vicem illius pecuniæ supplere posset, præter vas quoddam argenteum, in quo mater eius Siluia ad eum legumina missitabat, illico id illi vas dari iussit.

III. Aliquanto pòst tempore cùm ad Pontificatum euectus esset Grego-

rius, sacrarij sui Præfecto imperat duodecim vt mendicos, ad sumendum secum prandium, accerseret. Quod cùm factum esset, ingressus Pontifex tredecim in eo cœtu numerauit, déque Præfecto quæsiuit, ecquid præscriptum numerum superasset. At ille enimuero asseuerat duodecim se adduxisse duntaxat, nec plures in cœnaculo reperiri; neque reuera plures ille videbat, cùm tamen Gregorius tredecim numeraret. Ergo ratus aliquid hîc latere mysterij, decimum tertium attentiùs contemplatus, vidit eum subinde colore ipso, totóque vultu ita mutari, vt modò iuuenis, deinde appareret senex. A prandio seuocatum hospitem interrogat, obsecrat atque obtestatur, vt sese illi aperire ne grauetur, noménque suum patefacere. Cui ille, *Cur*, inquit, *quæris nomen meum quod est admirabile*? Scito porro esse me illum mercatorem afflictum naufragio, cui tu duodecim aureos stipis nomine, insupérque maternum vas argenteum largitus es. Quam ob beneficentiam Deus te Petri successorem esse voluit, quódque ab omni retro æternitate statuerat, voluit hac occasione impleri, quoniam imitator Petri magnam pauperum curam geris.

Prandio accipit Angelum.

Eumque agnoscit.

Hic Gregorius. Quî scis id à Deo ita fuisse constitutum? Nimirum, inquit ille, Angelus ego sum, diuinitus tui probandi causa missus. Turbatur hoc loco Gregorius; cui Angelus: Ne timeas, inquit, Gregori, misit me ad te Dominus, tibi vt adessem, & ad finem vsque assisterem, meóque ministerio quidquid illum rogares obtineres. Tum Pontifex procidit in faciem suam, móxque cum veneratione. Si Deus me tantula de re Ecclesiæ suæ pastorem esse voluit, multo plura de eius liberalitate sperare possum, si magno illi animo seruiero, & eius bona in pauperes erogauero. Hinc nimirum S. Pontifex vsque adeo factus est liberalis, vt nulla esset Ecclesia, nullum cœnobium, nullum xenodochium, nullum pietatis domicilium, nullus alienæ opis indigens, cui ille non benignè faceret: adeo vt mensæ quoque suæ conuiuas adhiberet. Cùm ergo aliquando summissæ mentis Pontifex aquam pauperis peregrini manibus vellet infundere, interim dum aqualem capessit & peluim, peregrinus euanuit. Nocte autem sequente apparuit illi Seruator, cum hoc elogio: Tu me aliàs conuiuio accepisti in membris meis, heri autem meipsum in mea ipsius persona recepisti.

IV.
Animatur vehementius ad liberalitatem.

Christum ipsum accipit conuiuio.

Descriptos habebat in libro pauperes omnes, qui in Vrbe ac suburbiis, vicinísque pagis commorabantur, quibus pro cuiusque conditione ac necessitate benignè faciebat, ægris prandium quotidie mittebat, & iis quibus inopia pudori est, vt erat quisque honoratior, ita aliquid melioris obsonij summittebat. Vide autem quanta cum sollicitudine pauperum curam gereret. Cùm ipsi aliquando nunciatũ esset, in quodam pago ab vrbe semoto inuentum esse pauperem mortuum, tanto affectus est mœrore, vt dies aliquot à sacrosancto sacrificio abstineret, veritus ne vel fame, vel alicuius rei penuria, sua culpa esset extinctus, quæ hu-

V.
Aliaeiusdem benignitatis argumenta.

iuſmodi abſtinentia eſſet expianda; quam abſtinentiam quotidiana conſolatio, qua priuabatur, & dulciſſimus deuotionis ſenſus ei peracerbam reddebat, meritum tamen innocentis non minuebatur.

VI. *Qua longè latéque patebat.* Singularis porro hic amor & miſericordia in pauperes non vnis Vrbis mœnibus, vt dixi, aut agro Romano claudebatur; totam peruadebat Italiam, & prouincias longinquiores, è quibus redditus aliquos ſedes Romana perciperet. In illis enim quæſtores habebat Gregorius, qui vectigalia non ſolùm colligerent, ſed ex eius præſcripto in pauperes diſtribuerent, quos ille tam accurata diligentia deſignabat, vt in tanta pontificiorum negotiorum mole, illa cogitatio aut ſola, aut primaria videretur. Tria ſanctimonialium millia Romæ ſuſtentabat, earúmque lacrymis tribuebat, quod ipſi hactenus arma Longobardorum euaſiſſent. Ingentem pecuniæ vim per Probum Abbatem Hieroſolymam miſit conſtituendo xenodochio, quod rebus omnibus, quoad vixit, inſtruxit. Idipſum in Sina monte perfecit, vbi religioſos viros, in S. Catharinæ monaſterio, quæ ibi angelicis manibus collocata eſt, ſuſtentauit. Adoleſcentes Anglos, qui variis in locis temere vagabantur, colligi curauit, & in variis monaſteriis educari, atque erudiri: vſque adeo de omnibus gentibus, omnium gentium pater bene mereri ſtudebat.

VII. *Liberalitas Ioannis Patriarchæ.* In vita. c. 2. Orientalis Eccleſia alium poteſt egregium iactare Pontificem, cuius miſericordia & liberalitas tanta fuit, támque ſingularis, glorioſum vt Eleemoſynarij, & nunquam intermoriturum cognomen, & meritus, & conſecutus ſit. Is cùm primùm Alexandrinus Patriarcha creatus eſt, duobus tribuſve negotiorum ſuorum curatoribus curam dedit, tota vt Alexandria egenos, quos dominos ſuos appellabat, ſtudioſè conquirerent, eorúmque indicem conficerent; Quod cùm diligenter atque accuratè factum eſſet, inuentus eſt numerum ſeptem millium & quingentorum; quibus omnibus, quæ in ſingulos dies neceſſaria erant, aſſignauit, in eámque rem certum conſtituit œconomum, qui Patriarchæ liberalitatem egentibus diſtribueret, ac religioſè diſpenſaret. *In vrbe Alexandrina.* Cap. 49. Pleraſque inſignes conſtruxit, dotauitque domos, peregrinis, pauperibus, ægris, ſenibus, quas ipſe per ſe bis térve ſingulis hebdomadibus inuiſebat; præter quamplurima cœnobia, quæ à fundamentis excitauit, & religioſarum perſonarum copia inſtruxit, quæ vitæ ſanctitate florerent, & diuinas laudes dies noctéſque celebrarent.

VIII. *Origo liberalitatis eius ex viſione.* Cùm in Cypro degeret, adhuc quindecim fere annorum adoleſcentulus, inſigne illi viſum per quietem obiectum eſt, quòd beneficentiam in pauperes altè illi demiſit in pectus. Videre enim ſibi viſus eſt ſingulari pulchritudine puellam, ſole ipſo ſplendidiorem, apparatu veſtium ornatiſſimo, cui laurea corona cingebat caput. Ea cùm ad pueri lectum propiùs acceſſiſſet, eum percuſſo latere excitauit. Ille autem eam intuitus, & mulierem ratus, extimuit, & facto ſigno crucis, *Ecquam te*, inquit, *hic video mulier? ecquid auſa es in dormientis cubiculum penetrare?* Illa verò

tranquilla,

tranquilla, & serena fronte. Ego, inquit, in filiabus Regis teneo principatum, si me dilexeris, ego te summi Imperatoris conspectui sistam; nemo enim est qui tantum apud eum gratia valeat; à me quippe exoratus venit in terras, & vt miseros mortales dæmonis & peccati seruos in libertatem assereret, factus est homo. Quæ cùm dixisset, illico se de admirantis conspectu subduxit.

Hoc visum Patriarcha ipse recitauit, addiditque intellexisse se eam esse Commiserationem, quæ Dei filium deduxit in mundum, cuius est illa apud regium Prophetam oratio. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus* de solio meo; & rursum, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, Illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, vt dirigam pedes eorum in viam pacis.* Ergo sumptis quamprimum vestibus suis, nemine excitato albescente cœlo venit in templum, cúmque illi pauper quidam, frigore afflictus, occurrisset, exuit se indusio laneo, illúmque induit. Sub ipsum autem introitum in templum, obuium habuit hominem in veste candida, qui illi centum aureos in crumena dedit in manus, vt iis arbitrio suo vteretur; nec plura elocutus euanuit. Deinceps autem Deum inter & Ioannem perpetua contentione certatum est, sic vt patriarcha pauperibus propter Deum continenter daret, Deus autem cum centeno fœnore accepta redderet. Sed rem nonnullis illustremus exemplis.

IX. Commiseratio causa diuinæ incarnationis. Ca. 7. Psal 11.6. Luc. 1.78.

Ioannes cum Deo liberalitate certat.

Cùm hunc eius animum peregrinus quidam didicisset, vellétque hanc periclitari liberalitatem, obuius illi nosocomium ingredienti attrita in veste factus est, captiuitatem simulat, opémque implorat. Antistes sex illi aureos dari præcipit: quibus acceptis, commutato habitu alio quodam in loco ei occurrit, se ad eius abiicit pedes, rogátque, vt sui admodum acerba patientis misereatur. Patriarcha sex illi rursum aureos dari iussit: œconomo nihilominus virum sanctum admonente, illum iam secundùm eleemosynam accepisse. Nec tamen ille tertiò redire dubitauit, nec de fraude œconomus præsulem admonere destitit. At is stipem duplicari iussit, ne forte, inquit, hic sit Dominus meus, qui liberalitatem meam tentare, ac periclitari velit. Quidam de eius rei familiaris administris, cùm egenus factus esset, clam ad eum Præsul propria manu ducentos aureos nummos attulit, nemo vt resciret vnius egestatem, aut alterius liberalitatem. Cúmque inops negaret ea se liberalitate pudefactum, ausurum deinceps benefactoris sui faciem intueri. At ego, inquit Patriarcha, nondum pro te meum fudi sanguinem; quod vtique occasione data libenter erat facturus; vsque adeo fortitus erat animam mitem, etiam aduersus eos, à quibus accepisset iniuriam.

X. Liberalis eius patientia erga molestum flagitatorem. Ca. 8.

Humilis & prudẽs eiusdem liberalitas.

XI. Mansueta aduersus nebulonem.

Dictum est supra qua vindicta vltus esset cuiusdam temeritatem, qui non leui nepotem suum affecisset iniuria. Haud dissimili ratione se

gessit aduersus nebulonem quendam, qui ipsum contumeliis coràm affecerat, quòd minorem postulatione sua stipem accepisset. Cúmque famuli Patriarchæ hominem merito fustuario accipere vellent, continuit eos serio vir sanctus hac oratione. Sexaginta iam anni sunt ex quo tempore Dominum meum operibus meis iniuriis lacesso, quas ille patienter sustinet; & ego vnam hanc iniuriam, eius nomine ab isto non feram? Itaque iussit illico œconomum suum saccum illi pecuniarium aperire, eíque facere potestatem inde accipiendi quantum liberet. O mitissimam animam sancti Patriarchæ! ô nobilem ac gloriosam liberalitatem, sed vindictam etiam gloriosiorem, ac diuiniorem.

XII. *Liberalitas operæ, atque industriæ.* Nec minus erat hic vir Dei operæ suæ, atque industriæ; & consolationis liberalis, aduersus eos, qui in suis rebus aduersis ad eum, tanquam ad asylum confugiebant. Cùm enim didicisset plerosque tenuiores à suis administris repelli, ne ad eum adire possent, déque suis cum eo rebus agere, negauit id ferendum esse. Quid, inquit, Dei congressu nemo nos prohibet, ad eum quandocumque libuerit adimus, & homines nos adire prohibentur? Itaque constituit vt feria quarta, & sexta, cathedra cum duobus scamnis publicè in propylæo templi collocarentur, ibíque audientiam præbebat omnibus, qui ipsum adire cuperent, eorum negotia expediebat, quæ mox famuli ex eius imperio exequebantur. Sed animaduerte quæso quo affectu munere alioqui molesto fungeretur. Cùm aliquando in illa cathedra ad meridiem vsque substitisset, nec se quisquam interea obtulisset, qui eius opera vti vellet, in Patriarchium se mœstus geménsque retulit. Rogatúsque à quodam ex suis, dicto Sophronio, quid ploraret: quòd, inquit, nihil hodie lucratus sum, quod offeram Deo, quò satis illi faciam pro peccatis meis. At contra, inquit ille, habes vnde vehementer læteris, Deúmque laudes, per cuius gratiam ita gregem tuum regis, vt iurgiorum expers, vt in cœlo Angeli, viuat in terris.

XIII. *Latronis liberalitas.* Sed quid mirum viros eximia sanctitate præstantes, Charitate, eiúsque liberalitate præstitisse, cùm latrones ipsi, virtutis amore capti, liberales euaserint? Vti superiùs alia occasione intellectum est, de eo latrone, qui thesaurum suum mercatori, qui naufragium fecerat, patefecit, quod is cùm in vinculis iaceret obæratus, Dei gloriam, & vxoris suæ pudorem antiquiorem habuisset libertate sua. Et de hominum aduersus Deum liberalitate hactenus.

Sophr. ca. 189.

CAPVT X.

Diuinum amorem ipſummet Deum reddidiſſe liberalem.

NVNC de præſtantiore, & antiquiore Dei aduerſus homines liberalitate dicendum eſt, quæ poſterioris illius, de qua dicebamus, origo, & cauſa eſt, & ab infinito amore profecta, non minùs latè patet, quàm Mundus iſte vniuerſus, eáque tot nititur teſtibus, quot in cœlo ſtellæ micant, quot in oceano aquæ guttæ voluuntur, quot denique creatæ res vaſtiſſimo huius vniuerſitatis complexu continentur. Quis eſt qui ſatis animo capiat, quanta ſit iſtarum rerum multitudo, aut quanta ſit illius liberalitas, qui hæc omnia largitus eſt homini? exigua tamen eſt tota iſta largitio, ad illam liberalitatem, qua Deus ipſe continetur, in qua ille idem eſt donum, qui & donator, qui non ſolùm pluris eſt quàm illa omnia, ſed illa omnia cum ipſo non pluris ſunt, quàm ipſe ſolus.

I. Dei liberalitas latiſſime patet.

Hanc porro liberalitatem omnem non incommodè poſſumus ad tria ſumma capita reuocare, quæ ſingula vim magnam diuinarum liberalitatum exproment. Dedit quippe Dominus magnum hunc mundum, dedit & paruum maioris epitomen, & vtriuſque molitorem atque architectum Deum: Et quidem amore inæſtimabili, amore puriſſimo, amore vtilitatis propriæ prorſus experti, dedit omnia, illud vnum deſiderans, vt beneficium accipientibus bene eſſet. Neque verò cum hoc conſilio pugnat, quòd homo conditus ſit vt Deum cognoſcat, amet, colat, eóque aliquando fruatur: id enim totum ipſius hominis bonum eſt. Sed illud eſt in Dei liberalitate mirabile, quod neminem planè voluerit, quaſi ex compoſito, priuare bonis ſuis; omnes quippe ad eum pertinent, tanquam opera manuum eius: quamuis multo antè præuiderit pleroſque iis, per ſummam indignitatem, malitiam, ſocordiam, ingratitudinem abuſuros, iiſque ipſis eius hoſtibus, cum crebra multiplicique iniuria Domini ſeruituros. Non ignorabat pleroſque aurum atque argentum Dei loco habituros, eorúmque metallorum cupiditatem ſexcenta flagitia pariturам. Quis enim ignorat opes irritamenta malorum? Nec minus propterea metalla iſta condidit, quæ eſſent mercedes pauperum, ornamenta potentum, epitome commutationum.

II. Eius tria ſumma capita.

Syncera Dei liberalitas.

Etiam erga abutentes, vt in auaritia.

Certò ſciebat ſolem, lunam, ſtellas, profanis ſtupidíſque mortalibus, magna cum conditoris iniuria, habitum iri Deos, vt Iobus illa oratione ſignificabat, *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incendentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam in ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum:* quod eorum eſt crimen, qui à rerum creatarum decore,

III. Idololatria. *Ca. 31. 26.*

nequeunt ad pulchritudinem Conditoris aſcendere, qui tamen noluit, propterea mundum horum aſtrorum lumine ac beneficentia priuare. Norat cupedias, & vina pretioſa, ebrietatis & gulæ irritamenta fore potiùs quàm laudandæ paternæ Dei liberalitatis inuitamenta, improbos filios tam ſuauiter allicientis ad ſe. Nec minus tamen ſine tædio, pluuias ſuas ſuper iuſtos, iniuſtóſque mittit, ſolémque ſuum ſuper probos improbóſque exoriri iubet.

Gula.

Matt. 5. 45.

IV.
Curioſitate.

Infinita illa ſapientia probè intelligebat curioſa ingenia, & leuia, ſcientiæ deſiderio, quod ipſa mortalium mentibus inſeuit, malè vſura, & primorum parentum ſtultitiam imitando, manus ad vetitam ſcientiæ arborem admotura, & iniquiſſima pactione cum dæmone facta, magicarum præſtigiarum, veneficiorum, cæteræque impietatis ſtadium decurſura: noluit tamen eos ſtupidos, hebetéſque reddere, aut ſciendi cupiditate priuare. Ad eundem modum ſapiens ac liberalis Imperator legiones omnes armis inſtruit, ad fortiter cum hoſte pugnandum, quamuis non ignoret non defore iurgioſos quoſdam, ac rixarum architectos, qui præter eius voluntatem, iiſdem ſe armis mutuò conficiant, atque interimant. Nec corpus humanum debito fraudatur cibo, quamuis membrum aliquod malè affectum, in ſaniem & putredinem nutrimentum conuertat, neque feneſtræ omnes occluduntur, quamuis lippus aliquis lumine offendatur. Verbi Dei præcones populos docere pergunt, & ſtimulos admouent omnibus ad virtutem, quamuis plerique recalcitrent. Vix enim quarta ſementis pars decidit in terram bonam, & fructum non pœnitendum tulit.

Luc. 8.

V.
Regia Dei liberalitas.

Denique Rex qui gratia aut immunitate quapiam ciuitatem afficit, non cohibet liberalitatem ſuam, etſi intelligit pleroſque ciues ſecus ac decet ea prærogatiua vſuros. Regia quippe liberalitas ampliſſima eſt, nec ad iſta minutiora dignatur attendere. Diuina quoque magnificentia procreat conſeruátque liberaliter omnia, quæ vſui ſunt hominibus, quamuis maximam partem improbis potiùs, quàm bonis vſui fore non neſcit. Sed omittamus nunc quidem hunc locum, quem poſtmodum, vtilis quippe eſt, retractare placet. Id tantum dicamus modò, Dominum tam liberalem támque magnificum ſerio exprobraturum aliquando beneficia ſua ingratis, & iuſtiſſimo caſtigaturum ſupplicio eos, qui accepto rerum creatarum famulatu, vt fierent ipſis incitamenta, & quaſi faces ad eos ad Dei cultum amorémque inflammandos, eas ad omnem alium vſum præpoſterè conuerterint, ad vanitatem prodigi, ad Dei gloriam, ad ſuam proximíque ſalutem, ſordidi ac tenaces.

CAPVT XI.

Deum aduersus hominem extitisse liberalem, mundo hoc aspectabili in vsum eius condito, ac donato.

QVI desiderio tenentur eius perfruendæ voluptatis, quæ ex contemplatione magnæ huius mundi molis efflorescit, & vitare volunt nihilominus illa pericula, tot terris, maribúsq; decurrendis, tot sinubus & fretis, tot insulis & promontoriis perlustrandis, tot gentibus ac regionibus adeundis, tot desertis locis, ignotisque littoribus pertentandis, quę passim offerunt sese, globũ terrestrem assumunt in manus aut tabulã cosmographicam, in qua tutò hæc omnia, aliáque multa contemplantur; longitudinem, latitudinem, vicinitates, & confinia regionum, & prouinciarum; ortus, procursus, & ora fluuiorum; arcium & ciuitatum situs, & inter eas spatia terrarum interiecta; quam poli altitudinem habeant, & quam ab æquatore distantiam, denique quæcunque obseruatione digniora videbuntur; itáque singula in mente describunt, vt de quocunque eorum inciderit disputatio, in illis ipsis locis sibi præsentes adesse videantur, aut illas aliquando peragrasse regiones. I. *Mundus in globo cognitus, aut tabula.*

Ego quoque, ait liberalis Amor, lustrare cupiens hanc vniuersitatem diuinarum aduersus hominem liberalitatum, quibus illũ Deus ad amorem munifici conditoris allicere cupiebat, simúlque veritus periculosam, quasi in latissima sylua aberrationem; (est enim infinitior rerum creatarum multitudo, quæ terra & mari, omnibúsque continentur elementis, atque adeò à mundi centro, ad extremam globorum cœlestium superficiem) hominem quasi tabulam accepi cosmographicam, in qua, periculi & laboris expertes, accuratè videamus quidquid eximium in hoc vniuerso aut sensibus percipi, aut mente potest. Eadem opera videbimus quot quæque res perfectionum gradus obtineat, & quantum ad dignitatem rerum Molitoris accedat, qui instar poli aut cardinis est, circa quem vnaquæque res versatur & commeat. II. *Et in homine illius epitome.*

Plerisque auditum est non raro, atque intelligentia facilè comprehensum, quatuor esse quasi gradus, aut ordines primarios rerum creatarum; quibus ab infimis ad supremas, atque adeò ad ipsum Deum ascenditur, qui sunt, ipsum esse nudum ac solitarium, tum vita, sensus, ac motus: ad quæ, tanquam ad totidem signa militaria, vniuersus rerum creatarum exercitus pertinet, sed ordine quodam superiorum ad inferiora; Neque enim instar sunt membrorum vnius eiusdémque corporis, quorum alia aliis non permiscentur. Ita enim ista rerum genera distributa sunt, vt quædam nudum esse sortitæ sint, vt quatuor illa rerum initia, ex quibus materiatæ res constant, & quæ formæ rebus accidunt, informísque ma- III. *Quatuor rerum creatarũ gradus.*

teria. Aliæ res habent præterea vitam, vt arbores, omnésque plantæ: aliæ insuper sensu præditę sunt, vt animalia omnia: alię postremò prioribus gradibus omnium perfectissimum rationis & intelligentiæ adiungunt, vt homo. Cúmque primus gradus solitarius sit, reliqui omnes prioribus coniunguntur. Eadem est numerorum ratio, eadem ætatum, ac doctrinarum, eadem ordinum Ecclesiasticorum, posteriores requirunt antegressos priores, neque sine illis esse possunt.

IV. *Primus eorum quæ existunt duntaxat, vt aqua.*

Vides itaque quatuor illa elementa, omnium quæ cœli complexu cohibentur rerum corporearum materiam, quantumuis magnitudine, soliditate, efficacitate præstent, habent duntaxat vt sint, præterea nihil; & illud ipsum habent in vsum hominum, aut in eum vsum, qui in hunc ipsum denique referatur. Vapores illi humidi, qui ex telluris exhalationibus, aut aquarum expirationibus in aërem coguntur, atque ibi addensati frigore atque concreti soluuntur in pluuias, terras irrigant, fertilésque reddunt, vrbes euerrũt atque emundant, animalia potant, & in suos collecti alueos prouincias disterminant, itinerum molestiis aut breuitatem, aut facilitatem accersunt, vrbes arcésque communiunt, denique in sua infusi maria, amaricie imbuuntur, certos cursus atque constantes mutant in vagos ac turbulentos; quibus ventorum flatus ita moderantur, vt nunc fluctus attollant in cœlum, nunc arenas denudent. Aquæ postremò quæ terris omnibus vastissimo ambitu circunfunduntur, nuda existentia contentæ sunt, nec habent quidquam amplius.

V. *Aër, Ignis.*

Aër quoque, & venti, qui in eo quasi legitimo campo discurrunt, concurrunt, tumultuantur, quorum beneficio naues immensæ molis, maximæque classes ab ortu ad occasum, à borea ad austrum mirabili celeritate transcurrunt: venti qui adducunt abducúntque nubes, cœli faciem obnubilant ac serenant, qui firmissima propugnacula, turrésque concutiunt atque deiiciunt, qui montes ipsos, tractúsque terrarum tremefaciunt, discedere cogunt atque dehiscere. Grandines quoque quibus tecta tunduntur, tegulæ dissiliunt, arborum folia dissecantur, fructus decutiuntur mortalibus castigandis; nix & glacies, ros & pruina, aliáque id genus mixta imperfecta non vltra primum existendi gradum ascendunt. Ignis quoque qui consumit omnia, qui corporibus omnibus propria lenitate superfertur, qui terræ cuniculis inclusus ita exilit atque erumpit, vt arces euertat, diffindat rupes, terræ moles huc illúcque disiiciat, imitetur tonitrua tormentorum fragore, qui denique in elementis tenet principatum, in imo gradu scalarum mundi subsistit.

VI. *Terra, & Cœli.*

Lapides & metalla, mixtáque omnia metallicæ concretionis, quæ ex terræ visceribus eruuntur, quantamcumque habeant pulchritudinem aut bonitatem, quocunque vsu, pretióve commendentur, in eodem ordine resident. Sed quid mirum elementa, lapides, ac metalla infimo in gradu rerum hærere, cũ supremi illi nobilissimíque globi cœlestes, quãuis fulgurantibus astris ornati, qui pulchritudine, vtilitate, duratione, in-

feriora ista omnia facilè vincunt, ad eundem nihilominus infimum gradū reuocentur. Neque enim aut vita fruuntur aut sensu, ac ne motu quidem interiore cientur, sed externo duntaxat agitantur, multóque etiam minus intellectu valent. Quo maior extitit mortalium plurimorum stupor, qui eis diuinitatem tribuebant, aut eorum etiam, qui fatum syderibus, eorúmque necessariis concursibus, vel conspectibus illigarunt, superstitione, quæ non minùs accedit ad idolorum cultum, quàm à vera pietate ac religione recedit.

VII. *Secundus gradus existentium, simúlque viuentium.*

Transeo ad cæteros ordines, quos obiter attingo. Secundus ergo earum rerum est, quæ entitatem habent & vitam; vocabulorū enim penuria cogit philosophica vocabula latinitate donare. Hunc ordinem tenēt arbores, herbæ, radices, fruges, omnésq; plantę. Itaque videre licet vitam quam vegetantem vocant, sparsam per cāpos longè ac latè patentes, hic floridos viridantibus pratis, illic multiplici fruge flauescētes. Videas & colles aliquot dierum itinere porrectos, vitibus, oliuetis, amygdalis, omnisque generis nucibus ac pomis conuestitos; fructibus pro conditione temporum, mirabili colore, figura, gustu, odore, cū reliqua frondium ac florum varietate, oneratos. Vt mittam excelsorum montium abietes, fagos, ilices, quercus, fraxinos, quæ omnia ope vegetantis animæ nutriuntur, crescunt, sibique similes plantas, fructúsque procreant. Quæ omnia latissimè patentem beneficētissimi conditoris liberalitatem prædicant, quæ homini, cæterisque animantibus in gratiam hominis, vsúmque destinatur, atque tribuitur.

VIII. *Tertius animaliū brutorum.*

Tertius est gradus animantium ratione carentium, sed sensibus nihilominùs, & motu præditorum. Vident enim, audiunt, gustant, odorantur, & tangunt, animáque interius agitante mouentur; quæ omnia pro nobilitate naturæ, perfectiùs imperfectiúsve moliuntur. Vides vt volucres pennis aëra diuidunt, vt pisces aquas branchiis, pari studio, non dissimili voluptate? vt cæteræ animantes in terra, repunt, saltant, progrediuntur, partim syluestres ac feræ, partim cicures, ac domesticæ, prout liberè in syluis & cauernis, vel in domibus sub pastorum cura stabulantur. Passim quoque singulæ industria quadam donatæ sunt ab autore naturæ, qua sibi de cibo prouideant, sese contra hostiles tueantur incursus; sanitatem læsæ recuperent, vitámque conseruent. Quæ omnis solertia, facultásque naturæ, non aliò destinata est, quàm vt homini seruiant, eum ferant, foueant, nutriant, vestiant, exhilarent, castigent: doceant denique admirabilem erga se magnificentissimi Domini, ac parentis Mundi liberalitatem.

IX. *Quartus hominum, & Angelorum.*

Superest quartus supremúsque gradus in hoc mundano ædificio, qui in ratione intelligentiáque positus est, in quo homines, Angelíque insistunt, & vtrorumque conditor Deus opt. max. Hic est, inquam, supremus entiū gradus, quo nullus nobilior esse potest, cū is pertineat ad ipsū

Deum, qui gradus ſpiritalem naturam, immortalitatem, libertatem, benè maléque agendi facultatem continet, & mentem, quæ gratiæ, quæ ſapientiæ, quæ ipſius Dei particeps eſſe poſſit. Animaduertite mortales liberaliſſimum Dei in vos amorem, quibus ſolis donatione pura, ſimplici & irreuocabili donauit quidquid omnibus rebus creatis largitus eſt, ipſámque præterea intelligentiam proximam Deo, quamuis nullis præuentus meritis, nullis precibus exoratus, imò non ignarus quam pauci acceptæ gratiæ memoriam grato animo eſſent conſeruaturi.

X. *Dei in homine præ brutis liberalitas.* Gen. 25.6.

Legimus magnum illum Abrahamum dediſſe cuncta quæ poſſederat Iſaaco, filiis autem concubinarum largitum eſſe munera, particula videlicet quapiam hereditatis aſperſiſſe inferioris notæ filios, Iſaacum autem ex aſſe factum hæredem. Deus hominem à mutis pecoribus ſecreuit, hoc ipſo quod illum præ iſtis fecit idoneum ad contemplandam diuinitatẽ. Et omnia eius bona, quæ ab ipſa æternitate poſſedit, perfruenda. *Oſtendam omne bonum tibi*, aiebat Dominus Moyſi famulo ſuo: & inſuper addidit quidquid poſſident cæteræ animantes. Nonne hominem vehementer cœcum eſſe neceſſe eſt, qui tantam Dei in ſe liberalitatem non intelligat: non mirum in modum ingratum, qui tantam gratiam officioſè non agnoſcat, nec amore remetiatur quàm maximo poteſt, & quem ab eo ipſe poſtulat, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis.*

Exod. 33. 19 Matt. 22. 37.

XI. *Tanquã in eorum principem.*

Poſſumus in his quoque gradibus aliquid agnoſcere gratiæ aduerſus hominem ſingularis, & eximiæ liberalitatis. Si qua veſtis lanea principi conficienda eſt, pannus quæritur pretioſiſſimus; ſi linea, tela eligitur pulcherrima, atque molliſſima; ſi arma illi fabricanda, placet illa & materiæ bonitate, & formæ dignitate eſſe præſtantiſſima; ſi ædes conſtruendæ, parij lapides, columnæ marmoreæ ac porphyreticæ, iaſpidea capitella non deſiderabuntur, non ligna cedrina atque cypreſſina; & cum ſingula exquiſitiſſimo artificio elaborata fuerint, vniuerſa elegantiſſima ſibi inuicem, ac iucundiſſima proportione reſpondebunt. Splendidiſſimus mundi princeps hominem, quem animantium cæterorum regem conſtituebat, & huius mundi principem, magnificè per cæteris, & quaſi ſumptuoſius exornauit, vt qui hoſce rerum quos dixi gradus in homine perfectiores, & quaſi excoctos & perpurgatos eſſe voluit, quam in brutis animantibus, plantis & elementis, beneficio ſupremi gradus intelligendi, quem cum Angelis, ipſóque etiam Deo communem habet.

Gradus entis in eo perfectius quã in rebus inferioribus.

XII. *Inductione declaratur.*

Deus ergo ipſum tibi eſſe dedit ô homo, quòd elementis, ſed in te præ iſtis nobilitatum: vitam, quam & plantis, largitus eſt tibi, ſed quam in plantis perfectiorem; internos tribuit externóſque ſenſus, quibus præditæ ſunt pecudes, ſed exquiſitiores, vt qui plura poſſis obiecta dignoſcere, & de iis maiore cum certitudine, propter adſtantem comitémque rationem, ferre iudicium. Cuius rei cauſa ad nobilitatem, & perfectionem rationalis animæ referenda eſt, quę humanum corpus informat,

format, eique vitam, ſenſum, motum, ratiocinationem impertitur; quæ ſenſuum notitiam iuuat, ſicut conſpicilla oculorum infirmitati, & confuſæ viſioni ſeruiunt. Sic præceptor confuſas diſcipulorum cogitationes, intricatáſque ſententias euoluit, & eductas è tenebris, in bono lumine collocat: quas ipſe nihilominùs illuſtriores habet in mente ſua, quàm tyrones vniuerſi.

At enim intelligendi gradus, inquam, nobilior etiam eſt in Angelis, qui puncto temporis mentibus ſuis obiecta concipiunt, quàm in hominibus, qui non niſi ratiocinando intelligunt. Neque mirum, ait Liberalis Amor, perfectiorem enim habent intelligendi modum. Hæc tamen intelligentiarum perfectio, non parua gloria ex gradu corporeo compenſatur, quòd magno miraculo cum ſpiritali coniunctum eſt, illiúſque opera pleriſque in rebus fit Deo ſimilis, ad quas Angelus aſpirare non poteſt. Animus enim in corpore ſicut in mundo Deus, totus eſt in toto corpore, & in qualibet parte totus. Et ſicut idem animus, etſi ſpiritus eſt, dat corpori eſſe corporeum, ſenſum etiam vitámque plantarum & pecudum, quamuis ſenſum tantùm habeat, vitámque rationi congruentem. Sic Deus immotus dat cuncta moueri, & ſpiritali entitate dat vitam, ſenſum, intelligentiam omnibus quibus iſta conueniunt; quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. O anima rationis particeps, quàm magnum, quàm bonum, quàm liberalem, quàm amabilem Dominum habes. O quàm immaniter ingrata es, niſi eum dilexeris, qui, vt perſuaſum haberes te ab eo diligi, tam inſigniter in te liberalis fuit!

XIII. *Eius intellectio Angelicæ collata.*

AMOR LIBERAL.

Homo præ Angelo Deo ſimilis.

CAPVT XII.

Conditio quæ diuini erga homines Amoris liberalitatem vehementer amplificat.

MINIME porrò æquum eſt vt tacitam prætereamus quandam diuinæ liberalitatis conditionem, quam ſupra attigimus, qui illam mirificè auget, ac commendat. Nunquam principes in ſubditos ſuos ſolent eſſe benefici, aut eis munerum immunitatem dare, quin priùs eam illi gratiam multo ſudore collegerint, aut ſint deinceps multis operibus, officiiſque promerituri. Ne pater quidem filios erudit, promouet, ditat, quin inde vel fructum non leuem propriæ conſolationis expectet. In liberis enim ſuis magnum ſe atque honoratum putat, & moriens in ipſis ſe quodammodo ſuperſtitem fore arbitratur. Eadem eſt cæterorum ratio beneficiorum, quæ vulgò conferuntur. Nam, vt ait Philoſophus, Affectio qua ſe quiſque proſequitur, cauſa eſt & fons benefactorum, quæ deriuantur in alios. Quin & illud ſine dubitatione

I. *Hominum non pura liberalitas.*

Tt

confirmo, plerosque eorum, qui relicta mundi vanitate ad Christi castra, in vita religiosa, se aggregant, non tanta puritate mentis, atque intentionis hoc Seruatori offerre sacrificium, quin simul promissum illud centuplum, & vitam æternam recordentur.

II. *Dei autem syncerissima.* At res longè aliter habet in Deo. In omnium quippe rerum molitione, & perfectionum, quæ ad ipsarum conseruationem valent, nullum sibi emolumentum, ac ne delectationem quidem quæsiuit; Immensitas quippe bonorum eius nulla potest accessione crescere. Cúmque infinita retro æternitate, cum Filio, ac Spiritu sancto, beatissimus fuerit, omnique potentia, bonitate, sapientia cumulatissimè locuples, producendo recens aut non producendo mundo, nihil aut perdere poterat, aut lucrari. Nullum est agens, quòd ei quippiam auferre possit, quî enim possit, nisi fiat omnipotente potentior? Nullum quod maiorem possit efficere: vnde enim possit, nisi conferendo de suo, vnde autem aliquid habeat, nisi acceperit ab ipso Deo, qui quæ donat ita retinet, vt eius opes donando nulla ratione minuantur. Agnosci enim immensas eius opes, aut prædicari, honore affici, agendis gratiis habendisque coli, hominis bona quædam sunt, à quo eliciuntur huiusmodi actiones, non ipsius Dei, quem vix modica rerum creatarum particula agnoscit, aut prædicat.

III. *Et aduersus Deum imitanda.* Considera ergo nunc an tanta largitas, tam candida liberalitas, tam pura syncerâque donatio, sine vllo vel onere vel conditione, præterquam diligendi benefactoris, immensum amorem si fieri posset, non mereatur, infinitam gratiarum actionem non requirat. An non digna sit quæ inuitet, impellátque homines, vt propter Deum opes suas, laborésque profundant, atque adeò vitam ipsam & sanguinem; vt spes omnes à se, consilia, desideriáque, nisi quæ diuinam spectent gloriam, in perpetuum reiiciant, ac prorsus abiudicent. Quanquam ne illa quidem, quamuis æquissima conditio diligendi benefactoris, in prima illa rerum molitione expressa est. Neque enim homo erat, quocum pacisceretur Deus, cùm hæc omnia in gratiam futuri hominis procrearet: neque beati illi Angeli pro homine vades fortassis esse voluissent, sociorum suorum inconstantiam, infirmitatem, & infelicem euentum experti.

IV. *Deus non dedit bona sua sub conditione diligendi.* Deut. 10. 12. Multis quidem pòst seculis Hebræo populo à famulo suo Mose dici iussit, *Et nunc Israel, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et res ipsa clamat iustissimam esse obligationem diligendi benefactoris, neque aliter omnino fieri posse, nisi ab eo, qui omnem funditus exuerit humanitatem. Certum tamen est non esse adhibitam illam conditionem, vt nisi qui donationem accepisset, eum diligeret qui donasset, irrita esset illa donatio. Immensam enim hanc bonorum ac subsidiorum humanæ vitæ syluam, bonis & malis largè copioséque distribuit, eisque raro admodum, quan-

tauis interueniente noxa, nocentes expoliat. Non ita Cananitidem postea dedit Dominus Israëli, sed cum onere, suauissimo illo quidem, sed tamen onere, custodiendi mandata Domini, & ceremonias eius, & ipsum vnum colendi, proposita pœna ni facerent, amittendæ quamprimùm regionis, quam erant adituri, & iucundissimæ libertatis in durissimam seruitutem, vt postmodum res ipsa docuit, commutandæ. Deut. 4.26. 27. Iosue 23.13. 15.

V. *Nec aufert non diligentibus.*

Alia est ratio donationis, de qua disputamus. Neque enim Deus mentem aufert, aut iudicium iis, qui studiosè rationes & vias excogitant Numinis subinde violandi, nec memoriam illis eripit, qui eius, nisi iniuriæ causa meminerunt. Neque eos libertate priuat, qui sponte ac dedita opera mancipia Satanæ esse voluerunt: non illis aures adimit oculósve, qui illis vni fere peccato seruiunt. Quid? num agri, prata, vineæ, horti ac villæ eorum, qui hanc vnam mortalis huiusce vitæ fœlicitatem adamarunt, próque ea non ægrè Deo, eiúsque beatitudini renunciarent, terra discedente absorbentur? Minimè sanè: sed iis patitur eos iucundissimè frui, adeóque vires illis & facultatem suggerit ad fruendum, illásque ipsas delicias conseruat, augétque. Eorum filij, vt ait regius vates, *sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.* Cœlum illis terráque arridet, omnia ex voto succedunt. Psal. 143.12 13.

VI. *Vlturus tamen abusum.*

Quid ergo? num patiens ista liberalitas perpetuò duratura est? Editur, luditur, potatur, nihilne de satisfactione cogitandum? Quamdiu quæstores isti Dei dona plena manu recipient, nec vlla ratio datorum ab eis, acceptorúmque requiretur? Quamdiu bona sua ita dissipari tacitus sinet, ac dilapidari in oculis suis? Audi eum per Prophetam loquentem. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* Quantò autem diutiùs dissimulauerit, quantò fuerit longior patientia, tantò erit maior indignatio, acerbiúsque supplicium. O quàm malè agetur cum seruo illo Euangelico, qui differente reditum Domino, domi tumultuatur, seruos percutit & ancillas; edit, bibit, inebriatur, veniet vtique, veniet ex improuiso Dominus, qui animam à corpore diuidet, parique cum infidelibus pœna cruciabit. Aut etiam maiore; quoniam scriptum est, *Seruus qui non cognouit voluntatem domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Præ illo scilicet, qui eam cognouit; quem moles horrenda tormentorum manet. Isa. 42.13. 14. Luc. 12.46. Ibid.

CAPVT XIII.

Aliæ circa eandem Dei liberalitatem considerationes, in primísque de libro creaturarum.

EXIERE iampridem non pauca volumina, ex quo maximè ars typographica inuenta est, quibus linguæ omnes excultæ sunt, scientiæ omnes, artes, facultatésque traduntur; quibus & doctorum hominum bibliothecæ plenæ sunt, plenæ & officinæ, & apothecæ librariæ bibliopolarum. Ingenuè tamen fatendum est librum esse quendam, iam olim in lucem editum, qui palmam cæteris omnibus iure præripiat, qui hactenus aspexerunt, aut deinceps aspecturi sunt lucem. Hic liber omnia capit, quæ in cæteris continentur, vbique editus est in lucem, omnibúsque linguis, nulla vt gens sit tam barbara, quæ eius linguam non intelligat. Hic vnus liber, vt omnes bibliothecæ & officinæ pereant, interire non potest; vnus scientias omnes docet, & quicunque in eo fuerit studiosè volutatus, euadet profectò in præstantem virum. Quis est igitur hic liber, & quis eius autor? Autor libri Deus est, ipsum autem volumen est Liber creaturarum, quem in molitione mundi Deus emisit in lucem.

I. *Liber creaturarum.* AMOR LIB.

Eius autor.

II. *Eo edocti Patriarchæ, & alij sancti.*

In eo studuerunt antiquissimi Philosophi atque Theologi, sacri profanique, Iobus & amici eius, Orpheus, Musæus, Trismegistus; maximè autem primi illi Patriarchæ, qui multis vitæ suæ seculis, varia naturæ arcana, proprietatésque experimento discebant. In eodem posteà libro multum studij posuerunt, magnósque habuere progressus Abrahamus, Isaacus, Iacobus, & filij eius, Moses, & Dauid, aliique dum vitam in syluis cum pecoribus agitant: plurimóq; cum Deo & cœlitibus colloquio perfruuntur. Accessit Antonius ille celeberrimus, aliique innumerabiles desertorum locorum cultores; nobilissimi deinde cœnobitæ Basilius, Benedictus, Bernardus, Franciscus, aliique non pauci, in eóque mirabilia, Deo instituente didicerunt. Linguis omnium loquitur, & ab omnibus intelligitur, *Cœli* enim, vt ait Psaltes ille regius, *enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Denique, *In omnem terram exiuit sonus eorum,* &c.

Psal. 18. 1.

III. *Tradit omnem scientiã Grammaticam.*

Tradit hic liber omnem scientiam. Terra enim, quæ vna est de creatis rebus, antiquissima est hominum mater, quod cum bona venia Euæ dixerim, auiáque primariá. Quod vidit Sapiens ille, cùm diceret, *iugum graue positum esse super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Docet hæc communis mater demissè de se loqui terrigenas, ortus interitúsq; sui conscios. Docet idẽ liber Poëtarum fabulas, ipsáq; experiẽtia probat, mundi negotia,

Eccl. 40. 1.

Poësim.

& curas, ſtudia, contentiones, ambitionémque omnẽ, vaniſſimã eſſe veriſſimámque fabulã, quales ſunt, quæ à poëtis dantur in theatro, *quarum memoria cum ſonitu perit.* Aut eſſe reuera tragœdias, quarum aditus non iniucundi, luctuoſa cataſtrophe terminantur. Nam Salomone teſte, *extrema gaudij luctus occupat*, quales fuerunt nuptiæ Madabæorum, *quæ conuerſæ ſunt in luctum, & vox muſicorum in lamentum*; qualis triumphus Æmylij Pauli, qui, ad ludibrium caſuum humanorum, duobus funeribus liberorum eius cruentatus fuit. Pſal. 9. 7. Prou. 14. 13. 1. Macha. 9. 41. Liuius.

IV. *Hiſtorias.* Eadem terra ſuperiorum ætatum docet hiſtorias. Paſſim enim occurrunt parietinæ, & rudera ſuperborum olim ædificiorum. Viſitur hic pars aliqua columnæ, aut epiſtylij fornicis triumphalis Cæſaris aut Pompeij; illic arcus aliquis, aut pila diruti aquæductus. Hîc piramis deiecta fulmine, ibi mauſoleum terræmotu conquaſſatum. Hîc diffracta coloſſi membra marmorea, illic dirutum magna ex parte amphitheatrum, & arenæ toties ebriæ ſanguine hominum, & belluarum. Quæ omnia rerum humanarum vanitatem tacitè clamant, & infirmitatem conſiliorum humanorum, & gloriæ principum, quorum olim nutu terra contremuit, quorum corpora exeſa primùm vermibus, in puluerem redacta ſunt, animæ ardent in inferis, dum excitata è ſinu terræ corpora, luendis perpetuo ſcelerum ſuorum ſuppliciis, ſuis ſocientur animabus.

V. *Rhetoricam cœli docent.* Cœli Rhetoricam docent, habéntque argumentum orationis ſuæ, gloriam magnificentiſſimi conditoris. *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei:* nec ſyderibus & ſtellarum figuris carent, quibus eorum illuminetur oratio, quæ ipſæ iucunda varietate motuum, magnitudinum, colorum, virium, ad influendum in hæc corpora ſublunaria, præditæ ſunt, nec obſcurè docent nobiliſſimas conditoris dotes. Iidem nos cœli fulgore ſuo & pulchritudine delectant, mouent, calefaciunt, viuificant; perſuadéntque profectò illum, qui inferum regiæ ſuæ tabulatum, quod iſta mortalia, & caduca reſpicit, tot adamantibus & pyropis, tot carbunculis & ſmaragdis, tot topaſiis & ſaphiris, tanta copia ac liberalitate ornauit, diſtinxit, & in cæruleo fundo, quaſi in annuli pala incluſit, multo præſtantiore apparatu empyreas illas aulas & porticus, exedras & triclinia, cellas & ſanctiora conclauia, parietes & pauimenta ſingulorum, thronos & abacos, lectos, menſas, omnémque, totidem regum quot ciuium, ſupellectilem exornaſſe.

VI. *Aſtrologiam.* Cœlum libri huius pars vna eſt. Ideóque Eſaias vaticinatur, cœlos quaſi librum complicatum iri; Et Ioannes in Apocalypſi ait cœlum ſicut librum inuolutum receſſiſſe. Stellæ & planetæ ſunt eius literæ, quaſi illuſtri colore illitæ, quæ diuerſa faciunt, docéntque anni tempora, diuerſáſque mutationum vices, quæ in aëre, terra, maríque contingunt. Itaque docent aſtrologiam, vt vnà profiteantur ſe naturam illam ſuam noſtri cauſa recepiſſe, & à tot retro ſeculis, ſupra capita noſtra, & infra pedes admirabili celeritate verſari, vt liberaliſſimum illum creatorem Ca. 34. 4. Ca. 6. 14.

Musicam. agnoscamus, & amemus, religiosè colamus. Hic ipse liber musicam docet, non Pythagoricam illam, ex cœlorũ motu & collisione profectam, sed harmoniam spiritalem, in debita rerum omnium proportione positam, quæ aptissimè fini suo, principióque respondeat; idque tam congruenter & accuratè, nulla vt nota, suspirio, punctóve musico aberretur. Solus homo, quem rerum omnium creatarum solertissimè, artificiosissiméque canere oportebat, abutens libertate sua, concentus ineptissimos, atque ingratissimos facit.

VII. *Physiologiã.* Docet & naturalem philosophiam, & experientiam vanitatis humanæ conditionis; quæ hominis causæ, quæ principia, qui motus & quies, quod tempus & duratio, quis locus eius, quódquē vacuum, atque ita de cæteris rebus, quæ eum manuducunt ad cognitionem conditoris, cõseruatoris, & gubernatoris sui; nec hominem sinunt excusatione vti, sed incredibilis cuiusdam ignorantiæ, stultitiæque coarguunt, istos suo iudicio valde sapientes, ac si Superis placet, etiam theologos, qui mentis oculos aperire non possunt, vt in istorum pulchritudine corporum, eximium conditoris decorem agnoscant, in eorum magnitudine immensitatem, in duratione æternitatem, in robore & firmitate potentiam infinitam. Qui non videant in animantium solertia sapientiam autoris absolutissimam, in mutatione immutabilem immotámque constantiam, in paruis subtilitatem incredibilem, & in vniuersis admirabilem bonitatem; quæ singulis liberalissimè prouidit de omnibus, quæ illis necessaria sunt, vt sint, vt conseruentur, vt agant.

VIII *Naturæ legem, & ciuilem.* Tradit idem liber naturæ legem, basim ac fundamentum reliquarum, quam exhibet tam amplo charactere descriptam, vt eam, vel qui capti sunt oculis, legere possint. Qualia sunt illa, Quæ tibi fieri nolis, alteri ne feceris, & quæ velles tibi fieri, alteri facito. Quam legem qui obseruauerit, in cæteris nihil peccabit: ciuilem enim & socialem vitam illa digerit, & accuratè componit, quæ voluntatem nostram ad odium mali, & ad boni amorem inflectit; sollicitat ad decus & honestatem amore mercedis, absterret à noxa formidine pœnæ; qui sunt quasi gemini arcus obnitentes, ad quamuis publicam rem sustentandam. Denique si eam assumamus, ac sequamur ducem, nunquam à recta via deflectemus.

Medicinam. Tradit & medicinam, commonstrandis simplicium plantarum viribus, ipsis etiam brutis animantibus non ignotis, quibus mirabiles curationes fiunt; cui rei seruit in primis temperantia & sobrietas, pharmaca præsentissima corporibus animisque curandis. Illud enim in confesso est, plures gula, quàm gladio periisse.

IX. *Scientiam morum.* Denique liber hic morum scientiam, docet vsúmque virtutum, & nominatim amorem, gratiarum actionem, liberalitatem. Omnes enim res creatæ Dei opera sunt, eadémque beneficia impensa mortalibus, quæ perpetuò clamitant, sume beneficium, agnosce beneficentiam, fruere liberalitate; sed reddat amorem largienti cor tuum, reddat lingua gra-

tiarum actionem; manus opera mutuæ liberalitatis. O egregium volumen! ô beneficentissimum eius autorem! ô quàm sapientes euadunt, qui studium suum in eo tractando, addiscendóque posuerunt. Quàm liberalis ac benignus fuit ille Doctor, qui eum emisit in lucem!

CAPVT XIV.

Cæteris rebus impensa liberalitas, impenditur hominibus.

ARBITROR tibi non ingratum fore, ait Liberalis Amor, si paulo ampliorem in hoc rerum creatarum libro nauemus operam, vt in eo plenius Dei liberalitates agnoscamus, quæ sunt totidem certissima testimonia ipsius in nos amoris, & iustissima philtra beneuolentiæ nostræ. Imo verò, inquam, facturus es nobis rem longè gratissimam. Iámque haud modica nos gratia obstrictos tenes, quod vltrò polliceris operam, quæ magnis precibus emenda sit. In eodem igitur volumine legimus, ait, conditionē huius diuinæ beneficentiæ cōsideratione dignissimam. Quod scilicet quæcunque animantibus, cæterísque rebus creatis attributa videntur, donata sunt homini: nihil enim inferius homine vllum dominium, aut cuiuscumque rei possessionem obtinere potest; quippe quæ rationis vsum, ac libertatem requirunt, qua quis re aliqua pro arbitrio vti potest. Cúmque res ipsæ suæ non sint, si enim alio domino careant, fiunt primùm occupantis, multo minus, quæ eis aduenniunt, ipsorum esse possunt.

I. LIB. AM. *Res inferiores homine dominio carent.*

Et certum quidem est creata omnia Dei esse, à quo habent, quidquid sunt aut possunt, quidquid habent aut sciunt; verùm hoc ille dominium magna ex parte homini cessit, atque transcripsit; iuxta illud, *Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Non iubet subiici terram hostibus perdomandis, nulli enim tunc erant, sed vult hominem ostendere, eam sibi, tanquam legitimo Domino, subiectam esse, qui potest tanquam in proprio solo ædificare, & constructa diruere, plantare & euellere, habitare, & deserere habitationem. Iubet quoque magnus ille Dominus hominem omnis generis animantibus dominari: debent ergo hominibus famulatum, potéstque compellere repugnantes, iuxta alterum illud decretum, *Sit terror vester ac tremor supra cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Ergo etiam quidquid in eis est roboris, industriæ, commodi. Mancipiorum enim bona, habilitates, & lucra, ad heros ipsorum sine controuersia pertinent.

II. *Quod Deus in homines transtulit.* Gen. 1.28. Gen. 9.2.

III. *Eiúsque nobilitati id congruit, vt eorum fini.* Nititur quoque hoc dominium hominis super cæteras animantes, ipsius dignitate ac nobilitate naturæ, qua proximè accedit ad Angelos, adeóque attingit ipsum Deum, vt suprà disputatum est. Philosophia quoque vniuersa cum Aristotele profitetur hominem esse finem cæterarum rerum, finis autem iis præstat, quæ media sunt, & referuntur ad finem, à quo suam hauriunt bonitatem: & quidquid refertur ad media, per eadem ipsa refertur ad finem. Hoc lignum igni destinatum est ad coquendum cibum, cibus autem paratur homini; itaque & lignum, & ignis, & quidquid est vtilitatis in vtroque hominis est, debetur ipsi. Id
Psal. 103. 14. significat regius vates, cùm ait Deum *producere fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum:* quia herba seruit iumentis, quæ seruiunt homi-
1. Cor. 9. 9. ni. Et cùm Apostolus visus est negare Deo curam esse de bobus, non negat Dei in omnia ab ipso creata prouidentiam, qua illa conseruat & dirigit ad fines suos, sed negat ipsum, præ hominibus, animalium curam gerere, quando neque ipsorum, nisi propter homines, curam gerit.

IV. *Res corporea non sunt cõdita propter Deum.* Placet hanc ipsam veritatem hac argumentatione illustrare; non parum enim interest vt altè demittatur in pectus. Clarum est hæc omnia quæ cernimus ad aliquem vsum esse destinata. Nihil enim inutile à Deo conditum est. Creata ergo sunt, vt vsui essent Deo, aut vt iis vterentur Angeli, aut homines, aut postremo bestiæ ipsæ. Certum est nullam ex iis in Deum redundare vtilitatem, quippe qui, priusquam eas conderet; centum millibus annorum iis, fine vllo suo damno, caruerat. Vnus sibi ipse sufficit, & ab omni æternitate suffecit, nullius indigens, imo omnia sustentans, & si manum illam suam vel temporis puncto retraheret, omnia illico pessum irent. Solus ipse per sese beatissimus, nec aliunde quid quam mendicare potest, cùm nihil habeant creatæ res omnes, quod non hauserint ex thesauris eius, & quod non adhuc in eis cumulatissimè reperiatur.

V. *Neque propter Angelos.* Angelis autem, qui meri sunt spiritus, cui vsui esse queant ista corporea? vtique non magis quàm animæ hominis vita functi cibus aut potus, aut vestimentum. Ne sol quidem aut luna, aut stellæ beatis illis mentibus vtiles sunt, nec lumen aut influxus astrorum cœlum peruadit empy-
Apoc. 22. 5. reum; & vt peruaderet, in spiritus agere non posset. *Non egebunt*, ait Ioannes, *lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illu-*
Ca. 21. 23. *minabit illos.* Et rursum. *Et ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Deo illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.* Multo minus eis necessaria sunt animalia, elementa, metalla, & reliqua sub luna posita. Soluti sunt illi legibus mortis & interitus, nullam tempori ansam aut mutationi præbent, neque cæteris humanæ vitæ necessitatibus subiacent.

VI. *Aut bestias.* Postremo ne pro bestiis quidem, aut rebus inanimis dici possunt condita ista quæ cernimus, aliisque sensibus percipimus. Nam præterquam quod, vti diximus, dominium in illa exercere non possunt, pa-

rum

rum id diuinæ sapientiæ consentaneum videri posset: vt stultum esset existimare sapientem aliquem virum opiparum canibus conuiuium, felibúsque destinasse. Cùm ergo mutæ pecudes, maximam rerum creatarum partem non norint, non fruantur, non ad vsum aliquem destinare possint, multóque minus ea, quæ vltimum rerum ordinem, vel penultimum occupant, quibus nulla subest omnino cognitio, id planè consequens est omnia propter hominem facta esse: quæ est conclusio ad quam dudum argumentatio nostra ferebatur. *Sed propter hominem.*

VII. *Idem de astris docetur.* Deut. 4.19.

Magnus ille Hebræorum legislator Moses apertissimè docet solem & lunam, & omnia sydera, quæ mundum ornant, atque illuminant, à diuina liberalitate condita *in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt*, vt eis dierum & noctium, & quatuor temporum vices notent, atque discriminent, vt quasi accensæ, & in alto collocatæ faces, diem atque noctem congruo splendore collustrent, eáque ipsa functione homini famulentur. Multo ergo magis idem legislator intelligit inferiora ista, quæ habemus in manibus, quæ nostri arbitrij sunt & potestatis, nostræ addicta fuisse seruituti: cùm præsertim nulli se negotio, præterquam cibo aut somno capiendo vtiliter applicare possint: in quibus quidquid vtilitatis capiunt aut voluptatis, id omne in hominis emolumentum, vel delectationem cedit, qui insilit dorso cursoris equi, cúmque in stadium prælíumve deducit. Ephippia si elegantia sunt, equitem honorant, si commoda, eiusdem commoditati seruiunt; equo autem ipsi oneri sunt, & impedimenta libertatis.

VIII. *Et eorum affectionibus.*

Sed cœlestes illos globos repetamus si placet; in nobiliore argumento magnificentior videtur oratio; Quorum quæso commodis cœli seruiunt, dum toties terras mariáque circumeunt, astra ab ortu ad occasum, à meridie ad aquilonem, aut alterutrum tropicum transferunt? Quid cœli vel solis interest quiescere, aut cursim cœli domos, quasi totidem mundi lustrare custodias? linea recta decurrere vel circulari? vno pluribúsve simul motibus cieri? nónne vt vicissitudines anniuersarias in omnibus mundi plagis constantissimè conficiant, & per vices omnibus earum cultoribus vtiles sint? Quando autem motus illi tam artificiosè compositi conquiescent, & illa sydera insigne recipient fulgoris & pulchritudinis incrementum; quando stellæ quasi luna fulgebunt, & luna splendorem solis æquabit, & sol septies erit illustrior, quibus obsecro fiet tam mirabilis illa mundi renouatio? vtique beatis hominibus, qui hæc videbunt lucere sub pedibus, quæ simul calcabunt & contemplabuntur, longè quàm nunc maiore notitia; & hoc quoque argumentum habebunt diuinæ bonitatis perpetuò celebrandæ. Isa. 30.26.

IX. *Inanima suo decore, aut bonitate non fruũtur.*

Sed illuc redeo, num arbitraris pulchritudinẽ solis esse propter ipsum solem, qui nescit formosusne sit an deformis, nec lætitiæ particeps est aut mœroris, sicut nec cognitionis. Lunæ motus ac mutationes nullum ad ipsius vsum commodumve digesti sunt. Perinde illi est pleno orbe à sole

esse remotissimam, aut soli in ortu esse obitúque subiectam; nec sibi crescens magis placet quàm senescens; sed non perinde est hominibus, eam esse à conditore Deo cum ista varietate progenitam. Stellæ, quæ quasi diuersæ magnitudinis adamantes fulgurant in orbibus suis, eos magnificè ornant & pene dicam locupletant, nullum tamen eis vtilitatis fructum aut delectationis ferũt, sed hominibus ipsis, quibus noctu iter agentibus sunt nocturna horologia, nauigātibus in cursu duces, agricolis præsentiones ac prædictiones rerum futurarum, doctores astrologis, omnibus admirationis argumentum. Denique non magis in pulchritudine sua vel æstimatione cœlum acquiescit, quàm pannus, cum auri argentive limbo textili, quàm tela, cuius ora artificiosè acu pingitur, quàm serica vestis, quæ opere phrygio variis locis aptè elegantérque describitur.

Multiplex stellarum vsus.

X. Quid elementa dicam, & ex iis conflata corpora? Quis niueo liliorum candore fruitur? quis ocellorum, violarum, caryophillorum pulchritudine, aut rosarum odore suauissimo? num flores ipsi, qui neque pulchritudinem suam, neque odorem, neque virtutem norunt, aut homo potiùs, qui eos videt, odoratur, intelligit? splendor auri argentive collucentis, læuitas expolitorum metallorum, quibus aurificis artificiosa manus accesserit, preciosi lapides gratissima luce, & colore scintillantes, fructuum tam varius multipléxque sapor, herbarum admirandæ vires, quem fere præter hominem iuuant, aut delectatione reficiunt? Itaq; cùm plantæ à conditore Deo aliis qualitatibus donari potuissent, quæ magis ad earum conseruationem valituræ erant, eas tamen acceperunt, quæ ad hominum cibum & curam, conseruationem & recreationem valent. Huius ergo bonitatis & pulchritudinis gratia, non cœlis aut lapidibus, non floribus, aliisve plantis facta est, ac ne bestiis quidem, sed hominibus, qui eis frui possunt: quorum tamen plurimi non maiorem donatori gratiam agunt habéntve, quàm lapides aut quadrupedes. Deus meus quàm ingratum animal dilexisti!

Idem declaratur de sublunaribus.

CAPVT XV.

Declaratio diuinæ liberalitatis & gratiæ factæ brutis animantibus, ipsique homini in gratiam hominis.

I. LIBET hîc, vt in peramœno loco, immorari nonnihil, & circa pecora ipsa in rem nostram philosophari perpaucis, quæ cùm nonnulla cum hominibus cognitione communicent, ita & aliqua delectatione capiuntur, sed quæ in eorum dominos magna ex parte deriuetur, vt qui ad rudem illam & inchoatam cognitionem sensuum, mentis habeant & rationis adiunctam. Vis & robur, celeritas, & generosa equi bellatoris alacritas, multò minorem affert ipsi equo, quàm equiti vo-

Dotes brutorum homini data.

luptatem, qui dorso eius insiliens domitu illum informat, & ad multiplices ex arte motus iucundo labore condocefacit. Viden' vt catuli feléſque domeſtici incurrunt in ſeſe ludibundi, vt ſúſque déque ſe, quaſi in lucta verſant, vt ſe viciſſim commordent innoxij, vt inſiliunt in ſe deſiliúntque mutuo, vt molles in omnem membrorum flexum, petauriſtas vel imitantur vel inſtituunt, non tam ſuæ, quanquam etiam ſuæ, quàm dominorum relaxationi.

Luſcinia non argutè ſolùm & numeroſè, ſed multa etiam cum hilaritate cantillat, etiam cum propriæ valetudinis & vitæ damno, præſertim ſi quem reperiat æmulum, qui eum ſuperare, aut æquare velle videatur. Verùm homo qui plus phantaſia valet, & aurem habet eruditiorem, & mentem, quæ ſupra cogitationem ſuam inflectit ſeſe atque reciprocat, quæ cauſas & organa criſpantium vocularum cum admiratione cõtemplatur, maiorem ſine controuerſia percipit voluptatem. Si quando moloſſus meliore loco eſt in pugna cum lupo, minus recipit delectationis, cùm hoſtem morſibus animosè fatigat, quàm paſtor ipſe pugnæ contemplator. Eadẽ eſt ratio accipitris deorſum ruentis in ſubiectã prædam, eadẽ vertagi leporem inuadentis, aut ceruum, eadémque cæterorum, quos victoria, & pugna ipſa delectat, frigeret alioqui venatio, vt quæ fit ab ignauo cane, vel accipitre nidulario; multò tamen maiore voluptate gaudet venator, adeo vt cibi potus, ſomnique facilè obliuiſcatur. Gratias igitur age, atq; habe Deo tuo, mi homo, qui hunc inſeuit animantibus inſtinctũ, vt te exhilararet, neq; neglexit curam gerere oblectationũ humanarum. — II. *Qui eis magis afficitur.*

Ad hanc diuinæ liberalitatis conditionem, adiungamus & alteram. Habilitas enim & induſtria ſingulorũ non illius tãtum beneficiũ eſt, qui eam diuinitus accepit, ſed cæterorũ quoque, in quorum illa vtilitatem cedit. Ita id Princeps Apoſtolorum intellexit, cùm Chriſtianos hortatus eſt, vt mutuis inter ſe officiis, pro cuiuſq; facultate certarẽt. *Vnuſquiſq;* inquit, *ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Qui eas largitur, non vt lateant, ſed vt pateant indigentibus. *Sapientia enim abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* ait Sapiens. Idque maximè valet in gratiis, quæ gratis datæ dicuntur, qualis eſt docendi, adhortandi, gubernandi, curandi, miracula perpetrandi, aliæque id genus. Populus vniuerſus cui diuina prouidentia contigit optimus princeps, Antiſtes egregius, ſacer Orator, qui animarum zelo ſit præditus, vehementer obſtrictus eſt Deo. Et reuera ſicut magna eſt Domini in populum animaduerſio, ſi quando permiſerit vt illi mali doctores ac magiſtratus obtingant, ita magna Dei agnoſcenda eſt gratia, quod eos largiatur, qui ſuo munere ritè funguntur. — III. *Habilitates ſingulorum cæteris vtiles ſunt.* 1. Pet. 4. 10 Eccli. 41. 17

Ad alias quoque res pleraſque pertinet iſta gratia. Harmonicus enim cantus muſicorum, & fidibus præclarè canentium, non peritos tantùm earum artium oblectat, ſed ipſimet cum primis ſtudent auditorum auribus lenocinari; quorum hòc purior eſt voluptas, — IV. *Quod inductione patet.*

quod omnis laboris est expers. Illustrium pictorum cultissimæ tabulæ, cælatorum æra molliter & delicatè delineata, sculptorum marmora, quæ hilaritatem, quæ tristitiam, quæ iracundiam spirent, Aulæa exquisiti licij, artísque Phrygionum; pretiosa, ingeniosáque aurificum opera, num solos autores capiunt? Erudita disputatio subtilis philosophi, abstrusæ quæstionis theologicæ accurata tractatio, diserti orationis melle dulcior fluens oratio, elaborata concinnitas ingeniosi poëmatis, auditorem sæpenumero magis delectant, quàm ipsos artifices, quos errata sua, quamuis cæteris ignota, occultè compungunt. Itaque liberalis ille mundi princeps, qui homines voluit esse sociales, ita eos architectatus est, vt sibi placere mutuò, mutuóque famulari & vellent & possent.

V. *Gratiarum actio.* O liberalissime Domine, quanto maiore ære alieno opinione nostra tibi obstricti sumus, quando pulchritudo, vtilitas, industria, habilitas & gratia, quàm in tam diuersa opera tua effudisti, siue quæ ratione carent, siue quæ illa valent, illos etiam homines iuuant, recreant, locupletant, qui his aut naturæ, aut gratiæ præsidiis non sunt instructi. Debeo tibi delectationem omnem, quam videndis audiendísque rebus pulcherrimis accipere soleo; eam enim mihi facultatem, præ multis aliis liberaliter concessisti, & illius obiecta innumerabilia, nullo meo labore, præparasti, priusquam de illis aut cogitarem, aut rogarem te, & omnino priusquam essem. Primis enim quinque diebus mundi exorientis, tota illa rerum creatarum copia & varietas, quibus cœlum & elementa repleueras, existebat, quando factus est homo, & introductus in domum & hereditatem suam, quando audiuit à te, *Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* (Gen. 1. fi.)

VI. *Animalia hominem naturaliter timent.* Statuisti ergo vt cæteræ omnes animantes hominem tanquam herum & dominum suum vererentur & colerent, etsi pleræque illarum homini viribus, mole corporis, audacia, pedum celeritate, aliísque dotibus longè præstant. Et nisi peccatum rebus turbandis interuenisset, omnia animantia tam tractabili fuissent ingenio aduersus hominem, quàm catelli domestici: nemo certè hominum extitisset, in quem illa insurgere, aut cui nocere ausa essent. Nec mirum, quando nunc quoque, post inuectam à peccato rerum perturbationem, ex quo multæ res videntur facultatem à Domino puniendi hominis accepisse, timor & tremor hominis est supra vniuersa animantia, (Gen. 9. 2.) sic vt in eum insurgere nocendi causa non audeant, nisi vel rabida fame compellente, aut appetitu tuendæ suæ, suorúmque vitæ, aut libertatis: tunc enim sæpenumero etiam domestica efferantur.

VII. *Iterata gratiarũ actio.* Perpetuam itaque gratulationem & laudem magnificentissimo rerũ fabricatori Deo decernamus, habeamus, exequamur ob innumera eius in nos nota, ignotáque beneficia: pleraque enim illorum nostrum tarditatem latent, quibus hominem copiosè muneratus est, tam in eius

vsum ac necessitatem, quàm animi relaxationem, dum in hoc exilio, & quasi pago versatur, & profectionem in patriam, aulámque regiam prestolatur, vbi omnes hasce liberalitates, diuini in se Amoris argumenta, cognoscet, atque in omnium oculis auribúsque profitebitur, summóq; illum amore prosequetur. Vnam interim rem omni animi contentione postulare necesse est, vt quando tam multa homini, nullo suo merito, vltro dedit, ne abundantiam quidem amoris sui neget amicis suis, quando & illam vehementer postulant, & ea cupiunt ad maiorem eius gloriam, laudémque frui; nec maius ab eo beneficium, vel optabilius in hac vitæ peregrinatione obtinere possunt.

CAPVT XVI.

Deum Angelos quoque suos, in gratiam hominum, vsumque liberaliter adhibere.

NON est profectò consentaneum rationi, vt qui beneficiis obruitur, iis recensendis, audiendísve defatigetur: præsertim cùm is qui largitur nullum facit largiendi finem, sed constantem in donando seruat hilaritatem. Pergamus itaque Dei nostri enarrare liberalitatem, eam non semel iterúmque, sed perpetuò prædicemus, ne afficiamur vnquam tædio; nihil iustius facere possumus, nihil fructuosius, nihil congruentius. Sed quoniam non pauca de minore mundo, mundique autore dicenda supersunt, satis nobis erit de primo capite generalium liberalitatum vnam, eámque valde insignem adiungere. Paterna enim Dei beneficentia non satis habuit cæteras animantes hominis subiicere seruituti, sed voluit quoque illi de pædagogis tutoribúsque prouidere, quamdiu in hac vita quasi annis minor est, siue ætate pupillari. I. *Non fastidienda longior de liberalitate tractatio.*

Vt hæc rectiùs intelligantur, repetenda est memoria illa catena aurea, quam excogitauit antiquitas, qua ferebant creata omnia connexa inter se atque coniugata, illa videlicet subiectione, qua inferiora à superioribus dependent, ab iisque ritè gubernantur, infima à mediis, media à supremis, quæ perfectiora sunt, & viciniora Deo, & in quæ proximè influit diuina maiestas. Hoc gubernationis ordine posito, Deus per intermedios Angelos tractat humana negotia, præsertim quæ spectant ad æternam salutẽ. Id testatur Apostolus, *Nónne*, inquit, *omnes sunt administratory spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Non quòd negligant cæteros, iuxta illud, *Curauimus Babylonem, & non est sanata*, sed quia tota eorum cura, vt suprà dictum est, bonum electorum spectat, in eóque terminatur. II. *Ordo diuinæ prouidentiæ.* Hom Iliad. 8 Plat. in Theæt. Heb. 1. 4.

Quemadmodum igitur Pater familias vtitur opera pædagogi ad erudiendum filium suum, deducendum, custodiendum, protegendum, re- III. *Diuersa An-*

gelorum officia aduersus homines. businstruendum necessariis, castigandum etiam; denique ad parentis ipsius fungendum vices. Sic & supremus ille parens Angelis suis quasi pædagogis homines gubernandos dedit, eorum vt intellectum ad vberiorem veri falsique cognitionem illuminent, ad boni & mali, commodorum & incommodorum notitiam. Eorumdem muneris est eos instituere, & quasi tyrones præceptis imbuere, eorum voluntates ad vitiorũ fugam, virtutúmque complexum inflectere; imaginationem, externósque sensus regere suauiter & continere: adesse periclitãtibus, tutari, ducere, comitari toto curriculo peregrinationis huius, dũm ad paternam domũ æternæ habitationis perueniãt. Vnum porrò de præcipuis eorum muneribus est, sibi cõmissos à dæmonum insultibus defendere, quando eos videre homines non possunt, nec satis cognoscere: deniq; cũ res tulerit eos verbis factisque castigare. Quæ officia præter vltimũ, Raphaël Angelus erga iuniorem Tobiam perofficiosè, pérque libenter exercuit.

IV. *Qua Charitas persuadet.* Amor enim quo Deum, hominésque eiusdem secum regni hæredes prosequuntur efficit, vt id perlibenter exequantur, quando id regnum hæredum multitudine, non minuitur, sed augetur. Eosdẽ perfectio Angelicæ naturæ ad eadem officia Charitatis inuitat. Nam vt propiùs absunt quàm homines à diuinæ perfectione naturæ, ita magis eius bonitatem, participant, & communicationem, quæ ab illa deriuatur. Cupiunt ergo vehementer adesse nobis, opésque suas communicare, maiore studio, quàm nos amantissimis nostri impertiri cupiamus. Adde quòd beata illa Charitas multò præstantior est ista peregrina, quæ inconstans, atque imperfecta est, consentaneè statui, ac conditioni viatorum. A quo minimè abhorret illud Seruatoris elogium; *qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* (Matt. 11. 11. & ibid. Hieron.)

V. *Dua Angelorum occupationes primaria.* Optimus itaque ac liberalissimus huius vniuersitatis parens, qui singularem quandam dedit Angelis in hæc inferiora potestatẽ, promptam quoque ac generosam voluntatem illi obsequendi, gloriæq; ipsius promouendæ largitus est, maximè erga homines, quasi minores natu fratres: ille, inquam, optimus parẽs non satis habuit Angelos suos habere penes se honoris causa; vtque hymnos & Cantica, commendandis eius perfectionibus continenter integrarẽt, sed innumerabiles destinauit, qui operam suam hominibus, vniuersè ac sigillatim gubernandis, collocarẽt. Id significauit Daniel cùm diceret, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, non emigrando à conspectu eius, sed expectando dum mandatis eius honorentur exequendis. Quos inter septem primarij principes in sacris voluminibus celebrantur. (Dan. 7. 10.; Apoc. 1. 4. & 3. 1.)

VI. *Administratio generalis rerum mundi huius.* Generatim itaque dixerim, Deum, si à rerum creatione, & conseruatione discesseris, præcipua opera, quæ ad mundi gubernationem pertinent, ministerio Angelorũ fecisse ac facere, præsertim quæ ad vsum hominum pertinent. Ab ipsis cœlestes cientur orbes, ad vicissitudinem dierum & noctium, & commutationem temporum quadripartitam: ab

iisdem sistuntur iidem motus, aut retroaguntur, si quis aliquando Iosue aut Ezechias alterutrum à Domino impetrarit. Ab ipsis, tanquam spiritalibus Dei legatis, ciuitatum & prouinciarũ gubernatores, reguntur, & quasi alteri proreges regna ipsi moderantur. Ideóque apud Danielem Principes Persarum, Græcorum, Hebræorum appellantur. Ipsi sunt qui in gratiam Hebræorum, post vexatos decies atrocissimis plagis Ægyptios, quasi moderatores vndarum, iis copiosissimum exercitum, & ipsum cum eo regem obruerunt, Israëlitas autem in littus alterum sicco vestigio traduxerunt. Ipsi sunt, qui eidem populo in desertis locis, ipsos quadraginta annos, quasi mercede conducti pistores, panificium exercuerunt. Ipsi aquas abstersо amarore reddidere potabiles; & coturnices immenso numero collegerunt.

c. 10. 13. 20. 21.

VII. *Quæ declaratur exemplis.*

Illi ipsi Dei nomine legem maximo apparatu rogarunt, ac tulerunt: præcipuáque belli facinora, inhibendis Iordanis fluctibus, deiiciendis Iericuntinis mœnibus, aliisque id genus, in quærenda, occupandáque Chananitide, perpetrarunt. Angelus erat is, qui quam pseudopropheta Balaam pestem meditabatur in Hebræos, in vaticinia fausta conuertit, qui Iosue, qui Gedeonem, qui Iephte, qui Samsonem, qui Machabæum cum fratribus, cæterósque insignes Hebræorum duces eximia fortitudine roborauit, vt clarissimas, & plenas prodigiorũ victorias obtinerent, debellandis regibus, acquirenda regione promissa diuinitus, recuperanda libertate. Testis Antiochus ille Epiphanes, & Assyrius Sennacherib, quos intolerabile Angelici brachij pondus oppressit. Vt taceam Ogum regem Basan, Seonem regem Amorræorum, Balacum Madianitarum. Sed quid singulos moror, cùm Scriptura testetur vnum & triginta Chananæorum reges, Imperatore Iosue debilitatos, fractos, &, Angelica vtique opera, sine vllo Israëlitarum damno, internecione deletos? Iosue 12.

VIII. *Nominatim Iudæ Machabæo adfuere, pugnanti contra Timotheum.*

Placet nihilominùs ex nobilissima Machabæorũ historia, vnum atque alterum exemplum proferre, reportatæ Angelica virtute victoriæ. Dux quidã Antiochi Eupatoris nomine Timotheus, dudum malè à Iudæis acceptus, reparandi honoris sollicitus, in Iudæã mouit, ingentibus copiis peditatus & equitatus instructus. Machabæus autem Iudas, post humiles, feruidásque ad Deum preces, collectis quæ aderant copiolis, in hostem irruit, *Cúmque vehemens pugna esset, apparuerunt aduersariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant, in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti.* Cúmque per vim præsidium, in quod confugerat Timotheus, occupasset, hominem captantem latebras, cum fratre Chærea, & Apollophane peremerunt, cæteram præsidij turbam, iniectis in turres facibus incenderunt. Voluit tum Dominus cerni oculis Angelorum in præliis auxilium, vt consuetum, quod non cernitur, facilius crederetur & certius.

2. Machab. 10. 24.

IX. *Et Lysiam Eupatoris proregem.* 2. Machab. 11.1.

Sed ecce alteram de Lysia prorege, & propinquo Eupatoris victoriam, à Machabæo relatam, in qua Angelorum auxilium luculenter enituit. Itaque Lysias cùm proximam quam dixi cladem grauiter ferret, ingentem contraxit exercitum, in quo octoginta millia peditum, cum vniuerso equitatu, & octoginta elephanti numerabantur. His copiis instructus Iudæam inuadit, & Bethsuram acriter oppugnat. *Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognouerunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israelis.* Inde sumptis armis, suósque adhortatus ad periculum secum pro gente sua subeundum, ad pugnam progrediebatur: *cùm Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes actis Deo gratiis conualuerunt animis, non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. Leonum ergo more impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos: vniuersos autem in fugam verterunt.* In quibus ipse quoque *Lysias turpiter fugiens euasit.*

X. *Angeli puniunt impios* 2. Machab. 3.25.

Sub eadem ipsa tempora iisdem operariis vsus est Dominus, ad castigandum Heliodorum, & tutandam templi sui sanctitatem. Quis enim erat eques ille terribilis, qui cum impetu Heliodoro priores calces illisit, eúmque prostrauit in terram? Quinã erant *duo illi iuuenes virtute decori, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes*, donec eum *multa caligine circumfusum* amici *rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt?* Eorumdem Angelorum opera Dominus vtetur aliquando, ad debellandam bestiam illam, & portentum impietatis Antichristum, móxque ad cineres defunctorum corporum colligendos; quæ iisdem artificibus conformabit recens, suísque animabus iterata societate copulabit. Nulli alij tubicines postremum illud intonabunt classicũ, quo cœlum omne, tellúsque, ad inferos vsque remugiet, vt Christi Domini iudicio sistantur vniuersi, eiúsque sententiam imperio iudicis exequantur.

CAPVT XVII.

Egregia erga singulos homines Angelorum officia, meritáque.

I. *Angelus clientis sui mentem illuminat.*

QVOD ad particularia Custodis Angeli promerita, iam significauimus Angelum pupilli sui mentem illuminare; eámque intima præsentia roborare: quin & formas illas sensiles, aut intellectiles in mente figurant, vt ab hominibus ignota cernantur. Vt Iosepho contigit Patriarchæ, vt Ezechieli, vt Ieremiæ, vt Danieli, & cæteris Prophetis. Hinc

Hinc pulcherrimæ illæ ſimilitudines, quas ſancti viri excogitarunt rebus obſcuris, penitúſque abſtruſis explicandis, quamuis eſſent ipſimet literarum rudes? quales erant, quas S. Ignatius recens à mundi vanitate conuerſus, de ſanctiſſima Trinitate, quam inter orandum contemplatus fuerat, proferebat; quales S. Tereſia, circa varias orationis formas, ad quas amicorum Dei mens, admodum illuminata diuinitus, paulatim euehitur. Atque ita Deus non contentus lumen rationis conceſſiſſe mortalibus, voluit eam, tam ad contemplandum, quàm ad agendum, opera nobilium illarum intelligentiarum illuſtrare.

Voluntas autem, quamuis aut à ſe ſola, aut à Deo ipſius autore intimè moueatur, ab Angelis tamen extrinſecus excitatur, qui eam obiectis opportunè propoſitis alliciunt, prouocant, & agitandis perturbationibus labefactant: ſicut & phantaſiam, & reliquos externos, internóſque ſenſus, humoribus variè, ſpiritibúſque commouendis, & obiectis extrinſecus pro arbitrio repræſentandis. Id enim ſi ad hominum perniciem improbi dæmones faciunt, cur non idem ſancti Angeli faciant ad ſalutem? II. *Voluntatem dirigit.*

In primariis porrò Angeli protectoris officiis, quibus nos communi Domino debitores conſtituit, eſt ipſa illa protectio atque defenſio, quæ ſuauiſſimam Dei prouidentiam decebat in primis. Poſtulat enim ratio, & diuina bonitas requirit, vt quandoquidem irruunt in nos graſſatores, qui oculos fugiunt; ſpiritales quoque Protectores opportunè emicent, qui telorum ictus auertant, & importuniſſimam audaciam infringant. Decebat quoque vt humana voluntas, quæ pro ingenita mutabilitate alternis in bonum, malúmque conuertitur, ab ea regeretur, quæ non poteſt à bono deflectere; & ab eadem excitaretur & prouocaretur ad virtutem, quamtumuis obluctante ingenita procliuitate in malum, & turbidis motibus animorum. Sed vide hic perquàm ſuauem Dei liberalitatem. Pluribus enim hominibus vnus aliquis Angelus ſufficere videbatur, vt pater vnus pluribus liberis, pluribus pueris vnus idémque pædagogus; vt vnicus viæ dux multis iter agentibus, vnus præco regius, aut ſcutaria Regis teſſera foribus affixa, permultis ſatis eſt ad ſecuritatem. III. *Tuetur contra dæmones.*

Placuit nihilominùs liberaliſſimo Domino, vnumquemque mortalium Angelum habere cuſtodem proprium & ſuum, vt tantò eſſet inter eos amicitia familiarior atque coniunctior; vnicus enim amicus carior eſt, quàm vnus de multis. Adde quòd cœleſtis ille pater vnumquemque de filiis tractare voluit, perinde ac ſi vnicus foret, in quo ſita eſſet omnis eius conſolatio, in cuius capite ſpes totius familiæ verteretur. IV. *Cur ſinguli habeant cuſtodem ſuum.* 1.

Talibus enim perſonis ſingularis ductor iure datur, & talibus pueris pædagogus, qui illos vnos curet, neque tantillum à ſe vnquam abeſſe patiatur. 2. Denique dux vnus duobus non ſufficit, qui diuerſis admodum viis iter faciunt. Ita Angelus vnus comes ire non poſſet duobus, quo- 3.

rum vnus orientem versus iter faceret, alter peteret occidentem solem. Oporteret itaque omnes eidem Angelos commissos eadem semper loca petere, eadem frequentare, & incolere, magno & negotiorum, & libertatis propriæ detrimento.

V. *Ea custodia autoritate firmatur.* Matt.18.10. Conc.13.in Psal. 48. l.3. cõ.Eun. Gen.48.16.

Nititur hæc veritas certissimo testimonio Seruatoris, quando prohibet quemquam paruulorum contemni, quòd singulis, quasi diuinæ familiæ columinibus, datus sit Angelus, qui diuinam in cœlo faciem perpetuò contempletur. Vnicuique fidelium, ait magnus ille Basilius, datus est Angelus socius & comes, dignus, qui faciem æterni patris contempletur. Et alibi. Quod adsit singulis credentibus Angelus tanquam pædagogus, & pastor vitam dirigens, nemo contradixerit, qui memor fuerit verborum Domini, cùm ait, *Videte ne contemnatis*, &c. Eandem quoque veritatem confirmat exemplo Iacobi Patriarchæ, qui Angelum, à quo erutus fuerat de cunctis malis, inuocat vt adsit, ac benedicat duobus nepotibus suis, filiis Iosephi. Eadem est assertio Nysseni Gregorij fratris Basilij, in libro de vita Mosis. Et Nazianzeni Gregorij, in oratione de Sancto Lauacro. Ioannis quoque Chrysostomi, & Theodoreti. Denique Hieronymus vniuersè loquens de cunctis animabus, *Magna est*, inquit, *dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Hæc erat mens Apostolorum, & fides, cùm de Petro, quem in carcere clausum arbitrabantur, dicebant non ipsum esse qui pulsaret ad fores, sed Angelum eius.

Hom.60. in Matth. in c.10. Dan. l.3.in Matt. Act.12.15.

VI. *Multiplex eius vtilitas.* 1. Gabr.2.f d. 11 q v. 2.Iud.2.1.4. 2. 3. Act.12.7. Exod.12.

Doctores aliqui ex sacris literis duodecim vtilitates collegerunt, quæ hominibus ex Angelica societate contingunt. Principio clientes suos de propriis erratis arguunt, & culpas exprobrant, vt Israëlitis contigit, qui ab Angelo reprehensi, fleuerunt cum eiulatu, indéque inditum est loco nomen, dictúsque *locus flentium*. Eadémque opera dum eos ad verum de peccatis dolorem excitant, eorum vincula dissoluunt. Id haud obscurè in Apostoli Petri liberatione significatum est, cùm ad contactum Angeli ceciderunt catenæ de manibus eius. Tertiò illecebras peccatorum, & bonorum operum impedimenta tollunt; quòd in cæde primogenitorum Ægypti, quam Angelus Domini perpetrauit, intellectum est. Immoderatus enim liberorum amor, parentes inducit in fraudem, dum eis dignitates, & fortunarum amplitudinem parant.

VII. *Quarta vtilitas.* 4. Tob.8.3. 5. Dan.8.16.17. Apoc.1.1. &c. 6. c.5.13.

Dæmones quoque repellunt, & nocendi potestatem adimunt, sicut Saræ vxori iunioris Tobiæ contigit, in quorum gratiam Raphaël apprehensum Asmodæum religauit in deserto superioris Ægypti. Quintò homines, orantes præsertim illuminant, Missus est enim Gabriel ad Danielem, vt eum de magnis mysteriis instrueret, vt & Ioannem Euangelistam in Apocalypsi, aliósque Prophetas. Sextò afflictos mœrore aduersisque rebus consolantur. Itaque Raphaël seniori Tobiæ dicebat,

forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris, quod ipse mox executus est, medicum agens peritissimum. Septimò ad perseuerantiam 7.
animant, & constantem in virtute progressum. Id Heliæ significatum est, Angelo illum à somnis excitante, ac dicente, *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* 8. Duces itinerum scientissimos fidelissimósque se 8.
exhibent, itaque Raphaël, non secus ac promiserat seni, filium eius sanum duxit ac reduxit, adeóque magnis locupletauit bonis.

Nono hostiles acies profligant, vt paulò antè de Machabæis di- VIII.
ctum est, & Assyrij senserunt, occisis nocte vna ab Angelo centum & 9.
octoginta quinque millibus armatorum. Decimò, vim tentationum, 10.
etiam quæ carni blandiuntur, debilitant atque infringunt, quod elegan- *Gen. 32. 25.*
ter Asmodæi vincula significant, & Iacobi lucta cum Angelo, qui tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Vndecimò, clien- 11.
tum suorum preces, aliáque opera pietatis offerunt Deo, vt Tobiæ *Tob. 12. 12.*
senioris Raphaël, quod ipse de se mox apud Tobiam professus est.
Postremò adsunt vltimo certamini clientis sui è viuis abituri, quo ma- 12.
ximè tempore dæmon in eius ruinam intentus est, & insidiatur calcaneo eius. Illi autem contrà, omni officij genere abeuntem animam prosequuntur, egressam amplectuntur, & ante Deum deferunt, neque in quietis loco, vt olim Lazarum collocant, sed in ipso cœlo, nisi eam vt fere contingit, purgantibus flammis expiari necesse sit, vbi illam minimè deserunt, sed visitant & consolantur, vt multis historiis probatum est; donec emundatam penitus deducant in cœlum, vbi cum ea Deo hymnos & Cantica gratiarum actionis, cælitibus gratulationis perpetuò concinant. *Angeli studia erga moribundos, & mortuos.*

Quot ergo Dei liberalitates hac vna continentur? Qui fieri pote- IX.
rit vt amore singulari non prosequamur istum ex aula diuina principem, cui nos Deus ipse sociauit, & quem omnibus illis instruxit ornamentis, quæ solent esse sanctissimæ amicitiæ incitamenta? nec minùs amemus, multóque etiam magis illum, à quo tanto beneficio affecti sumus, & propter quem intelligentiæ istæ officiosissimæ optimè de nobis merentur in dies? Quæ, Dei ipsius exemplo, nunquam homines in hac vita, quantislibet criminibus obnoxios, penitus deserunt, ab ipso primo in hanc vitam ingressu, vsque ad decretoriam illam Iudicis in exitu sententiam, animam æternis suppliciis, aut gaudiis addicentem. Deus meus, quàm magna, quàm honorifica, quàm gloriosa, quantis ditata est emolumentis tua ista liberalitas? Nemo id capere potest, nisi qui præstantissimam nobilitatem illarum mentium beatarum capiat, & multitudinem ac magnitudinem malorum, de quibus illorum opera eruti sumus, & bonorum, quæ illorum precibus & gratia sumus consecuti. *Complexio beneficiorum Angelicorum.*

Tardiores hîc sumus, & hebetiores, quàm vt ea possimus pro rei di- X.
gnitate cognoscere, imò & ingratiores, quàm vt æquales meritis gratias *Cũ gratiarum actione.*

agere, aut habere possimus. Erit profectò, erit aliquando dies, cùm reclusis intelligentiæ nostræ oculis, magnitudinem beneuolentiæ, & officiorum ab eis acceptorum copiam apertiùs agnoscemus, & amoris æstu quodammodo in ipsos, & in omnium bonorum autorem colliquescemus. Tempus erit, quo amantissimus ille custos familiariter recitabit, recolétque nobiscum tempus illud, & illum locum, quo singulari eius opera capitis discrimen euasimus, & illum alterum, in quo perpetrandi criminis occasiones auertit, & omnes anteactæ vitæ fructus amittendi, eique illud grato clamore accommodabimus, *Nisi quia, Domine, adiuuisti me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea*: non in beatissima ista regia, omnium malorum experte, & æternæ felicitatis certa securáq;. Quas ergo isti Charitati gratias, quas prouidentiæ, quas gubernationi debeo. Benè sit illi horæ atque tempori, quo diuino vestro afflatui, sapientissimisque consiliis acquieui. Et hæc de primo capite diuinarum liberalitatum dicta sint hactenus.

Psal. 93. 17.

CAPVT XVIII.

Alterum caput diuinarum liberalitatum aduersus mundum minorem, id est hominem.

I. *Quæ singulariter dantur sunt gratiora.*

EST hoc in multorum more, consuetudinéque mortalium, nescio an vitium dixerim aut virtutem, vitij potiùs certè, quàm virtutis meretur nomen, vt liberalitas, quæ communis est multis, à singulis minoris fiat, quàm si vnus aliquis id munus singulariter accepisset. Si conscelerati decem habentur in vinculis, quibus omnibus gratiam Rex, veniámque largiatur, singuli se regi minùs obligatos putabunt, quàm ille vnus, qui damnatis cæteris, veniam vitámque consecutus esset. Si deni aurei in singula capita ciuitatis distribuerentur, vnus aliquis de ciuibus minorem habebit gratiam largitori, quàm si solus ipse decē nummos aureos, aut etiam quinque accepisset. Nouem leprosi, de decem qui à Seruatore mundati sunt, receptam sanitatem minoris duxerunt, quàm si vnus tantùm ipsorum illam obtinuisset. Quæ fortasse causa fuit, cur ad medicum gratias acturi redire neglexerint. Rediit Samaritanus ille, qui, meo iudicio, nullum gratias agendi finem fecisset, si solus fuisset curatus. Etsi nihil minùs accepit, quàm si cæteri præteriti fuissent.

Luc. 17. 12.

II. *Quæ huius rei causa.*

Ecquam huius mali causam esse dixerimus? Non illam vtique, quòd quæ vniuersè data sunt, aut destinata multis, singulis postea aliquo iustitiæ nomine debentur, cùm idē sit, eadémque causa singulorū; quod autē vni duntaxat datur, ex mero in ipsū amore videtur & pura liberalitate donari. Magis autem diligimus eum, qui ex liberali amore, quā qui ex

iustitia dederit: hic enim alienum reddit, ille largitur suum. Non illa, inquam, causa est, nisi valdè fallor. Nam siue in vno, siue in pluribus æquè interuenit iustitia & liberalitas, hæc in animo donantis, illa in distributione rei datæ. An ista fortasse, quod quo liberalitas spargitur in plures, hoc minor est portio singulorum; minuta autem dona nec magni fiunt, nec magno amore, vel gratiarum actione digna æstimantur. Ne ista quidem causa satis videtur idonea; nam siue in modico, siue in magno dono, pluris fit quod vni datur, quàm quod æqualiter plerisque. Huius ergo maioris amoris & gratiæ causa est potiùs, quod qui dat nobis aliquid præ cæteris, nos vel pluris facit, quàm cæteros, vel plus diligit. Cùm ergo natura simus admodum appetentes honoris, illos diligimus à quibus honoramur, præsertim præ cæteris, quibus tacitè iudicamur eo munere digniores. Cúmq; hoc ipso liberalis ille doceat, se maiore nos amore prosequi, quàm reliquos, tantò etiam in nobis maiorem excitant beneuolentiam.

Idem contingit in illis Dei beneficiis, quæ dantur communiter vniuersis, bonis, malis, iustis, iniustisq;, & quorũ sæpè præcipua pars deterioribus contingit. Hæc ipsa tamen beneficia non minorem debent in largitorem accendere beneuolentiam singulorum, nec minorem gratiarum actionem requirunt; quandoquidem quæcumque memorata sunt hactenus diuinæ liberalitatis argumenta, aliáque permulta, non minore beneuolentia largitus est Dominus vniuersis, quàm si eadem omnia vni omnino tradidisset. Quòd si pater aliquis vnicũ filium chariorem habet, quàm si is, vnus esset è multis fratribus, ea nimirum causa est, quod amor eius finitus, exiguísq; finibus circũscriptus, qui diuideretur in quatuor, in illum vnũ influit totus. Certè fons, qui in quatuor riuulos diducitur, vnicum multò faceret ampliorem. Non ita res habet in magno illo, atq; infinito bonitatis oceano, qui æquè sese cõmunicat singulis, quantũ quidẽ eum illi capere possunt, ac si essent centum millia, atque etiam plures. III. *Diuinis beneficiis accõmodatur.*

Non ita, inquam, res habet in magna illa diuini amoris flamma, quæ vnum aliquem non minus calefacit, quàm 50. circunstantes. Non sic habet in mirabili illo iustitiæ sole, qui æquè hominem vnum, qui solus versaretur in terris, illuminat, ac si tota terræ facies, densatis ac mutuò se comprimentibus hominum turmis, onerata gemeret. Magnum quiddam est dicere, Deum æquè amare vnum ac centum millia, vt qui eadem facturus erat in salutem vnius, quæ fecit pro centum millibus. Alios nihilominus præ aliis diligit. Vt enim generalis magnificentia æquè singulis & vniuersis fiat, peculiaris tamen beneficentia prodit amicos singulares. Hæc nimirum est beneficentia, quam deinceps, in minoris huius mundi contemplatione, explicare placet. Magnus omnino locus, atque huiusce philosophiæ maximè proprius, ideóque à plerisque tractatus vberrimè: eum tamen non licet nobis intactum relinquere, & cùm latissimè pateat, poterunt, si Domino placuerit, nonnulla occurrere non penitus peruulgata. IV. *Cum quadã differentia.*

V. *Peculiaria Dei beneficia.* Exponenda est igitur nobis illa Dei in hominem liberalitas, quæ peculiariter aliquos præ cæteris attingit, & Deo singulariter debitores facit, præter generales illas gratias, quas supra percurrimus. Vt autem diuinam illam liberalitatem fructuosè agnosceremus, qua & nos ipsos nobis dedit, adeóque semetipsum, quasi non haberet vltra quod daret, in nos effudit, necessaria nobis esset illa cognitio, quam S. Franciscus impensè desiderabat, & dies noctésque flagitabat. *Nouerim te Deus meus, nouerim me.* Probè videlicet norat hos esse duos fontes, qui exhauriri non possunt, non charitatis modò, animíque demissionis, sed grati etiam animi, & liberalitatis.

VI. *Circa vtrãque hominis partem.* Notum est, omniúmque sermone celebratum, hominem duabus partibus, corpore videlicet & animo, coagmentatum, & vtramque diuinæ benignitati deberi. Nam animus sine controuersia Deum vnum habet autorem, qui nobilissimi huius operis neminem habet adiutorem; illum quippe ex eodem nihilo quotidie educit, ex quo iampridem eduxit angelos, quibus datum non est, ne si omnium quidem concurrant vires, vel vnam hominis animam producere, sicut nec vnum sibi similem angelũ ex nihilo procreare. Necessarium habent subiectum in quod agant; & ille magnus artifex solus in nihilo, & de nihilo agere potest. Corpus autem suum homo magis debet Deo, principi ac primariæ causæ fœcunditatis, quàm parentibus, qui planè steriles essent, si Deus generalem concursum suum in eorum actione suspenderet: quod eodem modo in cæteris causis eueniret, quas secundas vocant, aut efficiendi socias. Si horologij rota primaria constiterit, reliquas etiam quiescere necesse est, & si fons exaruerit, illico riuuli exsiccantur.

VII. *Declaratur exemplo.* Sanctissima illa septem Machabæorum martyrum parens, agnoscebat vtramque, fatebatúrque liberalitatem, cùm filios suos hunc in modum alloqueretur, *Nescio quomodo in vtero meo apparuistis; Neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam: & singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis, propter leges eius.* Sic illa heroina, quæ negat se compegisse membra singulorum: alludens fortassis ad quorundam opinionem antiquorum, qui aliquid in ea formatione diuinum, supráque naturæ vires agnoscebant; ideóque Deam quãdam datricem formarum comminiscebantur, quæ in materno corpore, vnius eiusdémque formæ ac naturæ materiam, in tot támque diuersa membra dispertiret, dura mollia, solida spongiosa, calida frigida, humida sicca, liquida consistentia, densa subtilia, & quæ philosophi homogenea dicunt & heterogenea, nominatimque ossa tam multa, magnitudine, figura, vsúque tam diuersa, vt homines eximia intelligendi iudicandíque vi præditos rapere possit in stuporem.

CAPVT XIX.

Diuina quædam, & peculiaria circa humana corpora beneficia.

AT ne ad generalia beneficia improuidi reuoluamur, quanti æstimanda est illa Dei gratia, qua tibi omnia membra corporis, sine vllo defectu, aut infirmitate, sed integra, valida, & ad vsum ac decorem concinna largitus est? quæ quibus non contigerunt, partim in luctu & mœrore versantur, partim diurnos ferunt nocturnósque cruciatus. Verùm vt hæc melius animo capere valeamus, ponamus id tanquam certum, quod dubium esse non potest, rei cuiuspiam precium carendo magis intelligi, quàm fruendo. Itaque Hieronymus, *quid habeat*, inquit, *boni sanitas, languor ostendit.* Primus ille parens rectius intellexit quanti esset amissa felicitas, & innocentia, quam dum per innocentiam eadem felicitate frueretur: alioqui, eam profectò maiore animi prouisione conseruasset. Qui florentissima olim fortuna vsi, nunc duriore conflictantur, & qui rebus omnibus circunfluebant, nunc aliqua re semper egent, melius agnoscunt quid boni amiserint, quàm qui nullum vnquam fortunæ reflatum sensere. Hæc nimirum commutatio ab improbissimo Antiocho, facinoribus nobiliore quàm genere, vocem illam expressit, *Concidi, & corrui corde præ solicitudine, & dixi in corde meo, In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum*; quæ tristitia eò acerbiorem infigebat aculeum, quò verius antè dixerat, *Iucundus eram, & dilectus in potestate mea.*

I. Beneficium integritatis corporis.

In Epist.

1. Mach. 6. 10.

Si cui ergo, aliquo funesto casu, brachij aut pedis iactura contigisset, quo tandem pretio eam calamitatem redimendam putaret? aut si quis eam reparare vellet ac posset, quanti id haberet muneris loco? aut si ea pœna esset admisso crimini constituta, & amicus aliquis reo veniam à principe obtineret, quanta se illi reus deuinctum obligatione sentiret? præsertim si eam gratiam, neque fatigatus precibus, neque prioribus meritis occupatus, imo iniuriis ab illo, eiúsque necessariis lacessitus, multo labore obtinuisset? nónne id esset illustre beneficentiæ & charitatis exemplum? Is ergo qui te hisce præditum membris nasci permisit, quamuis non amicum, sed iræ filium ac perduellem, quem idcirco iisdem mutilum procreare poterat, nónne insigniter est de te meritus? Cùm deinde eorundem membrorum opera, plurima debita contraxisses apud Deum, & diuinæ vindictæ obnoxius esses, nónne iis potuit te iure, meritóque priuare? Quocunque enim membro quis abutitur in conditoris iniuriam, rectè posset eo puniente contabescere, & inutile reddi.

II. Membra cõseruat digna perire.

III. *Id declaratur exẽplis, 3. Reg. 13. 4. 2. Mach. vlt.*

Primus Israëlitarum rex Ieroboam, cùm prophetæ, contra se misso diuinitus terrorem extento brachio inferre cuperet, illico brachium sibi ita obriguisse sensit, vt illud ad se retrahere, atque inflectere non posset. Nicanor linguam soluerat in contemptum Dei sabbatum imperantis, manum quoque extenderat ferociter in templum, minásque iactauerat: sed is cùm mox in prælio cecidisset, Iudæ iussu caput eius cum manu & humero à reliquo trunco abscissum est, caput per ludibriũ hostibus ostẽtatum, manus ad ipsum templum suspensa, lingua particulatim concisa, volucribus in cibum proiecta est. Cùm quidam à Menapio duce legatus, S. Ludouicum Francorum regem obtorto collo scurriliter irrisisset, diuina statim vltione castigatus, eam deformitatem, quam volens imitabatur seruauit inuitus, tota vita pœna illi scurrilitatis adhærente. Pharao Hebræorũ masculos abiiciebat in profluentem: ipse toto in regno amisit primogenitos, & insuper cum numerosissimo exercitu haustus est fluctibus. Rex meritò subditum ea dignitate priuat, qui ea, præsertim aduersus ipsum, abutitur. Et sicarij manus priùs abscinditur à carnifice, quàm reliquum corpus merita animaduersione puniatur.

Exod. 1. & 14.

IV. *Et in rem præsentem accommodatur.* Rom. 6. 13.

Qui ergo membra omnia corporis sui *arma iniquitatis* exhibuit, ad seruiendum peccato, vt ait Apostolus, nónne iusto Dei iudicio promeritus est vt eorum vsu priuetur? Itaque & lingua quæ execrandas in cœlites, Deúmve ipsum, voces protulit, meretur abscindi, aut ebullientibus illico vermibus absumi; os quod sibi detestabilem à cacodæmone pestem imprecatur, vt fidem conciliet falsitati, aut obtineat ab aduersario quod iniustum est, nónne meretur vt Deus ratam habeat execrationem? Qui se mero sciens prudénsque ingurgitat, vsúque rationis priuat, dignus est qui eum nunquam recuperet; Oculi ad meditatam intenti nequitiam, meritò albugine, æternísque tenebris plectantur. Adulterium, cæteráque flagitia generis eiusdem, non iniquo supplicio afficiantur, si locis illis carcinoma, pestísve adnascatur; quando & mortem præsentem promerentur, & futuram. Pedes qui excurrunt ad effundendum sanguinem, meritò paralysin patiantur, aut podagram nodosam. Cor ardens ira diuturna, aut felleo liuore tumens, iure febrim experiatur æstuosam, aut atra bile tabescat. Eadémque de cæteris membris proportione dici possent.

V. *Constãs Dei liberalitas erga improbos ea abutentes.*

Insignis ergo illius gratia agnoscenda ac prædicanda est, qui toties à peccatore, membrorum suorum ministerio, violatus, cùm vindictam haberet in manu, suúmque beneficium facilè reuocare posset, clamorem tamen iniquitatum eius surda aure præteriit, cæcúmque se exhibuit ad impudentem flagitiorum procacitatem. Cúmque malus dæmon consensum à iudice extorquere conaretur, vt animum à corpore sibi liceret extrahere, maluit custodis Angeli precibus acquiescere, qui, cum bona venia Iudicis, reum comperendinari cupiebat, & ad hanc ipsam diem factus est voti compos. An exigua fuit illa misericordia, quòd commodum

omnium

omnium membrorum suorum vsum retineat peccator, vt ea possit ad Dei gloriam, ad suam, proximorúmque salutem impendere, vt scilicet linguam dudum procacem, ad prædicandam Dei aduersum se indulgentiam singularem vsurpet; vt oculos ad præterita crimina instar Magdalenæ deploranda, delendáque: vt prædatorias manus expandat, ad redimenda largitione peccata; vt pedes qui eum olim ad lustra, ganeámque deportarunt, nunc vicissim ad religiosa loca, ad inuisendos ægrotos, ad vinctorum miseriam subleuandam ferant. *Et quem in finem.*

VI. *Eadem erga mancos & debiles.*

Videamus etiam nunc quid consolationis iis afferre possimus, qui aliqua parte corporis capti sunt, siue id eis à natura, ortúque contigerit, siue aliquo casu. Sed principiò ponendum est, quod certò constat, mortales omnes in lucem prodire peccato inquinatos, & inimicos Dei, proptereáque ipsius conspectu, omníque eius beneficio indignos. Quo enim beneficio dignus esse possit inimicus? Si nihilominus aliquis à Deo partes omnes corporis accepit præter oculos, nónne habet vnde gratias illi agat de cæteris partibus, & non vnde ob vnius defectum expostulet? Si quis commeritus est crucem, in beneficio numerare debet, si præcisis auribus, aut cum fustuario dimittatur: & cui pannus liberaliter datus est ad togam, si quid ad integritatem fortè defuerit, non id si sapit, cùm querela requiret; cui denique centum aurei donantur gratis, si nummi aliquot casu desiderentur, non vocabit, opinor, largitorem in iudicium, sed tanquam accepta integra summa, illi gratias aget.

VII. *Eorumdem consolatio.*

Quod si nobis visum vel auditum, ingressum, formam, sanitatem, casus aliquis improuisus ademerit, nihil est causæ cur quenquam, præter nos ipsos, culpásque nostras incusemus.

Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit. Ouid.

vt rectè dixit poëta quidam. Et quamuis ea clades sine vlla culpa nostra contigisset, persuasum nobis esse debet amantissimum parentem Deum, non nisi maioris vtilitatis nostræ, & gloriæ suæ causa, tristiorem illum casum permisisse. Perinde enim illi erat omnia, quæ ad corporis integritatem pertinent, à principio dedisse homini, & conseruasse. Potuit omnia auferre sine iniustitia, si vnum tantum membrum abstulit, nónne misericordia est? quis ferat hominem de benefactore conquerentem? Nam quod ad illos attinet, quos nullus corporis defectus incōmodat, si quem aliquando cæcum mendicantem offenderint, erumpant ex animo in istas voces. Gratias tibi habeo, agóque Deus meus, qui mihi oculos & dedisti, & conseruasti. Si quis occurrat fœdè claudicans, si quis distorto corpore, si quis incuruus gibbo, alióve quopiam defectu informis, meminerint, non animum in contemptum, os in risum soluere, sed laudem offerre Deo, cuius beneficio singulari factum est, vt deteriora fortasse commeriti, earum tamen miseriarum immunitatem vltro sint consecuti. *Vt se integri gerere debeāt.*

VIII. *Dei erga valentes liberalitas.*

Dicamus aliquid de aduersa valetudine, & morbis, quos plerique ab ipso matrum vtero trahunt, à quo prodeunt ad graues ærumnas, acer-

bissimósque cruciatus. Qui tibi vires integras, & validam corporis constitutionem dedit, eadémque opera aduersa illa omnia propitius auertit à te, atque profligauit, nónne totidem tibi beneficia contulit, quot in morbos incurrere potuisses? Poteras laborare calculo, dolore colico, vel hemicranico; poteras continenti capitis & stomachi dolore cruciari: poteras lepra, impetigine, strumis, fœdum in modum deformari: poteras ischiade, podagra, & caduco morbo diuexari, aliisque permultis, quæ vel à parentibus propagantur in posteros, vel viuendo contrahuntur. Huic enim intestinum defluit, illi catarrhus dentes implacabili cum dolore corrumpit. Hic vxorem habet perpetuò propter ægritudinem lecto affixam, illa semper decumbentem virum: & vterque aliqua subinde pro filiis ægritudine pulsatur. Tu ab his omnibus, cura indulgentissimi tui medici, liber, ingratus nihilominus atque immemor perseueras. Sunt qui morbis vexantur, qui vicissim retro commeant, sic vt vno desinente recurrat alter: si Deus te ab vtrisque reddidit immunem, quod aliud diuinæ aduersum te liberalitatis amorisque postulas argumentum?

IX. *Et erga immunes sollicitudinis rerum necessariarum.* Quòd si, Numine bene propitio, eam sortitus es vitæ rationem, quæ libera sit à rerum necessariarum sollicitudine, & in qua omnia, nulla tua molestia, abunde suppetant, quanti pretij fuit ista liberalitas? Domum nactus es fortasse, in qua rerum domesticarum curatores industrij sunt & fideles, quorum hic tibi victum, ille vestitum curet; hic lectum, ille supellectilem. Vnus sanitati tuæ, alius studiis inuigilet; vnus honestæ recreationi, alter religiosæ pietati, te in exequendis paternis imperiis duntaxat occupato, potéstne vel conceptis votis optabilior vita contingere? Præsertim cùm magna mortalium pars, in misera vita comparanda, cum animorum corporúmque pernicie desudent, Quippe qui furtis & fraudibus, mendaciis & periuriis, proditionibus & simulationibus, omnia pene dicta sua, factáque contaminent, vix vt inuenias quicum, vt aiunt, in tenebris mices. Eóque res denique procedit, itáque obdurescit conscientia nonnullorum in peccando, nulla vt religione tangantur; & tamen quo magis furantur, & fallunt, hoc maiore penuria, atque egestate premuntur: diuina id agente prouidentia, vt prioris vitæ tam infructuosæ conditione damnata, seriò aliquando resipiscant. Quàm propitium ergo sydus illuxit capiti tuo, quod cæteris obtenebratum est.

CAPVT XX.

Alia Dei beneficia, quæ hominum animos magis attingunt.

TRANSEAMVS ad humanum animum, diuinorum bonorum multis partibus corpore locupletiorem, sicut & recipiendis opportuniorem, sed vtrorumque æque propemodum immemorem, atque ingratum. Et vt seponam quæ ad naturam ipsam pertinent, & communia sunt omnibus: qui à Deo mitem accepit indolem, atque tractabilem, & non motiones animi acerbas & peruicaces, non indomitas atque effrenatas cupiditates, qui, vt Sapiens de se ipso fatebatur, sortitus est animam bonam, ingenium excellens, memoriam felicem, ad capiendum facilem, & ad retinendum diuturnam, organis vtrique facultati pulchrè seruientibus, magnum profectò accepit à conditore Deo beneficium; tantóque maius, quanto defectus illarum vel facultatum vel organorum maius censetur malum. At vide, inquam, ô liberalis Amor, ne ad corpori facta beneficia relabaris; à corporis enim instrumentis tota hæc ingeniorum, morúmque diuersitas censetur proficisci. I. *Liberalitas bonæ indolis.* Sap. 8. 19.

Non censetur ab omnibus, ait Liberalis amor. Sunt enim viri doctrina & pietate præstantes, qui arbitrantur hanc diuersitatem, non tam ab organorum dispositione diuersa, quàm ab ipsis animis peti: quibus fauet vox illa Sapientis, quam referebamus. *Puer*, inquit, *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* id est solertem, & in bonum propensam, quæ illi sorte felici obtigerat; significans aliam minùs ingeniosam, minúsve bonam obuenire potuisse, pro Dei arbitrio, non pro sola corporis dispositione. Ex quo intelligi potest non omnes animas iisdem perfectionibus à Deo fuisse præditas, sed diuersis, quæ se prodant in corporibus eodem modo dispositis. Dicique potest in thesauris diuinæ sapientiæ & potestatis multas esse animas, quæ creari possint infundique corporibus, ad eam cum vita recipiendam paratis. Denique animæ bonæ in vitiosa corporis temperatione reperiuntur, & malæ in corpore ad omnem probitatem egregiè composito. Ad eam non parum valet studium & industria singulorum, sed electio diuinæ prouidentiæ longè plurimum. II. *Et animæ bonæ.* Vide Less. de perf. di. l. 12. n. 145. Sap. 8. 19.

Tanta est indolis aliquorum peruersitas, vt propemodum inuiti pertrahantur ad malum. Propemodum, inquam; neque enim in dubium reuocāda est illa vox, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: sed quod ægerrimè fit, ne fieri quidem posse existimatur. Itaq; nōnulli animo infracto victoriam de hisce perturbationibus desperantes, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immūdiciæ omnis, in auaritiam,* vt ait Apostolus. Alij sunt ingenio volucri & incitato, leuis, vt aiunt, armaturæ; III. *Apparet in peruersa quorundam indole.* Gen. 4. 7. Ephes. 4. 19. Esa. 65. 20.

pueri centũ annorũ. Alij ſtupidi ſunt & hebetes, itáque plumbei, vix vt rationali anima donati videantur. Alij lunaribus affectibus obnoxii, per interualla quædam fiunt emotæ mentis, & niſi vinculis aut carcere teneantur, vagi ſolutíque diſcurrunt. Cui diuina prouidẽtia amicior quàm iſtis omnibus fuit, nihil vt in hoc genere deſiderare poſſet, & quidem nullo vel munere, vel merito præuio, quanto amore, quàm ingenti gratiarum actione tantum debet rependere beneficium? quanto ſtudio eius obſequi voluntati?

IV. *Liberalitas bonæ educationis, piorũ parentum.* Aliud quoddam occurrit liberalitatis genus, quod perquam ſeriam, & accuratam conſiderationem requirit: ſed accuratiorem etiam gratiarum actionem eorum, quibus Deus parentes dedit virtute præſtantes, ac timentes Deum, quorum ſtudioſa opera, atque inſtitutione puerili, virtus illis pene naturalis effecta eſt. Neque permiſit in mediis naſci regionibus barbarorum. Turcas inter & Mauros, Moſquos aut Tartaros, Indos, Braſilos, aut Mexicanos, vbi veri Dei cognitione deſtituti, & neceſſariorum auxiliorum ad æternam ſalutem, inſtar cæterorum viuerent, & inſtar cæterorum perirent. Potuit Deus permittere, vt ex Iudæis parentibus, vel qui ab Eccleſia Catholica hæreſi ſunt, aut ſchiſmate ſegregati, progenitus prodires in lucem, in eorum erroribus, & ſuperſtitionibus educareris, in iiſdem viueres, morereris, & perires.

V. *Et in locis Chriſtianis.* Quàm multæ infelices animæ in Gallia, Germania, Polonia, Lituania, Anglia, Scotia, & Hybernia, in vrbibus Hæreticorum viuunt, quæ mittentur in Tartarum; locum tamen haberent inter cælites, ſi ea auxilia nactæ forent, quibus Catholici affatim abundant. O miſeri vtriuſque ſexus infantuli, nulla adhuc propria malitia inquinati, quàm ego doleo veſtram vicem! quàm me miſeret veſtræ infelicitatis. Quis enim poteſt illis ſine lamẽtabili gemitu dicere, quod poteſt eiſdem magna cum probabilitate dicere. O miſeræ animæ, periſtis, actum eſt de vobis. Simul enim cum pueritia, & adoleſcentia, erroribus à magiſtris, vitiis à ſociis imbuemini, peccata peccatis accumulabitis, nec vnquam beneficio ſacramenti pœnitentiæ conſcientiam deonerabitis: quid reliquum erit niſi vt cùm ſub extremam vitæ periodum aperietis oculos, horribilis illius ſarcinæ magnitudo deſperatione vos obruat, & in barathrum inferorum præcipitet? Qui autem ex illis locis, ſorte perquam felici, maturè educti ſunt, meritò poſſunt cum Dauide dicere, *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus in inferno habitaſſet anima mea.* Pſal. 93. 17.

VI. *Agnoſcẽdum id beneficiũ.* Numera igitur in ſingularibus Dei beneficiis, ſi cùm editus fueris in lucem eo tempore, quo hæretica perfidia in Chriſtiana republica bacchabatur, Dominus tamen locum elegit natiuitati tuæ, ab ea peſte immunem: & ſi cùm plerique conſanguineorum hoc virus animo concepiſſent, parentes tamen tui Chriſtianæ fidei puritatem retinuerunt; quorum opera baptiſmo initiatus es, & inſcriptus albo filiorum Dei, ſimúlque iacta ſunt in te fundamenta bonorum omnium ſupernaturalium

tam huius, quàm futuræ vitæ; quo beneficio innumerabiles infantes caruerunt, partim parentum socordia, partim execranda ministrorum Satanæ ignorantia. Eorum impium dogma fuit, fidelium liberos sanctos nasci, neque admodum indigere baptismo: quasi parentum fides eis cœlum aperire posset; contra perspicuam Seruatoris sententiam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3. 5.

VII. *Eadem liberalitas bonæ educationis iteratur.*

Sed redeamus ad illud maximi momenti munus, Christianæ educationis atque disciplinæ. Poterat enim Deus permittere, vt dum adolesceres, neminem haberes qui curam gereret animi tui, téque in Dei timore contineret; sed vt seruos inter ancillásque educatus, intérque dissolutorum adolescentulorum greges, maturè iaceres fundamenta licentiæ, per vias profligatæ nequitiæ gradereris, expers sollicitudinis de salute tua, expers curæ felicitatis, & timoris Inferni, & eam denique mortem obires, quam huiusmodi vita promeretur; & paria infidelibus, aut multò potiùs deteriora supplicia lueres in inferno carcere. Deteriora, inquam, propter cognitionem, quæ ingrati animi vitium vehementer amplificat. *Seruus enim*, vt supra dicebamus, *qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Luc. 12. 47. 48.

VIII. *Præsertim quæ singularem habet Dei prouidentiam.*

Si ergo amantissimus ille pater, sancto Dei timore ornauit animam tuam, si studiosè prouidit vt domesticis abundares pietatis exemplis, & honestis in scholastica exercitatione magistris, non est profectò mediocris ista liberalitas, non exigua demonstratio amoris in te sui. Sed aliud addo mirabilius, planéque paradoxum; pugnat enim cum opinione multorum. Nam si quis ista omni domestica, externáque institutione destitutus, timorem tamen diuinum fouit in pectore suo, & intaminatum se ab omni nequitia, culpáque grauiore seruauit, non ille desertus à diuina prouidentia putandus est, sed singulariter adiutus. Suppleuit enim ipsa per sese, iugi & quotidiano afflatu suo, aut per administros Angelos, defectum causarum secundarum. Itaque tanto magis diuinæ liberalitati obligatus est, quantò præstantioribus vsus est doctoribus, & magistris.

IX. *Cum gratia & Charitate coniuncta.*

Quòd si in ista liberalitate inclusa est, vt apparet, diuina gratia & Charitas, nullum tibi in hac vita præstantius donum aut magnificentius dari potuit, neque vlli, præterquam dono personæ suæ, secundum. Longè pluris est illa gratia, quàm patrandorum miraculorum facultas, aut futurorum prædicendorum; quàm eximia cognitio mysteriorum diuinorum, aut potestas loquendi linguis hominum & Angelorum. Animam enim erigit, atque exsuscitat ad ordinem, qui supra naturam est, redditque, vt ex principe Apostolorum alibi dictum est, diuinæ naturæ consortem. Neque est vlla scientia, aut moralis virtus, quæ pari animum ornamento nobilitare possit. Quanto præstat vas aliquod ex auro 2. Petr. 1. 4.

solido, terreo diluta sandaraca imbuto; & corpus viuum mortuo, & imago, quæ in bono lumine cernitur, ei quæ in tenebris iacet, aut maligna in luce videtur. Gratia aurum est, vita est, lux est & claritas animorum. Illa vna est quæ ius dat ad felicitatem, quæ peccata obliterat, obstruit portas inferorum, quæ homines templa efficit Spiritus sancti, hæredes Dei, cohæredes Angelorum, ipsiúsque Christi Domini regis hominum & Angelorum. O quàm beatus est, qui talem possidet thesaurum! ô quàm infelix, qui tam facilè tam luctuosam iacturam facit!

CAPVT XXI.

Supremum diuinæ liberalitatis donum, Prædestinatio ad æternam felicitatem.

I. *Prædestinati in gratia denique morituri, quàm felices.*

FOELICES omnino sunt, vt dixi, qui diuinæ gratiæ thesaurum possident; sed quanto feliciores essent, in hacce tanta inconstantia & mutabilitate voluntatis humanæ, si is thesaurus amitti non posset? Quæ felicitas perpaucis omnino contigit singularibus Dei amicis, quos vocant in gratia confirmatos. Sed istos, alióśque non paucos amplectitur Prædestinationis donum, quod est eorum qui, etsi possunt amittere gratiam, eam tamen, antequam mortem obeant, certò sunt recuperaturi. In illo enim perseuerantiæ donum includitur. Felices igitur, quos Deus, ab ipsa æternitate dilexit, quos gratuita misericordia, à massa, quæ dicitur, perditionis, secreuit, quos in libro vitæ descripsit, & aggregauit electis suis, ciuibus cælestis illius Hierosolymæ: qui denique beata Dei visione, eiúsque bonis sempiternis, sine vlla dubitatione perfruentur. Hoc maximum, hoc antiquissimum, hoc singulare Dei beneficium est, hoc gratiarum omnium fundamentum, hæc perpetuæ lætitiæ materia & seges, longè profectò maioris, quàm fuit olim Dauidi, cùm diceret, *Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* *Psal. 121.*

II. *Similitudine declaratur.*

Fingamus eductos è carceribus quinquaginta prædones, triremibus sententia Iudicis addictos. Dum autem catenis constricti abducuntur, ecce tibi filium regis felici casu prætereuntem, qui oculis in aliquem eorum coniectis, misericordia motus, illum ab ea turba educi iubet, vitam ei largitur atque libertatem, famulis suis ac domesticis aggregat, amantissimè accipit, non secus ac si esset frater, denique regni socium se illum pollicetur habiturum. O sortem felicem! ô fortunatum prædonem! Sed illum millies fortunatiorem, qui cùm ad massam illam perditorum pertineret, factus est obiectum contuitus miserantis Dei, qui illum ex ea fæce, & misera pereuntium

turba secerneret, qui regiæ filij sui familiæ adscriberet, vt in necessariis coniunctissimisque censeretur, vt eum honoris ac beneuolentiæ causa perpetuò affectaretur, & cum illo aliquando in cœlis æterna beatitudine frueretur.

Non est hæc gratia, aut beneficium decem aut quinquaginta millium coronatorum annuorum; non largitio prouinciæ alicuius, aut regni florentissimi; non vniuersi orbis, terra marique principatus. *Melior est dies vna in atriis tuis, super millia.* Pluris est diei vnius gaudium & triumphus in cœlo, quàm mille regnorum, ad millenos annos, pacifica & quieta possessio. Deus enim, qui in illo regno possidetur, infinitè pluris est quàm decem millia regnorum, atque adeò decem mundorum millia, imò etiam quàm quidquid immensa eius potestas ac sapientia in lucem proferre potest. Nihil enim produci potest nisi finitum, & certis aut magnitudinis, aut perfectionis terminis circumscriptum, cùm ipse sit vndique, omnique ratione infinitus. Permitte mihi obsecro nonnullam hoc in loco moram; amœna est enim, ac, nisi fallor, fructuosa commoratio. Ego verò, inquam, non permitto solùm, sed vehementer etiam rogo, vt has nobis delicias, quas spe degustamus, præbeas paulo vberius perfruendas.

III. *Magnitudo beneficij huius.* Psal. 83. 10. Avtor.

Repete igitur memoria tempus Israëliticæ in Ægypto seruitutis, & barbaram regis illius inhumanitatem, qui recens natos infantulos abiiciebat in profluentem; plerique sine dubio in fiscellis scirpeis impositi, cùm aliquandiu fluitassent, vndis obruti perierunt. Melior fuit sors, optabiliórque conditio paruuli Mosis, ad quem, cum Nili fluctibus luctantem, diuina prouidentia misit filiam regis, quæ eius misereretur, ex arcula educeret, morti eriperet, regiæ instar prolis educeret, in filium denique adoptaret. Hæc videlicet figura est miseræ prolis primi parentis, in lato diuinæ indignationis, & peccati originis Oceano fluctuantis, & naufragio expositæ. Ex eo Rex singulari beneuolentia nonnullos eripit, mystico suo corpori feliciter inserit atque adoptat, donat perseuerantiæ dono, postremóque gloriæ, ad quam eos à principio destinarat. Quo affectu Moses Ægyptiam illam reginam prosequebatur? quo igitur amore omnes, quibus sors illi non dissimilis obtigit, diuinum illum regis filium complecti par est?

IV. *Comparatione illustratur.* Exod. 2.

O te etiam atque etiam felicem, charissime mi, si tam optabili sorte editus es in lucem! ô beatum ortum tuum, beatam vitam, & mortem longè beatissimam, si forte in albo filiorum Dei descriptus es. Si te Deus prehensum manu, vt olim Abrahamum, educeret foras serena quapiam nocte, & pulcherrimam illam cœli faciem, tot adamantibus, & pyropis illuminatã ostenderet, diceretque, suspice cœlum, & numera stellas, si potes, omnes habiturus es subiectas pedibus tuis. Id palatiũ cuius solum extimũ sic illuminatum est, tuum est, eritque semper tuũ, quo

V. *Pij affectus ad eam sortem.* Gen. 15. 5.

tãdem gaudio exultaret cor tuum? quo genere famulatus cuperes te gratum exhibere tam munifico principi? Num is à te opus aliquod tam arduum, tam asperum, tam importunum posset exigere, quod non facile ac iucundum redderet illa cogitatio. Tu illi regi famularis, qui tantam tibi mercedem, tam diuturna támque immensa gaudia, beneuolentissimè præparauit. Addo simile alterum.

IV. *Alterum simile.* Sit aliquis vir honestus in primis ac potens, qui amicum suum deducat ad conclaue secretius, aureæ, argenteæque gazæ asseruandæ, ibique illi ostendat arculam, in qua seposita sint decem millia nummorum aureorum, simúlque illi seriò confirmet, se ea omnia ipsi conseruare, ipsius esse ac fore, qua illum obsecro beneuolentia complecteretur? vt operam omnem, ad eius amicitiam fouendam atque amplificandam, conferret? vt nihil omnino negligeret, quod suspicaretur illi gratum, atque acceptum fore? Num filios eius conuitio peteret, pulsaret famulos, ipsum obtrectatione violaret? ne per somnum quidem. Thesaurus tamen ille furto auferri potest, amicus mutare voluntatem, & hic maturius vita fungi, quàm aurum accipiat. Deus igitur, qui thesaurum tibi longè ampliorem destinauit, ac promisit, qui neque potest mutare voluntatem, nec tu promissis morte frustrari, quæ à te officia promeretur? nónne par est te omnem eius vel leuissimam offensionem vitare?

CAPVT XXII.

De ignoratione doni eiusdem, & quibusdam fiduciæ coniecturis.

I. *Ignoratio prædestinationis, & vt certa reddatur.* ELEGANTER quidem tu isthæc omnia, inquam, vnum tamen deest in hoc Dei dono, ad cumulatum perfectúmque gaudium, quod scilicet optatissimæ huius electionis incerti, atque ignari simus. At ego tibi, ait Liberalis-Amor, facilè cum Petro, Apostolorum principe respondebo.

AVTOR. 2. Petr. 1. 10. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, quasi dicat, Electionis huius certitudinem, ab eo cuius interest, pendere, eúmque vitæ integritate ac sanctimonia docere, à Deo se vocatum, atque electum esse. Vsurpabo & illud diuinum responsum, quod viro cuidam redditum est, cuius animum inconstantia timiditásque contrahebant, ne fortè in electis non esset. Age quæ acturus esses, si tibi de æterna tua electione constaret, & certus eris. Quo ille interiore oraculo confirmatus, placidè deinceps in paterna Dei prouidentia conquieuit.

II. *Lata est iam sententia, sed præuiso fine vitæ.* At enim, inquam, iam lata est de me sententia, in æterno illo, arcanóque Dei consilio; & promulgabitur illa quidem, atque innotescet

AVTOR. aliquando, tam ipsi mihi, quàm mortalibus vniuersis, sed non mutabitur,

tur, quidquid omnino contingat. *Ego enim Dominus*, inquit ipſe, *& non mutor*. Et rurſum: *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur*. Non ignoramus hæc, ait Liberalis-Amor, ſed neque tibi ignotum eſt illud apud Ieremiam, *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei*. Ad hominum videlicet ſenſum, captúmque accommodata oratio eſt. Certum tamen eſt in arcano illo æternóque conſilio, decretoriam ſententiam non fuiſſe, ſine accurata cognitione cauſæ, pronunciatam. Vidit Deus totum vniuſcuiuſque vitæ curſum, extremámque periodum. Quem ergo vidit in gratia ſua ad mortem vſque perſeueraturum, de æterna illius ſalute immutabile iudicium tulit; & vice verſa de illius ſuprema atque immutabili calamitate conſtituit, quem improuiſa mors deprehenderit lethali crimine implicatum. Id crimen voluntarium erit & vitari poterit ſicut & cætera, nec deerit gratia ad vitandum, qua à peccatore repudiata, oſtendet ſe fuiſſe reprobum. Ille autem qui eadem vſus Dei gratia tentationibus reſtiterit, conſtanter in diuina amicitia perſeuerauerit, hoſtes ſalutis ſuæ ignominioſè repulerit, re ipſa probabit electum ſe à Deo, ac cœlo deſtinatum fuiſſe.

Malac. 3.6. Num. 23.19. ca 18.8.

III. *Aliquot ſigna Prædeſtinationis. l. 2 c. 16. 17. & 18.*

Quamuis autem vni Deo, præterea nemini, præniſa ſit iſta definitio, ad nonnullam tamen fiduciam & conſolationem bonarum mentium ſancti Patres pleraſque coniecturas notarunt, quarum aliquas Timor Dei non negligenter explicauit. Ex ſignis enim reprobationis contraria electionis ſigna colliguntur. Nam ſi obduratio in non credendo, ſi neglectus verbi Dei, ſi vita flagitioſa, ſi ſuperbia notæ ſunt reprobationis; pius certè affectus ad aſſentiendum myſteriis fidei, Deique verbum audiendum, peccati odium ac fuga, in primiſque ſuperbiæ, non leuia erunt argumenta ſperandæ felicitatis. Ea ſigna Chriſtus Dominus diſputans aduerſus Iudæos vna ſententia complexus eſt. *Oues*, inquit, *meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*. Sed hæc alio iam loco explicata prætereamus.

Ioan. 10. 27

IV. *Præſertim vita religioſa. Plat. l. 1 c 32*

Minimè tamen prætereundum eſt ſignum religioſæ vocationis ac vitæ; omnium iudicio longè præſtantiſſimum, atque certiſſimum prædeſtinationis argumentum; amoris quoque ac liberalitatis diuinæ, in eum qui ad hoc vitæ genus vocatus, vitam ducit dignam vocatione ſua. Neque enim ſignum certius aut euidentius deſiderari poteſt, illa promiſſione tam certa, tam perſpicua, tam liberali illius ipſius, qui ſingulare hoc munus promeritus eſt nobis, & à quo in eius poſſeſſionem mittendi ſumus. Cùm enim, etiam adhibito iureiurando Dominus promiſiſſet Petro, cæteriſque Apoſtolis, qui relictis omnibus eum ſecuti fuerant, fore vt non ſolùm regni cœleſtis hereditatem eſſent conſecuturi, (quandoquidem nomina eorum deſcripta eſſent in libro vitæ, in quo Deus debitorem ſe conſtituerat omnium, quæ ipſius gratia illi

Matt. 19. 28 Id ex Scriptura probatur.

reliquissent) sed omnium etiam mortalium Iudici essent assessuri, vt pro illustri sua apud eum gratia, cæteros quoque ei redderent gratiosos. Et promissioni mox subdit, omnes qui, Apostolorum exemplo, domos, fratres, sorores, parentes, vxorem, filios, agros pro Christi nomine reli-
ca.10.30. quissent, centuplum, etiam in hac vita, vt est apud Marcum, acceptu-ros, & in seculo futuro vitam æternam.

V. *Rursúmque confirmatur.* Luc.12.32. Eandem alibi promissionem, cum magno verborum suauitate, repetit atque inculcat, *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Vtique regnum, quòd præ reliquis omnibus meretur id nomen, cuius obtinendi spem neque humilitas ista & obscuritas, neque admissæ aliquando culpæ infringere debent. Donum Dei est, & liberalis misericordia, & donum amantissimi patris dilectissimis filiis conferendum, non necessitate aliqua, sed ex mera de suis benemerendi voluntate: id illi cordi est, non obliuiscetur, nedum retractabit promissionem suam, sæpius in Euangeliis iteratam. Felicem Religiosum, cui tantum est æris, támque certi in nominibus; cui tot syngraphæ, & cautiones, quas in egressu vitæ huius proferet in iudicio, vt in cœlestis regni possessionem mittatur. Quanquam minimè necessaria erit iudicij seueritas. Eadem quippe bonitas, quæ excitauit ad promittendum, ad promissi solutionem excitabit, nec erit verbis liberalior, quàm rebus ipsis.

VI. *Desertio religionis signum reprobationis.* Hinc facilè intelligi potest quàm malè rebus eorum consulatur, quámque ancipitem habeant ac periculosam salutis consequendæ fiduciam, qui vel ignauia sua, vel etiam malitia vocationem religiosam deserunt: aut qui ad Dei vocantis voces pertinaciùs obsurdescunt: quos Deus illa via, atque eo vitæ genere ad felicitatem adducere cupiebat, si dicto audientes esse voluissent. Nónne cùm ventum fuerit ad tempus illud, quo ratio reddenda erit anteactæ vitæ, Iudex tristissimum illud Sa-
Prou.1.24. pientis verbum exprobrabit. *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.* Cùm scilicet ab sperata temerè felicitate iustè exclusi, suppliciis addicemini sempiternis.

VII. *Religiosa vocatio eximia est Dei liberalitas.* Quoniam verò religiosa vocatio, non solùm nobilissimum, certissimúmque signum est diuinæ prædestinationis, sed eximia etiam est Dei vocantis benignitas, ac liberalitas ipsa per sese, qua vtitur aduersus gratiosos quosdam suos, quos, ex variis Ecclesiæ suæ locis col-
1. lectos, deducit in ædes suas, redditque domesticos, age dicamus aliquid cursim de magnitudine liberalitatis huius. Principio igitur religiosus fit aliquo modo idoneus ad satisfaciendum maximæ illi ac iustissimæ obligationi, sese diuino famulatui mancipandi, ad quotidianum vsum, vt sic ab eius voluntate pendeat, quasi voluntate careret ac libertate.
2. Deinde hæc liberalitas homini eripit innumerabiles offendendi Numi-

nis occasiones. Eadem primo statim aditu obtinet à Deo, vt peccatori 3.
antiqua omnia nomina accepta ferat, perinde ac si recens baptismo esset ablutus. Itaque antiqui Patres professionem vitæ religiosæ alterum baptisma esse censuerunt.

VIII. *Quam multa beneficia illa continentur.*

Eadem rationem præbet expetendæ à se vltionis admissorum pridem scelerum, vitæ asperitate, & voluntariis pœnis. Eadémque opera ingentes meritorum thesauros congerendi, decurrenda diuinorum mandatorum via: cuius rei copiosam exhibet facultatem abundantia gratiarum, quas Deus in animas filiorum suorum continen- 4.
ter effundit, qui sese liberaliter in sinum diuinæ prouidentiæ proie- 5.
cerunt; quæ vicissim cum ipsis de liberalitate certat, eósque singulari 6.
ac planè paterno cum amore, per eorum Superiores, vicarios suos 7.
gubernat; qui ipsius non autoritatem solùm, sed beneuolentiam & charitatem, sed sapientiam & prouidentiam, sed sollicitudinem & curam prospiciendi omni eorum indigentiæ, siue ad animum pertineant, siue ad corpus ipsum, egregiè repræsentant. Illic quotidie, at- 8.
que adeò singulis pene horis ac momentis abundant præclarissimarum virtutum exemplis, quæ singulos prouocant ad imitandum, nullo irrisionis metu, nullo periculo vanitatis: quòd vt perpetuum est in seculari vita, ita est longè miserrimum, vt pudeat benefacere cùm velis, pudeat nòn esse impudentem.

IX. *Alia beneficia generis eiusdem.*

Ibi perfecta planéque germana charitate iunguntur vniuersi; eodem quippe instituto, regula, habitu, vocatione gaudent. Eodem corporis cultu, victúque sustentantur, iisdem ferme occupationibus distinentur, quæ tum Dei gloriam respiciunt, tum animarum salutem. Mutuis sese auxiliis, vt res ipsæ cuiusque, ac tempora tulerint, tanquam 9.
vnius eiusdémque corporis membra, animosè constantérque iuuant. 10.
Nominatim verò, quod ad bona opera, meritáque singulorum, quæ
charitas Christiana viuentibus membris communicat, tantò abun- 11.
dantius communio illa contingit, quantò arctiore vinculo personæ copulantur, vt quæ ad eandem familiam pertinent, nec quoquo modo pertinent, sed vt patres fratrésque in Christo charissimi, qui nihil sibi vnis faciunt, aut acquirunt, sed cœtui vniuerso. O quàm gloriosum, quàm vtile, quàm delectabile est vocationis beneficium, quanti æstimandum, quantis gratiarum actionibus prosequendum, quando illa vna Dei liberalitate innumerabiles aliæ continentur.

CAPVT XXIII.

Diuina liberalitas in Sacerdotio hominibus concedendo.

I. *Sacerdotij dignitas.* LIBERALITAS concessi in Euangelica lege Sacerdotij, nec vltra ad vnum aliquem locum, familiámque alligati, sed cum omnibus nationibus vbique communicati, tanta est, támque mirabilis, & præter multorum opinionem, etiam eorum ferè, qui ad eam euecti sunt dignitatem, vt meritò attentius inspici debeat, & seorsim explicari. Dignitas est legi gratiæ reseruata, nec ipsis olim concessa Patriarchis aut Prophetis, quantauis apud Deum gratia, meritisque præstarent; ac ne Angelis quidem aut Archangelis, purissimis licet, integerrimisque mentibus; imò neque Cherubinis, neque Seraphinis, quantacumque sint diuinorum mysteriorum cognitione, & aureo Charitatis ardore locupletes. Postremò ne ipsi quidem sanctissimæ Dei genitrici, Angelorum omnium, sanctorúmque reginæ; propter sexum huic ministerio minimè congruentem.

II. *Tam multis liberaliter collata.* Sed in eo vel maximè apparet diuina ista benignitas, quòd ad istam dignitatem non solis Apostolis, aut Euangelistis aditum patere voluit, aut magnis Ecclesiæ præsulibus, sanctitate ac doctrina præstantibus, sed sæpenumero ne vilia quidem capita repudiat. Denique ad eam irrepere permittit homines, neque moribus, neque doctrina commendatos; sed ignorantia & turpitudine vitæ dedecorantes & officij dignitatem, & ipsius Christi, cuius vices gerunt, autoritatem, atque maiestatem. Ad quam ille liberalitatem adactus est, ne quando fortasse deessent, qui Sacramentorum suorum thesauros numerosæ familiæ suæ dispensarent, si eorum potestas à scientia, vel probitate penderet. Summus ergo Pontifex, ac sacerdos Christus Dominus, viros elegit, quos sacerdotio decoraret, simúlque ad apicem ipsum dignitatis eueheret, atque potestatis. Geminam porrò illis largitus est potestatem, *cum potestate duplici.* alteram in illud ipsum corpus suum, quod ex vtero virginali eduxit; alteram in corpus mysticum ipsius, quod est Ecclesia.

III. *Altera in corpus suum naturale.* Et priorem quidem illam potestatem reliquit Ecclesiæ suæ, pridie quàm subiret supplicium crucis, quando se ipse speciebus panis & vini circumtectum, æterno patri prior obtulit, facta ingenti miraculo mutatione illarum naturarum in proprij corporis, sanguinisque substantiam, diuinæ personæ Verbi inseparabiliter coniunctam. *Luc. 22. 19.* Quod ipsum cùm iussisset fieri à discipulis suis, hoc ipso eandem illis communicauit potestatem, fecitque nouæ legis sacerdotes. Posterior in animabus à qualibet noxa emundandis posita est, sancti-

moniáque conferenda: ad quod prodigium sacerdos proximè concurrit, accepta diuinitus potestate verbis illis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur illis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis mancipia cacodæmonis in filios Dei conuertuntur.

Altera in mysticum. Ioan. 20. 23.

IV. *Mira sacerdotis potestas in Eucharistiam.*

Et vt à priore illa ducamus initiũ, quanta est, Deus immortalis! illa Sacerdotis potestas, vt mutas inanimásque res mortaliũ nutrimento destinatas, in viuam agni Dei naturam, eius videlicet corpus & sanguinem commutare possit, & quasi nouus creator, nouum illi esse tribuere, quod sacramẽtale vocant: noua illum veste quotidie induere, vel perquam tenui ac subtili circumtegere conopæo; atque ita illum hominũ potestati, voluntatiq; permittere. Magnum sane est solem ac lunam sua illa stadia in cœlo decurrentes, iubere subsistere, & habere obsequentes; magnum quoque retrogradum agere Iordanem in caput suum, aut virga mare diuidere, pérque medios vndarum vortices siccum iter præbere peditibus; magnum educere manna de cœlo, mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, aut denique in vitam reuocare defunctos; cedunt tamen hæc omnia illi, quam celebramus, potestati, quæ circa creatorem ipsum, non res creatas duntaxat, mirabilem exercet potestatem. Deut. 32. 13.

V. *Declaratur similibus, & sacramento accommodatur.*

Quid est enim conficere Eucharistiam, quàm iustitiæ solem humano arbitrio, sub panis specie retinere, vnde nusquam digrediatur, dum accidentia panis incorrupta subsistent. Hic nimirum, ô Christe optime maxime antiqua illa miracula, cum magna admirabilitatis accessione, roborasti. Minus enim mirum est liquidum elementum aëreo muro, ne quà diffluat, retineri pendens, quàm accidentia, sine vllo fundamento substantiæ subsistere ipsa per sese; Minus mirum est illum angelorum panem ex aëre deuocare in terram, quàm vnicum Dei filium de patris dextera deducere, panis ac vini tenuissima imagine obtectum, hominibus exhibere comedendum. Non magnum est educere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, id est aquam, quæ mellis instar dulcesceret, aut olei roboraret, & populum comitaretur, per diuersas Arabicæ solitudinis mansiones oberrantem, si cogitemus ipsum Dei filium deliciosissimum educi quodammodo de pane ad vocem non religiosissimi sacerdotis, & candida veste circunfusum, per altaria, vicos, ac plateas, in hac nostra peregrinatione traduci.

VI. *Dat nouum esse Deo.*

Non est opinor aliquid maius defuncto corpori restituere animam suam, ab eo paulo antè deiunctam, quàm modicum aliquid panis & vini animare; ita vt quod externa specie panis & vinum est, præterea nihil, intimè sit corpus & sanguis Christi Domini, viui ac spirantis, & mortuis vitam restituentis. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ*, vt ait Moses, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; animam scilicet, quæ isti ex argilla statuæ vitam & respirationem dedit, & factus est homo viuens, Hic sacerdos paululum sumit panis & vini, in quibus neque vita, Gen. 2. 7.

neque sensus aut motus, sed ea pauculis afflata verbis, mutat in corpus immortale secundi Adæ, & spiritu beatissimo animatum. Quid dici potest aut cogitari mirabilius, quàm Deum creatorem esse hominis, & hominem modo quodam creatorem Dei, dato illi nouo esse in sacramento?

VII. *Quámq; id gloriosum sit* Ioan.1.12.

O aquila Euangelistarum Ioannes Apostole, gloriosum tu quidem hominibus facinus prædicabas, cùm diceres Seruatorem venientem in hunc mundum potestatem dedisse iis, qui receperunt eum, filios Dei fieri; At ingeniosus hic, & liberalis amator, aliquid videtur excogitasse mirabilius, & magnificentius largiri voluisse, cùm dedit hominibus potestatem filium Dei facere, sacrosancta eius verba rite, legitiméque vsurpantibus: idque non semel, aut iterum totius vitæ decursu, quæ esset gratia vel ipsa morte redimenda, sed quotiescumque collibitum esset sacerdoti; *Et quotiescunque feceritis*, obligata fide se, in ipso articulo temporis, perpetuo adfuturum, voci famuli sui obtemperantem, & quidem famuli aliquando scelestissimi; quòd huius efficacitas potestatis, non à vita, moribúsve sacerdotis, sed à Christi Domini institutione pendeat.

1. Cor. 11. 25. 26.

VIII. *Et vtile sacerdoti.*

Summa profectò est hæc potestas, si quis rem illi subiectam æstimet, sed ipsi quoque sacerdoti maximo est emolumento; habet enim vnde summo Deum honore afficiat, supremóque cultu, vnde toti Ecclesiæ Dei, sibique ipsi sit maximopere fructuosus. Ista enim liberalitate ita locupletatur, vt de cœlo, terra, inferis, ipsóque Deo quodammodo bene mereri possit. Nihil enim est quod ad maiorem diuinæ maiestatis gloriam redundare possit, quàm eam dignam censere sacrificio corporis, sanguinisque θεανθρώπου dignam, quæ impensa talis holocausti propitia fiat, fauénsque mortalibus; dignam cuius honori violato satisfiat oblatione personæ diuinæ, & incarnati Verbi, quòd in speciebus quibus obtegitur frangatur, consumatur, & pene redigatur in nihilum. Quænam crimina, si accumulentur omnia, quæ vnquam ab hominibus, angelisque perpetrata sunt, tali oblatione non cumulatissimè repensentur? fiántque sicut aquæ gutta, cum totius oceani immensa vastitate comparata?

Gloriosum ipsi Deo.

IX. *Et Ecclesiæ salutare.*

Fieríne potest vt tali tantoque muneri aliquid in cœlo negetur, quod sit salutare postulanti? Præsertim diuinus amor, qui clauis est reliquorum donorum. Eximius enim amor, quo se ipse donat qui offertur à Sacerdote, non nisi altero amore rependi potest. Hinc autem facilè intelligi potest, quàm vtilis sit sacerdos toti Ecclesiæ Dei. Illi primùm quæ beatitudine fruitur. Cùm enim diuina hæc hostia supremæ maiestati, ad honorem sancti alicuius offertur, præstanti quadam lætitia afficitur, quòd per occasionem suam Deus tam gloriosè colatur, atque honoretur, sic vt ei propheticum illud dicere possit, *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor*, causa videlicet aut occasio factus es

tam triumphanti,

Isa. 49. 3.

cur ego glorificer tanto ſacrificio filij mei dilectiſſimi, atque honoratiſſimi.

Iam quod ad illos attinet, qui verſantur in terra, quibus opem ferre fas eſt, nemo facilè explicet quantum ſit illis à Sacerdote præſidium. Dum enim pro aliquibus ſacrificatur, vtique ab ira Dei proteguntur, & veræ pœnitentiæ ſpiritum Deo miſerante recipiunt, vt peccata, de quibus dolent, deleant, & pro iis diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciant, gratiæ incrementa capiant, & copiam ſpiritalium bonorum. In rebus etiam aduerſis aut effugium inueniunt, aut vires ad eas fortiter tolerandas, vincendáſque. Qui autem ad illam pertinent Eccleſiæ partem, quæ expiatoriis ſub terra vexatur pœnis, faciente pro eis ſacerdote, ſubleuantur paulatim, pro menſura ſatisfactionis, quam Deus vnicuique ſacrificio aſſignauit, tandémque penitus liberantur. Interim conſolatione aliqua in medio fornacis, quaſi vento roris flante refrigerantur, aut quaſi cibo potúque ſuauiſſimo in acerbiſſima fame ſitique reficiuntur, aut vulnerum ſuorum quaſi ſalutifero balſamo curationem recipiunt. X. *quàm militantis, & patientis,*

In ipſam quoque ſacerdotis perſonam redundat in primis diuina iſta liberalitas, quando tota iſta poteſtas, ipſi honori eſt, delectationi, & emolumento. Sed, vt cætera miſſa faciamus, quot ille quotidie nobiliſſimarum virtutum actus exercere ſacrificando poteſt? Principio fidei, dum quod ſenſus omnes panem eſſe duntaxat, vinúmque nunciant, credit eſſe corpus animatum & viuens: glorioſum quoque, & impatibile, quamuis in illis quibus tegitur accidentibus confringatur, denique in membra ſingula externa internáque diſtinctum, quamuis nulla ſit in alterutra ſpecie, vt pote homogeneis partium dictinctio, idque vi quatuor verborum, quæ pro arbitrio ipſe protulerit. Spei quoque actiones eliciet beatæ vitæ in cœlis obtinendæ, ab eo, cui in terris toties nouum eſſe in ſacramento dederit, cuius interuentu ſæpius dilectas ſibi animas adierit, & in cordium ſibi conſecratorum poſſeſſionem venerit. Chriſti ergo interuentu, veniet ipſe aliquando in beatam fruitionem Dei. XI. *Sacerdos multos virtutum actus exercet ſacrificando, fidei, Spei.*

Inſitus eſt nobis à natura amor n[illegible]ri, & eorum quæ ad nos pertinent, eóque maior quo iſta vel maiora ſunt, vel nos propiùs attingunt. Itaque ſacerdos ſingulares quotidie poteſt exercere charitatis actus erga Dominum ſuum, ſed nouo quodam modo ſuum, cui eſſe nouum in ſacramento dederit, & peculiari quodam iure illi dicere, *Dominus meus, & Deus meus.* Quanto cum amore ſeruire poteſt amori Domini ſui, qui ipſius vtitur manu, vt dilectas famulorum famularumque ſuarum animas inuiſat. Quantum habet incitamentum, vt magno cum ardore charitatis offerat Deo hoc holocauſtũ, quod ipſum per ſeſe immẽſo flagrat ardore charitatis? Quanto cum affectu amorem ſuum coniunget amori regis ſui XII. *Et maximè charitatis.*

quem nouit summa delectatione affici, dum patri suo offertur pro amicis suis, & eum offert patri studio bene merendi de filio; & ipsius memoriæ
Luc.22.19. renouandæ, qui iussit idipsum fieri in sui commemorationem. Omitto eximias cæterarum virtutum actiones, vt obedientiæ, religionis, demissionis animi, ne in tam vbere materia, latius quàm par sit, fundatur oratio mea.

CAPVT XXIV.

De potestate iustitiæ, & gratiæ peccatoribus per eundem sacerdotem restituendæ.

I. *Altera Sacerdotis potestas in Christi corpus mysticũ.*

TRANSEO nunc ad alterum caput diuinæ aduersus Sacerdotem liberalitatis, illius inquam boni pastoris, & Episcopi animarum, qui Sacerdotem medicum esse voluit, iudicémque gratiosum mystici corporis sui, quod est Ecclesia, ad sanctitatem, iustitiam, atque innocentiam illi tribuendam. Itaque in tam illustre negotium libenter suam omnem curam operámque confert, omnem impendit industriam, memor zeli animarum, quo Seruator ipse feruebat. Hunc itaque zelum in eius gratiam liberaliter exercet docendo, concionando, exhortando, visitando, monendo, communicando cum proximis; maximè autem salutare pœnitentiæ sacramentum administrando, quo vno maximè vniuersum mundum sibi reddit obligatum, quippe qui se peccatorem quotidie
1.Ioan.1.8. fatetur, nec negare potest, nisi se ipse decipiat, ac mẽtiatur. Agnoscit ergo & indigentem remedij, quod Seruator vni commisit Sacerdoti. Omnibus igitur necessaria est opera eius. Etsi enim legitimus dolor de peccatis illa delet, & reconciliat hominem Deo; necessarium tamen est vt absolutio sacerdotis accedat, si quo modo possit obtineri, eique, vt peccator ipse culpas suas rite fateatur; alioqui neque vtilis, neque legitimus fuerit ille dolor.

II. *Quàm necessaria sit.*

Quod si Ecclesiæ deesset hoc remedium, nec spes reconciliationis & diuinæ misericordiæ vlla esset, miseri mortales desperatione fracti, in omnium se voraginem scelerum præcipites darent: omnia sola terrarum referta essent prædonibus, & omnia maria piratis, carceres sicariis, & syluæ latronibus redundarent, templa in speluncas, & ciuium ædes in luparum lustra verterentur: mortales denique sub humana specie dæmones censeri possent, aut cum ipsis de improbitate certarent. Quales plerique olim reperiebantur inter Ethnicos, malo dæmone tyrannidem impotentissimam per viros principes in mortales exercente, quales nunc Turcæ, Athei, & nonnulli hæretici viuunt, nisi maiore quapiam vi à sceleribus abstrahantur.
Psal.13.1. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*, ait Dauid, *non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Sed tu hisce prouidisti

disti malis; ô diuina sapientia, meritorum tuorum thesauro in Ecclesia constituto, illius clauibus in manibus sacerdotum liberalissimè depositis, vt quouis loco ac tempore reconciliandis peccatoribus præstò esse possent.

Peccatoribus, inquam, quantumcumque perditis, ac desperatis. Sumamus enim vnũ aliquem istorum in extrema vitæ periodo constitutum, qui decem millia talentûm diuinæ iustitiæ debeat, tot catenis à dæmone, quot sceleribꝰ, ipsos quinquaginta annos perpetratis, teneatur adstrictus. Imminet infelici Iudex, ad fulmẽ diuinæ maledictionis in ipsius caput intorquendum paratus: reus tot tantorúmque criminum conuictus exalbescit metu, tantique mali discrimine totis artubus contremiscit. Videt infernum, vt ait Esaias, dilatantem animam suam, & aperientem os suum absque vllo termino, & dæmones ad eum in medios flammarum globos deturbandum expeditos, eíque interim insultantes, dum angeli ipsi de tam luctuosa catastrophe trepidant. Nihil habet in cœlo, aut in terra quò confugiat infelix, omnia illi clausa, omnia surda, omnia votis imperuia, atque impenetrabilia. Essent quoque penitus conclamata, nisi forte perquam felici sacerdos adesset, cuius ex ore pendet tam tragicum iudicium, qui desperatione afflictum, ad spem in diuina misericordia erigit atque exsuscitat, gemitum elicit, & duobus absolutionis verbis dirigit in viam pacis. Lætificat angelos, dæmones luctu afficit, iudicem in parentem, reum in filium, & omnium bonorum egentissimum, in regni cœlestis hæredem conuertit. O Deum immortalem, quàm prodigus es bonorum tuorum!

III Grauissimis præsertim peccatoribus

Ca. 5. 14.

commutatione mirabili.

Verùm non perpetua est, inquam, ista profusio, ac ne frequentes quidem istæ victoriæ. Sceleratam enim vitam mors infausta comitatur. Notum est enim illud Dauidis, *Mors peccatorum pessima.* Et contra, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Rectè tu ista quidem, ait Liberalis Amor. Nunquam tamen meliorum desperatione frangi par est, dum spiritum istum ducimus; dummodo & præterita ex animo lugeamus, & fortiter ad meliora connitamur. Ideóque permittit Dominus aliquos ex ipsis Tartaris faucibus euadere, vt aditus desperationi præcludatur. Et contrà plerosque patitur eo rerum statu perire, ne quis temeraria expectatione deludatur. Videàmus ergo quid ferat consueta Dei misericordia, cuius moderator & minister est Sacerdos.

IV. AVTOR. *Et ordinaria reconciliatione pœnitentium.*

Psal. 33. 22. & 115. 15.

Quantum obsecro beneficium confert pœnitenti Sacerdos, quem mœstum, timidum, ac pudore turbatum videt venientem ad se, excipítque paterna beneuolentia, audit, iuuat, dirigit in accusatione suscepta: tum suorum illi peccatorum grauitatem ostendit, ad eáque deploranda ac detestanda excitat, eúmque mouet ad Dei erga se patientiam admirandam. Docet enim plerosque nunc ardere in inferis, & incredibilibus suppliciis lacerari, qui minora peccarint, ipsum nihilominus præ cæteris ei cladi ereptum esse; cúmque illi tam amabilem Dei faciem nun-

V. *Quem eis sensum procuret.*

quam sint visuri, ipsum tamen à tanta clade immunem fore, si serio resipiscere velit, & ad castra pœnitentiæ transire. Quibus ille prouocatus, euangelicum illum prodigum imitatur, & quanto potest cordis affectu, in genua prouolutus, ante imaginem crucifixi, lacrymantibus oculis, pectúsque tundens ait, *Pater peccaui in cœlum, & coram te.*

VI. *Quámque supplicem orationem.* O pater sanctissime atque optime, pater clementissime, miserere improbissimi huius filij tui, quamuis tam præstanti nomine, multóque magis conditione, ac tractatione indignissimi; sim apud te instar mercenarij, aut nequissimi mancipij, modò sim apud te. Ne respicias quid mereatur magna miseria mea, sed quid conueniat magnæ misericordiæ tuæ, qua nisi erga me vti voluisses, neque me tandiu miserè deerrantem expectasses, neque reuertentem ad te tanta, támque paterna suauitate complectereris. Cùm ergo Sacerdos hæc aut his similia verba peccatori, & sensa suggesserit, is qui admirabili transformatione panem & vinum in Iesu Christi corpus & sanguinem mutat, hic sontem in sanctum conuertit, mancipium Satanæ in filium Dei, & æternorum suppliciorum reum, in heredem felicitatis æternæ. *Quanta in eis fiat mutatio.* Quin etiam prodigo isti prioris vitæ merita restituit, & peccato mortificata, superueniente gratia reuocat ad vitam: odium Dei, in odium peccati; amorem carnis & sanguinis, in amorem piacularium pœnarum à seipso expetendarum, studium mendacij ac vanitatis, in iustitiæ curam veritatísque conuertit. O mutatio non solùm dexteræ excelsi, sed industriæ quoque, charitatis, & potentiæ sacerdotalis!

VII. *Quàm gratum Deo famulatum exhibeat.* Eam potestatem Deus ipse bene collocatam putat, quando eam videt sibi quoque ipsi aliquo modo fructuosam. Minimè quidem dubium est illud Dauidis elogium, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 15. 2. Quia tamen constat eum esse patrem, quòd quotidie ipsius institutione formati profitemur, quomodo eum non censeamus lætari, recuperando dudum perditos filios suos, & cum parabolico illo patrefamilias dicere, *Epulari & gaudere oportebat, quia hic* filius meus *mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Luc 15. 32. Fieri nequit quin gratam habeat lætitiam angelorum *super vno peccatore pœnitentiam agente*, & suum cœlo ciuem restituente. Non potest non eximio amore prosequi sacerdotem, qui quantum in se est, non patitur diuinum illum filij sui sanguinem frustra pro salute peccatorum effusum; qui pretiosam prædam de Satanæ faucibus eripit, oráque obstruit, quæ maledicta in Deum, cælitésque continenter effunderent; qui execrandas voces in gratissimos hymnos commutat, spem omnem dæmonum irritam reddit, & inanes conatus. Atque ita liberalitas à Deo facta sacerdoti, in eius gloriam cedit, & salutem filiorum eius.

CAPVT XXV.

Liberalitas, qua se Deus hominibus dedidit, factus homo.

SI quando rusticanis hominibus diuina prouidentia contigerit facilis herus, commodisque moribus, qui pagos eorum non solùm ab itionibus & reditionibus militaribus liberos seruet, sed à tributis etiam, cæterisque oneribus reddat immunes, nec ab eis iure clientelæ vectigales operas crebro exprimat: Non habent vtique quo se gratos tam liberali Domino exhibere possint, nedum pari par referant; præsertim si vineas, agrósque suos, si prata, syluas, atque viridaria colenda eis curandáque vilissimo pretio committat. Quod si præterea Dominum se oblitus, illorum etiam in rebus arduis se addiceret seruituti, quid possent pagani isti, si quo modo id ferre possent, facere, dicere, cogitare, quo tam insignem, tam extraoadinariam, & inauditam gratiam repensarent? Nullum profectò finem facerent gratiarum agendarum, nullum tam insignem Domini sui bonitatem prædicandi modum tenere possent, omnibus eam domesticis & cognatis, amicis, vicinis, necessariis, omnibus obuiis notis ignotisque commendarent: denique in offerendo vicissim famulatu suo, fortunis, corporibus, ipsáque vita, amabilem quotidie importunitatem adhiberent.

I. *Simile ad excusandam lõgitudinem.*

Tam felix hominum sors in hac vita fuit, támque fortunata conditio, vt Dominum nanciscerentur longè optimum, ac liberalissimum: qui non solùm subditos suos tributis, vectigalibus, cæterisque oneribus non opprimeret, sed qui eis terras omnes & maria, & quæcumque in amplissima hac rerum vniuersitate latifundia possidet, liberalissimè largiretur, nullo alio pacto reditu prædiorum, nulla cæterorum bonorum mercede, aut vectigali, quam amoris intimi ac singularis, cum suorum obseruatione mandatorum, quam amor ipse perfacilem reddit, atque expeditam: quo tandem modo par est eos tantam rependere, aut remunerari liberalitatem? præsertim cùm ne suæ quidem personæ pepercerit tantus princeps, sed eam multiplici hominum subiecerit seruituti; num debent in tanta bonitate ac magnificentia deprædicanda fatigari? Nemo igitur miretur latiùs fundi nostram hanc de diuina liberalitate disputationem. Verbis saltem agnoscenda & celebranda sunt principis nostri beneficia; nihil in eius laude nimium esse potest. Gratias agat lingua perpetuas, habeat animus quæ superent omnem modum. Imitemur Dauidem, & Danielis socios in fornace, omnes res creatas inuitando ad laudandum Deum, ob eam præsertim beneficentiam, qua seipsum dedit nobis, de qua deinceps nobis agendum est.

II. *Proposito applicatur.*

III. *S. Paulini liberalitas.* Nobilissimum S. Paulini Episcopi Nolani facinus perpetua bonos omnes iucundáque recordatione reficiet, & gloria liberalitatis eius æquabit omnes annos consequentes, quod post effusa omnia bona sua, pauperum necessitatibus subleuandis, adeò vt de locupletissimo factus esset egentissimus, cùm quid vltra daret non haberet, homini barbaro se ipse vendidit, vt pauperis viduæ filium seruitute liberaret. Poterat vtique Seruator eodem se modo gerere cum ipso, quo cum magno Ioanne Alexandrino Patriarcha, cum quo ita beneficentia ac liberalitate certauit, vt quo ille se pauperiorem, de omnibus bene merendo efficere conabatur, hoc eum ille redderet in dies locupletiorem. Quo modo si Dominus se cum Paulino gessisset, tam liberalis animus ignotus mundo fuisset, nec tam eximia virtus barbaro illuxisset loco, neque promerita esset tot Nolanorum ciuium libertatem, qui in Africa miseram seruiebant seruitutem.

IV. *Dominica imitatrix.* 2. Cor. 8. 9. Imitatus est Sanctus hic antistes Dominum ac Seruatorem suum, qui vt ait Apostolus, propter homines egenus factus est, cùm esset diues, vt eos sua inopia locupletaret. Sed in eo maximè illum imitatus est, quòd cùm is hæc vniuersa quæ condidit, in multiplicem hominis vsum destinasset, nec haberet vltra sub cœlo quod daret, ad eorum libertatem
Philip. 2. 7. 8. promerendam, vltro se ipse mancipauit seruituti. *Exinaniuit* enim *semetipsum*, vt ait idem Apostolus, *formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* Denique factus homo progressus est vlteriùs. Ab-
Rom. 8. 32. iecit enim se, Patri obediens vsque ad mortem, atque adeò vsque ad supplicium crucis. Neque enim filio suo pepercit pater ille misericordiarum, sed in communem hominum salutem tradidit eum, & quidem populo immanitate barbaro, & longè ingratissimo, à quo peius acceptus est, quàm vile improbúmque mancipium. Sed Deus exaltauit illum, & in eius gratiam homines, vera peccati mancipia, in libertatem vindicauit.

V. *Triplex Dei in homines liberalitas.* 1. Cor 3. 22. 23. Itaque triplici nos Deus liberalitate obstrictos tenet: in quarum prima liberalem egit Dominum, planéque magnificum, tanta homini rerum copia, in hoc suo aspectabili regno, concessa. Quid copiam dico, cùm liceat audire Apostolum, *Omnia*, inquit, *vestra sunt*, vobis scilicet condita, conseruata, tradita, *siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* In altera liberalitate, se ostendit patrem, & quidem longè, quàm cæteri parentes magnificentiorē, vt qui nobis ea dederit omnia quibus constamus, corpus & animum, & quæcunque vtrumque consequuntur, internos externósque sensus & facultates, cum earum organis, industria mirabili, atque artificio elaboratis: addita diuinitatis imagine, eiúsque legataria functione, quo modo filius repræsentat parentem. In tertia dum semetipsum dedit, sponsum se amantissimum exhibuit, & quidem interiore etiam modo. Interius enim se dat

anima corpori ad constituendum hominem, quàm sponsus sponsæ: filius autem Dei interius se humanæ naturæ dedit, ad Christi compositionem, quàm anima corpori ad conflandum indiuiduum humanæ naturæ.

Verùm quia huic primariæ maximæque donationi, multæ aliæ subiectæ sunt; (Visus est enim liberalissimus princeps operam dare voluisse, vt se quibuscumque modis posset hominibus largiretur) de ipsis vt ordine quodam breuiter disseramus, eam primùm donationem contemplemur, qua *formam serui accepit, & in similitudinem hominum factus est*, vt fieret eorum Redemptor, & Seruator; tum vt exemplis verbisque eorumdem doctorē ageret & magistrum. Deinde vt eisdem adoptandis in filios fieret parens: vt cibus & sacrificium, sacrosancta Eucharistia instituenda; vt pretium in atrocibus pro eis suppliciis, probrosâque morte subeunda. Denique vt præmium, in regno beatissimæ perennitatis, Proh quantæ hîc opes! quanta immensi amoris argumenta! Quis speret se aliquid de iis posse dicere, quòd ad talium prodigiorum dignitatem accedat? Quis possit tantarum liberalitarum pretium pro meritis æstimare? Equidem non ignoro hæc audita sæpiùs, & dicta à viris pietate atque eruditione præstantibus; tamen conducere arbitror, talibus aures hominum vocibus vndique circunsonare, aut eorum certè memoriam nunquam ex eorum mentibus emigrare. Et fortè Seruatoris nostri bonitas, quæ sui ipsius prodiga fuit, liberalis etiam in nos esse dignabitur, dum eam celebrabimus liberalitatem; & menti ac linguæ suggeret quæ libenter audiantur.

VI. Et multiplex sui ipsius donatio.

Capita futura dispensationis.

CAPVT XXVI.

Christi Domini in assumenda humana natura liberalitas.

IN eo primùm posita est misericors ista Dei liberalitas, quòd vniuerso hominum genere, per primi culpam, ex florentissimo statu in miserrimum collapso, ex gratiæ statu & Charitatis, ingenitæ iustitiæ, & innocentiæ, in odij & peccati, miseriæ & perduellionis conditionē infelicem, Deus ipse per sese remedium illi afferre dignatus est. Vidit conditionem humanam mirum in modum perturbatam, & perniciosam eius propensionem in malum; qua fiebat, vt ex peccato in peccatum, cum maiore subinde culpæ incremento corrueret, errores erroribus, dolores doloribus, ad mortem vsque accumularet. Vidit, inquam, propensionem illam vsque adeò violentam, excusso rationis iugo, & peculiari Dei erga iustos prouidentia deperdita, vt non nisi à diuina potentia cohiberi, ac retineri posset. Nec violentam solùm vidit, sed furiosam, sed inueteratam, sed in omne hominum genus effusam, & quæ cura-

I. Status hominis post peccatum.

tionem omnem, præterquam vnius diuinæ manus, planè respueret.

II. *Deum solum eius miseria opem ferre potuisse.* Deus igitur, clementissima sua bonitate incitatus, liberalique misericordia, statuit hominem ex suis ereptum malis, meliore conditione, & gratia abundantiore donare, vt maiorem aliquando gloriam consequeretur. Id nec satis conuenienter suscipi, neque vtiliter perfici poterat, nisi vna ex parte diuinæ iustitiæ ab homine violatæ ex æquo satisfieret, ex altera inexhaustus meritorum thesaurus construeretur, vnde toties satisfactio peteretur, quoties hominem in peccatum labi, pro sua imbecillitate contingeret. Parum enim profuisset Dei cum homine gratiam redintegrari, nisi prouisum esset prolapsionibus futuris, quibus collectam miser gratiam rursus effudisset. Neutrum autem fieri poterat à persona definitæ dignitatis ac meriti; imò necsi omnium hominum atque Angelorum merita, dignitásque in vnum confluerent. Nunquam enim ad necessariam infinitatem peruenirent, sine qua neque Deo summo iure satisfieri poterat, neque immensus parari meritorum thesaurus.

III. *Et incarnatione tulisse.* Itaque diuina sapientia rationem excogitauit & viam, qua vtrumque cumulatè perficeretur, humanam sibi assumendo naturam, bonitate ac liberalitate mirabili, in gratiam hominum & gloriam Dei. Nisi enim Seruator fuisset Deus, Deo dignam satisfactionem, & eius infinitæ maiestati æqualem exhibere nequiuisset, neque thesaurum illum in Ecclesia sua constituere, qui peccatis omnium seculorum, omniúmque mortalium abluendis abundè sufficeret, atque infinitè superaret. Nisi autem homo fuisset, neque satisfacere poterat, nec mereri, neque hominibus præbere exempla sanctitatis, & virtutum maximarum. Itaque & illa satisfactio, & iste thesaurus ab humanitate est, sed infinitas vtriusque à diuinitate proficiscitur, quæ illi in personæ vnitate coniuncta est. Quæ paucis verbis complexus est S. Leo, cùm diceret, *Nisi esset Deus, non afferret remedium; nisi esset homo, non praberet exemplum.*

IV. *Cum corpore mortali & patibili.* Quin ne poterat quidem satis conuenienter mereri, satisfacere, exempla præbere patientiæ, obedientiæ, demissionis animi, aliarúmque virtutum, in corpore, quod neque patibile esset, neque mortale, sed gloriosum, quale beatissimæ ipsius animæ congruebat, quali beatæ animæ induuntur in cœlis. Itaque famulare vestimentum accepit, corpus videlicet, quo cæterorum instar pati posset & mori, cæterisque humanæ naturæ infirmitatibus subiicere,
Philip. 2. 7. *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Qui enim aduersus ipsum omnia illa tormenta deprompserunt, quæ cruenta eorum malitia potuit excogitare, nunquam tantum facinus attentassent, nisi eum comedentem vidissent ac bibentem, dormientem, laborantem ac labore fatigatum, frigori obnoxium & calori, more mo-
1. Cor. 2. 8. dóque cæterorum. *Si enim cognouissent*, ait idem Apostolus, *nunquam*

Dominum gloriæ crucifixissent. Ac ne dæmon ipse satis eum cognosce-bat, cùm diceret, *Si Filius Dei es.* Itaque turpiter in eo deceptus est.

Est illud quidem commune rebus omnibus creatis, vt in seruis diuinæ maiestatis numerentur, summa quippe dominatione præditus est, vt iis quomodocumque libuerit abuti possit. Seruator tamen nominatim à patre seruus appellatur, sed singulari modo prorsus, propter eximium illi exhibitum in sua humanitate famulatum, eius honore gloriáque perfectissimè reparanda, cæterisque famulis summo suo cum labore communi Domino reconciliandis. *Ecce seruus meus*, ait apud Esaiam Pater æternus, *suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*, &c. Sed quid mirum vocari à patre seruum, qui hominum, id est famulorum suorum vltro factus est seruus? Ait enim apud eundem Prophetam, *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Et alibi, frustra se laborasse queritur, sine causa, & vanè fortitudinem suam consumpsisse, propter eorum videlicet paucitatem, quibus tantus labor, siue de Iudæis, siue de cæteris gentibus profuturus esset.

V. *Seruus Dei dicitur singulari modo.*

ca.42.1. *Imò factus est seruus hominum.*

c.43.24. c.49.4.

CAPVT XXVII.

Dei Verbum in aßumpta humanitate instar mancipij se geßisse.

CVM itaque liberalis illa Sapientia serui habitum formámque suscepisset, officio serui probè functus est, non dico famuli, qui diurnam aut menstruam operam suam hero condicta mercede locat, sed mancipij, quod nullo suo emolumento Domino seruit, eiúsque vnius commodis inuigilat. Omnes enim Christi Domini labores, ærumnæ, dedecora, cruciatus, ipsáque sæuissima mors, non ad eius vtilitatem, aut fructum; sed ad hominem sanandum, meritisque locupletandum valuere. O admirabilem liberalitatem! Data hominibus persona propria, magnificentiæ suæ minus satisfactum putauit, nisi eam vilissimis officiis, & contemptissima mancipiorum conditione manciparet. Itaque rectè ipsi congruit Salomonis illa vox, *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tu autem ô liberalissime amator animarum, etiam substantiæ tuæ factus es prodigus, immemor dignitatis tuæ, oblitus maiestatis. Prò quanti fecisti Rachelem tuam, ô magne Iacob, qui eius gratia tot annos vitæ famularis, tot ærumnas atque cruciatus, quasi nihilum despexisti?

I. *Christus instar mancipij se gessit.*

Gen.29.20

II. *Seruilis conditionis incommoda quædam.* Reuocant mihi hæc in mentem alia damna seruilis conditionis, quæ non ineptè accommodari possunt Seruatori. Si enim serui conditio contra naturam est, quam Deus liberam condidit, multò magis seruitus pugnat cum natura Christi Domini, qui regio satus sanguine, habet etiam singulari modò parentem Deum, cui naturaliter dominari conuenit, & omnia sibi habere subiecta: idémque secundum Deum regibus conuenit, qui Dei vices in terris gerunt. De illo nihilominùs, ait Pater, *Ecce seruus meus, suscipiam eum.* Mancipia væneunt pecudum instar numerata pecunia. Nec mirum, cùm Philosophus sentiat seruorum & animantium mutarum vsum, parum admodum inter se differre, quòd ab vtrisque ad res necessarias adiumenta corpore afferantur. Antiquæ etiam leges seruos quadrupedibus exæquant. Quæ Seneca damnans, *Alia*, inquit, *crudelia & inhumana prætereo, quòd nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur.* Rex æternæ gloriæ non solùm redemptus est quinque siclis, sed tanquam vile mancipium à plagiario proditore venditus est triginta argenteis.

Esa. 42.1. | Arist. l. 1. de Rep. c. 5. | l. 11 ad l. Aquil. | Epist. 47.

III. *Christo accommodatur* Seruus nihil habet proprium & suum, sed omnium egentissimus est, nec magis videtur Dominij particeps, quàm mutæ pecudes; infra quas etiam Christus abiecit paupertatem suam, cùm diceret, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Et certè ne stabulum quidem habuit suum, in quo nasceretur, aut præsepè, in quo eum reclinaret mater; sed ea, vt ita dicam, ab asinis & bobus mutuatus est. Mancipia durè, hoc est seruilem in modum tractantur ab heris. *Nolo*, inquit Seneca, *de vsu seruorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, ac contumeliosissimi sumus.* Itaque leuia sæpè eorum delicta flagellis & compedibus expiabantur; aut cruce etiam, si ferox, & iracundus herus contigisset. Christus Dominus, post ingentia promerita, non liberorum saltem pœnis, virgis & gladio affectus est, sed flagellis & cruce seruulorum.

Matt. 8.20. | Epist. 47.

IV. *Eius rei admirabilitas simili declaratur.* Quis igitur, ad hæc diuinæ liberalitatis prodigia non obstupescat? Quis quæso mentes mortalium stupor occuparet, si maximi imperij vnicus heres, sapientia, bonitate, & liberalitate præstans; heroïca fortitudine, & specie digna imperio præditus, cæterisque dotibus, quæ florentem principis ætatem commendare possunt. Si hic, inquam, hæres ex aula subduceret sese, in gratiam vinitoris cuiusdam, & mutata veste, rusticano cultu, se illius famulatui addiceret, noctes diésque operi intentus hæreret, & vt ille Patriarcha, æstu vreretur & gelu, & nihilominus nullum ad se laborum suorum emolumentum deriuari pateretur, sed heri beneuolentia contentus, omnia in ipsius vtilitatem refunderet, omnes profectò vulgò arguerent magnæ imprudentiæ tam disparem amicitiam, aut certè dicerent, eam alibi conuenientiùs coalescere potuisse.

Gen. 31.40.

V. Quantò hìc maius occurrit admirationis argumentum, cùm intelligimus

gimus Christum filium Dei viui, in quo repositi sunt omnes thesauri sapientiæ, potentiæ, & bonitatis Dei; gratiosissimum illud prædestinatorum caput, illum hominum atque Angelorum principem, illud omnium diuinarum atque humanarum perfectionum absolutissimum exemplar, humanam naturam induisse, vt cum hominibus versari posset, & notas audire & reddere voces; nec dubitasse tantam illam maiestatem vilissimæ addicere seruituti, & quæ legibus omnibus libera & soluta est, imperiis humanis subiicere sese; adeóque illi paterno mandato, quo atrocissimam ac probrosissimam mortem subire iubebatur, & immortalitatem cum morte commutare, sine vllo suo emolumento; quæ mens tam singularem amorem pro meritis æstimare possit? aut satis idoneam excogitare causam, cur amorem illum aduersus terrigenas istos, terræque cultores, quàm aduersus illos nobilissimos cœli ciues maluerit impendere; & Angelicæ naturæ sibi propiori antetulerit humanam? *Aptatur proposito argumento.*

Si quem audierimus aliquando virum principem tanta calamitate affectum, vt de ipso rerum humanarum fastigio deiectus, seruus factus sit inimici sui, qui humanos casus æstimare nesciat, neque prosperitatem moderatè ferre, miseratione tangimur, quamuis illa pernicies, in pœnā scelerum eius fortasse contigerit; neque sine aliquo humanitatis sensu legimus Turcarum imperatorem Baiazetum coactum, sub mensa Tamerlani victoris, ciborum reliquiis canum more victitare, aut dorsum, aurea quondam chlamyde conuestitum, instar subsellij præbere ad ascēdendum in equum. Mouent & illi septuaginta reges, qui manuum ac pedum summitatibus crudeliter amputatis, colligebant sub mensa Adonibezeci reliquias ciborum. Quomodo igitur ille cœli princeps viscera nostra commiseratione non frangat, quem de solio regio deiectum quodammodo, in stabulo ac præsepi abiectum ac lacrymantem, nulla sua culpa, sed summo nostri amore cernimus? VI. *Et illustratur exēplis.* Iud. 1 7.

Magnum illum Herculem ridiculè finxerunt poëtæ, factum stabularium famulum in Augiæ regis palatio: & ipsum Apollinem Admeti gregibus præpositum pastorem. Vide igitur vt Christus Dominus ridendi materiam præparauit incredulis; vide quantum vanitatem fabularum veritas ipsa transcendat, vtque Seruator tā effusè sui prodigus fuerit, vt amoris immensitate superauerit, quod homines stultitiæ magnitudine finxerunt. Quale fuit spectaculum subditorum magni Nabuchodonosoris, cùm viderunt regem suum ex hominum consortio eiectum, *sed & cor eius*, vt ait Propheta, *cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio eius, fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est.* Nónne admirabilius spectaculum fuit Angelis Dei, cernere principem infinitæ maiestatis, vagientem in cunis infantulum, imò in olida spelunca effusum in lucem, & depositum in præsepi, & ibi, in fœno iacentem & palea, instar agniculi somnum capere? VII. *Alia in eandem rem exempla.* Dan. 5. 21.

VIII. *Eadem similibus augetur.* Pecora ab hominibus non admodum distare videntur, cùm constet, vtrosque eodem genere contineri; sed Deum inter & hominem, rem creatam eiúsque conditorem, finitum & infinitum, infinita distantia est. Deum fieri hominem, vt hominum commodis seruiat & saluti, nónne tantum est prodigium, nullum vt ei par esse possit? Quid animo capimus cùm hominem dicimus, aut cùm dicimus Deum? Aurúmne verti in terram, lutum, puluerem! Solem in plumbi laminam, Lunam in orbem ligneum, Verbum Dei, quòd cœlos reddit eloquentes, mutum fieri! diuinam sapientiam elinguem, magnitudinem eius, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam*, ad infantuli modum, morémque decurtari atque constringi! Cessit imbecillitati potentia, æternitas tempori, morti immortalitas: infinitus atque immensus, certis humanitatis finibus circunscriptus est: Dominus denique & magister omnium, non recusat omnibus famulari.

IX. *Colloquium cum incarnato Verbo.* Sed liceat mihi obsecro, paucis colloqui tecum, ô magne in exiguo corpusculo princeps, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis est, sicut & facies tua decora. Quo igitur intendebas animum, ô diuine puer, cùm hominem indueres? an id spectabas, vt fieres in homines liberalis? cùm illi potiùs in te liberales extitisse videantur, ista tibi natura humana perlibenter concessa. Accepi quidem, inquit, ab humano genere humanitatem, aut eam potiùs assumpsi mihi; nihil tamen accepi, quòd iampridem multis nominibus non esset meum. Homines nihilominus ipsam diuinam naturam cum persona Verbi vicissim acceperunt, sic vt persona ipsa Verbi humanitati copulata, propria fieret humanitatis, sicut hominis anima corporis est, illúdque sibi vicissim vendicat tanquam proprium & suum. Et suppleta corporis animique subsistentia, tres naturas diuinam Verbi, spiritalem animæ, corporisque corpoream, in vnam Christi personam collegi. Statimque in istam humanitatem effusæ sunt omnes spiritales diuitiæ, quas habet Pater in thesauris suis, eóque abundantiùs quàm cæteris, quo mihi propius cæteris iuncta erat.

X. *Eiusque varia consilia in eo mysterio.* Studebam experientia ipsa discere mortalium infirmitatem, vt tantò faciliùs commiseratione tangerer, tantóque libentiùs illi opem ferrem. Cuius rei conscius Apostolus, *Non habemus*, inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato.* Id quoque spectabam, vt meas vobis lacrymas gemitúsque, quibus in cœlo carebam, largiri possem. Volebam vestram istam humilitatem ad tantam dignitatem excitare, vt Angeli ipsi naturæ suæ conditione præstantiores, vobis inuidere possent; non enim Deum feci Angelum, sed hominem, & vice versa hominem Deum. Cupiebam recuperare vobis, ac reddere ius hereditatis æternæ, de cuius possessione primi parentis vos culpa deturbarat, & simul vos ab æterni carceris, cui eratis addicti, asserere seruitute.

Heb. 4. 15.

Statuebam dare me socium peregrinationis vestræ, in eáque colloqui vobiscum ac consuescere, qui à vobis hactenus nec videri poteram, nec audiri: aut statuebam potiùs dare me istius viæ ducem, & portandis peccatorum vestrorum sarcinis baiulum. Illud denique spectabam, vt me vltro, meáque omnia prorsus impenderem, in certum miseriarum vestrarum, præsentissimúmque remediũ. O benignissimam, mi Seruator, planéque mirabilem liberalitatẽ tuam! Sed ineam obsecro vicissim hanc à te gratiã, si quo modo studiis hisce tuis respondere possim, vt te toto prorsus ex corde diligam. Ni fecero ingratissimus sim, & negotiis meis inconsultissimè prouidero, probro ac pœna dignus in omnẽ æternitatem. Quòd si abiecero me, exẽplo atque amore tuo paruus & humilis, si honori tuo, ac saluti animarũ studuero, cuius tu cupidus, téque bonáque tua largissimè profudisti; si consuetudinem tuam in sacrosancta Eucharistia, & oratione dilexero, qui meam tam beneuolè, constantérq; quæsiuisti, illud quoque liberaliter facturus es, vt cum Angelis tuis aliquando, in regno tuo, iucundissima consuetudine tua perfruar. XI. *Gratiarum actio.*

CAPVT XXVIII.

Vt se hominibus Seruator doctorem dederit, ac magistrum.

SAPIENTIA *abscondita*, inquit Sapiens, *& thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Diuina magnificentia & bonitas, æternam Verbi sapientiam hominibus, per humanæ naturæ assumptionem, dederat, sed, vt ait Apostolus, *absconditam in mysterio*, sed diuitias Christi, quæ inuestigari nequeunt, sed mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus. quasi in obscura laterna facem. Primùm in virgineo matris vtero nouem totis mensibus absconditam; deinde in stabulo fœnum inter & paleas, mutásque pecudes; tum fasciis ac pannis inuolutam, & in præsepi occultatam, móxque in superstitiosa Ægypti vanitate; denique inter iuga & aratra, cæterámque fabri lignarij supellectilem. Cui vnquam venisset in mentem, istis in locis atque opificiis, diuinam occultari sapientiam? nisi radios aliquos per rimulas vibrasset? Nimirum in Angelorum cantico, in stella fulgurante, & longinquos ad eam reges euocante, in Simeone & Anna eandem Sapientiam complectentibus in templo atque vulgantibus, in prolapsione idolorum, in admiratione doctorum. I. *Seruator fuit sapientia abscondita.* Eccl 20.32. & c.41.18. 1.Cor.2.7. Ephes.3.8.9 Colos.1.26.

Quid memorem mirabile illud octodecim annorum in illa officina silentium? Ecquod ex inuiso thesauro mortalibus emolumentum? Recordare Seruator inflatam à te olim propheticam illam tubam; *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam*, &c. Quamdiu pateris sapientiæ tuæ facem, sub II. *Qua manifestanda erat.* Luc.4.18. Esa.61.1.

modio humilitatis huius delitescere? Abeat aliquando tempus silentij, tempus occultatæ doctrinæ, & dissimulatæ maiestatis; Adest Propheta altissimi præcursor tuus, qui te mortalibus voce prodat, & manu, Agnum Dei, qui mundi peccatum excludat, atque exterminet. Quid iuuat infantulos insigne patrimonium, nisi illud Tutores curent, nisi à pædagogis regatur pueritia, adolescentia instituatur à magistris? Vtique pessum ibit hæreditas, & hæredes sponte sua pessimis moribus imbuentur. Satis est hanc sapientiam tota æternitate in sinu Patris fuisse absconditam: &ab exordio rerum, ipsis quadraginta seculis, non nisi rudi penicillo delineatam, in imagine apparuisse: nunc ipsa naturali Patris imagine in terra nobiscum habitante, quamdiu quasi personata conticescet, latebit, ignorabitur?

III. *Posita præsertim hominum ignorantia.*

Præsertim cùm à principio infelici sorte contigerit hominibus, vt in magistrum inciderent improbissimum, qui eorum mentem tenebris obscurauit, voluntatem peruerso sui amore imbuit, inferiores animi partes turbulentissimis motibus concitauit. Doctor ille, aut verius fraudator nefarius, omnem hanc rerum confusionem primus inuexit, primis illis humani generis autoribus in fraudem inductis, & curiosa sciendi cupiditate illectis, ad eum fructum degustandum, cuius esum conceptis verbis æternus legislator, & quidem mortis pœna proposita, prohibuerat. Fefellit autem spe proposita diuinæ similitudinis, quam ipse temerè paulò antè, atque ambitiosè affectarat. Ex ea lacuna excitata est tanta ignorantiæ nebula, vt totum terrarum orbem obtegeret, tam crassa verò, vt Ægyptiis, quæ contrectari poterant, conferri posset: nisi quòd Ægyptiæ tenebræ fuerunt triduanæ dumtaxat, istæ autem, de quibus agimus, vltra quatuor annorum millia mundū pene vniuersum sepultum obruerunt: & quòd in illis alter alterum cernere non poterat, in istis mortales neque Deum, quamuis omnium illustrissimum, neque seipsos, quamuis sibi proximos mortales cognoscerent.

IV. *Circa res diuinas, & propriam salutem,*

Maxima pars mortalium ignorabat cœli & terræ Conditorem, nec tantùm ingenio valebant, tam egregio mundi opere contemplando, tam magno, tam constanti, tam accuratè, & quasi ad circinum vndique dimenso, tanta partium singularum proportione coagmentato, vt eorum cogitationes euigilarent ad agnoscendam potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, granditatem, maiestatem, reliquásque Conditoris ipsius perfectiones. Plerique omnes, si pauculos excipias, ignorabant diuinam in mundi administratione prouidentiam, bonorum & malorum fines, præmiorum & suppliciorum æternitatem. Quin ne immortalitatem quidem animorum sciebant, aut scire cupiebant, vt alterius vitæ solicitudine periculisque defuncti, per omnem perditæ vitę licentiam, impunitatémq; decurrerent. Peccati malitiam primariam, quà videlicet Deum intuetur, ignorabant; nec pulchritudinem præcipuarum virtutum satis videbant, vt qui nonnul-

las, & nominatim animi demissionem, in vitio ponerent. Denique cùm viuendi regulam ac magistram haberent cæcam perturbationum cupiditatem, ab interioribus animi tenebris, ad externas inferorum corruebant.

Ecquis enim stupor ratione vtentium animalium fuit adorare, ac pro Deo colere res sensu animóque destitutas? solem, lunam, sydera, ignem, aquam, cætera elementa; quibus ipsi longè natura, multúmque præstabant: vel impios quondam atque immanes tyrannos, & in omnium flagitiorum cœno ac turpitudine volutatos, Iouem, Saturnum, Martem, Mercurium, Venerem, reliquámque deorum illorum cloacam, quorum turpitudinem celebrabant in templis, ridebant in theatris, imitabantur domi; séque gloriosos putabant fortasse, quòd propius ad Deorum suorum vitam, suam ipsi conformarent. Studium quoque grati erga bene meritos animi, transiit in crimen idololatriæ. Nam instar deorum aris colebantur & templis, qui vtile quidpiam hominibus inuenissent, vt Ceres, Bacchus, Apollo cum Musis suis, eísque statuas erigebant eximij artificij ac decoris, cum asyli iure; ex iisdem dæmones responsa dabant, secreta propalam vulgabant, futura subdolè prædicebant, sontes suppliciis eximebant, denique habebantur dij: & principes tenebrarum, tenebricoso imperio deceptos homines continebant. V. *Et propter cultum idolorum.*

Hoc igitur tam infelici rerum statu homines summa premebantur necessitate Doctoris, à quo tam stupido ac pernicioso errore absoluerentur, circa ea, quæ ad Deum ipsorúmque salutem pertinebant. Magistro egebant, qui mentes eorum in terram pronas, & pecudum instar ad vnam voluptatem abiectas, sursum ad veri Dei cognitionem, & cultum, nobilissimarúmque eius perfectionum contemplationem erigeret. Doctore, qui doceret non vltra diligere vanitatem, & quærere mendacium, neque deinceps terreum ac mortale corpus, immortali animo ac spiritali anteferre; fluxam breuémque vitam, constanti ac sempiternæ. Doctore, qui mentibus amorem disciplinæ seuerioris, contemptum voluptatis ac deliciarum insereret, mentis corporisque puritatem amplecti doceret, & ab omni nequitia flagitióque vehementissimè abhorrere: voluntariam honorare paupertatem, timere diuitias, & prosperitatem habere suspectam. Necessarius, inquam, erat magister qui ista doceret, & facilia iis redderet, qui eum sequi vellent, séque ipsius discipulos profiteri. VI. *Necessitas doctinræ Euangelicæ.*

Hæc ergo omnia, multóque plura nouus mundi Doctor, è cœlo deuocatus in terras, ingenti ausu suscepit instillanda mortalibus: nec minus feliciter ac gloriosè perfecit, quàm libenter, atque animosè receperat. Persuasit enim hominibus pauperes esse beatos, & diuitum conditionem timore gemitúque prosequendam: beatos esse qui lugent, qui iustissimas in hac vita lugendi causas non ignorant; miseros autem esse, qui rident, quibus ignota est sua miseria; phrenesi enim laborant, cùm VII. *Et mira illius efficacitas.*

illi integris animi viribus ac valetudine perfruantur, quorum est lacrymis, lamentisque prosequi, malè sanos illorum cachinnos. Fidem fecit hominibus mites in beatis esse numerandos, etsi vulgo fatui audiant & ignaui, quibus impune solet illudi. Probauit felicitati ascribendam esse iniustam improborum vexationem, bonorum rapinam, æquo animo toleratam, exilia & disiunctionem necessariorum, distractiones sanguine & intima charitate coniunctorum, probra, calumnias, verbera, & quæcunque publicè aut priuatim indignè inferri possunt. Neq; tamen propterea amori eorum renunciandum, sed eis potiùs placandum Deum, malefacta obruenda benefactis, offensionum fibras ipsas radicitus euellendas; idque non semel aut iterum, sed septuagies septies. Denique innumeris hominibus persuasit omnium rerum abdicationem, adeo vt parentum ipsorum consuetudini, propriæque voluntati ac iudicio renunciare non dubitarent.

VIII. *Quam tradidit ipse per se.*

Tanto, támque arduo conficiendo negotio, & tam difficili doctrina in animos moréſque inducenda, noluit ingentes exercitus conscribere, validas sub signis habere legiones, more cæterorum imperatorum, vt homines vel vi vel vltrò haberet obsequentes; non turpi magistratum largitione corrupit, leges vt suas proposita pœna sanxiret: non eloquentes oratores submisit, qui captos auditores, in suam sententiam dicendo pertraherent, vt amara pro dulcibus sumerent, & ingrata iucundis anteferrent. Non angelos misit aut prophetas, qui hæc hominibus nouissimis denique temporibus nunciarent, sed tempus acceptabile, & dies salutis inuexit ipse, quibus hæc omnia vicatim atque oppidatim doceret, in montibus & vallibus, cultis incultísque locis, terra maríque, in templo & synagogis, omne mortalium genus erudiret.

IX. *Omnis conditionis hominibus.*

Neminem enim à sacrosancta doctrina sua exclusit, non doctos aut ignaros, non Scribas aut Pharisæos, non Herodianos aut Saducæos, non pauperes aut diuites, non viros aut mulieres, non publicanos denique aut peccatores, vt qui eam nosset omnibus necessariam ad salutem. Testis Zachæus & Syrophœnissa, testis Magdalena & Samaritana, testes legis doctores & piscatores: quamuis aliquorum tarditatem cerneret, aliorum improbam voluntatem, illorum calumnias, istorum criminationes, illorum blasphemias, istorum simulationem: nec ignoraret probra sibi denique ac supplicia, mortémque crudelissimam esse præparatam, quasi doctrinæ suæ, concionúmque mercedem; quibus cum fame & siti, æstu & frigore, sudore ac defatigatione perfungebatur. Denique ad hoc ipsum docendi munus, adhuc viuens duodecim Apostolos, discipulos duos & septuaginta, ad copiosissimam aliquando Christianæ sapientiæ, & perfectionis messem destinauit, ac misit.

X. *Quæ illius docendi ratio.*

Quàm amicè porro ac beneuolè, quàm patienter atque indulgenter accommodabat sese æterna sapientia ad captum modúmque rudium

diſcipulorum, vulgíque promiſcui, vt doctrinam ſuam, quamuis ſublimem atque exquiſitiſſimæ ſapientiæ pleniſſimam, familiarem, popularémque reddebat, parabolis vtens, ac ſimilibus, à vulgari hominum vſu petitis, quæ non ambitioſa verborum eloquentia, ſed plebeius ſermo condiebat. Quæ tamen tanta cum efficacitate in animos influebant, vt illam vocem pene ab inuitis exprimerent, *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Nec minus lenitatem ſuam probabat & patientiam, dum ineptis & rudibus imperitorum quæſitis ſatisfaceret; & prima fidei rudimenta traderet. Probabat & ſapientiam ſingularem, cùm illum aduerſarij fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcriptum putarent, eorum argutiis, tanquam telis aranearum diſſoluendis, & ſilentio, cum inuidorum pudore, populíque gaudio & approbatione, illis imponendo. Inſignem denique animi demiſſionem patefaciebat, electis diſcipulis, iiſdémque ſodalibus quotidianæ vitæ, piſcatoribus, quibus erudiendis occupabatur, quibus comitantibus itinera conficiebat, ſedebat, ambulabat, veſcebatur. O quale ſpectaculum mentibus illis beatis. Ioan. 7.46.

XI. *Et quanta eiuſdem doctrinæ præſtantia.*

Addamus & illud de huius excellentia doctrinæ, eam totam ſeriam eſſe ac grauem, ab omni curioſitate alienam, ſalutaribus refertam præceptis: quæ cùm vna ex parte ſimplicibus mirificè congruat, ex alia, magnis ingeniis inſigni profunditate admirationem mouet. *Quæ habet in publico*, ait Gregorius, *vnde paruulos nutriat, ſeruat in ſecreto, vnde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat. Quaſi quidam quippe eſt fluuius, vt ita dixerim, planus, & altus, in quo agnus ambulet, & elephas natet.* Doctrina eſt numeris omnibus abſoluta, ſiue illuminando intellectum, ſiue turbidis animis motionibus corrigendis, ſiue vitiorum turpitudine condemnanda, ſiue humanis actionibus, totáque vita intus & foris ex recta ratione, diuináque lege, & voluntate dirigendis. Doctrina denique euangelica, quæ increatam Dei Sapientiam, & autorem agnoſcit, & promulgatorem, tanto eſt alia quauis, etiam quæ Moſaica lege continetur, abſolutior, quanto maiorem ad perfectionem Chriſtiani, quàm Iudæi vocantur. Leſſ. de per. l. 12. n. 61. Epiſt. ad Leandrum. ca. 4. præf. in Iob.

XII. *Gratiarum actio.*

O doctorem ſingularem! ô cœleſtem magiſtrum! Scimus enim nos quoque, *quia à Deo veniſti magiſter.* quantum tibi debent homines, nomine iſtius ſapientiæ ac ſcientiæ tuæ, quæ ſola greſſus noſtros dirigit ad felicitatem, ſine qua cæteræ omnes emolumenti vacuæ ſunt, & plenæ inanitatis. Sed multò maximè in ære tuo ſumus, ob inſignem illum amorem, laborem, patientiam, omnémque induſtriam, quacum nos dignatus es, ſolius mercede amoris erudire. Ioan. 3. 2.

CAPVT XXIX.

Seruatorem factum esse hominibus absolutissimum omnium virtutum exemplar.

I. *Exempla potentiora verbis.*

DIVINA Sapientia, cui omnia nota sunt atque illustria, minimè dubitabat exempla potētiora esse ad virtutem, quæ fere difficultatem comitem habet, mortalibus persuadendam, quàm verba, quantocumque dicendi artificio elaborata; magísque adeo quàm ipsa prodigia, quæ concilient orationi fidem. Nam miracula quidem intelligentiæ nostræ assensum extorquent, vt fateatur verissimam esse doctrinam, sanctam, denique diuinam, cùm vera prodigia, quæ vnum habent effectorem Deum, præterea neminem, mendacio aut sceleri patrocinari non possint. At exempla rem fieri posse docent, neque habere difficultatem, quæ luctando superari non possit. D. Augustinus cùm in ea maximè deliberatione versaretur, quæ erat de profana vita repudianda, sectanda iustitia, modestia, castitate; & aliquandiu illis cogitationibus præbuisset aures, quæ hanc vitæ mutationem fieri posse negabant; propter vitiosos vitæ superioris habitus, illis animosè respondebat. Quidni facere possim, quod ille & ille facit? qui iuniorum in vtroque sexu roborat infirmitatem, nostram quoque firmabit. *L. 8. Confess.*

II. *Christus se præbuit exēplar* Ad Tit. 2. 14.

Seruator igitur, qui addictum sibi populum cupiebat, *sectatorem esse bonorum operum*, cui certum esset ac deliberatum ferre crucem, & pœnitentiæ opera exercere, rationi etiam consentaneum esse duxit, vt ipse quoque operi admoueret manum. Cúmque per vim regnum cœlorum statuisset obtinere, peccati autem, & proprij amoris imperium populari, noluit militi suo dicere, Ite, pugnate, sed instar fortissimi illius Imperatoris; Eamus, inquit, irruamus in hostem, cœli arcem inuadamus, nam *cœlum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Testis igitur deliberatæ sibi tolerantiæ & laborum est illa vox, *Tollat crucem suam, & sequatur me.* Et illa rursum, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Noluit idem sibi obiici, quod ipse Scribis obiiciebat & Pharisæis; qui grauissima onera in humeros hominum imponebant, quæ ipsi ne digito quidem extremo attingere dignabantur. Mat. 16. 14. & 10. 22. Matt. 23. 4.

III. *Omniū virtutum, quāque id necessarium foret.*

Sapienter igitur magnus ille Doctor, ductórque mortalium, eam ingressus est viam, quam discipulos suos insistere cupiebat. Alioqui vix quisquam induxisset animum eam doctrinam amplecti, quæ cum sensibus, eorúmque cupiditatibus bellum immortale susceperat, & odium implacabile peccati: aut certè eius calicis amarore degustato, reliquam potionem respuissent, nec malè omnino argumentati essent, non esse insistendam hominibus illam viam, à qua ipse factus homo refugisset.

Molliter

Molliter potiùs, ac delicatè viuentem secuti essent, nec præsentibus laboribus, spes futuras aliquando redimere voluissent; futurorum potiùs spe repudiata, ipsi quoque dixissent. *Tanti pœnitere non emo.* Quod ergo verbis docuit, id ipsum operibus sanctissimis, & quidem priùs toto vitæ curriculo est executus. Prætulit ipse legionibus suis vexillum crucis, ipsumq; instructum & ornatum virtutibus heroicis, omniúmque nobilissimis. Tulit autem semel in humeris suis, dum cruentus ac semianimis Caluariæ montem adiret; sed eam perpetuò tulit in corde suo, ab ipso momento incarnationis suæ.

Docturus erat demissionem animi, & contemptum sui; ergo nihil prius vnquam habuit, ac fecit, quàm vt *exinaniret semetipsum*, vt ait Apostolus, *& formam serui acciperet*, nihil posterius, quàm vt abiiceret dignitatem suam *vsque ad mortem, mortem autem crucis*: vt in altero stabuli sordes, in altero latronum societatem missam faciamus. Quo gemino facinore virtutis eiusdem, prima proprij amoris munimenta, propriæ scilicet excellentiæ appetitum, validè perculit, atque prostrauit. Primam in consiliis suis positurus erat voluntariam inopiam, & diuitiarum contemptum. Cùm ergo haberet in potestate quos parentes eligeret, non elegit reginam aliquam, opibus & copiis circunfluentem, ex qua nasceretur, aut nutricium aliquem regem, vt Esaias prædixisse videbatur, sed puellam humili loco, quamuis non stirpe natam, fabro lignario desponsatam. Cùm aureum quoque palatium, & lectum lino mundissimo instratum, purpuráque conuestitum sibi potuisset assumere, prætulit cubiculo stabulum ventis peruium, cunis præsepe, fœnum & paleas culcitræ mollicellæ.

IV. *Maximè humilitatis.* Phil.2.7.8.

Paupertatis, in ortu suo. Ca.49.23.

Num reliqua vita ditior & affluentior fuit? Neque domum habuit, neque cubiculum, quod proprium dicere posset & suum; non lectum, non ceruical, in quo corpus & caput, itineribus concionibúsque fatigatum reclinaret: adeo vt à concione aliquando qui frustum ei panis offerret, haberet neminem; & semel, vt cyathum aquæ frigidæ obtineret, ei fuerit cum Samaritana muliere disputandum. Pauperes quoque erant discipuli eius, & humili loco nati, itaque ambulantes cum præceptore per sata, præ esurie spicas vellebant, & manducabant: piscationi etiam incumbebant, vt haberent vnde pranderent. Locus in quo vltimum Pascha celebrauit, & diuinam instituit Eucharistiam ex mutuo fuit, sicut & sepulchri locus, & omnis linteorum, & vnguentorum ad sepulturam apparatus. Quæ denique maior probatio, atque illustrior adamatæ paupertatis afferri potest, quàm probrosa nuditas in cruce morientis? Num valet hoc facinus ad commendandas diuitias, aut voluntariam paupertatem?

V. *Totáque reliqua vita.* Matt.8.20.

Matt 12.1. Ioan.21.12. *& morte.*

Præcepit Seruator discipulis suis, vt se mutuò diligerent: idque ipsi vicissim suis discipulis accuratè commendarunt. At multo vlterius progressa est virtus eius. Cùm enim assumpta humanitate proximos haberet

VI. *Charitatis in proximũ.* Ioan.13 34.

cœpiſſet, eos vſque adeo dilexit, vt vitam & ſalutem eorum, & liberationem à ſuppliciis, propriæ vitæ, famæ, dignitati, exiſtimationi anteferret. Tulit ipſe legem de diligendis inimicis, & benefaciendo iis, qui odiſſent nos, & malè mererentur de nobis, eiſque diuinam indignationem, vindicem iniuriarum in famulos ſuos, placari voluit. Non eſt oblitus legis ſuæ mitiſſimus Seruator, quando tot & tanta miracula edidit, in eorum gratiam, à quibus probè norat profecturas illas voces, *Tolle tolle, crucifige eum.* Quando abſciſſam aurem nebuloni illi reſtituit, qui eò venerat vt prophetæ mirabilium patratori reſtim in collum iniiceret: quando clauis atrociter confixus cruci, priuſquam ſui meminiſſet, aut ſuorum, etſi vtrique triſtitiæ decumanis fluctibus pene obruebantur, paternæ vltionis ſeueritatem precibus ſuis anteuertit: illámque flexis cordis ſui genibus mirabilem profudit vocem, *Pater dimitte illis, Non enim ſciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34.

VII. *Obedientia ſingularis.* Matt 23. 2.

Diuinus hic legiſlator commendabat Scribis & Phariſæis, ſuper cathedram Moſis ſedentibus debitam obedientiam populi, commendabat eam quoque, quæ Deo debetur & Cæſari, & omnibus qui Dei vices in terris gerunt. Ipſe antiquæ legi, quamuis à ſe mox antiquandæ ſubiecit ſeſe, nec cruentas eius ceremonias aſpernatus eſt, parentibus quoque, quamuis tenuioribus, & vitæ conditione plebeiis ſubditus fuit, nec vilia fabrilis officinæ opera, aut domeſticum famulatum contempſit. Vt mirum non ſit illum tam arduam æterno patri obedientiam exhibuiſſe; admittendis vniuerſæ vitæ laboribus, & mortis cruciatibus ac probris, à primo ipſo vitæ aditu, ad vltimam illam horam, qua ex laceris membris abeuntem animam commendauit patri. Phil. 2. 8. *Factus* eſt enim *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed nihilo fortaſſe minor videatur obedientia delata Caiphæ, Herodi, Pilato, quorum ex ore ſine vlla querela, appellatione, tergiuerſatione, ſententiam mortis accepit, cum omnibus illis doloribus ac probris, quæ illam ſunt antegreſſæ, ſed iſti quoque detulit forenſi tubæ, & inhumano ſatellitio, à quibus tam malè habitus eſt, vt eorum ſæuitia, cogitanti iuſtas commiſerationis lacrymas eliciat.

VIII. *Patientia mirabilis.* Luc. 21. 19.

Patientiam commendauit diſcipulis ſuis, teſtatus eos in patientia ſua poſſeſſuros animas ſuas, & collecturos fructus, quos impatientia, & inconſtantia peſſum dediſſet. Non vult ſuos querulos eſſe, non litigioſos, non ad turbas, rixáſque concitos, ſed iniuriarum & contumeliarum patientes, bene precantes iis, qui diris ipſos deuouerent; bene merentes de iis, à quibus malè accepti eſſent, nec deponentes ouinam ſimplicitatem, quamuis illi verterentur in lupos. Ipſe autem quænam patientiæ dedit exempla mortalibus, non ſolùm frigida bruma natus in ſtabulo ventis peruio, lucis & ignis indigenti, & cruentam circuncifionem in ætate tenerrima, fugam exiliúmque in terra barbarorum expertus; ſed dum toto vitæ decurſu baptiſmum illum animo verſabat, quo baptizandus erat, & mirum in modum ſe coarctari fatebatur, dum perficeretur. Luc. 12. 50.

Sic enim mortiferam illam perpessionem vocabat, quæ illum in altissimos mœroris & dolorum fluctus demersura erat ad tempus.

IX. *Tota vita mortem habens præsentem.* Perpetuò versabatur ob oculos eius cruenta illa tragœdia, quæ circa innocentissimam illam humanitatem exercenda erat; in eáque cogitatione eam fere luctam patiebatur, etsi minus acerbam ac violentam, quàm eo tempore pertulit, quo aqua & sanguine in sudore diffluebat, & alacritatem inter & mœrorem, pauorem & constantiam coarctabatur. *& quomodo coarctor.* Cernebat animo militarem illam turbam, ac forense ministerium agmine facto irruere in se, protrudere, solo affligere, conculcare, funes collo, manibus, corporísque medio iniicere, vexare, pertrahere, & indignissimum in morem, magnam noctis partem illudere capto. Iam sibi ab aula pontificia ad prætoriam, à prætoria ad regiam, à regia rursus in prætoriam deduci videbatur, innumera mortalium multitudine confluente, & grauissimam offensionem patiente, in tam graui támque inopinato facinore aduersus talem virum.

X. *Cum omnibus cruciatibus & probris.* Iam præsentiebat animo cruenta illa verbera, quæ membra illa tenerrima sæuissimè lacerabant, & spinas quæ caput ipsius vndique ad cerebrum vsque perforabant; iámque illum vehementer pudebat nuditatis suæ, iam sub immenso crucis pondere septies collabebatur, mortuóque propior quàm viuo, languebat, media inter suspiria, gemitúsque fatiscens. Iam pene manibus pedibúsque præcipiebat atroces illos doloris morsus, qui eis à clauis imminebant, & totius corporis in cruce pendentis, & omnis omnino quietis expertis, intolerandum supplicium. Cernebat denique implendum illud Dauidicum, *Foderunt manus meas, & pedes meos,* & Psal. 21. 18. propter horrendam membrorum distensionem, *dinumerauerunt omnia ossa mea*: maximéque illam animæ suæ à Patre derelictionem in medio dolorum, & inæstimabilis mœroris oceano. Id nimirum erat crucem suam ferre quotidie, in eáque semper mori.

XI. *De cæteris virtutibus confertim.* O patientissime Seruator quanto pluris tibi steterunt exempla virtutum, quàm docendi labor! & quanto plus debent homines exemplis tuis quàm doctrinæ, quantumuis sanctæ & exquisitæ. Hæc te triennium tenuit illa annos fere quatuor & triginta. Longior sim si per reliquarum virtutum exempla decurram; corporis animíque puritatem singularem, zelum diuinæ gloriæ & salutis animarum, ieiuniorum, precum, vigiliarum constantiam, commiserationem, mansuetudinem, prouidentiam, placabilitatem, cæteráſque virtutes, quibus se tanto studiosius addicebat, quanto melius intelligebat exempla ad imitationem tacitè, validéque prouocare, ipsísque actionibus generari habitus, meritáque multiplicari. Et eò maximè respexisse videtur Christus Dominus, in multarum exercitatione virtutum. Etsi enim hominum redemptionem cogitabat, eámque copiosam esse cupiebat, apparet tamen illum in primis Less. l. 12. n. 66. propositam habuisse imitationem, cùm redemptionis necessitatem vsque adeo sit supergressus.

XII. *Intentio & fructus exēplorū Christi.* 1. Petr. 2. 21. Ioan. 13. 15. Nec alia mens fuisse videtur S. Petri, cùm scriberet, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* & Seruatoris ipsius. Nam *exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quod non ad illam vnam retulit demissionis animi functionem, sed cæterarum quoque virtutum. Qua in re minimè falsus est expectatione sua. His enim exemplis incitati plerique mortalium, ad eximium perfectionis gradum peruenerunt. Quidam natura timidi & imbecilles satis animi ad horribilia supplicia perferenda consecuti sunt, alij deserta loca, plurimi cœnobia, spreta seculi vanitate, frequentarunt, vt voluntariam Christi paupertatem, castitatem, obedientiam, demissionem animi, zelum animarum, cæteràsque eius virtutes imitarentur, crucem suam quotidie ferrent, & vitæ huius pelagus, ipso signifera sub puppe magistro, enauigarent: dum cœli portum, magna animi contentione victores ingressi, in beata æternitate conquiescerent.

CAPVT XXX.

Christum adoptatis hominibus factum esse eorum patrem.

I. *Amor parētum in filios.* INTER eas affectiones, quas rerum molitor Deus altissimis radicibus defixit in animis filiorum Adami, amor parentum in filios facilè principatum tenet. Etsi enim amor quo se quisque prosequitur, vt ait Philosophus, sit regula cæterorum, huic tamen ille nihil admodum cedit. Non enim filios tantum diligunt patres quasi aliquid suum, sed quasi semetipsos, in quibus iam vita functi sperant se fore superstites: sic vt ad tempus aliquod duntaxat ab hominum conspectu se subduxisse videantur, filiis suis quasi legatis, à quibus omni ex parte repræsententur, suo loco relictis, imò quasi alteris seipsis. Id enim longè potiori iure de filiis, quàm de amicis dicere licet; cùm ad intimam beneuolentiam, qua necessarios prosequimur, vinculum etiam intimæ consanguinitatis accedat.

II. *Et filiorum in parentes eo minor.* Eccli. 30. 4. Hæc iam olim Sapientis fuit mens & oratio. *Mortuus est*, inquit, *pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Et hæc non immeritò causa esse videatur, cur filij parentibus minimè ex æquo in amore respondeant, adeo vt illud vulgò iactetur, parentem vnum parem esse nutriendis centum filiis, centum autem filios vni parenti vix satis prouidere; quàm verè id dicatur nihil moror, illud, vt arbitror, dicam verè, parentes conseruari quodammodo in filiis, & quandam vmbram immortalitatis adipisci; non vice versa. Viuificus ille terræ succus, quo radices nutriuntur, promanat in truncum, inde in

ramos maiores, minoréſque diffunditur, non è contrariò: fontes deriuantur in riuulos, neque aquæ à riuulis recurrunt in caput. Denique, vt ait Apoſtolus, filij parentibus non theſaurizant, ſed parentes filiis. 2. Cor. 12. 14.

Huius amoris magnitudinem haud obſcurè ſignificauit Dominus, cùm, in gratiam dilecti ſui Dauidis, illud ei de Salomone promitteret, *Ego*, inquit, *ero illi in patrem, & ipſe mihi erit in filium.* Vnico illo patris vocabulo, liberalitatis & Charitatis officia vniuerſa complexus. Dauidis autem ipſius in Abſalonem filium amor prodigij inſtar habet. In quem enim filium amor ille ferebatur? digniſſimi vtique patris erga indigniſſimum filium. In Abſalonem, qui lectum paternum plurimis inceſtis fœdiſſimè contaminarat; qui manus ſuas primogeniti fratris ſanguine, per inſidias ac proditionem cruentarat, minus ſcelus maiore vlciſcens. In Abſalonem, qui populum vniuerſum contra Dauidem ad defectionem concitauerat; qui armis aduerſus regem, eundémque parentem ſuum ambitioſè inſurrexerat, eúmque regno pulſum in fugam egerat: nec minùs vita, quàm ſolio regio ſpoliare decreuerat. In huius itaque Abſalonis gratiam Dauid Ioabum, cæteróſque duces obteſtatus eſt, vt ab illius cæde in prælio abſtinerent. Quod imperium cùm Ioabus neglexiſſet, Dauid lamentabiles illas iterabat voces, *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?*

III. *Res probatur exemplis, Dauidis.* 2. Reg 7. 14. & 1. Par. 22. 10. 2. Reg. 18. 33.

Quam porrò aliam putemus eſſe cauſam, cur Deus tot iniurias ab hominibus, tot hoſtilia facinora in ſe, ſuóſque tolerantiſſimè patiatur, ſempérque ſit ad pœnitentium reconciliationem paratus, niſi quòd iſti filij ſunt, quamuis Abſaloni ſuppares, ille autem Pater? Cuius diuina prouidentia ſapientiſſimè factum eſt, vt parens vterque hoc in filios ſuos amore abundaret, qui innumeras moleſtias & labores, quos pro liberis ipſos ferre neceſſe eſt, ſuauiter mitigaret. Nam *vbi eſt amor, non eſt labor, ſed ſapor.* Quin & illud obſeruari poteſt, eo tempore feruentiorem eſſe parentum amorem erga liberos, atque fortiorem, quo tempore plures ab eis moleſtiæ deuorandæ ſunt, vt in infantia, primáque pueritia, quando nullum parentibus famulatum exhibere poſſunt, delectationem autem pene nullam.

IV. *Ipſiúſque Dei, in eóque elucet eius prouidentia.*

Oportuit ergo Mundi Seruatorem, qui tantum ab hominibus, in eorum ſalute procuranda, toleraturus erat, paterno hoc amore magnificè abundare, qui eum efficeret in agendo, patiendo, largiendóque prodigum ſui: eadémque opera homines redderet filios ſuos, eis ius ad paternam hæreditatem tribueret, & ingentes meritorum ſuorum theſauros eiſdem congregaret. Quò pertinet illa Chriſti Domini patrem orantis deprecatio. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Non fiebat ipſe quidem ſanctior, ſed ſui ipſius ſacrificium offerebat patri, vt diſcipuli eius ſpiritalibus locupletarentur bonis, & in heredibus cœli conſcriberentur. Multos enim filios, vt ait Apoſtolus,

V. *Res Chriſto Seruatori applicatur.*

Heb.2.10. in gloriam adducturus erat, factus autor salutis eorum. Et apud Esaiam
ca.8.18. idem Dominus Iesus. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus*; quæ verba ad Seruatorem, eiúsque discipulos Paulus accommodat.

VI. *Qui suos agnoscit, & vocat filios.* Marc.10.24 Ioan.13.33. Matt.9.2. Marc.2.5. Luc.8.48. Ioan.17.24.

Sed suauior etiam est ipsiusmet Christi apud Euangelistas discipulorũ compellatio, ex eodem paterno in eos amore profecta. *Filioli*, inquit, *quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire*! Et rursum sub suũ ex hac vita digressum, *filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Quod minus mirum videatur, cùm misero illi Paralytico dixerit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et mulieri Syrophœnissæ, *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Itaque pro discipulis suis, quasi pro filiis à patre suo postulat communicationem hereditatis, quam naturaliter ipse possidebat. *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Quod est æterna cum Christo beatitudine perfrui, factos *heredes Dei, coheredes autẽ Christi*; accepto nimirum, *non spiritu seruitutis in timore, sed spiritu adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, idque ex gratia & liberalitate Seruatoris.

Rom.8.15. 17.

VII. *Et adoptauit in filios, etiã in veteri lege.* Ioan 1.12. Gal.4.4.

Idipsum prædicabat Euangelista Ioannes, cùm diceret filium Dei in mundum venisse, & iis qui eum recepissent, potestatem dedisse filios Dei fieri, qui videlicet antea iræ filij extitissent. Prædicabat & Paulus Apostolus, docens vbi aduenisset plenitudo temporis, misisse Deum filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, *vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quæ non sunt in eam trahenda sententiam, quasi velit magnus ille Doctor asserere viros sanctos, qui in lege Mosaica floruerunt, Dei seruos, non autem filios extitisse. Nam eodem in loco illos confert filio paruulo, qui sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à Patre. Præsertim cùm illis omnibus prædi-ti fuerint, quæ in Euangelica lege ad hanc filiorum dignitatem requirantur, fide, spe, charitate, ex Christi gratia, meritisque collata.

VIII. *Discrimen inter sanctos vtriusque testamenti.* Gal.4.1.

Quod igitur dixerimus esse discrimen inter sanctos veteris testamenti, & eos qui Christum secuti, in lege gratiæ sanctitate præstiterunt? Magnum est vtique discrimen, illi enim quamuis essent filij, statu tamen filiorum non fruebantur, sed seruorum, iuxta illud eiusdem Apostoli, *nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium*: sed & timoris spiritu ferebantur, quem Seruator in spiritum amoris commutauit. Illud quoque ponendum, filios Dei temporum illorum, minimè tales vi legis aut spiritus illius extitisse, sed fidei viuæ in venturum Messiam. Ex quo illud etiam consequens est, eos ad legem gratiæ magis, quàm ad Mosaicam pertinuisse. Denique, eo statu perseuerante, non poterant illi mitti in possessionem hereditatis filiorum Dei, occlusis adhuc cœli foribus, quas Seruator erat patefacturus. Nimirum vt obseruauit Apostolus, in Sanctum Sanctorum solus Pontifex semel quotannis introibat: *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.*

Heb.9.8.

CAPVT XXXI.

Explicatio Spiritus adoptionis, quantúmque sit diuinum illud beneficium.

EXIMIA est ista Dei aduersus homines liberalitas, & idonea generando, nutriendóque filiorum amore, in tam potentem, tam nobilem, támque liberalem patrem. Itaque operæpretium fuerit hoc beneficium, non ita vulgò cognitum, vel æstimatum, paulò amplius explicare, consideratis iis, quæ ad humanam pertinent adoptionem. Etsi enim diuina antiquior est multo, multóque nobilior, ab humana tamen ad diuinam translata est appellatio. Eáque intelligitur, Cooptatio quædam gratuita externæ personæ, in iura filij naturalis, ad quæ hic extraneus volens libénsque transit. Nisi enim gratuita fuerit vtrinque ista cooptatio, sed onere quopiã degrauata sit, venditio potiùs fuerit quã adoptio. Necessarium quoque est, vt qui adoptatur in filium, iure filij naturaliter careat, quo fit vt filius naturalis adoptari non possit. Quî enim ius recens acquirat quis paternæ successionis, quod ab ipso iam ortu possidet? I. *Natura & conditiones adoptionis humanæ.* Vide D. Th. 3. p. q. 23

Deus æternæ possidet beatitudinis hereditatem, eáque naturaliter ita fruitur, vt nemini præterea iure debeatur. Sed quia mirum in modum bonus est, atque liberalis, eiusdem hereditatis multos cupit esse participes, ad eámque aptos reddidit, hoc ipso quòd eis mentẽ dedit ac rationem; ad eam tamen ipsa creatione ius eis nullum dedit. Est enim illa felicitas superioris cuiusdam ordinis, & naturæ iura, quæ dat creatio, longè multúmque transgreditur. Cùm ergo Deus homini ius ad diuina illa bona largitur, ad eámque ipsam beatitudinem, qua beatus est Deus, eum assumit sibi, atque adoptat in filium, homine vltro assentiente si vsum rationis habuerit; sin minus, Deus communis pater supplet paruulorum voluntatem, in summum eorum bonum, aut Seruator, qui eius est corporis caput, cui ille inseritur, aut Ecclesia, quæ illius sponsa est, & huius communis parens. II. *Qua diuina accommodãtur.*

Sunt porrò quædam in diuina adoptione singularia, quæ eam mirũ in modum nobilitant, reddúntque præ humana gloriosam. Nam hæc nullam confert personæ adoptatæ perfectionem aut laudem, sed eam quæcunque tandẽ sit, eligit, eique nomen tribuit, & ius adoptionis. At diuina adoptio spiritũ Dei confert homini, & gratiam sanctitatis, quæ, vt ait Petrus, eũ reddit diuinæ naturæ participem, ac consortẽ: vnáque ius illi ad diuinã hæreditatem largitur, perinde ac si filius naturalis foret, cohæres autem Christi. Præterea introducta est inter homines adoptio, vt adoptãtis sterilitati succurreretur, qui ascititios quærit filios in naturalium locum. At Deus propter immensitatem bonitatis suæ, & desideriũ III. *Vtriusque discrimen triplex.* 2. 1. 4. Rom. 8. 17.

communicandæ felicitatis, licet naturalem habeat filium, adoptat extraneos, vt benè sit eis in fruitione tantæ hereditatis. Denique adoptio illa in successionem hereditatis instituta est, hæc ad consociationem. In illa enim moritur pater, in cuius locum & iura filius adoptatus succedit. In hac immortalis est pater, suáque bona filiis communicat, quæ heredum multitudine, vt bona fortunæ, non minuuntur.

IV. *Diuinitas fundamentum est diuinæ filiationis.* Vide Less.l. 12.n.74.

Fundamentum porrò diuinæ huius adoptionis, &, vt ita dicam, filiationis mirabilis est. Est enim communicatio diuini Spiritus. Quod Doctores Theologi explicant in hunc modum. Deus assumpsit vnum hominem, in filium naturalem, tota plenitudine diuinitatis in ipsum refusa, & secundum substantiam vnita, qui est Seruator mundi; cuius opera ille alios adoptat, Deique filios efficit, qui in eo insiti sunt, vt in trunco rami, in vite palmites, in corpore mystico membra viuentia. Cùm primùm igitur quis Christo Domino per fidem & sacramenta insertus est, eique, vt membrum capiti, connexus, hoc ipso eodem spiritu diuinitatis animatur; idem enim corpus eundem habet spiritum, vitam illi animámque tribuentem. Filius ergo Dei est, sicut & ipse, cum ea tamen differentia, quòd Christus naturalis est filius, cæteri ascititij, & adoptati.

Rom.8.14. 1.Ioan.4.13

Nam, vt ait Paulus, *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, qui intrinsecus spiritalem eis vitam, animámque tribuit. *In hoc cognoscimus*, ait Ioannes, *quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*, vt eo videlicet regamur, & animemur, vt corpus ab anima viuit, ac gubernatur.

V *Vt spiritus Dei eius quoque filiis conueniat.*

Hunc diuinum spiritum tres personæ sacrosanctæ Trinitatis proprium habent & naturalem, diuinitas enim earum vita est & natura. Idem Spiritus per vnionem personalem Verbi cum humana natura, Seruatori communicatur quasi naturaliter, cæteris autem iustis omnino supernaturaliter, per quandam quasi extensionem, & dilatationem spiritus, qui in Christo est, qui interuentu gratiæ habitualis, incipit esse noster spiritus, & vita nostra, manet in anima nostra, eam ornat, mouet, regit, fitque principium omnium actionum supernaturalium Deo placentium; sicut anima siue spiritus noster est principium omnium naturalium functionum eius. Itaque cogitari potest Christi spiritus, tanquam immensa quædam anima, quæ angustiis humanitatis eius non coërcetur, sed omnem in partem quodammodo exundat, atque diffunditur. Itaque non ipsum duntaxat, sed omnes, qui illi adhæserint, viuificat, & quod consequens est, secum facit filios Dei.

VI. *Charitatis officium in hac filiatione.*

Quæ cùm ita sint, apparet hominem filium Dei fieri, non solùm interuentu gratiæ & charitatis, alteriúsve doni creati, sed per inhabitationem, & possessionem ipsius diuini spiritus, à quo vitam spiritalem haurit, à quo regitur, à quo iuuatur in infirmitate sua, à quo incitatur ad postulandam diuinam opem gemitibus, qui verbis exprimi non possunt. Nam Charitas aut gratia, si solitaria sumatur, non videtur sufficere,

re, vt hominem efficiat filium Dei; sicut amor, quo nobilis aliquis regem prosequitur, non satis est, vt hoc ipso is reddatur filius regis; neque is amor eam mercedem promeretur; nisi fortè rex edixisset, fore vt quicunque eum diligeret, adoptaretur in filium regis. Itaque Christus ipse videtur hunc amorem quasi conditionem constituere, ad hanc diuini spiritus inhabitationem, *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Spiritus autem ipse per sese facit filios Dei, gratia verò & Charitas ipsum introducit in animam. *Qui manet in Charitate in Deo manet,* quia Charitas eum vnit Deo, *& Deus in eo,* tanquam ipsius spiritus, & principium vitæ spiritalis eius. Ioan. 14. 23. 1. Ioan. 4. 16

VII. *Vt peccatores fiant filij Diaboli.*

Hoc ipsum à contrario fieri possit illustrius. Dæmon enim introducitur in animam per peccatum, & in ea residet. Iuxta illud Domini Verbum de nequissimis spiritibus, *& intrantes habitant ibi.* Sicut fortis bellator, qui occupatam arcem militari præsidio tenet. Quamdiu autem ibi manet, quæ sui muneris sunt studiosè exequitur. Peccatorem enim in quæcunque scelera potest impellit, eúmque reddit filium suum. Nam improbissimis Scribis & Pharisæis dicebat olim Seruator. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*; qui & mendax, & homicida fuit ab initio. Ibi phantasiam peccatoris agitat, turbátque visis quæ mentem obtenebrant; animorum motiones perturbat, quibus validè concutit, ac labefactat voluntatem, Dei gratia destitutam, & subinde consensum extorquet in peccatum; ex quo peccandi desideria proficiscuntur, & molitiones, & ipsi scelerum actus, & frequentationes. Fit denique scelestus ille tanquam principium & primarium agens omnium scelerum, quæ à peccatoribus perpetrantur. Vtitur enim ipso corpore, séque ad omnes eius appetitiones accommodat: vtitur & perditorum hominum regulis, moribus, & institutis ad promouenda destinata flagitia. Ambo enim mercenarij eius sunt, eorum operas ille pretio voluptatis emit, aut vanitatis. Denique heredes fiunt destinatæ Lucifero hereditatis suppliciorum æternorum. Matth. 12. 45. Ioan. 8. 44.

VIII. *Dei liberalitas in hac adoptione.*

Sed abeamus ab isto perduelle, vt Dei beneficentiam in hac diuina adoptione consideremus. Amor non potest dare fruitionem dilecti boni, neque illud arbitrij nostri, & potestatis efficere; mutuum tamen amorem promereri potest. Itaque nec diuinus amor nostrum efficit Deum, sed illecebra est mutui eius amoris. Nam æterna Sapientia, *Ego*, inquit, *diligenter me diligo.* Eadémque in humano habitu, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsũ.* Cùm ergo amare sit bonum velle alicui, ac donare si fieri possit; ita Dei in nos amor efficit, vt bonum quoddam tanta maiestate dignum nobis velit, donétque reuera, suum videlicet Spiritum, vt in nobis habitet, animique nostri gubernacula moderetur, & dirigat eius iter in beatitudinem sempiternam. Et poterat ille quidem amicis suis aliam Prou. 8. 17. Ioan. 14. 21.

quampiam largiri mercedem. Rex enim iis à quibus diligitur non dat ſeipſum, ſed opes & copias, dignitates, gubernationes vrbium, procurationes prouinciarum, aliáque id genus. Deus autem non alio præmio munerari vult amicos ſuos, quàm ſeipſo, aut diuino ſpiritu ſuo, quo eos efficit filios ſuos. O dignam Deo liberalitatem!

IX. *Nona dignitas, meritúmque adoptatorum.*

Hæc porrò diuina adoptio, quæ homines efficit filios Dei, ad nouam etiam euehit dignitatem, vt in humana quoque contingit. Si quis enim Dynaſtarum, puerum quempiam ſibi gratum, eductum de plebe in filium ſuum adoptarit, fit ille continuò præſtantior, atque amore dignior & honore ſubditorum noui parentis, eiúſque actiones maiorem quàm dudum mercedem promerentur. Quantò id verius eſt in filiis Dei, in quibus diuinus ſpiritus, quaſi in templo ſuo, peculiari ratione habitat? quantò nobiliores fiunt, & omnium mortalium amore, atque honore digniores? cùm alia Dei dona creata, vt prophetiæ, linguarum, miraculorum, reddant eos, qui his prædití fuerint, beneuolentia, cultúque digniores? Eorum quoque præclara facinora multò maiore mercede digna ſunt. Nobilis enim bellator, etiam in leuiore certamine, maiore præmio dignus eſt, quàm in difficiliore negotio gregarius miles. Quòd ſi Deus opera iſtius, qui in diuinam familiam adſcitus eſt, habet gratiſſima, quòd à filio ſuo perpetrata, quòd ſuo animata ſpiritu fuerint, adeò vt ea iudicet non alio digna præmio, & in hac & in futura vita, quàm ſeipſo, quanti quæſo ſunt ab hominibus æſtimanda?

CAPVT XXXII.

Chriſti liberalitas in Sacramentorum inſtitutione, & nominatim Euchariſtiæ, vt ſacrificium eſt.

I. *Chriſti liberalitas in Sacramentorum inſtitutione.*

RATIONES & viæ, quibus diuina liberalitas vtitur, vt homines ad filiorum dignitatem euehat, fiátque ipſe adoptione eorum Pater, communicato diuino ſpiritu, omnibúſque gratiæ, donis, ſacramentis continentur, à Chriſto Domino in Eccleſia inſtitutis, vt eſſent arcæ quædam theſauris meritorum eius continendis idoneæ, aut inexhauſti fontes beneficiorum eius, de quibus tanto antè editum fuerat illud Eſaię
cap. 12. 3. vaticinium, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et quidem ſine vllius definitione temporis hauriemus: neque enim facilius exhauriri poſſunt, quàm ipſa infinita merita Seruatoris, quæ illis quaſi canalibus in homines deriuantur.

III. *Quæ curſim recenſentur.*

His animæ peccato mortuæ, nouam vitam noua generatione conſequuntur, inſcribuntur in album filiorum Dei, & heredum lautiſſimi patrimonij tanti parentis, & tanquam membra viuentia myſtico Seruato-

ris corpori inseruntur. His deinde constantia & fortitudine donantur, vt contra Satanam, & omnes fidei hostes animosè colluctentur & vincant. Quòd si pugnando contra carnem & sanguinem, aut contra principes tenebrarum harum, aut mundi dæmonisque seruos plagas acceperint, aut venenum imprudentes hauserint, virus euomunt, & recipiunt sanitatem; Angelorum cælesti pane reficiuntur, ne obliti comedere panem suum, deficiant in via. Gratia donantur ad edendos in lucem heredes æternæ vitæ. Honorantur potestate vicaria filios Adami in Christi filios commutandi, dimittendi peccata, & sacrosanctæ Eucharistiæ conficiendæ. Denique vbi ad vltimas vitæ metas peruentum fuerit, ad vltimam cum hoste tartareo pugnam, luctámque oleo sacro præparantur. Quid potuit diuina bonitas, aut ad gloriam suam magnificentius, aut ad hominum dignitatem præstantius, aut ad vtilitatem fructuosius excogitare?

III. *Et commendantur.*

Pudore sanè afficior non iniusto, quòd tam insignes thesauros tam leui brachio attingam, quòd tam locupletes auri argentique fodinas indicem duntaxat, non perscruter: quòd sacrorum vectigalium diuinam institutionem, vberrimósque redditus, qui promissis Seruatoris ipsius, meritisque nituntur infinitis, non contempler: tam nobiles aromatum apothecas, quibus homines in Angelos, terra in cœlum, lutum in aurum, lapilli vulgares in adamantes ac pyropos, mancipia Diaboli in filios Dei commutantur, inuisas intactásque pertranseo. Sed infinitum negotium foret, singulas hasce liberalitates pro dignitate ponderare, vt interim virium nostrarum imbecillitatem dissimulem. Et sicut *pauperis est numerare pecus*, ita magnifici principis est nummos aureos plena manu largiri. Æstimentur igitur ista confertim, vt solent amplissima parentum patrimonia, à filiis impuberibus censeri.

IV. *Et nominatim Eucharistia.*

Non possum tamen continere me, neque præterire silentio summam amantissimi Seruatoris humanitatem, ex qua liberalissima illa institutio sacrosanctæ Eucharistiæ profecta est; id est conuiuij tam splendidi, támque sumptuosi, vt in eius apparatu, non solùm copias omnes suas, opésque profuderit, merita, inquam, omnia, atque exempla virtutum maximarum, sed corpus etiam suum, animam, ac diuinitatem, adeò vt, quasi ob tantam profusionem pudore suffusus, si sic loqui licet, hominum conspectum vitaret, abdiderit se sub speciebus panis ac vini, & tegumento parabolici cuiuspiam viri, *homo quidam*, inquit, *fecit cœnam magnam.* Cœnam vtique, quæ magnificentia sua Persica omnia, & Babylonica, Ægyptiaca & Romana conuiuia longè post se reliquit, & quæcunque sacris celebrantur, profanisque monumentis. Luc. 14.

V. *Quæ superat, antiquásq; omnia sacrificia*

Instituit autem mysticum hoc conuiuium prouidentissimus Pater, vt esset non solùm nutrimentum familiæ suæ, & cibus immortalitatis, sed sacrificium vnicum Euangelicæ legis, Deo honorando, placandóque destinatum, quódque Mosaica omnia sacrificia, ritus, ceremoniásque an-

tiquaret. Et meritò quidem; continet enim, infinita dignitate sua, vim omnem atque efficacitatem omnium holocaustorum, & Leuiticorum sacrificiorum, eisque successit vniuersis, vimque maiorem habet ad honorandum & placandum Deum, quàm victimæ omnes, quas ipsemet, Hebraicæ quondam nationi præscripserat. Eóque videtur respexisse Dominus, cùm per regium Prophetam diceret, *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum.* Et mox, *Si esuriero non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Mauult nimirum sacrificium laudis, quod est Eucharisticum, quo singulari laude afficitur, & honore. Itaque adit, *Immola Deo sacrificium laudis.* Et magnus Pontifex Leo, *Nunc etiam*, inquit, *carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnium differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio.*

Psal. 49. 9. &c.

Ser. 8. de pass.

VI. *In quo posita sit actio sacrificij.* Vide Less. l. 12. n. 93. &c.

Hoc ergo sacrificium in vltima illa cœna Seruator instituit, pane & vino consecrando; in qua consecratione duo mirabilia contingunt, immutatio substantiæ panis & vini, & mystica mors victimæ; cum diuinorum verborum vi & efficacitate, Christi corpus & sanguis seorsim in altari collocantur, sicut agnus olim immolabatur, cùm ex illius corpore sanguis eliciebatur, ac separabatur. Consecratio, quatenus substantias immutat, producit hostiam: & quatenus fit supra vtramque seorsim speciem, oblatio est, & sacrificium; diuina autem verba quæ profert sacerdos, instar habent gladij, sanguinem à corpore separantis. Seruator in cœlo viuens, viuam repræsentat victimam: idémque corpus sub specie panis, & sanguis sub vini specie, locum habent victimæ iam immolatæ.

VII. *Religionem Christianam omnium maximè nobilitat.*

In religionis porrò Christianæ nobilissimis prærogatiuis & dotibus, nihil magis eminet, nihil est ad gloriam eius illustrius, hoc augustissimo sanctissimóque sacrificio, religionis parte primaria, vel ipsius potiùs absolutione, atque perfectione. Continet enim religio cultum & famulatum aduersus Deum; præcipuus autem cultus in sacrificio positus est: quod est singularis testificatio supremæ Dei in omnes res creatas dominationis atque potestatis, in quas ius omne necis habet, & vitæ. Id si verum est in mutarum pecudum oblationibus, quæ pridem in conspectu Domini iugulabantur, quid de sacrificio legis Euangelicæ dici potest, quod rei dignitatem vel adumbrare possit? in quo non par turturum aut columbarum, non agnus aut vitulus, non homo vel Angelus immolatur, sed verus Dei filius in humanitate sua, Verbum caro factum, homo diuinus, qui mysticè vitam suam dat in altari, quamuis iam à resurrectione sua gloriæ particeps, doloris & mortis factus sit expers. *Christus iam non moritur*, ait Apostolus, *mors illi vltra non dominabitur.*

Rom. 6. 9.

VIII. *Offertur in gratiarum actionem.*

Hoc ille sacrificium in Ecclesia sua instituit, eique in amoris sui monimentum reliquit, iussitque in sui memoriam celebrari, vt haberet perpetuò vnde gratias diuinæ maiestati redderet de acceptis ab ea be-

neficiis;& nominatim gratiam redemptionis commemoraret, tanto datam impendio, quanti est vita vnigeniti filij Dei, summis ei contumeliis, atrocissimisque cruciatibus erepta. Quæ mors in hoc nostro sacrificio æterno Patri exhibetur, & in eius conspectu ponitur: nostro inquam sacrificio, *quia filius datus est nobis*: quod sacrificio crucis nihil cedit, cùm sit eadem victima, nec à sacerdote solùm, sed à præcipuo illo sacerdote Christo Domino sacrificetur; nec minore quàm in monte Caluariæ charitate offeratur Patrij. Itaque mirabilis hostia quantiscumque acceptis sacrificiis nos ingratos esse non finet. Quod haud obscurè significabat Dauid cùm diceret, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi*, & quasi ad satisfaciendum factus idoneus, respondet, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115. 3. 4.

IX. *Et diuersas gratias impetrandas.*

Valet idem sacrificium ad auxilium diuinæ gratiæ impetrandum, aduersus tentationes, quæ multorum infirmitatem in varia peccata præcipitant; quæ gratia naturam in malum procliuem cohibet, excitátque languentem, viam ingredientem dirigit, progredientem comitatur, & ad felicem perseuerantiæ metam perducit. Eodem sacrificio externa hæc bona, iuxta diuinæ prouidentiæ constitutionem, obtinentur, pax, victoria, pluuia, serenitas, copia frugum, felix negotiorum expeditio, sanitas quoque ac libertas, aliáque id genus. Animi tamen bona, quæ sunt longè maiora, & hoc diuino sacrificio digniora, præcipuè impetrantur. Valet quoque ad peccatorum pœnas, post deletam contritione aut pœnitentiæ sacramento culpam, abstergendas, siue sit in viuis, qui est debitor pœnæ, siue vita functus. Quoniam copiosissima satisfactio filij Dei, Patri æterno in satisfactionem reconciliati peccatoris offertur; quin & eximium illum dolorem, culpæ profligatorem impetrare potest. *Ad satisfactionem.*

X. *Ad auertenda Dei flagella.* Vide Lect. I. 12. n. 102.

Valet denique ad auertenda diuinæ iracundiæ flagella, quæ peccatorum prouocata sceleribus, mortalium ceruicibus imminent. Si enim misericors Dominus cùm iam peste, bello, sterilitate sæuire cœpit, continet iram suam, placatus cuiuspiam amici sui precibus, qui se afflictis mortalibus patronum exhibet, præsertim si cœli ac sanctorum regina supplex filio suo, in gratiam miserorum fiat, quanto maior erit huius diuini sacrificij ad numen placãdum efficacitas, in quo Sanctus sanctorum offertur, ipséque fons sanctitatis, qui præ sanctis omnibus, gratia apud patrem valet. Quòd si prima huius hostiæ oblatio mundum reconciliauit Deo, quamuis innumeris obrutum peccatis, & æternam ab eo damnationem auertit, quid mirum si idem sacrificium sæpius iteratum, reconciliato semel iam mundo, Deum placet, ad vitæ huius calamitates auertẽdas, quæ perniciem quamplurimis erant allaturæ, aut eas certè moderatur ac minuit, aut in tempus aliud differt, iuxta mensuram, quam Deus fructibus huius sacrificij, cuius alioqui est infinitum pretium, pro sua bonitate & sapientia definiuit.

CAPVT XXXIII.

Christi in Eucharistia liberalitas, vt ea conuiuium, & sacramentum est.

I. *Eucharistia alimonia animorum.* ALTERVM deinceps vsum, ac fructum sacrosanctæ Eucharistiæ consideremus; ope enim gratiæ, quam communicat animabus, eas fouet ac nutrit, & natiuam illius inopiam suis opibus, imbecillitatémque sustentat. Quin & corporibus fructuosa est, cum aliis donis, tum munere beatæ immortalitatis. In hoc igitur diuino conuiuio animam gratia sanctificante donari, ex eo facilè intelligi potest, quod huiusmodi effectus communis est omnibus legis gratiæ sacramentis; ideóque isti omnium maximo, quod ipsum gratiæ autorem continet, negari non potest. Ioan. 1. 17. Sicut enim suo ipse in mundum ingressu, vitam gratiæ secum inuexit. Ita suo in hominem per sacramentum ingressu, eandem illi vitam largitur & gratiam; quod illa eius verba non obscurè significant, *qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ioan. 6. 58. D. Tho. 3. p. q. 79. a. 1. Et sicut hoc sacramentum Christi mortem cruciatúsque repræsentat, ita eosdem in homine effectus producit, quos illa mors in mundum intulit, vt docet Doctor angelicus: qui etiam addit effectus cibi huius, & vulgaris illius mirificè congruere: suo enim quisque modo animus corpúsque nutriuntur, augescunt, reparantur, delectantur cibo proprio & suo. Præsens enim gratia fouetur in anima, & quotidiana recipit incrementa, renouatur feruor charitatis, quem consolationum deliciæ comitantur.

II. *Corporibus etiam prodest.* Quod ad corpus attinet, sacrosanctus hic panis attactu suo peculiarem quandam confert corpori sanitatem. Nam si vasa sacra, in quibus asseruatur hoc sacramentum, sanctificantur hoc ipso, nec sine sacrilegio in profanos conuertuntur vsus: pluris vtique est corpus humanum quàm scyphus argenteus, & melioris particeps sanctitatis. Hom. 30. in 2. Cor. Quin etiam Ioannes ille aurei oris Antistes, ait os Christiani contactu Christi corporis honorari, ideóque purè illud & sanctè conseruari oportere. Eiusdem etiam ope sacramenti, cupiditatis ardorem temperantis, contingit, rore deuotionis pectus suauiter irrigari, vt sociis Danielis accidit, in fornacem Babylonicam flammis æstuantem coniectis. Pius enim ille animi sensus redundat in corpus, & inusitato afficit gaudio, iuxta illud Dauidis, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* & alibi, *Sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea.* Psal. 83. 3. & 61. 2. Nec mirum est anima & carne Deum sitiente, vtramque diuinitus irrigari.

III. *Præ aliis cibis, etiam arboris vitæ.* Quàm pretiosus, quàm admirabilis est cibus iste. Nam cæteri quidem cibi, vitam corporis ad breue tempus tuentur, & fouent, sed cùm sint ipsimet corruptioni obnoxij, corpus perpetuo incorruptum præstare

non possunt. Hanc enim vim ne illa quidem arbor habuit, quæ dicta est vitæ, innocentium in Edenis horto cibus. Cùm enim nutritioni poma illa seruirent, oportebat ipsa quoque consumi, & in viuentis transire naturam; neque vltra vires naturæ suæ producere immortalitatis effectum. Manna quoque non fuit immortalitatis cibus, sed breui etiam tempore putrescebat, aut ad solis radios liquescebat. Id significauit haud obscurè Seruator, cùm diceret Iudæis, Patres ipsorum manducasse manna in deserto, & nihilominus esse mortuos.

D.Tho 1.p. q. 97. a. 4. Aug de ciu. l. 13 c. 23. Exod. 16. 20.21. *& manna.* Ioan. 6. 49.

IV. *Eucharistia corporibus communicat immortalitatem.*

Cùm autem de cibo isto loqueretur, quem præparauit filiis suis, etiam atque etiam affirmat, iterátque sæpiùs, qui illum manducauerit, in æternum victurum, mortis & corruptionis expertem, & in nouissimo die resurrecturum. Nimirum cibus iste incorruptus est, & immortalis, solæ species, quibus obtegitur, id agente calore natiuo, consumuntur, & pereunt. At Christus ipse, ex quo resurrexit semel, *iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, vt ait Apostolus. Itaque immortale Christi corpus mortali coniunctum, vitam illi communicat. Validum enim inualido præualet, eique suam communicat firmitatem. Sic medicamentum magnæ efficacitatis stomacho receptum, à malè affecta natura non vincitur: sed eam superat potiùs, sibique similem reddit, iis, quæ sibi propria sunt, illi communicandis. Pari quoque ratione si quis venenum in cibo hauserit aut potu, natiuus calor à pernicioso frigore suffocatur. Sic & immortale Christi corpus humano stomacho receptum, à mortali natura vinci non potest, neque in propriam illius verti substantiam. Sed contrà vincitur à tam efficaci alimento ipsa natura, & quæ diuini cibi propria sunt in se transfert, immortalitatem, subtilitatem, agilitatem, splendorem. Nec tamen id continuo contingit, sed in id tempus differtur ista mutatio, quod Deus instaurando mundo destinauit. Nam ne medicamenta quidem vires suas statim exerunt, sed ab iis pedetentim corpus infirmum pristinæ restituitur sanitati.

Cap. 6. 27. 39. 40. 50. 52. 55. 59. Rom. 6. 9.

Tempore congruo.

V. AVTOR. *Obiectiones duæ.*

At vide obsecro, mi Amor, istíne doctrinæ tuæ aliqua obiici possint, quæ non leuia fortasse videãtur. Nam qui hoc sacramento vtuntur, quãtáuis sanctitate fulgeant, perinde ac cæteri, mortis legibus subiacent. Deinde certum est plerosq;, qui hunc cibum immortalitatis nũquam attigerunt, aut illum, peccati sordibus contaminati, degustarunt, ad vitam nihilominus aliquando excitatum iri. Ex quibus consequens videtur huic cibo futuram corporum immortalitatem minimè tribuendam esse.

AMOR LIBERAL. *Solutio prioris.*

Verùm, ait Liberalis Amor, priori isti obiectioni iam factum est satis. Vis enim cibi huius non apparet illico; neque optandum fuit vt in hac vita contingeret immortalitas, quæ vt multis nunc casibus ærumnisque vexetur, nulla tamen maior vitam calamitas vexaret, quàm si nullum ei mors finem afferret. Ergo is fructus alteri vitæ reseruatur, in qua interitum morti Seruator afferet, & vi huius cibi, amicis suis donum immortalitatis, cæterásque dotes corporum beatorum largietur. Adde quod

mors, quæ corporibus imminet in hac vita, cum futura eíque ſuccedente æternitate comparata, ſomni potiùs quàm mortis nomen meretur; quo modo eam quoque Scriptura ſubinde nominat.

VI. *Et poſterioris.* Nam quod ad poſteriorem dubitationem attinet, perſpicuum eſt ſanctos, qui ante Chriſti ortum mortui ſunt, vi ſacramenti, quod nunquam receperunt, non redituros ad vitam, ſed vi beatæ animæ, quæ beatum corpus & immortale deſiderat, & promerita eſt dum in corpore verſaretur. Qui autem Chriſto poſteriores vixere, duplici titulo gloriam immortalitatis conſequentur, animæ glorioſæ primùm, deinde coniunctionis glorioſi Chriſti corporis, cum iſto mortali, cui vigorem quendam tribuit, qui eſt quaſi ſemen immortalitatis. Quod ad impios attinet, dicere licet cum Dauide, *Non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.* Etſi enim reſument reuera corpora ſua, non tamen ad vitam, ſed ad mortem ſempiternam: ideóque reſumptio illa corporum, prolaptionis potius in deterius, quàm reſurrectionis nomen meretur, erítque huiuſmodi commutatio, qualis eſt febris vulgaris in ardentem. Improbi enim de ſepulchris ſuis, vt ſontes de carceribus imperio Iudicis educentur, vt in rota contrucidati toto corpore langueant, & mortem beneficij loco à circunſtantibus implorent.

Pſal. 1. 4.

VII. *Hoc cibo diuinus ſpiritus datur.* Leſſ. l. 12. n. 108. Illud etiam hîc addo de hoc cibo, quod eſt conſideratione digniſſimum, quo vis eius & prærogatiua fit clarior. Caro enim animalium, qua veſcimur, vitam nobis ſuam conferre non poteſt; nullam quippe tunc habet, cùm cedit in cibum. At caro Seruatoris ſpiritu diuino plena eſt, ab eóq; nunquam deſeritur; itaq; qui illam ſumit, hũc quoq; ſpiritum ſumat neceſſe eſt. Qui ferrum candens accipit, ignem quoque illi coniunctum, & intimè inhærens accipit. Chriſtus igitur myſtici ſui corporis caput, huius alimenti opera, ſpiritum illi ſuum, vitámque communicat, ſic vt cum Apoſtolo dicere poſſit. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et quemadmodum ſpiritus hominis alimenti partes viuificat, inſeritque corpori, ita Dei ſpiritus animat, & in vnum quaſi corpus coagmentat fideles omnes, qui hoc diuino cibo participant, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.*

Gal. 2. 20.

1. Cor. 10. 17.

Mirabili Dei conſilio. Quàm admirabile igitur fuit conſilium Dei, qui vt homines ad ſe alliceret, ſuique ſpiritus ac vitæ participes redderet, aſſumptam ſibi humanitatem panis & vini accidentibus obtexit, vt fieret cibus, cuius interuẽtu ſuum ille ſpiritum ac diuinitatem, qua illa humanitas animatur, cõmunicaret hominibus, eos ſanctificaret, darétque in ipſo, & de ipſo viuere. Quàm liberalis fuit diuinus ille amor in homines, quorũ poteſtati vitam & ſanguinem Dei, animam ac diuinitatem permiſit! Lipſana ſanctorum Martyrum & Confeſſorum iuſta veneratione colũtur, quæ olim templa Dei viuentia, totiúſque ſanctiſſimæ Trinitatis domicilia extiterunt, vt Seruatoris vox illa teſtatur. *Ad eum veniemus, & manſionem apud*

Ioan. 14. 23.

eum

cum faciemus. Imo crucem & clauos, ſpináſque honoramus, quæ ipſum Chriſti corpus ita tetigerunt, vt illud vehementer cruciarent; veſtes eius ac ſyndones, theſauros ingentes arbitramur. Deus bone! quid eſt veſtimentum corporis, ad corpus ipſum? Proh, quàm deplorandus eſt imaginationis humanæ ſtupor, qui iſta pro meritis æſtimare non poteſt! O quàm terreni ac ſenſibus immerſi ſunt mortales, quàm modica eſt eorum fides!

CAPVT XXXIV.

Res aliæ, quæ hanc Chriſti liberalitatem vehementer amplificant.

OCCVRRVNT & alia quædam, quæ hanc Seruatoris beneficentiam, qua ſe mortalibus dedit in cibum, etiam atque etiam exaggerant. Quod videlicet à corporibus, in quæ illum penetrare oportebat, non abhorruerit; neque à multorum improborum conſcientia ſponte refugerit, ſic vt ab hac volũtate propterea propoſitóq; deſiſteret. Quódque ſe in quotidianum cibum, ſine vlla temporis, locive definitione tradiderit. Hic horror, & quaſi naturale odium, hoc videtur eſſe iuſtius, quo pulchritudo, & munditia dominici corporis maior eſt, & omniũ hominũ & angelorum veneratione, cultúq; dignior. Nónne, Deus immortalis, iſti bonitati ſatis fuerat ſuperq; factum, dum corpus tuum morti adhuc fuit ac perpeſſionibus obnoxium, quod tam probroſè ac petulanter habitum eſt, vt diuina iſta facies fœdiſſimis oblineretur ſputis, pugnis intumeſceret, liuore decoloraretur, ſic vt ad leproſi faciem propiùs, quàm bene valentis accederet. *Et nos putauimus*, inquit Eſaias, *quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Ca. 53. 4.

I. Chriſtus à corporibus recipiẽtium nõ abhorruit.

Non oportuit, Chriſte optime maxime, poſt illas ſtabuli ſordes ac præſepis, quo te infantulum paupertas neceſſitáſque compulerant, vt nunc Rex gloriæ & princeps omnium electorum conſtitutus, non auerſareris, imo ſciens prudénſq; ſpecum tenebricoſum ſubires, craſſis abundantem ſputis ac corruptis cibis: ſtomachum inires pituita, reliquiſque humorum ſedimentis refertum, quæ ſine nauſea videri ac pene cogitari non poſſunt. An oblitus es munditiæ leges, quas olim populo tuo peregrinanti præſcripſeras? volebas eos curam gerere mundiciei, *quoniam*, inquiebas, *Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te*, & videlicet timere ne tu, obuiis offenſus ſordibus, faciem ab eis auerteres, atque abires. Nunc autem tu ipſe per te vili ſpecierum lacerna tectus, ſordentis ſtomachi penetralia ſubire non recuſas.

II. Affectus cõmiſerationis — Deut. 23. 12, 13.

III. De eodem.

Scio equidem humanam iſtam naturam imbutam immortali gloria,

& inuiolabili pulchritudine conuestitam, nullas inde sordes contrahere, nullâque affici molestia: solas species his contingi fœcibus, aut inquinari, supérque illas mox cibum potúmque defluere: tu tamen ipse reuera dici potes eas sordes attingere, quamuis speciebus quasi velo quodam interposito. Tu idem reipsa stomachum subis, ibíque ades tamquam in cænosa lacuna. Tamne effusè tui prodigus est amor in nos tuus, vt dilectorum hominum sordes tibi mundæ sint, eásque subeas non inuitus, sed multa cum hilaritate, vt olim ædes dilecti Lazari & sororum eius, aut parentum tuorum. Hunc ipsum animi tui sensum, tute iampridem Vuidichindo Saxonum principi necdum Christiano patefecisti, quod ipsemet ad Carolum magnum retulit, cùm in quorumdam ora festiuus & hilaris, in aliorum mœstus ac renitens intrare videreris. Tam hilaris autem aliquando ac volens, vt ne illam quidem moram ferre possis, qua sacerdos sacramentum deferat ad os eius, qui illud accepturus est, sed vltro in os inuoles, vt de Catarina Senensi scriptum legimus. Prò quantum gaudium piis mentibus, quantam animi demissionem, quantam fiduciam afferre debet ista cogitatio! quàm promptas reddere debet animas, & alacres humilibus obsequiis eius causa frequentandis, qui ne à sordibus quidem nostris abhorruit.

Christus hilariter subit stomachum amicorum suorum.

Baro. ann. Chr. 785.

Vuindichindus.

IV. *Crebra Christi liberalitas.*

Quòd si humanissimus Seruator, semel in vita duntaxat, hac tam familiari liberalitate vti voluisset, si nemo Christianus tanti mysterij, præterquam in vltima vitæ periodo, particeps esse posset, non leuis vtique fuisset ista gratia, neque mediocris liberalitas. Non secus ac si Rex aliquis, aut summus ipse Pontifex ægrum famulum vltro inuiseret, aut secum prandere iuberet, aut ei regio lecto cederet, quanto se ille honore, quanta affectum gratia crederet, vt eam perpetuò meminisset, perpetuóque iactaret! Omnes aulici tantam illi felicitatem inuiderent, eámque quantouis pretio emptam cuperent. Existimaret autem famulus iste profectò, se ad vitam pro domino suo, centies si fieri posset, profundendam obligatum esse, si quo modo tam insignem gratiam reponere illi posset. Quæ igitur est Seruatoris beneficentia, qui tam insignia benignitatis suæ argumenta, quotidiana esse voluit amicis suis? qui sensus, qui motus animorum, quæ gratiarum actiones erumpere debent aduersus Dominum, qui tanta seruulum liberalitate prosequatur?

V. *Eaque mirabilis.*

Quotidianum ad vsum rem aliquam transferre, puta vestem, monile, aliámve rem alioqui pretij non vulgaris, est vtique eam deinceps habere viliorem. Quomodo ergo nihil veritus est beneuolentissimus Seruator, ne apud homines ineptos ac rudes tantus Dominus euilesceret, vt qui se quotidie, singulisque horis permiserit vulgaris arbitrio sacerdotis? *Et quotiescunque feceritis.* Videtur profectò Dominus amorem suorum obseruationi, ac reuerentiæ prætulisse, & debiti sibi honoris dispendio, amicitiam mortalium redimere voluisse. Vulgo enim familiaritas contemptum parit. Itaque non malè illud poëta quidam;

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor. -----

Illa enim venerationem amat, iste quærit familiaritatem. Illa non vult in hominum venire conspectum, iste amicorum absentiam patienter ferre non potest.

Non tamen est quod diuinam Sapientiam in hoc negotio sui oblitam fuisse suspicemur. Intelligendum est enim, si rem ad viuum resecare placet, familiaritatem vi sua non parere contemptum, sed intimam afferre cognitionem eius, quicum magna nobis familiaritas intercedit; & aperire, quæ in eo latent bona, maláve: bona cognita amorem atque admirationem pariunt, mala odium & contemptum. Itaque si quando magna nobis est vitæ consuetudo cum viro eximiæ cuiusdam sanctitatis, hoc eum pluris quotidie facimus, quò nobis eius perfectiones, animíque dotes, quas modestiæ velo, animíque demissionis obnubit, penitius innotescunt: quod de S. Ignatio, illustri religiosi ordinis Patriarcha legimus. Contra verò vbi in hominis tecti familiaritatem penetrare licuerit, deprehensæ imperfectiones, præceptam virtutis opinionem imminuunt paulatim, ac deterunt. Seruator igitur cùm sit ipsa sanctitas, omniúmque perfectionum, quæ in hominem cadere possunt, thesaurus, quotidiana cum eo familiaritas eas ita patefacit, vt non minus eius vereamur maiestatem, quàm bonitatem diligamus. Itaque, VI. *An, & quatenus familiaritas pariat contemptum.*

Sic bene conueniunt, & in vna sede morantur
Maiestas & Amor.

Hic enim dilectum tenerè complectitur, illa modum adhibebit familiaritati. Quin etiam ipsa experientia liquet, eos qui magna Dei familiaritate fruuntur, maiore illum cæteris veneratione prosequi, magísque in dies absolutissimas eius perfectiones admirari.

CAPVT XXXV.

Rectúmne fuerit Seruatorem, ne improbis quidem negare se, in Eucharistiæ sumptione.

RECTE quidem, vt arbitror, ad veritatem collineasti, mi Amor, de familiaritate ista, sed vereor ne in tanta diuini conuiuij liberalitate, rudioribus prudentia desiderari videatur, quod ne improbis quidem hoc sacramentum negetur; cùm ea communicatio in Seruatoris iniuriam, & certam recipientis perniciem, pestémque redundet. Si qua domus nobilis, ab illustribus quondam viris optimè constituta, & fundata, in manus improborum hominum, helluonum, aleatorum, nebulonum deuoluta fuerit, non solùm illud ex triuio vsurpari potest; *O domus antiqua, heu quàm dispari dominaris Domino!* sed illud etiam iure meritóque addi, fundatores illos, si eam cladem præuidere potuis- I. AVTOR. *Non videri conuenire vt improbi huic sacramento participare possint.* I. Off.

ſent, longè aliter rebus ſuis fuiſſe conſulturos. Cùm Seruator mundi diuinum hoc epulum institueret, vidit vtique infinita illa ſua prouidentia, quæ tempora omnia, locáque colluſtrat, poſteritatem omnem, in cuius manus deuenturum eſſet hoc eius patrimonium, quod pluris eſt, quàm cœlum omne quod cernimus, & quidquid eius amplexu continetur; vidit, inqu, nãon ſecus ac ſi iam tunc res præſens eſſet, abuſum iſtum: nec tamen abſtinuit ab huius inſtitutione ſacramenti.

II. *Præuiſo abuſu.* Perſpicuè intellexit, quàm multi ſacroſanctum hoc myſterium prodigè ac profanè habituri eſſent, quoties venturum eſſet in manus peccatorum, qui corpore, aut animo, aut vtroque impuri atque inceſti, diuinum ore ſacrilego cibum contaminarent atque polluerunt, nouique Iudæ oſculo filium hominis proderent. Non ignorauit fore, vt perditi homines hoc mirabili pane, ad ſacrilegia & veneficia, in ipſius cacodæmonis famulatum, abuterentur: fore vt hæretici, Iudæi, athei, cæterique infideles ipſum, his accidentibus tectum, indigniſſimè violarent, pugione confoderent, flammis conſumerent, beſtiis abiicerent, procaci impudentia dedecorarent. Nónne hoc fuit dare ſanctum canibus, & porcis proculcandas proiicere margaritas? quod Seruator ipſe in euangelio

Matt. 7. 6. prohibebat, *ne forte*, inquit, *conuerſi dirumpant vos.* At hîc certa planè res erat, eique penitus explorata.

III. LIBERAL. AMOR. *Eum reuera præuiſum ac permiſſum fuiſſe.* Æquum eſt, ait Liberalis Amor, vt his obiectionibus breuiter occurramus. Illúdq; fateamur in primis, negari non poſſe Dei filium hanc ſcelerum, quæ tu referebas, atrocitatem in Euchariſtia, atque indignitatem à conſceleratis hominibus pertuliſſe. Id hiſtoriæ, temporum criminúmq; iſtorum teſtes, mutorúmque mortalium oculi ipſi teſtantur. Neque tamen propterea, in tam diuino inuento, vllum imprudentiæ veſtigium, ſed ſingulare publicæ charitatis argumentum admittendum eſt: ſicut & in crucis perpeſſione voluntaria, omniúmq; cruciatuum & probrorum, quæ illi patibulo fuere coniuncta. Itaque, in hoc quoque diuino conui-

1. Cor. 1. 23. uio, cultoribus idolorum irriſionem, Iudæis offenſionem permittamus, *quia quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.* qui ſibi perſuadere non potuerunt Dei bonitatem, & in homines beneuolentiam

Ca. 11. 27. eò vſque poſſe pertinere. Idem Apoſtolus fatetur Euchariſtiam indignè accipi vulgò poſſe; fierique eos, qui tam liberali Dei amore abutantur, Dominici corporis ſanguiniſque reos. Adde & illud Eccleſiæ canticum, *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vita, vel interitus.*

IV. *Itáque fieri oportuiſſe.* Quòd ſi Deus in huiuſmodi euẽtis ſubducere ſe, & conſecrata panis & vini ſymbola deſerere voluiſſet, nihil certi in maximo fidei Chriſtianæ myſterio, eſſe potuiſſet. Neq; enim certo ſciri poſſet quando adeſſet ipſe Dominus, vt adorari poſſet, & quando abeſſet, vt ceſſaret adoratio. Itaq; non raro fidelibus, tam adorando, quàm non adorando, contingeret eſſe ſacrilegis. Vt enim quiſque improbiſſimus eſt, atque hoc epulo indi-

gnissimus, ita maximè fictus est, & dissimulator improbitatis. Manna figura fuit diuini huius Sacramenti; à malis autem non secus ac bonis sumebatur, diuerso licet gustu fructúque. Decuit ergo & rem figuratam obnoxiam esse esui proborum atque improborum, sed longè dispari fructu. Ibi enim iusti accipiunt incrementa gratiarum, peccatores rei fiunt supplicij sempiterni. Cùm ergo Doctorum omnium Ecclesiæ vna sit conspiránsque sententia, Seruatorem adesse præsentem, & accidentibus illis tegi, quamdiu integra perseuerant, nec vlla vi creata ab iis seiungi posse, fatendum quoque est, quocumque tandem in loco fuerint species, ibidem ipsum adesse, ibique, super admirabili inuento benignitatis suæ, colendum atque adorandum esse: gratiásque immortales ipsi à bonis habendas atque agendas esse, in quorum gratiam, sacrilegiis illis sese obnoxium reddidit, quamuis beatum iam, atque immortalem.

D. Thom. 3. p. q. 80. a. 3.

Vide l. 7. c. 18. fin.

CAPVT XXXVI.

Eundem Seruatorem se hominibus in pretium redemptionis tradidisse.

I. *Propositio dicendorum.*

SEQVITVR iam vt de primario salutis humanæ, & diuinæ liberalitatis capite disseramus, sed pro rei dignitate atque amplitudine, paucis: simúlque de mercede, qua homines Seruatoris sui labores & ærumnas, itinera & defatigationes, conciones & miracula, ieiunia & vigilias, orationes & zelum animarum, institutionem Sacramentorum, infinitam charitatem, cæterásque eius virtutes omnes compensarunt. Reposuerunt enim illi vicissim probra & contumelias, odium & inuidiam implacabilem, intentatam lapidationem, & præcipitium, postremò crudelissimam, probrosissimámque mortem. Atque hoc modo qui seruum se præbuerat & doctorem, qui ducem & medicum, qui cibum & potum, postremò seipsum, cum omnibus suis bonis, in pretium tradidit redemptionis humanæ. Nam cæteri quidem, qui titulum Redemptoris aut Seruatoris acquirunt, si quem vinculis exemerint, aut seruare maluerint, quàm necare, satis habent illi beneficio gratiam suam, opésve impendere. Noster autem tantum impendit, quantum neque dici neque cogitari potest, neque vllo beneuolentiæ, vel officij genere compensari. Cupio tamen hunc locum non intactum relinquere, vt diuinus in hominibus amor incalescat, & excitetur commiseratio aduersus illum Redemptorem, qui signum sustulit prodigiosæ liberalitatis, spero hanc ei operam nostram non ingratam fore.

II. *Solutio Seruatoris syncera & libera.*

Principio ponendum est hanc debitorum humani generis solutionem, ex mera syncerâque Seruatoris liberalitate profectam esse. Nihil enim illis erat obligatus, pro quibus tantum debitum persoluendum

suscepit, poterat potiùs vinculis ac verberibus excruciatos necare, atque adeò æternùm arsuros in Tartarum dare præcipites. Et cùm ipse quoque Deus esset, nulla cœlitus necessitate vrgebatur, vt vellet vel inuitus, satisfaciendi causa, tot adire labores; sed hanc benignitatem singularis misericordia liberæ voluntatis expressit, *Oblatus est*, inquit Esaias, *quia ipse voluit*. Quin & ipse Seruator, *Ego pono*, inquit, *animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* In cuius rei signum obuiam vltro venit inimicis suis, non Petri solùm, sed Angelicarum etiam legionum defensione repudiata. Quod non impedit ne violenta fuerit executio, & inimica naturæ, vnde manabat illa vox in summo animi æstu, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Nempe natura postulat conseruationem sui, mortem & cruciatus ei contrarios auersatur.

c. 53. 7.
Ioan. 10. 17.

III. *Nonobstante obedientia patri debita.*

AVTOR. Hic ego, occurrit tamen, mi Amor, non leuis difficultas hoc loco. Cùm enim in Christo humanitas in diuina persona subsisteret, omnino peccare non poterat, ergo neque mortem non subire, iuxta paternum imperium. Nam in eodem ipso Ioannis loco affirmat ipsemet, se mandatum accepisse à patre suo ponendi animam suam, cui factus est obediens, vsque ad mortem crucis. Mors itaque necessaria illi fuerit, non voluntaria & libera.

LIBER. AMOR. Quid ergo, inquit Liberalis Amor, num existimas actus obedientiæ nullius esse meriti, cùm meritum sine libertate esse non possit? Illis enim actibus vitæ æternæ mercedem dari constat, iuxta decretum illud, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Seruatoris obedientiæ debetur mundi salus. Respondeo itaque præceptum non impedire, quo minùs voluntas liberè exequatur, quod imperatum est; cùm præceptum naturalem agendi modum ipsius voluntatis non mutet, sed efficiat duntaxat, vt obedientis voluntas certissimè ad executionem feratur.

Vide Suar. 3. d. d. 37. s. 3. *qua non tollit libertatē.*

IV. *Tria satisfactionis munera.*

Videamus nunc ordinem & modum solutionis huius, qua Seruator mundi diuinæ iustitiæ satisfecit, proportione eorum, quæ in peccatoris cum Deo reconciliatione requiruntur. Principio necesse est vt se reum agnoscat, ac fateatur omnium scelerum à se admissorum, & pro iis satisfactionem animo destinet. Deinde vt ingentem ac verum animi dolorem, de offenso Deo ac Domino suo concipiat. Postremò satisfactionem aliquam pro modulo suo subeat oportet. Eadem in Redemptoris satisfactione notari possunt. Obtulit enim se diuinæ iustitiæ, quasi reum omnium scelerũ, quæ vnquam fuerint ab hominibus perpetrata, perinde ac si ea ipsemet perpetrasset; & impositæ ab offenso Iudice satisfactioni sponte, atque humiliter acquieuit. Deinde acerbissimum de iis & longè maximum animi dolorem accepit vltro. Postremò pro iisdem tum toto vitæ tempore, tum maximè postremò cumulatissimè satisfecit. Quæ copiosam orationem desiderarent.

CAPVT XXXVII.

Explicatio primæ partis Satisfactionis Christi Domini, pro peccatis omnium mortalium.

NON plura Liberalis Amor de hac diuina Christi satisfactione videbatur esse dicturus, cùm ego illicò sermone renouato, Vberius, inquam, obsecro, amantissime mi, istam Christi Domini pro mortalibus satisfacientis liberalitatem; non enim parum valebit, vt arbitror, isthæc oratio ad finem tibi propositum, excitandi mutuam in eius amore ac famulatu liberalitatem. At enim, inquit ille, vides me iamdudum non paulò opinione mea esse longiorem. Nolo tamen deesse desiderio tuo. Dicamus igitur Seruatorem grauissimum sibi onus imposuisse omnium peccatorum, quæ fuerant vnquam ab hominibus perpetrata, aut perpetranda erant aliquando, à primo Adæ scelere, ad postremum vltimi mortalium, cum obligatione accuratissimæ satisfactionis. I. *Exordium.* AVTOR. AMOR LIBERAL.

II. *Christus hominum scelera luenda suscepit.* De hominibus loquor. Deus enim factus homo, nihil aut egit, aut passus est, in gratiam Angelorum rebellium, quos diuina iustitia ab initio deseruit in peccatis suis, omni ope, ac gratia ad resipiscendum destitutos; sed solos homines iuuandos, redimendósque suscepit: iuxta illam Ecclesiæ confessionem, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, &c. Quo in numero illi quoque continentur, qui ante Seruatoris aduentum æternis suppliciis addicti erant, quique deinceps ad mundi finem iisdem erant addicendi. Etsi enim à tanto remedio nullam illi leuationem acceperunt, exoluit tamen Seruator diuinæ iustitiæ, æs omne alienum quod illi contraxerant, si eis fuisset applicata solutio; insupérque gratias omnes promeruit, quæ eis dum viuerent collatæ fuerant, ob futura merita venturi Redemptoris. Merita enim dilectissimi filij intuebatur Pater, dum eis varia dona gratiarum largiretur, & remissionem peccatorum offerret, quasi venturi emptoris fide, quem oportuit deinde satisfacere creditori, quamuis solutio nullum planè emolumentum obæratis attulisset. *etiam damnatorum.*

III. *Immensus eorum numerus.* Quis autem tam fœdam cloacam, tam cœnosam peccatorum voraginem non exhorrescat? Et peccata, quæ cogitatione, verbis, operibúsque ipsis perpetrata sunt, non quinque aut sex diebus, sed totidem millibus annorum, ab omnibus Caini filiis, qui ipsos octingentos annos, nongentósque vixerunt; ab illa omni gigantum natione, quorum superbia, effrenatio, & impotentissimus dominatus vbique celebratur, & à

reliquis mortalibus, quos Noëticum diluuium sustulit, quorum tanta erat improbitas, itáque ad omnem nequitiam applicatus animus, vt Moses, Deo dictante, scribere non dubitarit, tantam fuisse hominum in terra malitiam, vt *cuncta cogitatio cordis eorum intenta esset ad malum omni tempore*; adeò vt ipsum quoque Deum, qui pœnitudine non tangitur, pœniteret fecisse hominem, & dolore cordis intrinsecus tangeretur, quòd eum videret quasi de industria pessimè agere, hominibus, ipsóque Deo violando.

Gen. 6. 5.

IV. *Etiam post diluuium.*

Ab illa porro eluuione, cùm se idolorum cultus effudit in terras, quis capere cogitando possit quanta scelerum colluuio mundum inundarit vniuersum? Cedo vnam aliquam de Catholicis vrbibus, quæ centum millia ciuium numeret; quot putas in ea crimina quotidie perpetrari? quot in hæretica, vel Mahumetana? quot singulis hebdomadis, mensibus, aut annis? Ad quem ergo numerum excrescet multitudo scelerum, quæ omnibus vrbibus & pagis, omnibus annis & seculis perpetrata sunt. Ecquis est hominum, vel Angelorum, qui tantam colligere aut subducere summam queat? Profectò ita mihi persuadeo, si peccata illa in minutissima arenæ grana singula verterentur, ea ne toto quidem primi mobilis, aut firmamenti complexu captum iri.

V *Immensáque turpitudo.*

Sua deinde vnicuique peccato fœditas ac turpitudo tribuatur, siue iis, quæ à blasphemis ac periuris, siue quæ à dæmonum libidinúmque mancipiis, siue quæ ab hæreticis, atheis, cæterisque infidelibus perpetrantur, quorum pleraque horribiliora sunt, quàm vt castæ aures ea ferre possint. Illa deinde vniuersa deformitas, aut potiùs pestiferum virus in vnum colligatur, num quod spectaculum ingratius, diuino, Angelicóque conspectui, num qua sentina detestabilior omnibus hominum sensibus inueniri possit? Ipsis præsertim mentis oculis incarnati Verbi. Eam nihilominus tam horribilem, támque infandam cloacam contemplatus Seruator, incredibili constantia illam purgandam suscepit; tantum apud eum potuit zelus honoris paterni, & misericordia aduersus perditum mortalium genus.

VI. *Quæ Christus in se recepit.*

Obtulit ergo se misericordissimus Redemptor, stánsque ad tribunal diuinæ iustitiæ, copiosam pro iis omnibus satisfactionem spopondit, atque in se recepit. Clementissimæ filij liberalitati acquiescit Pater, iuxta illud Esaiæ vaticinium. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.* Sed & Pater ipse de filio loquens, *Iustificabit*, inquit, *ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit*; quæ fuit causa cur eas ipsemet nominaret suas, quasi à se, quamuis innocentissimo, perpetratas. Hoc enim ipsum est, ô mitissime Seruator, quod tu olim, parentis tui Dauidis ore, cum gemitu pronunciabas, *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Poteras & illud ex alio vsurpare Psalmo, *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Et

c. 53. 6. & 11.

Psal. 21. 1.

Psal. 37. 4.

rursum

rursum illud, *Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Psal. 39. 13.

VII. *Et quasi vestibus induit* Zach. 3. 3.

Clementissimus ergo Seruator, vt ille olim apud Zachariam magnus sacerdos, ipse quoque augusto Iesu nomine insignis, stetit ante faciem Patris, *indutus vestibus sordidis*, id est omnium sicariorum ac grassatorum cædibus, omni adulterorum, & scortatorum nequitia, omni barbarorum spurcitia atque immanitate, omnibus bellorum populationibus, proditionibus, incendiis, & rapinis, cæterisque omnibus flagitiorum portentis, ad quorum vel cogitationem ipsam exhorrescimus, quibus tanquam vestibus ita circunfusus fuit, ipsi vt eius humanitati, non magis quàm corpori vestes adhærescerent. Ea tamen omnia cruci suæ imposita circumferenda suscepit, & pro eis satisfactionem diuinæ iustitiæ, in sacrosancta humanitate sua libentissimus obtulit, ac recepit, talem omnino, qualem posteà à prima vitæ periodo executus est ad postremam. Quæ sponsio, receptióque hoc difficilior fuit, ac molestior, quò manifestius, distinctiúsque cernebat omnia, bonus Redemptor, quæ sibi acerbissima natura sua, atque atrocissima imminebant. Cum è contrariò mortalibus vsu veniat, vt futuri mali apprehensio incertitudine, confusione, aut imminutione voluntaria minuatur. Sed sudor ille sanguineus in Oliuetano monte, supremúsque luctantis animæ conflictus, satis ostendunt quanta esset apprehensio, mortifero mœrore afflicti Seruatoris, quámque difficilis admissio tam acerbæ satisfactionis.

& pro iis satisfactionem Patri obtulit.

VIII. *Qua declaratur apertius.*

Contemplamini ergo religiosæ animæ, cum religiosissimo Bernardo, diuino tribunali addictos homines, reos diuinæ maiestatis multis sceleribus imminutæ, conuictos confessósque reos; nihil tamen minùs cogitantes, quàm magnitudinem calamitatis suæ; sed omni solutos cura per plateas obambulantes, aut lusitantes in sphæristeriis, aut in popinis esitantes, dum eorum causæ capitales, in supremo Dei foro, periculosissimè librarentur. Cùm sistit se iudicio filius longè mitissimus, & vltro pacis & veniæ, ac reconciliationis instituto sermone, Pater, inquit, miserere si placet, istorum filiorum Adæ, qui vt in vinculis situ ac pædore contabescant, nunquam erunt soluendo; & nihilominus suprema eorum clades non tanti est, vt eâ, scelera contra diuinum numen admissa satis lui possint. Cúmque sint reuera perduelles, nihil quod tibi gratum sit, facere possunt, aut quod satisfactionis nomine accipi mereatur.

IX. *Vt videri potest contigisse.*

Accipe itaque me Pater; accipe me pro illis hominibus sponsorem & prædem; feram pro hominibus factus homo, quòd illi nullo compendio, aut emolumento perferrent. Patiar me in manus peccatorum, tanquam in pistrinum aliquod detrudi ac compingi; nihil formidabunt conicere in me manus, ignotum, sordidatum, & veste reorum indutum, dum perfecta tragœdia, omnia ad meipsum traham. Dabo fun-

dandum sanguinem in gratiam eorum ipsorum, à quibus effundetur, & manus pedésque perforandos iis, à quibus configentur cruci. Dabo corpus meum crudeliter, probroséque laniandum, in eorum salutem, à quibus crudeli flagello concidetur. Genas meas dabo vellentibus, *nec faciem meam auertam ab increpantibus, & conspuentibus in me*, neque à spinea corona caput, neque cor charitate flagrans, à quo tota hæc misericordia proficiscetur, auertam à lancea, ne ab illa transfigatur.

Isa. 50. 6.

CAPVT XXXVIII.

Explicatio secundæ, & tertiæ partis Satisfactionis eiusdem.

I. *Satisfactio per interiorem animi dolorem.*

ALTERA pars solutionis, ac satisfactionis huius in interiore peccatorum dolore posita est, quem Seruator toto vitæ decursu in corde suo excitauit ac fouit, tantóque maiorem, quanto infinitior fuit atque immanior vis peccatorum expiandorum, eóque libentiùs, quo hic dolor, cordisque contritio potentior est ad placandum Deum, dum voluntatem ita corrigit atque immutat, vt culpam admissam detestetur, & cupiat infectam, serióque proponat ab ea non abstinere duntaxat, & abhorrere, sed illam etiam idonea pœna castigare. Geminum porrò incitamentum Seruator habuit huiuscemodi doloris, iniuriam diuinæ maiestati factam à seruis & clientibus suis, qui infinitum ei honorem, amorem, & cultum debebant, pro suæ excellentia & perfectione naturæ, si quo modo infinitum exhibere potuissent. Alterum fuit immensitas illa pœnarum æternarum, quibus vniuersum genus hominum erat obligatum. Prout ergo calamitatis huius magnitudinem, & diuinæ maiestatis nobilitatem clariùs agnoscebat, apprehendebátque vehementiùs, ita etiam cor suum acerbiore dolore diuexabat, ita abundantiore tristitia mergebatur, vt & illis pœnis pro atrocitate, & isti maiestati pro dignitate satisfaceret.

quæ illum excitarent.

II. *Quámque intensus esset.*

Hinc luctuosissima illa vox, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, qua se mortifera opprimi tristitia fatebatur; Non enim desunt insignes Theologi qui censeant, tam atrocem fuisse hunc animi dolorem, vt centies tota vita opprimendo cordi par fuerit, nisi diuinitas obstitisset; quæ ad huius sacrificij finem perueniri volebat, & illam vocem absolutionis indicem audiri, *Consummatum est.* Index & illud *Baptismo habeo baptizari*, demergi videlicet, ac sepeliri in alto dolorum pelago, ac molestiarum, *& quomodo coarctor, vsque dum perficiatur*, & ad vltimam illam cordis mei desolationem perueniam, & derelictionem paternam, quam paulò ante mortẽ in cruce sum patefacturus. Quis te consolabitur Domine Iesu, in ista contritione tua, quæ instar æstuantis oceani exundauit, in quo iactatur & fluctuat illa anima, qua secundum Deum, nihil

eſt in cœlo, aut in terra præſtantius, pulchrius, amabilius? *Conſolantem, inquit, me quæſiui, & non inueni.* ſed quò me cúmque oculis & cogitatione conuerto, ampliſſima mihi triſtitiæ ſeges occurrit, quia tanquam ſuper alterum Ionam, *omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt,* Deus meus. Cœlum, terra, inferi, boni, mali, amici, inimici, omnes me triſtitia, vel ex contritione, vel ex commiſeratione conficiunt. Pſal. 68. 21. Ion 2. 4.

III. *De exhibita ſatisfactione.*

Supereſt vt de tertia dominicæ ſatisfactionis parte dicamus aliquid, quæ in regij debiti præſenti ſolutione conſiſtit, quæque ita perfecta eſt, vt pridem fuerat animo deſtinata. Eâ ſatisfactione paupertas voluntaria continetur, & quæcunque eam aduerſa, & incōmoda naturæ comitātur, quæ ipſe à ſtabulo Bethleemitico, ad Caluariæ montem perpeſſus eſt, & à præſepio, vſque ad ſupplicium crucis. Ad eandem ſatisfactionem pertinet obedientia, quæ Moſaicæ legi, quæ parentibus, quæ omnibus in poteſtate conſtitutis ab eo exhibebatur, quamuis ei omnium cæli ac terræ ciuium obedientia meritiſſimò deberetur. Pertinet & labor omnis in fabrili officina exantlatus cum Ioſepho, ad tolerandam vitam; defatigationes item & ſudores itinerum, concionum, & mirabilium operum, totis vrbibus, oppidis, & pagis, in vniuerſa Iudæorum regione, patratorum. Patientia quoque aduerſus calumnias, & probra, omnéſque contumelias, quibus eius innocentia ab æmulis, quaſi in gratiam diuinorum eius operum, perpetuò petebatur.

IV. *Præſertim in paſſione.*

Eadem ſatisfactio comprehendit incredibilem illum, quem dixi, animi mœrorem & luctum, inſupérque omnes nobiliſſimi corporis, tenerrimique cruciatus, quando à militari turba ferociter captus, ligatus, tractúſque eſt per decliuia Oliuetani montis, vallémque Cedrorum, ad tribunalia Pontificum, ad prætoria præſidum, ad regum palatia, ad Caluariæ buſtum, donec ageretur in crucem: perinde ac ſi Filius Dei innocentiſſimus nobilis quiſpiam latro, aut pſeudopropheta, hoſtis Reipublicæ, aut errorum diſſeminator extitiſſet. Idque poſt ingentem vim colaphorum atque alaparum, ſeruiliáque flagella, quibus membra omnia dilacerata fuerant ac contrucidata, præter vnum caput, cui ſpinea corona reſeruabatur, vt ſexcentis perfoderetur locis. Quid de proprij dicam geſtatione patibuli; teterrimorum reorum & viliſſimorum capitum pœna, probróque. O agne Dei quàm inhumaniter tua te pietas & miſericordia ad ſacrificium trahit!

V. *Et ſupplicio crucis.*

Ad hoc enim crucis ſacrificium iſta ſatisfactio terminatur, quo ſupplicio nihil fœdius erat apud Hebræos, nullum deteſtabilius irrogari poterat tormenti genus. In eam igitur aram iniicitur atrocitérque diſtenditur victima ſacroſancta, pedes manúſque cum incredibili dolore perforantur, erigitur cum cruce corpus, & concuſſum in aëre, paratum in ſcrobem deiicitur, nudúmque frigori obiicitur, & pudori ſuo, & ſannis inimicorum. Ibi nullus eſt muſculus aut tendo, nullus neruus aut vena, quæ non patiatur tormentum proprium

& suum. Ossa suis è sedibus demota luxantur, impletúrque illud, *Dinumerauerunt omnia ossa mea*, & vt ait idem Propheta, *aruit tanquam testa virtus mea, & in siti mea potauerunt me aceto.* Ibi corporis pondus vulnera manuum ac pedum, cum diro cruciatu alternatim amplificant, sic vt neutra alterutris, sine nouo dolore, subsidio esse possint. Caput autem ipsum non habet vbi ad tantillam reclinetur quietem, cùm vel brachia cruententur spinis, vel ab ipso ligno altius desigantur in cerebrum. Totum denique corpus sine vlla interpellatione doloris diuexatum est, dum anima ex membris languentibus cruciatuum acerbitate raperetur.

VI. *Gratiarum actio pro hac omni satisfactione.* Quæ tibi gratiæ, ô humanissime Redemptor, de tam liberali misericordia reddi possunt, de satisfactione tantis sponsoris impendiis exhibita creditori? Cui vnquam auditum est tantæ prodigium largitatis? Parúmne tibi fuit vsque adeò deiecisse maiestatem tuam, vt te socium hominibus dares factus homo, quod nunquam in mentem cuiusquam, vel hominum vel Angelorum, venire potuisset, nisi te ad ista pœnarum & probrorum prodigia tradere non dubitares? Præsertim cùm voluntaria oblatio tua, Deo facta in materno vtero, par esset omni hominum generi sanctificando. Voluisti nimirum, more modóque magnifici principis, amplam & cumulatam abs te proficisci satisfactionem, & copiosam apud te, vt ait regius ille vates, esse redemptionem. (Psal. 129. 1.)

VII. *De eadem.* Quid obsecro spectare poteras in hominibus, aut ab hominibus expectare, quòd mitissimum cor tuum impelleret ad facinus tam effusæ bonitatis, quod Hierosolymis perpetrasti? Nihil aliud spectabas profectò, quàm vt tanto, támque inusitato impendio, eorum tibi corda penitus, amorémque deuincires; id si fueris consecutus, abunde tibi factum est satis. O mitissime, amantissiméque Seruator, ecquis te talem, si vel maximè vellet, posset non vehementer amare, nisi saxeo esset pectore, in eóque silicem pro corde gestaret? aut ad eorum certè gregem pertineret, de quibus Dauid, *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, aut deterior etiam; quoniam illa ipsa iumenta cognoscunt diligúntque dominos suos, à quibus vilem duntaxat cibum accipiunt, multis emptum plagis, atque laboribus.

VIII. *Apostrophe ad Christum crucifixum.* Sed permitte obsecro, amantissime Seruator, vt te isto in statu contemplans, in quem compegit te amor tuus prodigus tui, ipse de te pauca rogem. Quandoquidem mala isthæc omnia, atque ærumnæ tanto ante præuisæ sunt à te, atque vltro susceptæ, quid causæ est cur non prouisum à te sit, vt ne in hoc sacrosancto stipite penderes nudus, frigori expositus, oppletus insigni dedecore, ac pudore? Nimirum tam liberalis erga homines fui, vt ne indusium quidem mihi reliquum fecerim, quo tegeretur nuditas mea; *expoliaui me*

tunica mea. Et quare apertæ ſunt manus tuæ, itáque apertæ, vt claudi non poſſint? Quoniam peccatori pœnitenti perpetuo largior promerita dolorum meorum, nec poſſum in ira mea continere miſericordias meas. Sed quorſum ſpinis horreſcens caput deorſum vergit? Non tam à grauiſſimo dolorum meorum pondere, & acutis ſpinarum morſibus mihi degrauatur caput, quam à vehementi deſiderio, vt hæc intermortua labia, peccatori largiantur oſculum reconciliationis & pacis. Pſal. 76. 10.

IX. *Eiuſdem cõtinuatio & concluſio.* Quare porro ſanctiſſimum hoc latus tuum, tam lato vulnere hiulcum eſt? An vt refrigeretur incendium amore flagrantis cordis tui? Vt cor meum diuini amoris fontem hominibus largiar, vtque fontis ipſius poſſeſſores effecti, nunquam ſinant in ſeipſis emori amorem mei. Cur autem poſt mortem oſtium iſtud apertum eſt? Volui me amicis meis viuum tradere, volui & mortuum, quoniam illorum cauſa & vitam adij, & obiui mortem. Volui & viuis & mortuis dilectis meis hoſpitium dare intra pectus meum: vt in corde meo ſint *ad commoriendum, & ad conuiuendum.* Num ergo fieri poterit, vt cuiuſquam alterius gratia quàm tua, aut viuere velimus, aut mori? vt tibi recuſemus cor noſtrum, aut vt alteri donemus quàm tibi? Nolo in tuo famulatu fatigatus, brachia manúſve remittere ac relaxare, cùm tua brachia perpetuo contenta videam, & intenta labori, cùm aſpiciam ſemper apertas manus; vt perpetuo liberaliter dones, quæ perpetuo miſerabiliter amittimus. Ne patiaris labia redemptorum tuorum vnquam ceſſare à laudibus tuis, agendíſque gratiis, quando tua, ſub extremos eorum motus, veniam ipſis & pacem petierunt, atque impetrarunt. 2. Cor. 7. 3.

CAPVT XXXIX.

Diuina liberalitas, qua ſe Deus mortalibus daturus eſt in præmium in immortali vita.

I. LIBERAL. AMOR. *Coniectura ad hanc liberalitatem ſuſpicãdam.* Ca. 29. 18. 19. *Merces Nabuchodonoſoris.*

REFERT Ezechiel admirabilem Dei liberalitatem in Chaldæi principis officio remunerando: Babylonij videlicet Nabuchodonoſoris, eiúſque exercitus, qui, in diuturna obſidione Tyri, irritam illi operam nauauerat. Itaque mercedis nomine dat illi Ægypti opes in prædam, etſi erat tunc id regnum primarium in orbe vniuerſo, paribúſque armis diu contra imperium totius Aſiæ ſteterat. *Accipiet,* inquit, *multitudinem eius,* magnam ſcilicet vim captiuorum abducet ex Ægypto, *& deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi, quo ſeruiuit aduerſus eam.* Quæ merces hoc erat etiam admirabilior, quod & rex & exercitus eius idolis tunc ſeruiebant; quod Dei têplum polluerant, expilarant, incenderant; quod vrbem vaſtauerant, po-

pulum Dei captiuum abduxerant, totámque latè regionem populati fuerant. Quin etiam fortassis ille princeps id bellum susceperat, non tam vt obediret Deo, quem apparet, prophetæ cuiuspiam interuentu, hanc illi expeditionem demandasse, quàm vt suam expleret dominandi cupiditatem, aut acceptam vt iniuriam aliquam vlcisceretur: hæc enim sunt vulgò incitamenta bellorum.

II. *Componitur cum mercede amicorũ Dei.* Ezech. 29. 18. Hinc ergo perfacilis est coniectura quanta Dominus magnificentia sit vsurus aduersus famulos suos, quos adoptauit in filios, quibus dedit Spiritũ sanctum suum, & ius in hæreditatẽ tali parente dignam; aduersus eos, qui toto vitæ curriculo ei studiosè famulati sunt, & arma sub vexillo vnigeniti filij eius laboriosè tulerunt, non vt illi Babylonij, donec omne caput decaluaretur, & depilaretur omnis humerus, sed dum sanguis eorũ omnibus ex membris funderetur. Seruierãt illi, vt operæ viles, aggeribus construendis, terra, lapidibus, aliísque oneribus huc illúcque comportandis. Seruierunt isti quasi victimæ immanibus tyrannis, affixæ patibulis, distentæ in equuleis, pectinibus ferreis exaratæ, assatæ in craticulis, feruenti oleo immersæ, plumbo potatæ liquefacto, in fornaces incensas cõiectæ, aliísque id genus tormentis morte mulctatæ. Quod ergo regnum mercedis nomine daturus est illis, qui ista in eius gratiam pertulerunt? aut illis, qui diuturna morte, ferenda post eum cruce, cum principe tenebrarum decertando, mundi honoribus, carnis voluptati fortiter constantérque repugnando, consumpti sunt, nihil aliud spectantes, quàm vt illius vnius gloriæ velificarentur?

III. *Vinum nuptiarum in Cana.* Ioan. 2. 9. 10. *Postremus actus.* Præfectus ille nuptiali conuiuio in Cana Galilææ, cùm vinum miraculo creatum gustasset, dicebat sponso, illum præter cæterorum morem, qui conuiuia instituerent, se gessisse: qui nobilissimum vinum extremo conuiuio reseruasset. Poëtæ in extremo actu fabulæ, & Oratores in peroratione maximè conantur excellere. Quale igitur, & quàm pretiosum arbitramur esse vinum illud, quod sponsus animarum sanctarum supremo illi conuiuio reseruauit? Vinum æternarum deliciarum, de quo scriptum est, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (Psal. 35. 9.) Vinum gloriæ cœlestis, cui omnes vitæ huius consolationes compositæ, meræ aquæ sunt, aut admodum diluta vina, quæ ipsa raro admodum obitérque degustantur. Ibi autem sponsus illud sponsæ canticum frequentat, *comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* (Cant. 5. 1.) significans illam delectationis copiam, instar ebrietatis, homines extra se abducere. Hic postremus est actus, & finis operum liberalissimi Seruatoris, & beneficium longè præstantissimum; finis enim sine controuersia præstat omnibus, quæ ad finem referuntur.

IV. *Christus obiectum gloria geminũ.* Tunc nimirum qui hominum mediator, qui dux, qui doctor, qui conuiuium, qui redemptor, qui sanctificator fuit: idem erit & gloriæ largitor, adeóque humanæ felicitatis obiectum, qui priùs dederat eius promerendæ facultatem. Cùm enim sit ex diuinitate, atque humani-

tate compositus, illa mentis, hac corporis erit beatitudo. Quò illa Christi Domini vox non immeritò referri potest. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Deus*, inquit Augustinus, *vt familiarius diligeretur ab homine, in similitudine hominis apparuit, & vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur; & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate: vt siue ingrediens, siue egrediens in ipso pascua inueniret humana natura condita ab ipso.*

Cypr. de Card. Christi operibus. Ioan. 17. 3. Manual. c. 26.

V. *Et illius causa meritoria.*

Seruator idem meritoria causa est fœlicitatis illius. Peccatorum enim condonationem summo iure promeruit: copiosa pro peccatoribus satisfactione exhibita in corpore suo. Ideóque Ioannes Apostolus, *Ipse est*, inquit, *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et Paulus, ait homines cùm mortui essent in delictis suis, fuisse vitæ restitutos cum Christo, condonatis omnibus delictis, deleto quod aduersus eos erat chirographo decreti, & affixo cruci. Atqui nihil erat præter peccatum, quod cœlum hominibus occluderet, quod murum diuisionis, Deum inter & homines, excitaret, eiúsque contemplationem intercluderet. Peccata dissipant beneficas cœli nubes, ne aridam terræ faciem pluuia gratiæ cœlestis irroret. Qui ergo, quasi alter Elias, hoc impedimentum amouit, & insuper homines, effuso super eos Spiritu sancto, retulit in album filiorum suorum, eísque ius dedit ad immortalem illam hereditatem, nónne princeps ac primaria causa est felicitatis humanæ? Qui eis primam gratiam, cæterasque promeritus est quæ illam consequuntur, nónne & gloriam, cuius semen est gratia, eisdem acquisiuit?

1. Ioan. 2. 2. & ca. 4. 10. Coloss. 2. 14

Isa. 59. 2.

3. Reg. 18.

VI. *Alia coniectura.*

Itaque beneficentiæ ipsius opus erit, quod miseri mortales, nisi per eos steterit, ad illius possessiónem hereditatis admittantur, illísque fiat gloriæ, ad quam conditi sunt, distributor. Si ergo impares sumus intelligenda aut æstimanda magnitudine beneficij, & acerbissimæ liberalitatis, quam apud nos exercuit, quid de felicissima illa liberalitate dici poterit, qua ille nos apud seipsum afficiet, cùm illa ad hanc, vt ad finem media, referatur? Cruciatibus probrisque vexari non est tuum, ô innocentissime, gloriosissiméque Seruator, sed sontium, atque miserorum: si ergo talem te támque admirabilem amor reddidit in alieno, & quasi mutuo sumpto statu, quem te obsecro in natiuo reddet & tuo? Si in hoc ipso exilij loco, & valle lacrymarum, teipsum dilectis animabus tanta dulcedine ac suauitate communicas, quid eas in patria, & in illo immortalium deliciarum paradiso sperare par est?

VII. *Ex huius vitæ vsu petita.*

Si quo in loco amica diuini sponsi dona, & consuetudo familiarior potest aditum parare superbiæ, ac ruinæ, ab iis tamen quodammodo abstinere non potes, vsque adeo suauis est amor tuus, quid in superiore illa regione facturus es, in qua à vanitate, & malo gratiarum vsu periculum nullum est? Si dum huius stadium vitæ decurritur, in quo nullus

dies, nulla propemodum hora à prolapsione libera est, in quo nullum pene opus è manibus, nullum ab ore verbum, nulla ex corde cogitatio proficiscitur, in quibus aliquid non redundet aut desit, eis nihilominus hilaritatem vultus tui impertiri non cessas: quid facturus es vbi peruentum fuerit, ad illam metam, ad quam residentibus, nullus erit vltra offensionibus, aut peccatis locus, vbi ne tantillum quidem vnquam aberrabitur à regula sanctissimæ voluntatis tuæ.

VIII. *Et cognitionis illius modo.* Hæ nobis sunt hoc loco, & id genus aliæ coniecturæ, quibus suspicamur atque colligimus, qualis aliquando erga amicos ac filios suos, in postrema illa, & interminata liberalitate futurus est, quæ priores omnes quasi corona cinget, & indissolubili vinculo colligabit: vbi gloriosus munerator, ab obscura cognitione, & huic vitæ consentanea, suos ad claram & manifestam traducet, quæ cum illis immortalibus gaudiis, deliciisque consentiat. Testis huius assertionis Apostolus, *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate*, causas videlicet in effectis suis, *tunc autem facie ad faciem*. id est reuelata facie, & coram, sine vllius ope velaminis, quo tanti fulgoris acies retundatur. Roborabit enim Deus, atque illustrabit nouo lumine mentis oculos, quo reddantur idonei, ad ipsam Dei faciem, immoto atque illæso lumine contemplandam. (1. Cor. 13. 12.)

CAPVT XL.

Qua in re posita sit ista liberalitas, quod attinet ad intellectum.

I. *Officium vtriusque facultatis.* POSTREMA hæc Dei nostri liberalitas gemina in re maximè vertitur, cognitione intellectus, & amore voluntatis. Vtraque enim harum facultatum ratione vtentis animæ fiet beatitudinis particeps. Prior diuinum obiectum aperiet, posterior toto impetu in eius amorem feretur: illa contemplabitur mirabilem illam absolutionem, perfectionémq; diuinæ pulchritudinis, bonitatis, amabilitatis: hæc eum summo affectu, arctissimè, inseparabilitérq; constringet, & in eo complexu incredibili gaudio ac voluptate colliquescet. Huc meritò accommodari potest illud Dauidis, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Etsi enim illa monitio pertinet ad præsentē vitam, non minùs tamen quadrat in futuram, in qua intellectus videt, & voluntas diuinam degustat suauitatem, aut ab ea potiùs suauissimè absorbetur. Aliquid nobis deinceps de vtraque facultate dicendum est. (Psal 33. 8.)

II. *Diuinorum cognitio vitæ huius obscura est.* *Charissimi*, aiebat dilectus discipulus, *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit*, gloriosa videlicet facie retecta, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nunc enim eum animo depingimus, vt possumus, vt cœci lumen & colores apprehendunt, aut surdi harmonicum concentum: speciem aliquam in (1. Ioan 3. 2.)

mente

mente deſcribimus, per organa ſenſuum externorum receptam, & à corporea quantum licet concretione purgatam, ſed rudem nihilominus & adumbratam; quo modo ſpiritus in humano corpore agnoſci poteſt. *Ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, ait ſponſa, *reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, quia videri ſe, ſine fidei obſcuritate non ſinit, & per materiata phantaſmata. Tunc autem deiecto pariete, & feneſtris cœli patefactis, præſentem ſe, ſine cuiuſpiam rei interpoſitione, præbebit, teneri ſe patietur, & ſponſæ deſiderio petitionique acquieſcens, eam admittet ad oſcula oris ſui. Cant. 2. 9.

III. *Futura clara ope luminis gloriæ.*

Extinguet illam fidei faculam, quæ in tenebris vitæ huius intermicat, & coruſcantem gloriæ facem accendet, quæ roborabit intellectum, vt infinitæ lucis ſplendorem ferre poſſit. Et apparet ſanè non incognitum fuiſſe Dauidi nouum hoc lumen, cùm diceret, *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Itaque intellectu hoc præſidio facto idoneo, ad nouum illum ſolem contemplandum, Deus in illum illabetur, illíque ſe intimè coniunget, vt ferro ignis in accenſa fornace vbi ferrum ita igni ſimile redditur, vt eius fulgorem, calorem, leuitatem, flexibilémque mollitudinem imitetur. Similes ei erimus in ſanctitate, ſine vlla delicti nubecula; in ſapientia, omnis erroris & deceptionis experte; in pulchritudine cuiuſcumque fœditatis ignara, in bonitate abſq; vlla malitia; in fortitudine neſcia infirmitatis, in vitæ immortalitate, & bonorum omnium immenſa copia, timore mortis, aut cuiuſcumque mali prorſus excluſo. Pſal. 35. 10. *Similes Deo ſancti.*

IV. *Dei viſio.*

Nullus erit qui tunc cum beato protomartyre, & quidem potiori iure, dicere non poſſit, *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Non quidem de terra videt, ſed de excelſo, illuſtri, ac pleno ſtellarum loco; atque adeo in ipſo empyreo cœlo, vbi Ieſus protenſa dextera excitat eum ad ſe, amicè complectitur, & ſuauiſſimè oſculatur. Ibidem cum Ezechiele dicet, *Aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei.* & rurſum cum Dauide, *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri.* Quin potiùs experientia longè multúmque ſuperat famam, excitátque beatos ad illud cum Regina Sabæa iterandum, *Non credebam narrantibus mihi ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit.* Quid ergo iſthic vidiſtis ô beati, aut quid ibi nos viſuri ſumus? Act. 7. 55. Ca. 1. 1. Pſal. 47. 9. 3. Reg. 10. 7.

V. *Et cum illa ſatietas. Beati videbunt quæ crediderunt.*

Reſpondebit Dauid nomine ſuo, reliquorúmque beatorum, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Imperfecta quippe foret gloria iſta Sanctorum, neque omnibus numeris abſoluta, ſi quid præterea meritò deſiderare poſſent. Poſſent autem meritò deſiderare claram eorum myſteriorum cognitionem, quæ crediderunt in hac vita. Et intellectus, qui captiuum ſe præbuit in obſequium fidei, & clauſis, vt aiunt, oculis acquieuit iis, quæ capere non poterat, meritò tunc eadem clarè intuebitur, & in- Pſal. 16. fi.

telliget se non fuisse deceptum. Eodem modo spei succedet possessio eorum, ad quæ anheli gementésque aspirabamus. Itaque Seruator qui se nobis daturus est in præmium, intellectum lumine gloriæ illustrabit, vt clarè cognoscat arcanum illud inexplicabile sacrosanctæ Triados, & personarum reipsa distinctarum in vnitate naturæ; illam æterni Verbi productionem, cuius Esaias enarratorem inquirit, certus neminem in terris ad tam sublimem narrationem satis idoneum repertum iri: illam diuini spiritus ex vtraque persona emanationem, reliquámque omnem diuinæ naturæ, quæ olim credita fuerit, cognitionem.

Vt mysteriū S. Trinitatis. c. 55. 8.

VI. Ostendet idem Seruator amicis suis, quo vinculo diuina natura humanæ propria substantia destitutæ cóiungatur, eius vicem diuina Verbi persona subeunte: quæ quasi basis est, & sedes beatissimæ animæ, corporísque Christi Domini, eisque communicat diuinitatem, vt anima corpúsque Dei sint, & rectè nominentur; licet in eadem specie humanæ naturæ permaneant. Propalam collocabit omnes diuitias sapientiæ & scientiæ, virtutis & gratiæ, pulchritudinis & gloriæ, omnem denique perfectionem & excellentiam, quam in nobilissima illa humanitate collocauit, vt esset totius aspectabilis naturæ dignissimum caput, princeps Hierosolymæ cœlestis, beatissimæ patriæ omnium electorum. Hoc tam illustre, támque admirabile spectaculum beatos spectatores extra se rapiet, memores eorum, quæ pro vilissimis capitibus egerit atque pertulerit, talis ac tantus; vt eos efficeret quales tunc erunt, & prohiberet ne fierent, quales esse merebantur.

Et incarnati Verbi.

VII. Ibi docebit discipulos suos omnem veritatem, clariùs multo atque vberiùs, quàm olim Spiritus sanctus, dum vitam illi mortalem degerent, & illud cumulatissimè implebit, *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Amor quippe arcana cordis sui, magna cum fiducia communicat amicis. Aiunt magnum Alexandrum secretissimas ad se literas cum Ephæstione communicasse; indéque silentium imperando, signatorium annulum labiis eius admouisse. Illic autem plenissimo beatorum theatro licebit propalare, & voce consona celebrare admirabilitatē mysteriorū fidei Christianæ. Nominatim autem ibi ostēdet Seruator, quomodo se sub tantulis speciebus constituat, manens nihilominus in cœlo quantus quantus est; constituat autem viuentem, beatum, cum omni naturalium ac supernaturalium perfectionum suarum comitatu, ipsáque tota diuinitatis immensitate.

Et omnem circa eum veritatem. Ioan. 15. 15.

Vide Less. l. 12. n 9 01. 110.

VIII. Docebit quoque manifestò quî fiat vt adueniente consecratione, ipsa panis & vini natura subsistens perinde pereat, & adesse desinat, ac si redigeretur in nihilum; & tamen, si quando res tulerit, reuertatur vt natiuis muneribus perfungatur, sic vt nulla foris mutatio vlli sensuum apparere possit. Docebit qua ratione quæ vocamus accidentia, ita conseruentur, nulli vt subiecto inhæreant, & ea nihilominus euenta recipiant, quæ re-

Et nominatim Eucharistia.

ciperent si propria ibi materia substitisset. Ostendet atque explicabit quî fiat vt sacrosanctum eius corpus, corporeis qualitatibus affectũ, existendi modum acquirat, qui spirituũ proprius est atque germanus, qui toti sunt in toto, & toti in qualibet parte, vt rationali animæ in corpore humano cõtingit. Hæc ergo, aliáq; id genus occulta miracula vulgabit amicis suis, simúlque ingeniosum amorem, qui illa excogitauit, & liberalem, qui eadem in perpetuum hominum vsum dedit, apertè propalabit. Sed ad alia extra Deum beatæ cognitionis obiecta transeamus.

CAPVT XLI.

Alia extra Deum beatæ hominum cognitionis obiecta.

HIc idem Seruator, qui miseris atq; mortalibus beatam promeritus est immortalitatem, & daturum promisit cùm diceret, *ego resuscitabo eum in nouissimo die.* magnum hoc arcanum humanæ resurrectionis aperiet, in cuius profunditate ethnici olim philosophi nusquam vadum reperire potuerunt: rem potiùs commentitiam rati, atq; ridiculam, eiúsq; doctores seminiuerbios, aut garrulos vocarunt, & nouorum dæmoniorũ nuncios. Vadosum igitur efficiet Seruator hoc pelagus: docebit facilè vim ac modum, quo materia humanorum corporum, quæ sexcenties formam mutarit & accidentia, & sexcentis locis dispersa sit, tota vnum eundémq; cogetur in locum, & quidem, vt ait Apostolus, *in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba:* quóque modo ex tali materia corpora subitò formabuntur intus & foris, cásque recipient dispositiones, quæ animarũ conditioni conuenient, quibus momento coniungentur. Vtque mortui, aut eorum animæ, nouissimam illam tubam exaudient, aliáque eiusmodi mirabilia, quæ ad vltimam instaurationem mundi pertinent.

I. *Christus beatos docebit arcanum resurrectionis.* Act. 17. 18. 1. Cor. 15. 52

Addiscent iidem beati, quî fiat vt aqua, quæ corpus duntaxat attingit, animam abluat, inserátq; Christi corpori: quî flãmæ corporeæ in dæmones agant, animásq; damnatas, fiántq; instrumenta diuinæ iustitiæ vtrisq; torquendis; itáque exurendis, vt neque quod incendit, neque quod incenditur vnquam consumatur; sicut nec qui in cœlo recipit, aut impertit felicitatem, accipit vllum finem. Ibi maternam illam virginitatem, virgineámq; maternitatem matris Conditoris sui accuratè comprehendent, videbúntq; reginam illam sanctorũ omnium, non à lõgè, vt hîc heroinæ solent, sed quæ verecundantes famulos suos euocabit ad se, agétq; cum eis familiariter: cúmq; illi reuerentia moti ad eius se pedes abiicient; illa vicissim amantissimè excitatos amplectetur, & osculabitur osculo sacratissimi oris sui. Quas ipsi delicias hôc admirabuntur magis, quò clarius cernent, quantum illa gratia valeat apud Deum, in gratiam miserorũ, qui tantæ principis auxiliũ implorant. Et quibus ipsa virtutum & gratiarum thesauris locupletata sit, vt fieret supremi Numinis filia, sponsa, parens.

II. *Et sanctificationis animarum, & vstionis spirituum.* *Et maternæ virginitatis.*

III. Ibi miseri mortales, sed non vltra miseri, qui in tam amplam deuene-

Et quanto ea munere data sit hominibus.

re fortunam, agnoſcent, & clarè prædicabant nullam vnquam hominibus illuſtriorem diuinitus contigiſſe liberalitatem (ſi ab illa diſceſſeris, cui nulla par eſſe poteſt, dati vnigeniti filij Dei) quàm Deum illis in Dominam, patronam, parentémque conceſſiſſe, angelorum dominam, omniúmque electorum reginam. Id enim fuiſſe videtur obligare ſeſe ad veniæ & miſericordiæ ianuas, & gratiarum theſauros patentes perpetuò retinendos, quando iſti perpetuò egent, & illa patitur ſe continenter exorari. Ibi mutuum matris ac filij amorem, tam naturalem quàm diuinũ contemplabuntur, & vtriuſque erga vnumquemq; filiorum ſuorũ; ſed & ſtudiũ ſingulare in prouidendo, ne iſti à præparata ſibi felicitate deficerent. Ea cognitione incredibili gaudio & amore in filium, matrémque perfundentur. Videbunt enim ſe à Deo, ad eam quam poſſidebunt beatitudinem, ab æterno deſtinatos, & in tempore vocatos, & gratiæ efficacis, ac gloriæ factos eſſe participes; ſed filij meritis, & precibus gratiáque parentis.

IV. *Angelorum quoque naturam, atque attributa.*

Accedet etiam, eodem Doctore cognitio naturæ, pulchritudinis, & abſolutionis illarum beatarum mentium, quibus terminis earum cognitio ac vires, circa res ſpiritales atque corporeas definiantur; quæ eorum inter ſe oratio, ac communicandi modus, quæ eorum officia in orbibus cœleſtibus, quæ in terra, cæteriſque elementis. Quem ordinem diuina ſapientia conſtituit inter turmas cohortéſq; cæleſtium legionum; quantũ ſingulis gratiæ dederit & felicitatis, quantum in Deum, hominéſque ſibi creditos charitatis, quibus eos officiis ac promeritis ſibi obligarint, neque merentes, neque cogitantes, vt illuc aliquando peruenire poſſent.

Vocationem hominũ, & circa eos prouidentiam.

Cognituri quoque ſunt quibus olim artibus vſa ſit eadem Sapientia in hominibus ad ſe vocandis, pelliciendis, efficacitérque perpellendis, vt à peccatis abhorrerent, ſectarentur iuſtitiam, cœli viam inſiſterent, gratiam ad eum modum & menſuram augerent, quam definiuerat Dominus, in eáque feliciter vita fungerentur. Agnoſcent quoque paternam beneuolentiam occaſiones auertiſſe peccandi, quæ luctuoſum ipſis naufragium afferre poterant, ſicut aliis pleriſque, quos videbunt in generali iudicio miſerè periiſſe.

V. *Beati habebunt rerum naturalium notitiam, cœleſtium.*

Eſt enim admodum conſentanea illi felicitati iſta cognitio, neque in dubium reuocanda eſt, cùm ne rerum quidem naturalium notitiam beato rectè negare poſſimus; earum præſertim ad quas humanus intellectus, corporea mole hac obſtipatus, pertinere non potuit. Natiuum enim ſciendi deſiderium, quod Deus ipſe hominum mentibus inſeuit, liberaliter explebit, neque patietur inquieta appetitione vexari. Num celabit notitiam cœleſtium illorum orbium, atque aſtrorum ſingulorum, quorũ ipſe numerum tenet ac nomina, quæ naturis eorum aptiſſimè congruũt.

Pſal. 146. 4. Ipſe enim eſt, vt ait Dauid, *qui numerat multitudinem ſtellarũ, & omnibus eis nomina vocat.* Vel vnico oculorum coniectu intelligetur eorum ſitus atq; motus, actio, figura, magnitudo, omniſq; proprietas cum ipſa natura,

ex qua illæ proficiscuntur: de quibus hîc Philosophi Andabatarum more contendunt. Num qui ipsius essentiæ ac naturæ diuinæ arcana profundissima patefecerit, parcus erit in tribuenda cognitione tum illorum orbium, tum rerum omnium, quæ suam habent sub Luna stationem? Negabit videlicet intimæ naturæ elementorum, & eorum, quæ ex iis composita sunt, exactissimam scientiam; meteororum, inquam, metallorum, omniúmque fossilium, lapidum, plantarum, animalium, quocunque genere contineantur, & vniuersarum, quàm latissimè patent, disciplinarum mathematicarum. *& sublunarium.*

Quàm latus aperietur campus iis, qui nunc terras & maria studiosa peregrinatione perlustrant, qui mundum tum innouatum mirabili cum iucunditate conspicient, Solem, Lunam, & stellas, omnésque eorum orbes longè maiori quàm olim splendore ac pulchritudine decora, motus tamen atque influxus expertia. Terra & aqua eandem semper faciem repræsentabunt, aër nubium expers atque nebularum, pluuiarum, niuium, ventorum, & procellarum; aquæ instar crystalli clarescent, & terra instar auri vel argenti, aut certè in morem vitri, profundè cœlestem lucem admittet, ac reddet. Neque verò parum probabile est eandem montibus eleuatam fore, depressam vallibus, camporum amplitudine dilatatam, fluminibus quasi venarum ramis interscissam, mediterraneo mari cinctam, Oceano circumfusam, pro ea dispositione, quam duobus hisce corporibus Deus, tertio ab ortu rerum die assignauerat. Etiam nunc qui ad beatam illam regionem admissi sunt, hanc totam terreni globi machinam contuentur, & pro arbitratu suo, Angelorum instar, huc illúcque discurrunt, nullus eis occurrit periculosus, aut inaccessus locus, nullus gurges, nulla vorago eis formidini est, nō Scyllæ non Charybdes, non monstra Oceani, non feræ locorum desertorum, non balenæ ingentes instar mobilium insularum. Nihil eorum cursum remoratur glacialis oceanus, nihil montes arenarum, vel scopuli in cœlum minantes; quin quandocumque libuerit, subiectas vtrique polo terras, nullo metu aut labore perlustrent. VI. *Et status mundi præsentis, & futuri.* Vide Less. l. 13. c. 23.

An placet isti contemplationi adnumerare cognitionem historicam certam atque indubitatam imperiorum omnium, atque regnorum, cunctarum ciuitatum, rerúmque publicarum, quæ omnium seculorum decursu contigerint; illo vno die addiscent vniuersas, qui supremo destinatus est mortalium iudicio. Scient omnium necessariorum, parentum, amicorū conditionem & statum, audient eorum preces, intuebuntur actiones, & quem quisque finem sortiturus est, Deo reuelante cognoscent. Cùm enim constet Deum ipsorum desideria expleturum, haud scio an illi quidquam rerum quæ in terris sunt, maiore aut iustiore desiderio concupiscent. Illic clarè agnoscent virtutum pulchritudinem atque dignitatem, omniúmque bonorum operum, & laborum pro Deo susceptorum præstantiam. Quanto splendescent fulgore victoriæ de VII. *Et rerum gestarum toto in orbe.* *Et suorum statum.*

carne, mundo & cacodæmone reportatæ, à sanctis illis Patriarchis ac Prophetis, Apostolis & Euangelistis, Martyribus & Confessoribus, qui seculis omnibus in Ecclesia Dei floruerunt?

VIII. *Quotidiani beatorum triumphi.* Quæ ibi quotidie supplicationes immortali Deo, quæ cælitibus omnibus gratulationes, qui triumphi celebrabuntur in diuino illo Capitolio, sub aduentum militum singulorum, Dei hostibus suisque profligatis? Vt expromentilli, in tam festa lætitia sociorum, ad salutis portum, & viuentium terram feliciter appellentium, quidquid habebunt in bonis, quidquid in corde gaudij, vt eis nouam gratulentur felicitatem! Exproment, inquam, conquisitas tota vita, congestásque spiritales opes, nihil eis à superbia, vt olim, aut vanitate metuentes. Contemplabuntur se mutuo, & admirabuntur vicissim gloriam qua perfruentur, & ruent in amplexus cum effusa lætitia, illásque vulnerum cicatrices, & perpessionum notas, quæ carbunculorum instar, & primæ notæ adamantum fulgurabunt, suauissimè deosculabuntur, tanquam æterna victoriarum monimenta, & sui in Christum Dominum amoris ac fidelitatis certissima testimonia. Eius erat olim illa vox ad discipulos suos, Luc. 10.23 *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*; Sed quanto nunc beatiores sunt illi ipsi oculi, qui vident magistrum suum, non vltra patibilem atq; mortalem, sed plenum immortali gloria, & maiestate diuina, & reliqua insuper omnia, quæ absolutissima beatitudine continentur.

IX. *Comparatio ciuitatis Romanæ & cœlestis.* Latinus quidam Pacatus Gallicus orator, cùm Romæ Theodosio seniori Panegyricum diceret, ipso, vniuersáque ciuitate præsente, ita concludit laudationem suam, vt felicem ducat peregrinationem suam, & benè susceptos atque exhaustos labores, quòd tantis intersit bonis; *Quibus*, inquit, *paror gaudiis? quæ reuersus vrbibus Galliarum dispensabo miracula? quantis stupentium populis, quàm multo circundabor auditore cùm dixero, Romam vidi, Theodosium vidi, & vtrumque simul vidi. Vidi illum principis patrem, vindicem, restitutorem.* Ille igitur se felicem putat, quòd Romam mundi dominam, eiúsque miracula viderit, & principem eius augustissimum.

Apoc. 21.2. Quanto felicior es, ô Ioannes Euangelista sanctissime, quanto lætiore, atque ampliore circunfluis lætitiæ argumento, quòd Angelo monstrante videris, non ciuitatem illam, quæ omnium gentium spoliis locupletata, breui futura erat præda nationum barbararum, sed illam ciuitatem sanctam videris Ierusalem nouam, à Deo paratam, fundatam, & quasi sponsam suam, omnibus decoratam monilibus, atque ornamentis: vnáque ipsũ eius Imperatorem augustissimum, omnésque cœlites, quasi totidem potentissimos reges. Nunc autem longè felicissimus, qui & illo principe, & illa ciuitate frueris, illa omnium electorum patria, quæ Deum vnum agnoscit artificem.

X. *Quàm opta-* Si quis esset in terris, qui tantum gratia valeret apud Deum, tantóque nostrum aliquem amore prosequeretur, vt ei à Deo impetraret

ad vnam horam Seruatoris conspectum, cum ea gloria, quam nunc obtinet ad dexteram Patris; aut certè genitricis Dei, cum eo maiestatis apparatu, qui decet omnium Angelorum atque electorum reginã, qua peregrinatione, quo pretio, quo labore, quo obsequio huiusmodi gratiam dignam censeremus? quantum nos illi sancto viro putaremus obligatos? quo illum amore ac veneratione prosequeremur? Quæ erit ergo nostra felicitas, quando & filium visuri sumus, & matrem omnium Sanctorum comitatu cinctos, cum omnibus illius beatissimæ ciuitatis ornamentis, non ad horam vnam, sed ad vnius æternitatis longinquitatem? Quis erit amicus ille, qui eam nobis visionem obtinebit, præter te liberalissime, atque amantissime Seruator, qui eam nobis sacrosancti sanguinis tui pretio comparasti, & permodicis mortalium laboribus indulges. Miserum me! quare non adeo quamprimùm ad visionem hãc magnam, non incombusti mediis in flammis rubi, sed eorum omnium, quæ cœlo empyreo continentur. Non stet, obsecro, amantissime Seruator, per depositionem calceorum mortalitatis huius, quo minus terram illam sanctissimam adeamus, vt te illic contemplemur, laudemus, admiremur in omnem æternitatem. Amen.

bilis visiorerum cœlestium.

Exod. 3. 3.

CAPVT XLII.

Diuina liberalitas erga beatorum voluntatem.

AVTOR.

VIDEO hanc vnam tibi superesse liberalitatem, vt susceptum à te negotium cumulatè sis executus. Neque enim decebat vt de liberalitate diuini amoris in tam copioso argumento parcè disputares. Faxit Deus, ait ille, vt non odiosè & sine fructu; sed mox etiam addam epimetron, si videtur. Videtur verò, inquam. Quis enim non patiatur augeri se bonis? Voluntas igitur præeuntem sequitur intellectum, & eius luce illustrata fertur in obiectum suum, nec mediocriter intellectus delectationem participat, tam in hac, quàm in futura vita. Etsi autem, vt optimi quique Theologi sentiunt, felicitas primario, præcipuóque nomine sita est in intellectu, quæ facultas est apprehendens, & quasi trahens ad se, & possidens ipsum Deum. Voluntas tamen diuino amore locuples, ita participat summum bonum, vt plerique censeant in eius actibus positam esse beatitudinem. Nobis autem id satis est, in quo sententiæ Doctorum conspirant atque consentiunt, vt status perfectæ absolutæque felicitatis, in visione Dei, quæ est intellectus; & amore ac fruitione delectabili, quæ voluntatis est consistat: vt toti animæ benè beatéque sit.

I. *Transitio.*

AMOR LIBERAL.

AVTOR.

AMOR.

Fœlicitas in intellectu & voluntate.

Beati porrò in cœlo geminum amoris actum exercent, sicut & in hac II.

Geminus actus amoris erga Deum in cœlo. 1. Cor. 13. 8. vita, vtriusque enim vitæ eadem est Charitas, vt quæ Apostolo teste, nunquam excidat, vnus actus est amicitiæ, siue beneuolentiæ, alter cupiditatis; ille personam dilectam respicit, iste diligentem; illo ita fertur voluntas in Deum, vt summopere velit & gaudeat omnia bona in Deo esse, ab eóque perfectissimè possideri; infinitam puta beatitudinem, immensitatem, immutabilitatem, imperium in res omnes, citra subiectionem vllam. Velit primum esse principium, & vltimum finem, summa præditum sapientia, imò summam esse sapientiam, potentiam, bonitatem, reliquámque omnem absolutionem, quam in Deo esse vult, vt illi benè sit ac beatè, quia ipsum summè diligit, & omnes illæ perfectiones ad beatissimum illius statum pertinent. Alter amor tali ac tanto bono frui cupit, vt suo summo bono, atque vltimo fine, ad quem fruendum editus est in lucem. Gaudium quoque ac delectatio, quæ sequitur acquisitionem boni, gemina est; gaudent enim beati Deum talem ac tantum esse, beatissimum videlicet atque perfectissimum; omniáque bona, quæ animo fingi possunt, ab eo possideri, ex suæ ipsius perfectione naturæ; sed gaudent quoque quod tantum bonum possideant, eóque iucundissimè fruantur, quæ suprema est iucunditas animæ nihil vltra cupientis.

III. *Vt à beatis exercebuntur.* Ille amicitiæ amor longè perfectissimus, mirum in modum feruebit in beatis, qui vt Deum supra seipsos diligent, ita maiore voluptate afficientur, quòd Deus illa omnia bona possideat, quamuis ea nemo degustare posset, quàm quod illis bonis ipsi quoque fruantur: velléntque si necesse foret, eam fruitionem perdere, omninóque felicitate priuari, vt conseruaretur Deo. Deus enim opt. max. est tantum bonum, vt, vel cum omnium rerum creatarum iactura, conseruari mereatur. Intellectus igitur videns ac possidens Deum tanta in illo bona reperiet, vt voluntas ad ipsum diligendum totis viribus necessariò feratur, ab eóque amore abstinere non possit. Quin potiùs omnia in Deo bona reperiens, nihil præter ipsum, aut in ipso amare poterit, quod huius quoque vitæ Charitas perfecta requirit. Sed hîc Deus non agnoscitur sub ratione omnis boni, vt illic: quo fit vt hîc voluntas libera sit ad peccandum, illic autem peccare non possit.

IV. *Quæ inde gaudia exsistant.* Psal. 149. 5. 6. Gaudium porrò quo fruetur beatus, & in quo acquiescet possidendo summum bonum, omnem superat dicendi facultatem, ac ne vlla quidem cogitatio ei par esse potest. Absorbebuntur enim in illo immenso voluptatis oceano, & omnem in partem inæstimabili atque exuberante lætitia circunfundentur. Audi Dauidem, *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Et alibi, vti cogitur superlatione verborum, nam & fluminis impetum, & torrentem voluptatis, adeóque ebrietatem vsurpat, inque rem suam accommodat. Sicut & Salomon in suo Cantico, vt suprà dicebamus. Neque tamen mysterio vacat hic torrens, aut c. 39. n. 3.

ille

ille fluuius. Fluuius enim continenter decurrit, torrens autem non raro deficit, & subinde renouatur. Vt intelligamus beatorum delicias perpetuò, ac sine interpellatione affluere, nouas tamen semper videri quamuis primum retineant saporem. Sic olim manna in ore piorum, omnium ciborum gustum præbebat, cùm specie idem semper esset; itaque nouum quotidie gustum afferre poterat, & insolentem.

Illa sponsa Christi Domini, in quam eius beneficia, gratiæ, ac dona singularia perpetuò depluebât; quæ nulli penitus rei, extra Seruatorem suum acquiescere poterat, quæ vulnerata & amore languens sustentanda erat floribus, & stipanda malis, quæ ex crucifixi arbore colligebat; illa, inquam, quæ somnos inter atque vigilias, cibum & potum, orationem & laborem illum vnum cogitare poterat, præterea nihil: quæ indomita, vt ita dicam, atque effrenata cupiditate ferebatur illius honoris & gloriæ promouendæ, vel cum rerum omnium suarum iactura, ipsiúsque vitæ detrimento. Hic amor cùm morti non cesserit, sed eius victor, mira in cœlo acceperit incrementa, æstuat desiderio placendi Sponso suo, quem propter diuinitatem diligit tanquam summum bonum suum, primum omnium rerum principium, vltimúmque finem, & eum à quo cœlum totáque rerum natura regitur ac conseruatur. In eodem ipso vt homine agnoscit ac diligit salutis, sanctitatis, gloriæ, omniúmque bonorum suorum conciliatorem atque interpretem. Eum diligit à quo scit vsque adeò nobilitatum fuisse hominum genus, vt Deo ipsi in personæ vnitate copulata sit humana natura, vt Deo ipsi ad dexteram assideat, & in electorum conuiuio primus accumbat; & transiens nihilominus beatis fercula felicitatis administret. In his illa deliciis gaudio triumphat, & voluptate omni opinione maiore perfruitur.

V. *Beata anima erga Christum amor.*

Cant. 2. 5.

Luc. 12. 37.

Quàm dulcis autem ac mellitus erit amor famulorum tuorum aduersum te, ô sanctissima parens genitoris tui, cùm agnoscent sigillatim fusas à te pro ipsis preces, in variis tentationum periculis, impetrata præsidia, & mala ab eorum ceruicibus propulsata. Cùm mirificam faciei tuæ contemplabuntur pulchritudinem, ipsis Angelorum principibus obstupescendam, & ipsi Seruatoris vultui pulcherrimè congruentem; cùm sublimem altitudinem throni tui, & immensas diuitias gloriæ tuæ; maximè autem cùm syncerissimum tuum erga se amorem sentient, tãquam erga verissimos filios, vnigeniti tui fratres, & dulcissimi tui Iesu hereditatem. Quanto cum gaudio eos complecteris? quanta illos voluptate perfundes, cum mitissimo suauio, suauissimi oris tui, & quidem stupore defixos, ad tam insperatas delicias reginæ suæ, omniúmque Sanctorum. Quomodo exultabit, quomodo dilatabitur cor vestrum, ô fortunati famuli tantæ maiestatis; quomodo in hoc altero castissimæ lætitiæ, sanctissimæque voluptatis Oceano non demergetur! O ineptissimi mundi ac voluptatum amatores, satísne sani estis, qui iacturam facitis amicitiæ filiæ principis, ipsiúsque filij Dei, proter inanes huius vitæ quisquilias, &

VI. *Ac beatissimam virginem.*

crepundia puerorum? Ego vos per Deum immortalem obſecro atque obteſtor, vt intelligentiæ veſtræ oculos, & ſinum cordis veſtri aperiatis, vt ſtudium & affectum eius meliore loco collocetis.

VII. *Ad Angelos, & cuſtodem inprimis.* Effluet quoque amor noſter erga beatos Angelos, & inter ſuauiſſimos amplexus lætitia exundabit: illius in primis, qui noſtræ fuerit peregrinationis comes, qui potenter adiuuerit, & tanquam ſapiens nauclerus nauiculam noſtram inter ſcopulos & procellas direxerit, vt feliciter ad portum ſalutis æternæ appelleremus. Trium fere menſium viæ ac vitæ conſuetudo fuit, Raphaëlem inter & iuniorem Tobiam, in regione Chaldæorum atque Medorum, & illius erga hunc multiplex beneficium. Itaque in Tobiæ pectore eximius erga ducem ſuum amor effloruit, quem verba illa non obſcurè ſignificant, *Azaria frater, peto vt auſcultes verba mea. Si meipſum tradam tibi ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Quis ergo in nouo cœlorum ciue, & clientis non ingrati erga patronum ſuum exardeſcet amor, poſt quinquaginta, aut ſexaginta annorum dulciſſimam ac fructuoſiſſimam conſuetudinem, per tot támque varia huius viæ ac vitæ diſcrimina! Quanta cum delectatione reuocabunt ambo in memoriam varios ancipitéſque caſus, ad illam diem hominibus ignotos! Hic autem omnis amor ac beneficentia in Chriſtum Dominum, qui iſtorum officiorum cauſa fuerit, & ſanctiſſimam amantiſſimámque Deiparam, quæ illa impetrauerit clientibus ſuis, perpetuò redundabit.

VIII. *Reliquóſque cœlites.* Quis præterea explicet amorem, qui cor noſtrum incendet ſimul & animabit, in priuata conſuetudine colloquióque Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apoſtolorum & Euangeliſtarum, & eorum maximè Sanctorum, erga quos peculiari deuotione fueramus affecti. Quanto quámque iucundo animorum motu afficiemur, dum nobiliſſimi Chriſti bellatores enarrabunt nobis horribiles olim hiſtorias martyriorum ſuorum, & debellatam omnem dæmonis, mundique potentiam, calcatum omnem mortis ac tormentorum terrorem. Dum ſancti Præſules, Doctoréſque referent, ſuis quiſque ætatibus, errores hæreſéſque natas, ipſorúmque induſtria profligatas, & peccatores eductos è portis inferi, & poteſtate tenebrarum; & iuſtos ad magnam perfectionem adductos. Dum tot alij confeſſores, qui partim in cœnobiis, partim in deſertis locis vitam innocentiſſimam duxere, memoria repetent, recitabúntque nobis ſua cum carnis illecebris, cum dæmonis fraudibus, cum mundi vanitate certamina, quibúſque à Deo beneficiis dum viuerent, gratiiſque affecti fuerint. Dum ſanctæ virgines ac matronæ, Deo annuente vulgabant miſtas lacrymis, ieiuniis, cæteráque corporis afflictatione, orationes ſuas, & Angelicam mentium ſuarum, corporúmque mundiciem.

IX. *Parentes itē & cognatos.* Quis animo capiat, aut oratione complectatur exultantem cordis noſtri lætitiam, animaduerſo amore, quo nos ſinguli Sanctorum proſequē-

tur, quo incitante in optatos amplexus ruent; quo nobis aduentum in cœlestem illam regionem gratulabuntur. Quomodo par erit cor nostrum ferendo tanto gaudio, quanto cumulabitur filius, cùm à parente quondam sene, à quo vnicè amabatur, & ad Dei timorem, amorémque quantum poterat accendebatur, amantissimo accipietur amplexu, & vterque alteri suam gratulabitur felicitatem: & anteactæ vitæ iucundam consuetudinem, studia, laborésque recolet. Tantundem fere de matre, fratribus, sororibus, cæterisque necessariis dici potest, quibus cum olim, sine cuiusquam offensione, iucundissimè vixeris. In promptu erit Dauidicum illud vsurpare, *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Quid te fiet anime mi, quo te vertes cor meum, cùm rues in amplexus carissimorum quondam capitum, gloria mirabili, & stola immortalitatis conuestitorum; cùm mutua vtrimque caritas apparebit, cæteræque animorum dotes, quibus omnes decori, omnes facti erimus vehementer amabiles! Psal. 54. 14. 15.

CAPVT XLIII.

Magnitudo præmij huius ac diuinæ liberalitatis.

AMOR LIBERALIS.

HÆC erant quæ dicere cupiebamus de re, quæ, in vitæ huius ignoratione tenebrisque, *Nec visu facilis, nec dictu effabilis vlli.* Et profectò ingenuè fateor non mediocri me affici pudore, quòd tã impar sim oratione, in ea liberalitate recẽsenda, qua se Christus Dominus hominibus in præmium tradit. Sed *in magnis*, aiunt, *vel voluisse sat est.* Non parum est illam gaudiorum copiam posse vel suspicari, eáque suspicione voluit Dominus ipse contentum esse in hac vita seruum suum, quãuis dilectissimum Abrahamum, cùm ei diceret, *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Vtiq; nimis nobis. Nihil enim sunt nostra omnia merita ad tantam mercedem, sed nihil est nimis Deo. Legimus Alexandrum magnum Perillo cuidam petenti ab eo dotem, pro filiabus suis, quinquaginta illi talenta numerari iussisse; cúmque hic, humilitatis suæ conscius, nimiam eam summam esse dixisset, abundè sufficere talenta decem, *Perillo*, inquit, *nimis est, accipere quinquaginta talenta, non nimis est Alexandrum dare.*

I. Docetur hæc magnitudo, Dei testimonio.

Gen. 15. 1.

Alexandri magni liberalitas.

Quid Christus ipse? nónne ita huius magnitudinem liberalitatis amplificat, vt eius amplitudinem verbis consequi non posse videretur, cum ea studiosè conquireret, atque accumularet, *Date*, inquit, *& dabitur vobis*, reddet videlicet Pater vester in cœlo, *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem*, eámque *in sinum vestrum*

II. Et Christi Domini. Luc. 6. 38.

Matth.5.12. effundet. Et rursum, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa*
c.64.4. *est in cœlis.* Planè copiosa, cùm clarissimus ille Prophetarum Esaias, diuinarum illustrationum minimè insolens, neget eam à quoquam posse describi, *A seculo*, inquit, *non audierunt*, *neque auribus perceperunt*; *oculus non vidit Deus absque te*, *quæ præparasti expectantibus*
1.Cor.2.9. *te.* Cui Apostolus ipse subscripsit, locupletissimus vtique testis, qui
Esaiæ, & Apostoli. & visa & audita referebat, *Quod oculus*, inquit, *non vidit*, *nec auris audiuit*, *nec in cor hominis ascendit*, *quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum.*

III. *Et S. Augustini.* Accedat eorundem verborum eximius interpres Augustinus, *Quòd Deus*, inquit, *præparauit diligentibus se*, *fide non capitur*, *spe non attingitur*, *charitate non comprehenditur*, *desideria & vota transgreditur*, *acquiri potest*, *æstimari non potest.* O dignam tanto Doctore sententiam! Sed libet eundem audire de tam copiosa mercede hoc modo ra-
Manuel c. 35. tiocinantem. Cor humanum, inquit, cor indigens, cor expertum ærumnas & miserias, imò obrutum miseriis, quantum gauderes, si in his omnibus abundares? Interroga intima viscera tua, si capere possent gaudium suum de tanta beatitudine sua? Sed certè si quis alius, quem omnino sicut teipsum amares, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si verò duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantundem pro singulis, quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum & hominum, vbi nullus diliget alium minus quàm seipsum? Non enim aliter gaudebit vnusquisque pro singulis aliis, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis, de tanto bono suo, vix gaudium suum capiet, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Hactenus Augustinus.

IV. *Gaudium Sanctorum ex gaudio singulorum.* Quæ profectò iustissimum stuporem ingerunt cogitanti, non vnum aliquem Oceanum Atlanticum gaudij cuiúsque de beatitudine propria, sed totidem omninò Oceanos, quot erunt in cœlo Angeli, hominésque beati. Et hos quidem neminem dinumerare posse, magnus
Apoc.7.9. Euangelista testatur, *ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Angelos autem numero incomparabiliter vincere omnem multi-
De cœl. Hier.c.14. tudinem rerum materia constantium, autor est magnus ille Areopagita
1.p.q.50.a.3 Dionysius, cui Doctor Angelicus suffragatur; Legerat nimirum vterque
c.7.10. Danielem dicentem, *Millia millium ministrabant ei*, *& decies millies centena millia assistebant ei.*

V *Merces copiosa Sanctorum multis nominibus* Enimuerò copiosa est ista merces, si non socios modò beatitudinis illius, sed eius fontem spectemus, & caput. Quando tantam istam multitudinem, quæ illa iam pridem fruitur, & fruitura est in om-
1. nem æternitatem, beatam efficere potest, quamuis illa millies, cen-
2. tiésque millies multiplicaretur. Copiosa, cùm illos quoque bea-

tos possit efficere, qui eam præstolantur, spe fruitionem quoquo modo anticipante. Dicebat enim Dominus, beatos non fore, sed esse, qui eius nomine aduersa paterentur, *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Copiosa, quandoquidem nulla diuturnitate minuetur, carpetur, aut flaccescet: & quando centum annorum, atque adeo seculorum millia decursa fuerint, semper à metis ad carceres recurretur. 3.

Copiosa, quando ea vna merces datur in locum præmiorum omnium atque mercedum; plurisque est ea vna, quàm cæteræ omnes, si in vnum confluant, & in altera lance collocentur. Quin etiam, si cætera omnia quæ sunt aut æstimantur bona, honores, opes, voluptates, scientiæ, cæteráque beatæ in terris vitæ præsidia, cum illa copiosa Christi mercede componantur, vix instar obtinebunt guttæ aquæ, ad Oceani totius immensitatem; aut grani arenæ ad Alpes, Apenninum, atque Pyreneum; ad Taurum, Caucasum, & Olympum, & totam terræ machinam, & omnium quæ supremo cœli complexu coërcentur. Copiosa merces, quando ipsa, & cætera quæ dixi bona, cum ipsa, non pluris sunt quàm ipsa sola, quæ illa omnia eminentiori modo complectitur. Quo modo etiam Deus, & mundus vniuersus, non faciunt aliquid melius, quàm Deus solus, qui est ea merces, de qua disputamus. VI. *Alia prætereà nomina.* 4. 5.

Copiosa denique, quando illa tanta, támque excellens est, vt possit efficere beatum ipsum Deum, & amplissimum immensitatis eius sinum adæquare; non enim alia re Deus opt. maximus, quàm seipso beatus est, aut esse potest. Si quid enim aliud beatum posset efficere Deum, melius esset ipso, beatum enim esse, ipsi nudo esse longè multúmque præstat. O quanta merces, Deus immortalis! quanta messis! quantus piscatus, quámque multis par nauigiis adimplendis. O sancti quondam piscatores, nunc cœlites etiam atque etiam beati, nónne annuitis inde sociis, qui sunt in alia naui, vt veniant ad vos, & concludant vobiscum præmiorum multitudiuem copiosam? Optamus nos quoque frui verissima illa libertate filiorum Dei, post longam perturbationum, vanitatis, & peccatorum seruitutem. Aspiramus ad ver illud nouum, amœnum, ac floridum, post hyemem tam fœdam, ac molestam: ad perfectam illam mentis corporisq; sanitatem, post periculosissimas ægritudines vtriusque. VII. *6. & vltimum.* *Suspiria ad eam beatitudinem.* Luc. 5. 7.

Gemimus præ desiderio chori illius, in quo nos quoque cantica illa, & pæana victoriæ concinamus, post diuturnam hanc, acerbam, periculosámque militiam, armorúmque tractationem; post diurnas nocturnásque pugnas cum hostibus intestinis, sub vexillo crucifixi, dum superueniat optata mors. O mors quando aderis apertura ianuam, cuius tu clauem geris, vt audiam ego quoque, *Intra in gaudium Domini tui.* Iterandum est interim nobis illud Apostoli, *Infelix ego homo, qui me liberabit de corpore mortis huius!* vt ea videam, quæ cum ipso videre non pos- VIII. *Et oratio ad cœlites.* Rom. 7. 24.

ſum, vt iis fruar, quæ corpus hoc capere non poteſt. O ſanctiſſimi, atque amantiſſimi cælites, qui nunc communis Domini viſione fruimini, qui ab hoc carcere abducti eſtis, in cuius nos adhuc vinculis ac pædore verſamur, ne obſecro imitemini magiſtrum illum pincernarum Pharaonis, qui ſuccedentibus proſperis, oblitus eſt interpretis ſui. Quæ ſors olim veſtra fuit, eadem nunc noſtra eſt, & quæ nunc veſtra eſt, eandem ſperamus aliquando noſtram fore: Adhibete obſecro, ad ſupremum hoc beneficium, gratiam iſtam, ô gratioſiſſimi cælites, vt cœlo nos quoque recepti, gratias vobiſcum agamus ei, qui nunc expectatio noſtra eſt, & futurus eſt, cùm ei viſum fuerit, merces noſtra magna nimis. Amen.

Gen. 40. fi.

CAPVT XLIV.

Epimetron de nonnullis ad exercendam liberalitatem incitamentis.

I. AVTOR. *Propoſitio.*

HIc cùm Liberalis Amor tantillum reſpiraret, commota quippe erant viſcera eius, his ad beatitudinem ſuſpiriis, & ciuium compellatione cœleſtium, Cumulate, inquam, perfunctus es, mi Amor, munere tuo, multúmque viciſti expectationem meam; Expecto nihilominus etiam promiſſum Epimetron, vt omnibus numeris abſolutam liberalitatem tuam prædicare poſſimus. Accedat igitur, ait Liberalis

LIBERAL. AMOR.

Amor, corollarium de nonnullis ad exercendam liberalitatem incitamentis. Illa certè Dei liberalitas, qua amicorum ſuorum ſudores, vigilias, animíque contentiones munerari voluit, nec alia mercede quàm ſeipſo, magnum habet omnino momentum, ad incenſum deſiderium excitādum, appellendi quamprimum ad portum illum ſalutis optatiſſimum; ſimúlque ad inquirendas vias, rationéſque exercendas, quæ hanc nobis felicitatem facilem reddunt, & expeditam, & quantum fert huius vitæ conditio, ac mutabilitatis, certam atque indubitatam.

II. *Liberalitas eſt via ad felicitatem.*

Inter omnia porro præſidia beatitudinis illius conſequendæ, nullum aliud Seruator ipſe enixius commendauit, quàm propenſam in pauperes ac calamitoſos benignitatem: vſque adeo vt nullam aliam cauſam aſſignet datæ felicitatis bonis, & negatæ improbis, quàm illorum in pauperes liberalitatem, & iſtorum in eoſdem inhumanitatem. Vnde rectè colligi poteſt de diuitibus, quinam à Deo iam inde ab initio deſtinati ſint ad felicitatem, quinam è contrario ab ea reiecti. Cùm enim ſapientes nihil ſine concilio, certáque animi prouiſione faciant, qui effecta cernunt, vtique de conſiliis, & deliberationibus antegreſſis, magna cum probabilitate pronunciare poſſunt. Vnde conſequens eſt diuinæ prouidentiæ concilium ab æterno fuiſſe, vt ij ad æterna illa tabernacula reciperentur, qui erga pauperes miſericordes extitiſſent: illi autem ab iis excluderētur, qui miſericordiæ opera neglexiſſent. Quid enim illo clarius oraculo?

Et ſignum prædeſtinationis.

Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. & illo altero, *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Ergo quale Dei fuerit ab æterno consilium dubitare non possumus, qui effecta tam apertè in euangelio videamus. Matth. 5. Iac. 2. 13.

III. *Amor Dei conciliat liberalitatem in pauperes.*

Est itaque in potestate hominum copiosorum ostendere se ad felicitatem ab æterno destinatos, aut ad supplicia sempiterna. Quid sapiunt homines, qui ista non sapiunt? quibus negotiis operosi prouident, qui isti non prouident? Quorum ergo corda parciora sunt, & manus ad largiendum contractiores, eas cum diuino amore laxent, ac dilatent; quando quidem illum tam potentem esse demonstrauimus, vt Deum redderet hominésque liberales. Si Deum amas, amas & proximum, vt rem quæ ad Deum pertinet; quo modo filios amici tui diligis, nec posses deserere auxilio destitutos. Fers igitur opem amico, filio, famulo Dei, pro eo quo Deum amore prosequeris, quia illius sunt, quia ab illo diliguntur, quia ab eo redempti sunt, & ad eam destinati felicitatem, quam vult eos patientia sua acquirere, te autem liberalitate tua.

IV. *Adeóque in Christum ipsum.* Mat. 25. 40.

Quid te dico amicis, filiis, famulis Dei opem ferre, cùm ex euangelio clarissimè constet, te ipsi Deo ac Christo Domino benignè facere? Id Seruator ipse iureiurando confirmat. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Cum simili quoque iureiurando eos arguit, quibus inhumanitatem exprobrat, & duriciam cordis. Eodémque pertinet illud Esuriui, sitiui, nudus fui; non, esurierunt, sitiuerunt, & nudi fuerunt. Hæc ille se dicturum in supremo iudicio, facturúmque pollicetur. Ne tamen interea fides rei tam mirabilis languesceret, aut titubaret, non semel ostendit amicis suis se ipsum eorum eleemosynam propria manu recepisse: vt ex historiis vulgaribus & peruagatis Martini, Gregorij magni, Ioannis Eleemosynarij, Catharinæ Senensis, aliorúmque sanctorum certò constat. Qua obsecro lætitia gestiret cor tuum, si inter dormiēdum aut Angelus tibi, aut ipse Dei filius appareret, & acceptam à te eleemosynam, Angelis suis coram te hilariter ostētaret, gratiásque ageret? Et tamen fallax esse posset ista visio. Satis callidus est hostis noster ad vsurpandum id inuentum, quò noster hic misericors sibi de sanctitate inaniter blandiretur, & elatus superbia periret. At euangelium, quo veritas ista continetur, non est fraudi obnoxium.

V. *Magni peccatores eleemosyna salui facti sunt.* Daniel. 4.

Vtriusque veritatis huius sacræ literæ mirabilia exempla prodiderunt. Exhibent enim nobis Babylonium Nabuchodonosorem, qui aduersus populum Dei tyrannum egit immanissimum, qui sanctam Hierosolymorum ciuitatem, euersam solo æquauit: qui augustissimum Dei templum polluit, expilauit, incendit, sacros thesauros prophanus abstulit, desolauit agros, populum in seruitutem abduxit. Exhibent, inquam, ad Deum conuersum, peccata sua agnoscentem, & pœnas pro iis subeuntem, laudantem Deum, gratias agentem, & coram mortalibus omnibus profitentem Deum altissimum esse, reliqua

nihil esse in conspectu eius. Hic vtique fuit digitus Dei, qui immutauit cor eius, vt bonam in partem datam diuinitus castigationem acciperet: sed quid Deum excitauit, ad cor hominis clementer ac mirabiliter immutandum, & æternam pœnam sæpiùs promeritam, in præsentis vitæ castigationem? nisi quia consilio Danielis acquieuit, à quo audierat,

Ca. 4. 24. *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Et ignouit profectò, & in viam felicitatis induxit, quam mox consecutum esse SS. Ambrosius, atque Augustinus, aliique testantur.

VI. *Alij eius defectu periere.* Luc. 16.

Contraria planè sors contigit euangelico epuloni, quem sepultum fuisse in inferno Christus ipse testatur, cúmque illic atroci flammarum supplicio cruciaretur, magno clamore Abrahamum Patriarcham interpellabat, vt ex misericordia aquæ guttã refrigerandæ linguæ suæ obtineret. Tantulam tamen petitionem neq; obtinuit, neque obtinebit vnquã; nulla quippe remissio dolorũ perditis illis, nulla penitus relaxatio conceditur. Causa porro quæ mitissimum alioqui patriarcham reddit inexorabilem, aut Deum potiùs, qui ex Abrahami ore loquebatur, ea fuit, quod hîc nihil olim, preter gulæ ventrísque delicias, curauerat: inexpugnabilis interim Lazari precibus, qui ad inhospitam illam ianuam famelicus, lacerus, vlceratus iacebat, etiam deciduarum micarum egens. Itaque inhumano in pauperem diuiti, immisericors quidem, iustum tamen iudicium contigit, & aquæ gutta negata est illi, qui micam panis egenti dare neglexerat.

VII. *Liberalitas in Deum titulo grati animi.* 2 Reg. 12. 7. 8.

Sed agamus cum illis hominibus, quibus melior mens sorte, aut diuina potiùs liberalitate contigit: quos amor & honestas ad officium, potentiùs quàm timor impellunt. Nathan propheta diuinitus quondam missus est ad Dauidem nuncius, vt cum eo expostularet de ingratitudine, super negotio Vriæ & Bethsabee. Eius hæc fuit oratio. *Hæc dicit Dominus Deus Israël, Ego vnxi te in regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël & Inda, & si parua sunt ista, adiiciam tibi multò maiora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* Si Dominus plerísque principibus viris & dynastis, legatos mitteret angelos ipsorum custodes, cum accurato indice beneficiorum generalium & singularium, siue quæ ad corpus eorum, siue quæ ad animum, siue quæ ad vtrumque pertinent, eámque recensionem ita concluderent, & si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora. Habeo enim regiam in cœlo meam, vbi ego te infinita voluptate perfundam, vbi ita bonis omnibus afflues, nihil vt amplius desiderare possis. Quare igitur contemnis verbum meum, de mercede centupli in hac vita, & æternæ felicitatis in futura? Quòd si verbo meo ac promissioni fidem habes, neque promissam negligis mercedem, cur non accurris ad quæstores meos, vt eis pecuniam des mutuam, tanto cum fœnore redhibendam?

Hæc

Hæc fuit olim Christianorum gloria, & nota singularis, quòd libenter de suo pauperibus impertirent, ipsósque infideles adducerent in admirationem. Non adducam in eius rei confirmationem nefariam fraudem Luciani peregrini, sed Pachomij conuersionem. Is cùm vigesimum annum agens, contra Maxentium tyrannum sub Constantino militaret, ipséque cum cæteris tyronibus, in quadam vrbe Thebaidos, angustè ad modum à ducibus suis, malignéque tractarentur, eos miserati Christiani, magna cum charitate eorum inopiæ atque incommodis occurrebant. Hîc Pachomius inquirit, quæ esset ista hominum natio, ad bene merendũ de hominibus tam procliuis. Responsum accepit eos esse Christianos, itáque factitare solitos aduersus omnes, notos ignotósque, qui egestate premerentur, certa spe adductos futuræ post hanc vitam mercedis. Vehementer mouit ea res Pachomium, qui secedens paululum à turba statuit, vouitque se fore Christianum, atque adeò seculi vanitate contempta, religiosum; quod vtrumque egregiè præstitit; móxque in virum eximia sanctitate præditum euasit. De quo dicamus licet, Ecclesia Pachomium non haberet, nisi Christiani liberales extitissent. VIII. *Propria Christianorum.* In eius vita, c. 4.

Scribit Ruffinus, in Oxiringa Ægypti oppido magistratui, atque optimatibus solemne fuisse, ad omnes oppidi portas adhibere custodes, qui pauperes atque peregrinos hospitio reciperent; pióque certamine inter se contendisse, quis eos ad se domum adduceret. Ista charitate omnes aduenæ ita vincebantur, vt tam hæretici, quàm infideles, repudiatis erroribus, Christianæ fidei manus darent, essétque tota ciuitas Christiana. Memoriæ prodidit Eusebius in historia Ecclesiastica, ciuitates, quæ imperio Maximini subiacebant, pestilentia & fame mirum in modum fuisse vexatas, adeo vt mortuorum cadaueribus viæ omnes plateæque consternerentur, & à canibus dilacerarentur, nemine, præter Christianos, aut viuis aut mortuis opem ferente. Itaque miseri illi Idolorum cultores, qui dudum atrociter in Christianos martyres sæuierant, laudes Dei Christianorum publicis vocibus proclamabant, affirmantes istam charitatem, non nisi à veri Dei cultoribus proficisci potuisse. IX. *Et idonea Ethnicis conuertendis.* Li. 2. c. 5. in vitis patrũ. L. 9. c. 7. & Niceph. l. 7. c. 16.

Cùm Theodosius Imperator, referente Nicephoro, insignem retulisset de Persarum rege victoriam, & septem captiuorum millia secum abduxisset, Acacius Episcopus aurea argenteáq; vasa Ecclesiæ suæ comminuit, atque conflauit, captiuos redemit, & viatico instructos remisit in Persidem, ad regem suum, de Christianorum charitate vehementer obstupefactum, & desiderio videndi sancti Episcopi flagrantem; Estque admodũ credibile cõplures de captiuis istis, alíósq; eorũ populares, ea benignitate persuasos, Christianæ religioni, cuius instituta mirabantur, nomina dedisse. Id consentaneũ est monitioni Apostoli, qui Galatas hortatur, vt non solùm Christianis, quos vocat domesticos fidei, benignè faciant, sed etiam cæteris omnibus, qui foris sunt, Iudæis scilicet atque Ethnicis. X. *Liberalitas Acacij Episcopi.* Li. 14. c. 22. Ca. 6. 10. 1. Cor. 5. 12. 13.

vtique sapienter. Liberalitas enim tollit dissidia, & disiunctiones animorum; quibus sublatis, facile est fidei Christianæ nomen dare, quæ si spectentur mores, nihil habet non consentaneum rectæ rationi; si fidei mysteria, nihil docet, quod innato lumini aduersetur.

XI. *Ea virtus gloriosa, & diuina.* Pro Lig. fi.

Gloriosum est hominibus, alios sibi homines obligare beneficiis, eóque maior est illa gloria, quò plures deuinciuntur benefactis. Eam virtutem Romanus Orator diuinam virtutem vocat, aut quæ proximè ad diuinitatem accedit. Cùm enim Iulio Cæsari reuocasset in mentem magnitudinem gloriæ, quam erat adeptus ignoscendo Marcello, aurea hæc verba subiecit, *Noli obsecro dubitare C. Cæsar similem illi gloriæ laudem quærere. Nihil est enim tam populare quàm bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior nec admirabilior misericordia est. Homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm salute hominibus danda. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt possis, nec natura tua melius, quàm vt velis conseruare quamplurimos.* Quid obsecro dicere potuisset hic Orator, si fuisset Christianus, & notam habuisset Dei ac Christi Domini liberalitatem? quanto magnificentius illam dicendi gloriam, in tali ac tanto argumento, extulisset?

XII. *Eam Seruator exercuit.* Luc. 1. 78. Act. 10. 38.

Constat enim nullam aliam ob rem in mundum venisse Christum, quàm vt ex misericordia eius peccata deleret. *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, ait Zacharias, *in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Testatur quoque Petrus illum à Deo vnctum Spiritu sancto & virtute, & pertransisse benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, sed & omnia morborum genera exterminando. Voluit enim opera sua esse non solùm miracula, sed etiam beneficia; vt illis vinceretur intellectus, his adduceretur voluntas ad Euangelium amplectendum. Sed illuc redeo; Si homines, ex ipsius propensione naturæ, gloriam atque honorem consectantur, quidni diligatur liberalitas illius parens? *Beatius est*, enim, *dare quàm accipere*, vt Dominus ipse confirmat. (Act. 20. 35.) Dare enim abundantiæ & perfectionis argumentum est, recipere imperfectionis & indigentiæ. Cœli & astra beneficam vim suam, cum calore & lumine, terris, omnibúsque elementis impertiuntur, nihílque ab eis accipiunt. Deus beneficentissimus est in omnes res creatas, nec vllum ab eis accipit emolumentum, præter externam quandam prædicationem & laudem, qua facilè carere posset.

XIII. *Magna gloria Deum sibi obligare.*

Romæ Patres conscripti, aliique viri primarij in laude sua quondam posuerunt, quòd tantum gratia apud Iulium Cæsarem valuissent, vt veniam Marcello gratiámque obtinerent, omni veteri offensione penitus obliterata. *Ex quo profectò intelligis*, ait Orator, *quanta in dato beneficio sit laus, cùm in accepto tanta sit gloria.* Si ergo Cæsari valde gloriosum fuit, non aliquem sibi Iudicum concessum, sed augustissimum ipsum Romanum Senatum obligasse, qui iura dabat;

Quâ patet edomitis Romana potentia terris;

quæ obsecro est Christiano gloria illum sibi obligare posse, cui conuenit illa vox, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: cuius est verissimum illud elogium, *Rex regum, & Dominus Dominantium*. Ipsa porro obligatio clarissima est, certissimis, ipsisque euangelicis consignata monimentis. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Mat. 28. 18. Apoc. 19. 16 Mat. 25. 40.

XIV. *Aut Sanctũ aliquem.*

Quanta lætitia existimamus affectum fuisse Philemonem, accepta Pauli epistola, in gratiam Onesimi famuli sui; cùm legit magnum illum Apostolum, primariam Ecclesiæ Dei columnam, vadem se pro seruulo illo constituere? *Si autem*, inquit, *aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea, ego reddam.* Quasi diceret, hac ipsa epistola exarata manu mea, quasi chirographo meo tibi cautũ volo, in ære tuo sum, tibi satisfaciam pro ipso. Quantũ ergo gaudium, quantámque fiduciam illum habere par est, qui sponsorem habet ipsum Christum Dominum, omnium, quæ eius nomine pauperibus fuerit elargitus, vsque ad calicem aquæ frigidæ? Deus meus vbi est hominum fides! vbi humana sapientia! Nam si hæc non credimus, Christiani non sumus; si credimus & comtemnimus, insani profectò sumus.

XV. *Deus soluit Euagrio syngrapham Synesii.* In prat. spir. c. 195.

Euagrius philosophus, recens ad Christum adductus à Synesio Episcopo Cyrenensi, trecentos aureos pauperibus distribuendos Episcopo dedit: ea tamen lege, vt ei Synesius syngrapha caueret, sponderétque Christum ipsi eandem pecuniæ summam in altera vita redditurum. Quæ cùm ritè peracta essent, præcepit philosophus filiis suis, vt statim atque abiisset è viuis, eam syngrapham manibus eius insererent, & cum eadem corpus eius sepulturæ mandarent. Ita imperatum, itáque factum. Triduo post apparet in somnis Episcopo philosophus, monétque vt ad sepulchrum suum veniat, chirographum cautionis accepturus, quòd sibi de pecunia satisfactum esset; *in cuius rei fidem*, inquit, *inuenies subscriptam à me acceptilationem.* Postridie Episcopus cum filiis Euagrij sepulchrum adit; eóque aperto inuenitur in manu defuncti syngrapha, cum subiecta apocha, in qua fatebatur Euagrius, persolutam sibi pecuniam, quam dudum Christo per interpretem Synesium dederat. Tam insigne prodigium populus vniuersus vehementer admiratus, in Dei laudes prorupit, seruatáque est eiusmodi charta in Ecclesia Cyrenensi tanquam eximium lipsanum. Inuenerat videlicet iste philosophus thesaurum illum, quem Dominus iis promittit, qui rebus suis pauperibus distributis, ipsum pauperem, pauperes ipsi quoque sequuntur. Mat. 19. 21.

XVI. *Eleemosyna excitat à mortuis Tabitham.*

Lucas Euangelista retulit in Actus Apostolorum, Tabitham matronam honestissimam, & in pauperes valde liberalem, in morbum Ioppe incidisse, ex eóque extinctam esse. Cúmque inde modicè abesset Petrus Apostolus, accersitus est à Christianis. Venit, & deductus est ad locum, in quo mortua iacebat, *Et circumsteterunt omnes viduæ flentes,* Ca. 9. 36.

& ostendentes ei tunicas, & vestes quas faciebat illis Tabitha; & videlicet eius laudantes benignitatem, & suam deplorantes calamitatem, quæ tanto vitæ præsidio essent orbatæ. Motus misericordia Petrus, positis genibus orauit, & sentiens se voti compotem, conuersus ad corpus dixit, *Tabitha surge*, quæ statim vitæ restituta est, & reddita lacrymantibus viduis cum magno gaudio, vt pergeret esse mater miserabilium personarum.

Hom. de Auar. Tu hîc relinques, ait Basilius, velis nolis argentum tuum, tecum autem ad Deum deferes honorem liberalitatis tuæ; ibi te apud Iudicem populus circunstabit vniuersus, pauperum te parentem ac nutritium vocitans, firmamentum debilium, perfugium miserorum, aliisque id genus nominibus, testibus humanitatis, ac benignitatis tuæ.

XVII. *Honorat liberales corã Deo.* Ædiles olim, aliique magistratus in arena magnis sumptibus magnificẽtissima munera populo dabant, ait idem Basilius, puta gladiatorum tam inter se, quàm cum bestiis depugnantium, aliáq; id genus certamina, ad popularem permodici temporis laudem colligendam. Túne tam abiecto eris animo, tam parco ac sordido, vt à sumptibus abstineas, quibus immortalis tibi gloria præparatur? Hanc annonam, quasi quæstor aut procurator tuus, Deus ipse recipiet, angeli prædicabunt, homines, qui vnquam extiterunt, beatum te dicent, iique imprimis, qui aliquando fuerint tua liberalitate lacessiti.

CAPVT XLV.

Auarorum parcitas stulta, atque irridenda est.

I. *Auari stulti & irridendi.* Luc. 12. 18. 19. SI quem fortè tanta gloria modicè tangit, irrisionem ille saltem, atque exprobrationem sempiternam, cui se obiicit reformidet. Repetat memoria parabolicum illum ex Euangelio diuitem, qui antiqua horrea sua destruere cogitabat, & ampliora construere, quæ copiam nouæ messis capere possent. Is animo versabat, non aduocare pauperes, qui eum ea sollicitudine liberarent, in quam ipsum fructuum vbertas coniecerat; sed priuatim frui bonis suis. Dicebat enim animæ suæ, *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sic ille quidem; At Deus contra. *Sulte, hac nocte animam tuam*, quasi commodatò datam, *repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Subditque Dominus, *Sic est qui thesaurizat, & non est in Deum diues*, quid est autem esse diuitem in Deum, quàm eum sibi obligare diuitiis largiendis? qui secus facit, vel ipso iudice Deo stultus est.

II. *Multis de causis.* Pugnat contra eundem recta ratio, cuius scientissimi Angeli illi insultantes dicent; O insanum hominem, qui nihil commeatus per manus pauperum in cœlum mittit, vbi se perpetuò habitaturum sperat; omnia

vitæ præsidia relinquit in terra, quò non ignorat se nũquam esse rediturum! O hominem fatuum, qui de omnibus suis bonis, vix seponat sibi ipsi, quæ sufficiant ad sepulturam, vt habeant heredes, quibus se ad nauseam ingurgitent! quis te docuit bona tua tam stultè, támque malignè partiri? vt aliorum memor obliuiscaris tui? effusis in alios opibus & copiis, tibi mendicitatem reserues? O virum inconsultum, qui non intellexit se distributorem esse, atque œconomum bonorum, quæ vltra conuenientiam propriæ conditionis & status possideret. O egregium rei familiaris curatorem, qui magnam pecuniæ vim in arcis suis reliquit inutilem, nec diuinæ mensæ credidit, centenos accepturus pro singulis nummis. O malè cautum maléque prouidum quæstorem, qui sibi creditas diuitias latronibus, ac putredini reliquit obnoxias, nec eò maturè transtulit, *Vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Basil. hom. de Auar. Matt. 6. 20.

Eandem dementiam Propheta quoque regius deridet. Cùm enim dixisset fore, vt istiusmodi homines destruerentur in finem, euellerentur, & extraherentur de tabernaculis suis, nec radicem in terra viuentium ponerent, adiecit, *Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & praualuit in vanitate sua.* O stupidos homines, ac mente captos, qui mensarum suarum reliquiis emere noluerunt, quæ tam multi viri sapientes pretio omnium fortunarum suarum, omnium corporearum oblectationum, ipsiúsque libertatis iactura redimere non dubitarunt. Homines plumbeos, qui intelligere non potuerunt, quale & quantum esset id, quòd frusto secundarij panis, vili lacerna, detrito indusio poterant obtinere; quod viri docti & sapientes, propria vita, & sanguine sanctius, & antiquius esse duxerunt. III. *Eos deridet David.* Psal. 51. 7. 7.

O cæci mortales, qui non didicere, quod plerosque viros bonos ipsa docuit experientia, Eleemosyna rem augeri familiarem, impediri iacturas, Deo ipso ea bona singulariter curante, vnde ipsi benignè fit. Eleemosynam reditus sapienter dispensare, insanas ludorum, & ambitiosè vanitatis impensas auertere, periculosas negotiationes iniri non sinere, fructuosas conciliare affinitates, ingenuam ac benè moratam sobolem heredem diuinitus impetrare. Deus enim cui liberaliter tribuunt, & propter quem alteri benignè faciunt, non patitur se humanitate aut liberalitate vinci. Quamquã quid dicimus benignè alteri fieri propter Deum, sibi ipsis benefaciunt. Audi enim Basilium hominem liberalem alloquentem, *Tu autem*, inquit, *quemcumque ostenderis beneficentiæ fructum, illum tibi ipsi congregas. Nam benefactorum gratiæ in dantes reuertuntur. Dedisti esurienti, tibi consuluisti, quod dedisti, ad te cum auctario reuertetur.* IV. *Alia illiberalium ineptia.* *Liberalis sibi ipsi vtilis.* Hom. de Auar.

Finem impono vniuersæ disputationi meæ, cum altera eiusdem Basilij sententia, & ad diuites auaros adhortatione, *Et hic quidem*, inquit, V. *Ex S. Basilio.*

Καὶ ὁ μὲν ἔχει τῶν κακῶν βουλευμάτων, τὸ τέλος ἀκόλουθον, &c.

dives, minorum horreorum scilicet destructor, & maiorum destinator, *finem malis consiliis congruum est consecutus. Vos contrà, optem vt à me persuadeamini, vt portis omnibus promptuariorum patefactis, latè patentem diuitiis transitum prabeatis, tanquam ingenti fluuio frugiferam terram per mille irriguos helices ingredienti, sic & vos per multas vias opibus ad pauperum domos aditum date. Nam & putei qui continenter hauriuntur, copiosiore aqua & pulchriore fluunt, sin autem quieti dimittantur, aquæ vitium capiunt ac putrescunt. Sic & quietæ atque immotæ diuitiæ sunt inutiles, motæ autem publicè vtiles fiunt, & laudem pariunt largitori.* Sic sanctissimus ille atque elegantissimus Præsul, cum quo par est nos longi sermonis accipere missionem. Et quidem benè meritam, inquam, quam non frustra ab illo expectabis, cuius liberalitatem tam studiosè commendasti.

Octaui Libri finis.



LIBER NONVS,

De Mansuetudine Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio quinti filij Charitatis, cui nomen Mitis Amor.

AVTOR.

SI Liberalis-Amoris, quarti filij reginæ Charitatis, productior fuit aliquanto disputatio, causa ad immensam huius argumenti copiam referenda est, quod vsquequaque latissimè funditur, in morem fœcundæ arboris læto solo omnem in partem syluescentis. Deū quippe ipsum, quem capere nihil potest, eiúsque omnia opera comprehendit. Itaque fassus est ingenuus Adolescens se, pro huius loci amplitudine, admodum fuisse ieiunum, vehementérque orat eos qui ista cognoscent, vt illi ignoscant, quòd nec sua, nec ipsorum desideria explere potuerit; eosdémque etiam atque etiam rogat, vt erga se communem omnium creditorem imitati, bona debitorum voluntate, qui soluendo non sunt, sibi satisfactum velint, quoniam vltra vires conari, non est profectò sapientis. I. *Transitio.*

Arbitror porrò, attentione renouata, diuini amoris candidatum admodum esse appetentem audiendi aliquem alium de filiis Charitatis. Ecce autem vnus eorum se nobis offert admodum cupidus pelliciendi cor nostrum in amorem mitissimi Domini, ac parentis sui. Eius nomen est Mitis Amor, oculus hilarior, tota facies lenitatem ac suauitatem spirat, qualis fuit olim Iosephi Patriarchæ, cùm se fratribus in Ægypto præbuit agnoscendum. Tenerior est adhuc eius ætas, in signum placabilitatis, quæ in pueris maximè cernitur, fert nuptialem chlamydem, cui nomē Confœderatio, in qua opere plumario iunctæ sunt manus in quincuncem sparsæ. Est enim mitium inire fœdera, & reconciliare dissidentes. In ora chlamydis acu picta sunt illa verba, *Vade, & reconciliare fratri tuo.* Castoreæ lanæ galerum gestat in capite, cui nomen Obliuio acceptæ iniuriæ. Flaua illi cæsaries, & in dextera ramus viridantis oliuæ II. *Descriptio Mitis Amoris.*

quem vocat Pacificationem, Tunicam gerit interiorem, Ceſſionem de iure ſuo; fruſta gladiorum pedibus calcat, altera verò manu ſcriptum illud Seruatoris elogium, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Matt.11.29.

III. *Propoſitio.* Quæ dum diuini Amoris candidati attentiùs mente conſpicient, dúmque hic Adoleſcens ſeſe comparabit ad docendum quanta ſit diuini amoris manſuetudo atque facilitas, tam in hominibus, quàm in ipſo Deo, placet rem diducere latius, & contractiorem hanc quæſtionem, ad genus ipſum amoris reuocare, ſic vt ipſius quoque amoris naturalis lenitas, rationibus, exemplis, ipſáque experientia doceatur: vt inde facile gradum facere liceat ad cæleſtem illam, & ſupernaturalem charitatem; ad quam tanquam ad finem primarium dirigitur tota hæc noſtra diſputatio. Sic naturalis Philoſophia diuinæ ſternit viam, & acquiſitæ virtutes infuſis.

CAPVT II.

Amorem vniuersè mitem eſſe, atque placabilem.

AVTOR.

I. *Naturalis amor placabilis.* NATVRALIS igitur amoris atque humani facilitatem ex ſacris profaniſque monimentis, experientia, ipſáque ratione facile eſt demonſtrare. Cùm autem Manſuetudinis ac lenitatis ſumma laus ſit, opúſque proprium, animos iniuriis damniſque laceſſitos, continere ne temerè moueantur, aut mitigare commotos: quis vnquam parens maioribus à filio iniuriis, damniſque affectus eſt, quàm Rex Dauid à filio Abſalone? Quis pater ſe leniorem præbuit, ac placabiliorem improbo filio, quàm Dauid improbiſſimo Abſaloni? Qui maiorem natu fratrem per proditionem peremerat, & quidem in conuiuio, & in oculis reliquorum fratrum, totámque familiam regiam cum ipſo rege turbauerat. Rectum quidem videbatur tantum facinus, eius qui id patrauerat, expiari cæde, aut certè illum à regis conſpectu perpetuo arceri; ſed paternus amor facilè Dauidem, virum alioqui fortiſſimum, expugnauit, adeò, vt mulieris vnius parabola reconciliatio facta ſit. Cúmque iterum poſtea nihilo minus deliquiſſet, videns Dauid omnes copias militares ad vindictam de illo capiendam egregiè animatas, ſingulos duces ſtudioſè admonebat, vt ſeruarent ſibi puerum Abſalonem. Hominem videlicet leniuerat paternus amor, & patris oculos à filij ſceleribus auerterat.

Id docetur Dauidis exemplo.

II. *Et Marcij Coriolani.* Exemplum ſuggerit Romana hiſtoria ſanè luculentum, in perſona C. Marcij, qui Coriolanus dictus eſt, qui cùm per calumniam damnatus fuiſſet, ac mulctatus exilio, Volſcis, quibus tum Romani capitaliorem hoſtem habebant neminem; ſeſe dedidit, eáque ex gente valido exercitu congregato,

congregato, ita Romanos ciues sociósque vexauit, tot oppida tum vi, tum deditione accepit, tot agris intulit vastitatem, vt Romani ad vltimam adacti desperationem, geminam honestissimorum ciuium legationem ad eum mitterent, fructu nullo. Miserunt & tertiam quam sacerdotes, pontifices, augures, aliæque personæ sacræ, cum apparatu sacrarum vestium, ipsisque Deorum simulachris obiere; obduruit ille nihilominus, ira æstuans, & flagrans cupiditate vindictæ. Postremò legatæ sunt ad Marcium mulieres duæ, mater & vxor, cum quibus naturalis amor Marcium pectus ita concussit, atque labefecit, vt quamuis & vindictam & victoriam haberet in manibus, excuteret hic amor vtramque, & liberata patria cederet matri filius, vxori maritus, & cum certo capitis discrimine, imbellibus armatus.

Quod ad experientiā attinet, arbitror accuratiùs illam notari nō posse quàm in filij prodigi parabola, quam diuina Christi sapientia ex communi hominum vsu mutuata est. Ibi quasi in theatrum prodit petulans ac lasciuus adolescens, qui armis vsus amoris naturalis, cum patre luctatur: itáque mollit senem atque inflectit, vt partem hæreditatis, quæ ad eum pertinere poterat, secum auferat abiturus, breuique pessundaturus. Hic idem amor prodigo quamuis re pessimè gesta persuasit, vt de obtinenda à parente venia non desperaret; imò crederet paterna viscera ad misericordiam, in summa filij miseria, commotum iri. Nec iuuenem natiuus hic amor fefellit. Cùm enim veniret ad patrem, certus subeundæ pœnæ, quam vita profligata merebatur; videt eum à longè Pater, sed lacerum, ac seminudum, quasi è luporum faucibus ereptum, squalidum, oppletum sordibus ex hara porcorum, macie suprema confectum, oculis refugis, fusca ac decolore cute, horrido atque impexo capillo, toto denique corpore miserabilem.

III. *Et experientia, siue parabola patris prodigi.* Luc. 15.

Auertisset oculos alius quispiam à vilissimo capite, & cum stomacho ominosum spectaculum auersatus esset, ne dignatus quidem agnoscere filium, dedecorantem & generis dignitatem & parentis. Huic autem vero parenti commota sunt viscera commiseratione vehementi. Hoc primum telum naturalis amor coniecit in senile pectus, satisque amplum patefecit aditum perdito adolescenti, vt rursum ad cor parentis penetrare posset. Non modica iam muris illata ruina est, proxima est deditio, & victoria sine certamine. Accedit ergo cunctabundus ad parentem filius, madentibus oculis, verecundante vultu, corde tristitia luctúque confecto, vt qui se à patre deprehensum videret in omnibus totius anteactæ vitæ peccatis. Non præstolátur tetrico vultu pater venientem, acerbam meditatus obiurgationem, ac ne senili quidem grauitate incedit, sed accurrit obuiam isti nebuloni, perinde ac iuniori Tobiæ, re benè ac feliciter gesta, Tobias senior.

IV. *Quæ accuratiùs explicatur.*

Quid multa? filius abiicit se ad parentis pedes, irruit in collum filij pater. Flet ex animi dolore filius de offenso parente, flet ex commiseratio-

V. *Mansuetudo*

ne pater, super pudore inconsultissimi nati. Filius senis pedes osculari parat, senex iacentem erigit, amplectitur, osculatur. Filius singultante voce incusat stultitiam suam, iterátque suum illud, *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Pater cuius pectus clementia refertum erat, hilari voce vultúq;, ita condonat omnia, vt ne paratam quidem orationem, ad petendam veniam, illum sinat absoluere, sed medio in cursu interrumpat. Filius tali se parente indignum verecundè profitetur, & se mercenariis aggregat, *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Pater ei filij iura, dignitatémque restituit, ornat annulo, decoro vestitu induit, conuiuij hilaritate lætificat, cuius familia tota fit particeps, adeò vt ne symphonia quidem ac chorus epulis desit. Denique tam profusa fuit ista lenitas, tam extraordinaria gratia, vt ea maior natu frater domum rediens grauiter offenderetur, ac præ stomacho domum ingredi recusaret.

VI. *Et alterum natu maiorem filium.* Ecce autem hîc alterum paternæ mansuetudinis exemplum. Neque enim senilis grauitatis, aut paternæ autoritatis memor, cum contumelia iubet aduocari iuuenem, aut præsentem obiurgat acrius; minimè gentium. Nolebat enim recepto altero filiorum, alterius facere iacturã. Itaque domo exit ipse, adit iratum filium, rogátq; vt domum ingressus communis lætitiæ, de recuperato fratre particeps fiat. Iste contra de patre conqueritur, atque admurmurat, quòd se studiosè officio fungentẽ suo, nec paternis vnquam imperiis repugnantem, hactenus sine vlla beneuolentiæ significatione præterierit; nepotem autem illum reducem, quasi re præclarè gesta, cum festa lætitia exceperit. Hic optimus pater, omisso querelæ huius examine, maiorem etiam erga hunc ac solidiorem amorem ostendit. *Fili*, inquit, *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Quis hîc non agnoscit admirabilem diuinæ lenitatis ac placabilitatis imaginem, quæ postea declaranda est. Id nobis satis est hoc loco, in hoc parente parabolico apertè demonstrari, quàm vera sit illa comici vox, *Modica satisfactio satis est patri*, & exiguã lacrymarum pluuiam magnum iracundiæ turbinem sedare.

VII. *Vtilitas mitigat iratos.* Eadem experientia docet propriæ vtilitatis amorem, ira vel alia perturbatione commotos facilè mitigare. Id ille Poëta canit,

Munera, crede mihi, placant hominésque Deósque,
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Os proiectum cani eius latratum sedat; & principum beneficia obturant ora maledicorũ, eósque noua metamorphosi mitigatos, in laudum suarum præcones mutant. Eadem est vis beneuolentiæ, amorisque personarum. Facilis enim est amicorum reconciliatio, quos leuis offensio distraxerit. Itaque comicus idem experientiæ magisterio institutus, *Amãtium*, inquit, *iræ, amoris redintegratio est.* Et Sapiens, *Ad amicũ si aperueris os triste, ne timeas, est enim concordatio.* Quin etiam negat desperandum amico regressum ad gratiam, quamuis præceps quæpiam iracundia strinxerit gladium in amicum.

& conditio personæ. Eccli. 22. 26 27.

CAPVT III.

Quæ cauſæ manſuetudinis amoris eſſe videantur.

QVI lenitatem amoris fundatam dixerit in generali principio, deſiderij propriæ conſeruationis, non malè opinor dixerit. Id deſiderium inſitum eſſe rebus omnibus, atque innatum, nemini dubium eſſe poteſt. Omnes enim animantes, ſiue quæ armatæ ſunt cornibus, ſiue quæ obductæ plumis, ſiue quæ tectæ coriis, ſiue quæ veſtitæ villis, ſiue quæ ſpinis hirſutæ, ſiue quocumque diſcrimine à cæteris ſecernantur, id habent ſibi maximè à natura commendatum, vt ſe, vitam, corpúſque tueantur, declinent quæ nocitura putent, & quæ ſunt ad viuendum neceſſaria acquirant, & parent. Hinc mortem quanta poſſunt contentione fugiunt, fame cicures efferantur, feræ aguntur in rabiem, hinc procreandi cauſa coniunctionis appetitus, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt, vt quæ in ſeipſis perpetuò eſſe non poſſunt, in ſobole conſeruentur. Plantæ quoque eandem ob cauſam humorem radice inquirunt, & frondoſo capite liberum aërem, ac ſolem: & aquæ guttæ, vt inimicæ ſiccitati reſiſtant, coguntur in globum. Cùm ergo odium inter & amorem capitales ſint inimicitiæ, Amor ne ab odio perimatur, ſuſcitat manſuetudinem, quæ iram coërceat, ne odium ex ira naſcatur: manſuetudo autem amorem reconciliatione conſeruat, atque redintegrat. I. *Prima cauſa conſeruationis cura.*

Excitat quoque manſuetudinem naturalis amor, animaduerſa multitudine atque acerbitate malorum, quæ ira, ſi ſemel infrenis erupecrit, in mundum inuehit; præſertim cùm ſuam exercet tyrannidem in virum potentem, ſed iræ impotentem. Illico enim ira ſoluitur in clamores inconditos, in probra & contumelias, in minas & verbera; quin ne celitibus quidem parcitur, aut ipſi Deo. Nunc igneſcit facies, nunc inſtar cadaueris inalbeſcit. Labia modò tremore palpitant, modò taurorum more ſpumas eiiciunt; erumpit ex naribus fumus, ſtridor ex dentibus, fulgor ex oculis. Manus obuia quæque pulſant, frangunt, lacerant. Hæc eſt illa bellua importuniſſima, quæ cædibus ac ſanguine ſaginatur, quæ bella & ſeditiones exſuſcitat, quæ denique rationem è ſua ſede deturbat. II. *Metus malorum quæ iram comitantur.* *Iræ deſcriptio.*

Sed placet magnum audire Baſilium. *Quando ſemel*, inquit, *iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ ſumpſerit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem, qui rationis ſit compos, eſſe ſinit. Quòd enim venenum virus emittentibus erit, hoc idem & furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, inſiliunt, rabie afficiuntur vt canes, pungunt vt ſcorpij, mordent vt ſerpentes.* Et mox, III. *Ex S. Baſilio magno.* Hom. 10. de ira. Ἐπειδὰν γὰρ ἅπαξ τα-ξωσάμενον, &c.

Nã & omni fera venenata impudentiùs ruunt, nec prius desistunt, quàm aliquo magno malo animum exsatient æstuantẽ. Neque enim ensis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid, animũ ira intumescentem ac furentem satis compescere valebit, non magis quàm à dæmonibus detentos, à quibus irati nihil, neque forma, neque animi affectu differunt. Amor igitur qui ab hisce malis abhorret, suscitat mansuetudinem, quæ indignationi frænum iniiciat, armis exuat, constringat diuini timoris vinculis, & domo pulsam pacem postliminio restituat.

IV. *Causæ constitutio corporis.* Æn. 4.

Multum quoque valet ad mansuetudinem constitutio corporis, temperatióque naturæ. Sunt enim quidam ingenio miti atque tractabili, qualem nobis Æneam suum Poëta describit. Etsi enim quodam loco propositi tenacem describit, neque cedentem precibus,

Nullas, inquit, *voces tractabilis audit*,

rationem tamen addit, quæ rigidum illum animum atque implacabilem excuset, *Fata obstant, placidásque viri Deus obstruit aures.*

Nicepl.l. 14. c. 3. Sueto. in Tito. c. 9. Niceph. l. 18 c. 20. & c. 38.

Talis fuit Iulius ille Cæsar, cuius in remittendis iniuriis placabilitas ab omnibus meritò prædicatur, vt qui haberet in potestate vindictam, qua illos quibus ignouit, si libuisset, vlcisceretur, Ciceronem, Marcellum, Ligarium, Tuberonem, alios. Talis iunior Theodosius imperator, lenissimi vir ingenij, qui nullam vnquam iniuriam vltus est, quem nemo vidit iratum aliquando, qui maluisset vitæ reddere mortuos, quem morti addicere, magnis etiam criminibus implicatos. Eadem Titi Imperatoris mens fuit: eadem & Mauritij aduersus infestissimum Cosroëm Persarum regem.

V. *Ferocia quadam ingenia* *Catonis.*

Contra verò nonnulla ingenia barbara, ferociáque reperiuntur, quæ luporum potiùs aprorúmque feritatem, quàm humanitatem redolent; nihil admodum iuris habet apud illos ratio, perturbatio dominatur, frangi quàm flecti malunt. Huiusmodi videtur extitisse Vticensis ille Cato, qui vltro sibi vitam rapuit, ne eam deberet Cæsari, & coram eo victus appareret. Vidit hoc Poëta Lyricus, cùm diceret,

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.

Ant. Epiph. &c.

Atrocem quoque gestabat in pectore animum Antiochus ille Epiphanes, vt sacri codices docent; atrocem & Herodes ille innocentium carnifex, qui & regiam domum liberorum, vxorum, consanguineorum sanguine cruentauit. Trucem ac truculentum Nero, quem crudelitas præ cæteris imperatoribus nobilitauit: quamuis eius infamiæ gloriam Diocletianus & Maximianus sibi vindicare posse videantur. Immiti quoque ingenio fuerunt Sapores, Cosroës, Cambyses, cæterique fere Persarum reges; illéque in primis Attila cognomento flagellum Dei, Geisericus, Athalaricus, cæterique barbari principes, in generis humani ruinam in lucem editi, atque educati.

Sed quod obsecro Tartaro Tamerlano cognomen dari potest, quod hominis, si tamen hominis, immanitatem exæquet? Solitum quippe legimus, cùm ad munitum aliquod oppidum expugnandum accederet, illico deditionem postulare, & albis vrbem tentoriis cingere; altero die rubris, tertio nigris, significans si primo statim die imperata facerent, misericordiam consecuturos; si altero, cruentam fore victoriam; si tertio, cuncta tetro incendio consumptum iri. Contigit aliquando vt insignem quandam vrbem obsidione cingeret, quæ se primo statim die non permisit arbitrio Barbari, sed in alterum deditionem distulit. Vt tamen cruentæ istius bestiæ feritatem mitigaret, pueros illi obuiam, puellásque magno numero misit, albis indutos, oliuæ ramos manibus præferentes, sed miseri longè falsi sunt expectatione sua. Immisit enim illico equitatum, qui innoxiam illam turbam equorum pedibus conculcaret, atque obtereret; eodémque impetu iussit vrbem inuadi, omnésque ciues, sine vllo aut ætatis aut sexus discrimine, trucidari. Cúmque Genuensis quidam ei familiaris ausus esset ab illo rogare, quid ita inhumaniter sæuiret; ille truci vultu, An tu me hominem putas, & non iram ac vindictam Dei, & Mundi ruinam. VI. *Maximéque Tamerlanis.*

Sed missa faciamus hæc immania humanæ naturæ prodigia, quorum feritatem omnis ætas, omniáque secula detestantur, dicamúsque naturæ constitutionem ac temperamentum, quale ferunt esse aëreum ac sanguineum, non parum mansuetudini seruire; terrenum autem, in quo atra bilis dominatur, parum congruere lenitati, & si semel inflammata fuerit, terrificos producere effectus, eóque tristiores, quò tardius, tanquam in fornace ferrum, incanduerit. Ac ne illa quidem ignea constitutio, satis videtur ad lenitatem idonea, facilè enim turbatur & turbat, pro ingenito calore ac leuitate. Hæc naturæ bonitas facilè in nobilitate reperitur, & sæpe tum flaua cæsarie, tum rubicundo faciei candore atque mollitudine se prodit; adde suauem oculorum coniectum, vocis dulcedinem, verborum suauitatem. Et vt Physiognomia tota falleret, minus commoda ingenui adolescentis natura, non parum studiosa educatione emendatur, & ad lenitatem componitur. A puero enim informantur ad naturæ impetus retinendos, qui non satis ipsorum conditioni conueniunt. VII. *Quæ Natura mansuetudini cognata.* *Mansuetudo nobilium.*

Roborat orationem nostram ille poëta, qui cùm timidè ac tacitè de Augusto quereretur, quod minus placabilis videretur, quàm tantæ dignitati conueniret, ita canit. VIII. *Confirmatur à poëta.*

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem cùm iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Id ingenio nobili conuenit in primis, vt ne se corporis animive perturbationibus, ferri regive patiatur: agreste autem & plebeium, eorum tyrannidem, maximéque iracundiæ patitur, cùm se maximè liberum putat. Sed iam tempus ac ratio postulat, vt mitem Dei Amorem audiamus.

CAPVT IV.

Diuinum amorem, etiam ante legem gratiæ, homines mites reddidisse.

MITIS AMOR.

I. *Amorem diuinum reddere mites.* AVDIES sanè quoniam ita necesse est, ait Mitis Amor, sed in eo, quod percommodè iecisti, fundamento inædificantem. Si ergo, vt nunc à te præclarè demonstratum est, Amor qui supra naturæ vires non assurgit, hominem ita informat & condocefacit, vt tumultuantes perturbationum motus coërceat quamprimum, aut ne commoueri quidem sinat aliquando, vel foras erumpere; si ad veniam potiùs offensum hominem, quàm ad vindictam inflectit, & cùm puniendum est, magnam pœnæ partem placidè resecat; nemo iure dubitauerit, diuinum Amorem non minùs habiturum virium ad clementiam & placabilitatem, quæ ad promouendam Dei gloriam, & hominum salutem dirigatur. Quid magis in vsu ac more positum, eorum qui Dei amorem ac metum rebus omnibus antiquiorem habent, quàm perpetuo esse ad reconciliationem paratos, ad omnémque offensionem remittendam funditus ac renunciandam. Quin imo bene mereri solent de inimicis, & charitatis prunas in eorum capita congerere, quod est diuinæ Sapientiæ, & Apostoli Pauli consilium, à sanctissimis quibusque viris, primis postremísque seculis vsurpatum. *Matt. 5. 44. Luc. 6. 27. Rom. 12. 20*

II. *Id docetur Abrahami exemplo in causa Sodomorum.* Eum morem vt planum faciamus exemplis, ab ipso Abrahamo Patriarcha ducamus initium; qui eximiam cordis sui lenitatem patefecit, dum pacem ac veniam à superis exprimere conatur, minuenda pœna, quàm sceleratæ illæ ciuitates à diuina iustitia extorquebant. Cùm primum enim tristissimum accepit nuncium diuinitus imminentis incendij, totum se ad orandum contulit, suauissima atque ingeniosissima charitate, præ se ferens se pro solis iustis diuinam velle interpellare clementiam, quos non conueniebat eodem cum improbis supplicio implicari. Sed mox pro sontibus, in gratiam insontium, orationem inflectit, & diminuto sexies proborũ numero, sexies decretum Iudicis immutat; vsq; adeo animo ferebatur ad lenitatem, & apud Deum fontem misericordiæ gratia valebat: qui hominẽ intimè permouebat, ad supplicium ab reis tam sceleratis deprecandum, tantóq; numero reis, vt tota vrbe Sodomorum,

ac fortè ne totis quidē quinq; ciuitatibus, decem viri boni reperti fuerint, sed Lotus vnus duntaxat, qui ex incendio, angelorum manu ereptus est.

Ponamus secundo loco Abrahami pronepotem Iosephum Patriarcham, qui in re propria & sua, non minorem ostendit mansuetudinem, quàm in aliena proauus eius. Norunt omnes criminis atrocitatem, quo se reliqui Iacobi filij aduersus ipsum Iosephum minimum natu fratrem obligarant, quos vrebat inuidia contra adolescentulum innocentissimum & longè amabilissimum, delicias grandæui parentis, cuius propter magnitudinem mœroris, quem illi attulerunt, propemodum parricidæ facti sunt. Itaque non satis habuerunt verborum in puerum asperitatem perpetuam adhibere, *neque enim poterant ei quidquam pacificè loqui*, vt scriptura testatur, nisi, cùm ad eos inuisendos missu parentis venisset, eum morti destinassent, & contemptis precibus eius ac lacrymis, quibus singulorum genibus accidens vtebatur, spoliatum in cisternam veterem demisissent, vt ibi squalore ac luctu perditus, fame ac frigore moreretur. Eundem mox Ismaëlitis plagiarij vendiderunt, à quibus iterum venditus in Ægypto, multos annos in carcere ac seruitute transegit: donec eum Dominus totius Ægypti proregem mirabili prouidentia constituit.

III. *Et Iosephi patriacha in causa fratrum.*

Gen. 37. 4.

Quid ergo facturus est Iosephus istis inuidis, plagiariis, & domestica inhumanitate barbaris, tam malè de se, déque communi parente meritis, quorum alterum in grauissimum luctum coniecerunt, alterum in diuturnum carcerem ac seruitutem? In promptu erat tam atrocem iniuriam vlcisci, & vel morti addicere, vel minimùm seruituti, vt per otium illud subinde iterarent, *Meritò hæc patimur, qui peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ eius dum deprecaretur nos, & non audiuimus*. Sed satis habuit eos anxia sollicitudine vexare, & maiore timore afficere, quàm pœna: prouidens interea liberaliter omni eorum inopiæ, & commoditati, perinde ac si præclarè de eo meriti iamdudum fuissent: quæ tamen ipsa anxietas, vel ab inuito, lacrymas elicuit. Denique *non se poterat vltra cohibere* mitissimus *Ioseph, eleuauitq; vocem cum fletu, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit?* Illi timore ac rei nouitate perculsi, immobiles atque elingues stupebant. Ille eos ad se propiùs clementer aduocat, omnes sigillatim complectitur, osculatur, & super singulos eorum peramanter plorat, facinus in se admissum excusat, refértque in diuinam prouidentiam, quæ id permiserit in eorum salutem. Omnes insuper euocat in Ægyptum, quos amantissimè receptos, & optima regni totius regione collocatos, ad suam vsq; mortem, annis duobus supra septuaginta liberaliter aluit.

IV. *Eius mira lenitas.*

Gen. 42. 21.

Gen. 45. 1. 2.

Quæ tandem causa fuit huius tam egregiæ reconciliationis, obliteratæ offensionis, clementiæ, ac lenitatis? Causa vtique fuit, non tam naturalis amor in suos, qui & iniuriarum magnitudine, & temporis diuturnitate poterat admodum refrixisse: duo enim ac viginti anni venditionem inter & agnitionem interiecti fuerant, sed diuini amoris flamma,

V. *Ex ipsius in Deum amore.*

ab an. 2306. ad an. 2328.

quæ in eius pectore viuebat. In diuinam enim prouidentiam coniiciebat oculos,non in fratrum peccatum,quo Deus ſapienter vſus fuerat ad maius multorum bonum. Quam Dei bonitatem ipſe imitatus, plus ſuis quondam inimicis boni contulit, quàm ab illis accepiſſet mali: ſuíque muneris eſſe duxit, agnita Dei in ſe beneficentia, ſeniorem parentem, egregium Dei famulum conſolari, & toti eius familiæ quietem, plurimámque bonorum copiam elargiri.

VI. *Moſis manſuetudo.* Talis fuit ſanctiſſimi huius Patriarchæ manſuetudo, quæ ſæculis omnibus magno cum ſenſu ac prædicatione celebrabitur. Fateor tamen nihil in hoc genere admirabilius, in ſacris veteris teſtamenti codicibus, reperiri, Moſis aduerſus Iſraëlitas placabilitate: quos conſtat decies aut duodecies partim contra Deum ac Moyſem oblocutos fuiſſe,partim etiã in ſeditionem verſos inſurrexiſſe; hinc Deo per ingratiſſimã idololatriã, inde Moyſe per defectionem ac rebellionem deſerto. Fuit hic populus,ſi quis vnquam, turbulentus atque intractabilis; qui Deum ipſum compelleret, modò eos igne,quem ex altari eiaculabatur conſumere, vt filiis Aaronis contigit, & turbæ Coritarum: modò diſcedentis terræ viſceribus abſorbere, vt Dathani & Abironis familias; modò repentina & inopinata morte perdere, vt Speculatores promiſſæ Chananitidis; modò gladio, peſte, ſerpentum morſibus interimere.

VII. *In gratiam improbiſſimi populi.* Quid è contrario pro ipſis in monte apud Dominum mitiſſimus Moſes? Quid molitur,aut quid potiùs non molitur totis quadraginta diebus, vt diuinam indignationem, paratam populum funditus vniuerſum diſperdere, mitigaret? Teſtis ſtupenda illa vox,quam paterna viſcera pro-
Exod.32.32 fuderunt,omnibus antè ſeculis inauditam: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quam ſcripſiſti.* Quæ maior hominis charitas, quæ clementia indulgentior, aduerſus talem populum reperiri poteſt? Itaque promeritus eſt illud elogium, quod Deus ipſum voluit
Num. 12 3. ſacris conſignare monimentis, *Erat Moſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines,qui morabantur in terra.* Quæ cauſa fuit fortaſſe cur Aaron frater eius,& Maria eiuſdem ſoror audacius ad obloquendum contra ipſum proſilirent. Facilè enim homines patientum ac manſuetorum bonitate abutuntur. At Deus amantiſſimi famuli cauſa ſuſcept, vtroque verbis probè caſtigato, Mariam horribili etiam lepra percuſſit.

VIII. *Et Mariæ ſororis.* Hic Aaron fratrem ſuppliciter orat pro Mariæ ſanitate, ſimúlque pro vtroque veniam petit. Quid hic mortalium manſuetiſſimus? Num ait Deum factum eſſe teſtem innocentiæ ſuæ, & offenſæ in ſe admiſſæ vindicem? Num iuſtas Mariam pœnas luere aut ambitionis, aut oblocutionis ſuæ? Quin potiùs facilè exoratus, in ſignum vehementioris deſiderij, clamat ad Dominum poſtulans ſorori ſanitatem, iuríque ſuo perquam libenter cedens. Nec tamen obtinuit vt ante ſeptiduum ſanaretur, vt interim lepra inquinata, & ab vniuerſo populo ſeparata doceret omnes, Deum manſuetudinem ſeruorum ſuorum diligere, eorúmque

rúmque

rumque curam suscipere singularem: quod huiusmodi homines neque possint propter morum lenitatem atque dulcedinem, defendere se, neque ob Dei amorem velint, quamuis lacessiti, eos vlcisci, à quibus iniuriam acceperunt, quique eorum bonitate, patientia, facilitate abutuntur.

IX. *Dauidis mansuetudo.* Quid Dauidis mansuetudinem memorem, cuius ipse quoque testis est, cùm ait, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, in perpetiendis videlicet humiliter omnibus aduersis, quæ permittente te irruebant in caput meum. Quò etiam videtur alio loco respexisse cùm diceret, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Si mala rependi malis, fecique vt inimicus meus talem colligeret messem, qualem sementem fecerat, ego vicissim redigar sub eorum potestatem, & inutilis sit defensio mea: vel amittam meritum datæ veniæ inimicis meis, aut quod eorum iniurias benefactis obruerim, iuxta illud eiusdẽ Prophetæ. *Posuerunt*, inquit, *aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Sed factis ipsis verba longè vincebat. Psal. 131. Psal. 7. 3. Psal. 108. 4.

X. *Aduersus ingratissimũ Saulem.* Ecquis enim non admiratur in dies magis illam Dauidis dulcedinem, & incomparabilem bonitatem, qua vsus est aduersus Saulem, qui eum capitali odio prosequebatur, qui vbique eum persequebatur infestus: qui populum suum vniuersum, quasi ære campano ad arma contra Dauidem euocauerat, vt eum quoquo modo comprehẽsum viuum ad se mortuúmve pertraherent: qui eius perfodiendi causa lanceam in illum suam semel iterúmque vibrarat: qui se illi per proditorem & fraudem recõciliauerat, vt eum incautum inuaderet, & imparatum; qui quot habebat aulicos, totidem ei proditores suscitabat, vt ne à Ionatha quidem filio suo, & Michole filia, quam illi vxorem dederat, abstineret: qui omnes eius amicos, parentes, consanguineos hostium loco numerabat, adeo vt ciuitatem Nobe generali strage deleret, ab ipso pontifice Achimelecho, & quinque & octoginta sacerdotibus & leuitis initio carnificinæ ducto; vt de illo ipso pontifice vindictam sumeret, quod summam Dauidis inopiam datis panibus subleuasset, cùm putaret se eidem ipsi Sauli rem gratam facere; qui denique eum cogebat alia ex aliis oppida, deserta loca, speluncas, in præsenti semper mortis discrimine, fugiendo commutare. Vide an. m. 2972. nu. 2. & 3.

XI. *Mirum Dauidis cum Saule certamen.* Hoc rerum statu ecce tibi mirabile certamen amici contra inimicum suum, Saul Dauidi mortem omni studio machinatur, Dauid Sauli vitam, fortunas, regiam dignitatem conseruare studet. Saul ardet desiderio trũcandi Dauidi caput, Dauid tundit sibi pectus, quòd illi chlamydis oram sit ausus abscindere. Saul subditos omnes concitat ad comprehendendũ aut occidendum Dauidem, Dauid dum habet in potestate Saulem, amicos omnes & socios desiderio Saulis occidendi flagrantes retinet, & abire permittit incolumem, contentus de ipsius iniuriis queri, & patefacere innocentiam suam. Saul perseuerat vrgendo Dauidis ruinam, Dauid in parcendo regi; adeo vt cùm eum somno sopitum deprehendisset, possétque suâ ipsius lancea Saulem impunè perfodere, lanceam eandem, & vas

aquæ, quod erat ad dormiẽtis caput, abstulisse cõtentus, abierit; etsi probè norat eo mortuo se ad regnũ apertam ianuam, & iter expeditum habere. O mirabilẽ Dauidis bonitatẽ! ô mansuetudinẽ singularẽ, & ipsius inimici ore cõmendatam, lacrymísq; testatã, cum iusta propriæ confessione malitiæ. O subditũ meliore principe dignũ! O quantũ virium habet diuinus amor ad frangendã iracundiã, & naturæ violentiã violenter cõprimendã!

CAPVT V.

Idem diuini amoris effectus in lege gratiæ.

I. *Dauidis lenitas ab amore Dei profecta.* 1. Reg. 24. 7 c. 26. 10.

MIRABILIA profectò sunt hæc mansuetudinis exempla; Nec dubiũ est Dauidem, in tot vindictæ incitamentis, ab ipso Dei amore cohibitum, atq; mitigatum. Id planũ facit Dauidis ipsius illa vox, *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Et illa rursum. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Hòc autem magis mira sunt hæc exempla, quòd in lege Mosaica, quæ nihil ad perfectũ adducebat, contigerunt. Itaque admodum rara sunt atque singularia, cùm Euangelica lex duodena, centenáque suppeditet. Vide obsecro quæ sit Pauli oratio, non ad vnum alterúmq; scribẽtis, sed ad omnes Hebræi generis Christianos. *Rememoramini*, ait, *pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum; & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis*, in vincula videlicet vos quoq; coniecti, *& rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam*, quæ videlicet vos in cœlo præstolatur.

Hebr. 7. 19. *Mansuetudo frequentior in lege gratiæ.* Hebr. 10. 32

II. *Ostensa in Hebrais, & Paulo, & Corinthijs.* 2. Cor. 7. 4. Ca. 11. 20. Mat. 10 22. ἀποσυνάγωγες.

Hoc gaudium vnus est de primis fructibus charitatis, ipsiúsq; mansuetudinis summa perfectio, quando mitis non solùm fert patienter iniurias, sed in medio rerum aduersarum cursu hilarescit. Eadem erat causa Pauli Apostoli, cùm Corinthiis scriberet. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; quamuis rebus aduersis vndiq; premeretur, *foris pugnæ, intus timores.* Et paulò pòst de iisdem Corinthiis, *Sustinetis*, inquit, *si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* Ita videlicet in vsum moréśque deducebatur illud Seruatoris vaticinium. *Eritis odio omnibus propter nomen meum*; & rursum illud, *Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*; Vt qui diuinitatis inimicos exterminare se putent.

III. *Omnibúsq; Christianis.*

Fieri tunc aut profiteri se esse Christianum, nihil erat aliud quàm scopum se constituere, in quem omnia inferorum tela dirigerentur: & contra se omnes principes & dynastas, omnes reges & imperatores armare.

Ipsi nihilominus, neque patiẽtiæ, neque interioris gaudij iacturam faciebant. Testatur enim S. Lucas, Apostolos abiisse *gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti essent*, non suauiter epulari, non opibus vel honoribus augeri, sed *pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quibus consentaneus est hymnus ille ecclesiasticus, *Cæduntur gladijs more bidentiũ.* Vtiq; more bidentium. Sunt enim oues certum mãsuetudinis hieroglyphicũ, quæ primùm in eorũ pastore eluxit, de quo scriptũ est, *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Act. 5. 41. Isa. 53. 7.

IV. *Instar ouiũ mansuetis.*

Et Seruator quidẽ discipulos oues appellat suas, *Oues meæ vocẽ meam audiũt.* Sed Dauid addit eas esse morti destinatas, *Propter te*, inquit, *mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Nec alia mẽs erat Seruatoris cùm diceret, mittere se discipulos suos, *sicut oues in medio luporũ*, à quibus videlicet nihil præter crudelitatem expectandum est. Quidni autem animarentur ad mansuetudinem, qui didicerant Beatos esse mites, quippe qui terram viuentium possessuri erant? Ergo & mansuetudinem suam probabant, diligendo ex magistri præcepto inimicos suos, benefaciendo iis qui oderant eos, benedicendo maledicentibus, & iis Deum placando, à quibus calumniis appeterentur. Probabant, cùm percussa maxilla vna, alterã non inuiti exhibebant; cùm spoliati pallio, etiam tunicam sibi auferri patiebantur. Probabant deniq; se habere in corde fixam illam mitissimi magistri prælectionem, *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Itaq; nihil mirum primarium illum Christi discipulum ita de se, cæterísque sociis loqui. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur;* Hæc quidem patientia est, sed audi mãsuetudinem, *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Psal. 43. 22. Mat. 10. 16. *Exemplo Christi.* 1. C. 4. 11. 12.

V. *Mansuetudo Christianis ab Apostolis commẽdata.*

Nihil item mirum eundem Apostolum tam serio hanc virtutem suis discipulis cõmendasse. Hæc enim Cretensiũ Archiepiscopo Tito mãdabat, *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, nõ litigiosos esse, sed modestos, omnẽ ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Timotheo verò Ephesiorum Antistiti. *Seruum*, inquit, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientẽ eos, qui resistunt veritati. Ne quando Deus*, opera suauitatis istius, *det illis pœnitentiam ad agnoscendã veritatem.* & dolore de peccatis concepto, amplectantur fidem. Induite vos, ait Colossensibus, *sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patiẽtiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut Dominus donauit vobis, ita & vos.* Galatas quoq; monet, vt si quis præoccupatus fuerit aliquo delicto, in spiritu lenitatis instruatur. Et alio loco arguit Corinthios, quòd inter se litigarent, *Quare non magis*, inquit, *iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* quod scilicet modestiæ est, & mansuetudinis Christianæ. Tit. 3. 1. 2. 2. Tim. 2. 4. 3. 12. c. 6. 1. 1. Cor. 6. 7.

CAPVT VI.

Exempla singularia mansuetudinis Christianæ.

I. *Mansuetudo S. Ioannis Eleemosynarij.* Ex vita.

ET hæc quidem vniuersè pertinent ad Christianos. Quòd si placet singularia huius virtutis exempla proferri, occurrit in primis Ioannes Alexandrinus Patriarcha cognomento Eleemosynarius. Egregiè profectò magnus ille vir Christi Domini, & Apostoli eius doctrinam hauserat. Is enim cùm aliquando duo aureorum millia improbo cuidam homini mutua dedisset, quæ ille postmodum negauit accepta, non permisit suos illum compingere in carcerem, aut illius bona addicere fisco; quin suam potiùs aduersus eos lenitatem tuebatur, illis Apostoli verbis, *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* (1. Cor. 6. 7.) Præclarum sanè facinus inquam, sed præsentibus Christianorum moribus repudiatum, atque antiquatum: & non immeritò fortasse crescente hominum malitia, cui lenitas ista indulgentius seruiebat.

II. *Aliud eiusdem exemplum mirabilius.*

Sed audi nihilominus, ait Mitis amor, eiusdem Antistitis facinus longè admirabilius. Iusserat is aliquando cuidam mendicanti dari decem nummos eleemosynæ nomine. Ille qui maiorem multò stipem à liberali patriarcha expectabat, mussitare palam, atque obloqui, denique sanctum præsulem probris petulanter incessere. Hic famuli pontificis, facinoris indignitatem demirati, nebulonem merito accipere fustuario parabant. At mitissimus patriarcha Dauidis mansuetudinem in causa Semei præclarè imitatus, grauibus suos verbis accepit. Quid, inquit, molesti estis isti misero? Sexagesimum ego iam annum Dominum meum operibus meis lacesso, & ille me tolerat: ego istius vnum verbum non feram? Quæ cùm dixisset nummarium ei sacculum aperiri iussit, vt ille inde, quantum ipsi visum esset, acciperet, animi lenitate, lingua manúque egregiè confirmata.

III. *Mansuetudo Apollonij.* L. 2. c. 19. ca. 66.

Ruffinus & Palladius memorant Apollonium quendam professione religiosum, dignitate martyrem, qui cùm captus esset ab Ethnicis, & in vincula coniectus, ab eis certatim probris ac contumeliis lacerabatur, in quibus eminebat Philemon quidam fidicen. Hic Apollonius Stephanum protomartyrem imitatus, fili mi, ait, Deus misereatur tui, nec tibi omnia hæc verba imputet in peccatum. Mouit hominem hæc mansuetudo, ad Christum conuertit, & martyrij socium Apollonio dedit. Ioannes Fernandius è Societate Iesu, S. Xauerij in Iapone socius, Amangucij media in turba infidelium concionabatur. Eorũ vnus collectã in ore pituitam, in loquentis faciem petulanter coniecit. Ea iniuria Fernandius nihil cõmotus, sputũ abstergit, & institutum sermonem pertexit. Hic vnus adstantiũ hominis patientiam lenitatémq; demiratus, non temerè iudicauit eam

Et Ioannis Fernandij. L. 4 c 7. vitæ Xauerij.

religionem, quæ homines tanta patientia & mansuetudine ornaret, egregium habere aliquid ac diuinum. Ergo mox Fernandium adit, curátque se probè de fidei elementis doceri, primúsque omnium in oppido illo baptizatus, initium dedit conuersioni totius regni ad Christianam fidem.

Sed vt antiquiora videamus, mirabilis fuit S. Paphnucij abbatis mansuetudo in probrosa calumnia toleranda. Cùm enim splendor virtutum eius, inter religiosos viros, tota in Ægypto latè clarescerет, cuiusdam miseri hominis oculos ita perstrinxit ille fulgor, vt victus inuidia furti crimine sanctum virum deformare statueret. Obseruato itaque tempore, quo Paphnucius erat in Ecclesia, codicem ille suum inter palmas, quas senex texebat, abscondit, indéque tacitus adit Ecclesiam; Ibi peracto diuino officio sistit se calumniator S. Isidoro, queritúrque codicem sibi furto sublatum. Nouum crimen, & in illis locis ad eam diem inauditum perculit vniuersos. Rogat porrò S. Isidorum, vt, religiosis omnibus in æde sacra subsistere iussis, nonnulli ex antiquioribus patribus destinentur, qui Monachorum cellulas inuisant, ac scrutentur. Quod cùm factum esset, inuentus est liber apud Paphnucium, & publicè delatus in templum. IV. *Item Paphnucij Abbatis.* Cass. l. 18. c. 15.

Ibi videlicet admirari omnes, partimque circunspicere sese, partim, deiectis in terram oculis, Paphnucij vicem dolere. Ipse minimè purgare se, sed quasi in manifesto scelere deprehensus, veniam, pœnámque postulare; Apud Deum autem precibus instare vehementiùs, augere ieiunia, & summa cum humilitate, quasi probrosi manifestique criminis reus, omnium religiosorum pedibus accidere. Quindecim iam dies abierant, & Paphnucius ad ædem venerat, vt prostratus ad ianuam fieret omnibus supplex: & ecce diuinæ prouidentiæ miraculum, mansuetissimam sancti senis innocentiam protegentis. Dæmon, qui priùs animum calumniatoris inuaserat, inuadit & corpus, & ad publicè fatendum crimen suum, & innocentiam Paphnucij compellit: neque à diuturno vexatore liberari potuit, nisi Deo innocentissimi viri precibus exorato. V. *Plenius explicata.*

Non minùs admirabilis fuit mansuetudo S. Petri martyris, ordinis S. Dominici, quẽ cùm inter orandum Sanctæ Agnes, Catharina & Cæcilia inuisissent, tam alta cum eo voce loquebantur, vt foris extra cellulam à prætereuntibus exaudiretur. Itaque quidam è fratribus, agnita feminarum voce, Petrum in publico religiosorum conuentu accusat, ea verborum grauitate, quam crimen, si verum fuisset, merebatur. Hic vir sanctus ne singularem Dei erga se gratiam patefaceret, nullum pro innocentia sua verbum fecit, id modò, humi prostratus dixit, magnum se esse peccatorem. Hic Superior hominem acriter publica oratione castigat, móxque ad aliud monasterium carceri mancipandum ablegat, vbi longa pœnitentia, multorum irrisione, & contemptu maceratus, in humili mansuetóque silentio continuit se, sperans fore vt Deus, qui virtutem eius acuebat, etiam ipsius causam susciperet, & præsenti infa- VI. *S. Petri Veronensis grauem calumniam passi.*

mia liberaret. Itáque fecit, ſed aliquanto ſerius, ad maius ſerui ſui virtutis incrementum.

VII. *Quem Christus conſolatur.* Cùm ergo Petrus aliquando in Eccleſia coram crucifixo gemeret, & quaſi apud amantiſſimum patrem, familiari querela cordis ſui æſtus expromeret, quod tam diu obrui ſe iniuſta accuſatione pateretur, eiúſque gratiam in opprobrium verti, & ſcandalo eſſe fratribus ſuis, ſe autẽ non admiſſi facinoris pœnas dare. Cui Chriſtus ex ipſa cruce reſpondens, *Et ego,* inquit, *Petre, quid facinoris admiſeram, vt hiſce clauis affigerer cruci?* Qua voce vir ſanctus tantis inceſſit lætitiis, vt pudorem, opprobria, omnémq; anteactæ vitæ vexationem, non modò non ægrè ferret, ſed augeri cuperet, nec ſceptris omnibus & coronis cõmutare vellet. Nihilominus miſericors Dominus innocẽtiã famuli ſui in priore illo monaſterio patefecit, vbi deinceps, totóq; religioſo ordine, magno in honore ac veneratione habitus eſt, auctus humilitatis, modeſtiæ, ac lenitatis incrementis.

VIII. *Exemplum Alexandrinæ mulieris manſuetudinem exercẽtis.* Coll. 18. c. 14. Maiorem etiam vim in hoc genere prodit diuina gratia; id enim ab humana imbecillitate obtinet, vt manſuetudo non ſolùm irã coërceat, in variis occaſionibus, quas diuina prouidentia permittit accidere, ſed illã etiam prouocet animoſè, exacuat, concalefaciat, vt maiore mox impetu, meritóq; eam infringat, ac domet. Refert Caſſianus fuiſſe Alexandriæ religioſam matronã, quæ ab Athanaſio Patriarcha petiit ſibi dari educãdam vnam de viduis, quæ ab Eccleſia nutriebantur, vt cum ea virtutum actus addiſcere, ac frequentare poſſet. Is dedit ei mulierẽ exemplar demiſſionis animi, patientiæ, lenitatis. Matrona viduæ huius mores aliquãdiu experta, Præſulem adit, negátque mulierem illam idoneã eſſe ad id quod quærebat. Ergo aliam accipit valde difficilem, atque acerbã: cui cùm matrona diligenter, ſtudioſéque inſeruiret, eámq; non famulæ, ſed heræ loco haberet, iſta famulatum non moroſè tantùm, ſed contumelioſè accipiebat, quaſi eius diuexandæ, non ſubleuãdæ gratia ab Epiſcopo poſtulata eſſet. Eóque res iſta progreſſa eſt, vt mulier impudens verberibus accipere non dubitaret eam, quæ ipſi quanta maxima poterat demiſſione animi, ac ſuauitate inſeruiebat. Cúmque diu tam eximiam manſuetudinem exerceret, gratias egit Athanaſio, quòd eam ſibi fœminam, quæ ſibi neceſſaria eſſet, virtutis magiſtram dediſſet.

IX. *Et S. Catharina Senenſis.* Sanctiſſima Catharina Senenſis extulit etiam altius vexillum patiẽtiæ ac lenitatis. Vt enim haſce virtutes modo quodã heroïco exerceret, ſtatuit famulari mulieri inopi, viduæ, grandiq; natu, & quod caput eſt diro carcinomate tabefactæ. Vſque adeò enim cancro pectus habebat exeſũ, vt nemo id abſque horrore intueri poſſet, nemo ferre magnitudinẽ fœtoris. Nihilo tamen minus alacriter illi ſancta virgo, ac beneuolè ſeruiebat. Eam virtutem cùm dæmon iniquiſſimè ferret, ita ægrotantis mentẽ perturbauit, vt amantiſſimũ virginis ſtudioſiſſimúmque famulatum peſſimam in partem acciperet, & ibi odij cauſas inueniret, vnde ſummæ beneuolentiæ ſegetẽ colligi oportebat. Eò denique miſeram adegit malus dæmon, vt ſanctam Virginem impuræ libidinis accuſare publicè nõ

dubitaret. Et ne conuitium subitæ iracundiæ tribueretur, non veritati interrogata ea de re, infelix calumniam nouo mendacio cumulauit.

Hoc videlicet erat pupillam oculi virginis integerrimæ, non attingere, sed perfodere: nec tamen illa destitit propterea, partim de more improbissimo cadaueri exhibere odiosissimũ famulatũ, partim suauiter gemere apud Christũ Dominũ sponsum suum, qui eam mirificè recreauit: hinc spondens se curã habiturũ honoris sponsæ suæ, inde iubens vt constantẽ operam poneret in mulieris obsequio, & cura sanitatis eius. Paulò pòst ostendit Dominus visũ quoddam isti mulieri, in quo Catharinam, quæ ipsi tã beneuolè seruiebat, vidit eximia luce ac maiestate præditam. Ergo vehementer erubescere, visum publicè ac palã enarrare, accusare se ac damnare calumniæ, assertionẽ improbissimè confictam retractare, & veniam à sanctissima virgine, vt par erat, humiliter postulare. X. *Cuius honori Christus prouidet.*

Mirabile Virginis huius exẽplum multos obscurat actus virtutis huius, quos vitæ patrum exhibent: qualis fuit is, quem Cassianus vehementer commendat, religiosi cuiusdam, qui in conspectu ducentorum aut trecentorum monachorum, insignem alapam accepit ab Abbate suo, qui egregiam hominis mansuetudinem omnibus notam facere cupiebat, nec tamen ille cuiuspiam culpæ reus erat, præterquam perexiguæ tarditatis; neque tamen propterea vllam vocem emisit, aut vultus solitam serenitatem amisit: docuit potiùs quantum in edomanda iracundia profecisset. Sed laudabilior multo, atque mirabilior fuit mansuetudo Dauidis abbatis. De quo scribit Theodoretus pręfuisse illum cœnobio, in quo centũ & quinquaginta monachi versabantur, quos quinque & quadraginta ipsos annos ita rexit, vt nunquam ex eius ore verbum, aut ex eius vultu reliquóve corpore signum vllum prodierit iracundiæ, quamuis aliquando fuisset à suis subditis verborum contumeliis lacessitus; semel præsertim in præsentia religiosorum externorum, qui Dauidis lenitatem, & verborum suauitatem, quibus contumeliosum à se hominem, subditúmque dimiserat, vehementer fuerant admirati. XI. *Alia quorũdam religiosorum exempla.* Collat. 19. c. 1. Vitæ Pat. l. 9. in vita Eusebij.

Ingenuè tamen fateor non minorem videri lenitatem illam, nec minori admiratione dignam, quæ habetur apud Rufinum de sene quodã Ammone monacho, quem multæ corporis ægritudines continenter diuexabant; habebat autem secum sociũ ac discipulũ religiosum iuuenẽ, nomine Ioannẽ, quem ille seuerè atque asperè tractabat; iste autẽ vice versa aduersus morosum senem patientia, cura, charitate, perpetuáque humanitate certabat, idque duodecim annorum spatio, quandiu scilicet Ammon in viuis fuit. Qui cùm mortem adesse sentiret, euocauit ad se Ioannem, eiúsque manu apprehensa, ter illi salutem beneuolè impertiit, eundem commendauit heremitis, qui ad se inuisendum conuenerant, asserens illum non hominem esse sed Angelum, qui bile, felle, stomacho careret, qui hilariter ac studiosè magistro perpetuo ministrasset, quamuis nunquam ab eo leniter appellatus, nunquam nisi adducto pene supercilio illum aspexisset. XII. *Et nominatim Ioannis discipuli Ammonis.* l. 3. vit. Patr. n. 155.

XIII. *Quàm insignis Ioannis mansuetudo*

Hîc ego profectò nescio vtrum magis admirer, senémne, qui tamdiu seueram personam, quam apparet sponte susceptam, sustinere potuerit, quamuis eam iuuenilis Charitas, demissio animi, patientia vehementer labefactaret; aut contrà religiosum iuuenem, qui omnes iræ aculeos, qui subinde erumpere conabantur, retundere potuerit, & cum tetrico ac moroso sene consuescere: ad quem integrum non erat accedere propiùs, nisi qui statuisset spinis, tanquam in senticeto configi. Senex aduersus lenitatem decertat, quam foras prodire non sinit; iuuenis contra morositatem difficillimi senis, quæ ei patientiam ereptura videbatur. Vim sibi vterque infert, alter in suum, alter in socij spiritale emolumentum. Iuuenis dat operam ne vllam seni occasionem præbeat offensionis: Senex id maximè agit, vt egregiam iuuenis virtutem exaggeret. Accusat iuuenis stuporem suum, qui tanto tempore vni religioso viro satisfacere non didicerit: miratur senex in corde suo iuuenem mansuetissima charitate florentem, quem importuna senis inhumanitas non frangebat, à quo neque emolumentum accipere videretur, neque consolationem. Deus immortalis, quæ nostra lenitas est, quæ patientia, si eam illi componere audeamus! qui verbum vnum paulò durius ferre non possumus, qui ambimus verborum lenocinia, instar puerorum mollium ac delicatorum; qui statim animo frangimur, ac diffidimus illis ipsis quibus placere volumus, nisi perpetuò nobis arriserint: proh quanta est nostra imbecillitas, quantulum patientiæ possidemus, atque lenitatis!

CAPVT VII.

Eximia Deiparæ virginis lenitas ac mansuetudo.

I. *De Virginis mansuetudine coniectura.*

SI nullum nobis ex sacris codicibus suppeteret argumentum lenitatis ac mansuetudinis sanctissimæ Deiparæ, eius tamen summa dignitas, animique demissio validas nobis coniecturas suggererent, illius quam inquirimus virtutis. Mansuetudo enim veræ magnitudinis cognata est, eique mirificè congruit, vt quæ tenuiorum perfugium ac firmamentum esse debet. Maximi olim principes, regésque potentissimi Patriæ patres audierunt, eúmque titulum gratum habuerunt, & gloriosum esse duxerunt, ij maximè, qui vel in virtutem propensiores erant, vel literarum studiis magis exculti. Vt enim soli asperitatem agricultura, sic animorum ferociam mitigant disciplinæ liberales, in primisque Christiana Philosophia. Viri principes, qui ad clauum rerum publicarum sedent, & populis summa cum potestate præsunt, amplissima dignitate indignum censent iracundiæ dominationi parere. Norunt proprium esse sapientis

pientis

pientis imperare, & qui sapientia careat, primario rectæ gubernationis præsidio carere; neque ignorant iracundiam inimicam esse sapientiæ, & multa in regendo peccare, ideóque illam studiosè coërcent, fiúntque mansueti.

Quis ergo dubitabit Angelorum reginam, Dei matrem, & secundum filium omnium electorum principem, hac tam eximia virtute diuinitus copiosè ornatam fuisse? præsertim cùm à Deo electa fuerit, & constituta patrona peccatorum, miserorum perfugium, & Deum inter & homines optatissima mediatrix. Summa eius dignitas in dubium reuocari non potest, cùm eam ipsamet in suo cantico fateatur, simúlque eam Deo opt. max. acceptam ferat. *Fecit*, inquit, *mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Neque magis de illius humanitate, misericordia, lenitate, cùm fons ipse misericordiæ apud ipsam hospitio acceptus fuerit, eóque nouem menses vsus, eam, vt ait Bernardus, in viscera misericordiæ commutarit. Volebat eam ab omnibus, vt par erat amari, atque honorari: illam igitur ea virtute ornauit, quæ præstanti dignitate præditos atq; honoratos maximè decet, & quæ eandem tenuioribus efficeret vehementer amabilem. II. *Prior, ex eius dignitate elicitur.*

Animi quoque demissio sanctissimæ virginis, pro eiusdẽ mansuetudine suffragium ferre iubet. Constat enim harum virtutũ alteram alteri sororem esse germanam, & alterã ab altera diuelli ac seiungi non posse. Itaque ipse Dei filius simul mitem se, atque humilem corde profitetur; & sancti omnes nõ in altera tantũ, sed æquè in vtraque floruerunt, vt facilè ex superioribus exẽplis intelligi potest. Et Christus Dominus, cùm plerosque præter vulgi sensum, captúmq; beatos esse profiteretur, primo quidem loco pauperes spiritu, id est humiles collocauit, proximè autem subiunxit mites. Cuius rei ea ratio afferri potest, quòd ira & indignatio, quæ pacem violat aut turbat, fere in contemptu aliquo fundatur. Demissio verò animi contemptum minimè reformidat aut ægrè fert; ambit illum potiùs atque desiderat; itaque si contemptus viro humili contingat, non indignatur, sed animi pacem cum mansuetudine conseruat. Quòd si quis aduersus illum excandescat, facilè iratum sua humilitate placat, eique quantam maximam potest satisfactionem exhibet. III. *Posterior ex eiusdem animi demissione.*

Cùm ergo Virgo, cætera quoque incomparabilis, summa demissione animi prædita fuerit, summa quoque in ea lenitas necessariò admittẽda est. Nam quæ maior optari potest mentis summissio, quàm illam, quæ non solùm ab Archangelo demissè salutatur, sed à Deo euehitur supra omnem dignitatem, quæ vlli rei; quæ infra Deum sit, contingere potest, nihil tamen blandiente vanitate tangi, nihil inani opinione sui efferri, sed timere potiùs atque turbari, *turbata* enim *est, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Longissimè quippe aberat ab huiusmodi cogitationibus & cõsiliis, in suo nihilo, coram omnium bonorũ largitore Deo præclarè fundata. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Neque illa se tum plurisfecit quã IV. *Quæ eximia in Virgine.*

antea, ſed in contemplatione ſui nihili conſtanter ſtetit, omniáque bona, quæ in ſe agnoſcebat, vni Deo veriſſimè tribuit. Quò autem plura gratiarum ornamenta recipiebat à Deo, hoc ſe non præſtantiorem, aut meliorem putabat, ſed obligatiorem Deo, & erga mortales omnes amabiliorem, & manſuetiorem reddebat.

V. *Sociam habebat eximiã lenitatem.*

Quanta erat cordis illius ſuauitas, quam præpotens Deus ad tantam extulerat dignitatem, tanta demiſſione animi locupletarat, tam excellenti corporis conſtitutione donauerat, vt quæ in filij Dei humanitatem eſſet redundatura. Quàm mite quámque amabile fuit cor illius, cuius vitæ conſuetudo, ac familiaritas perpetua erat cum Deo, & angelis eius, in illis ædis Hieroſolymitanæ cubiculis, virginum habitationi deſtinatis; quæ longè ſemota erat ab omni ſeculi vanitate, mundaniſque negotiis; eius denique, quæ vnum habebat doctorem, ac gubernatorem Deum, procuratores Angelos Dei. Paulò autem pòſt ſuauiſſima fuit eius familiaritas, & quotianus vſus cum Ioſepho ſponſo dilectiſſimo, atque integerrimo, poſtquam turbæ illæ, propter vterum prægnantis exortæ, diſſipatæ ſunt, propter quas de ea occultè dimittenda ille cogitarat: cũ interim Virgo, ex mentis demiſſione ſingulari, mirabilem ſuam gloriam reticeret, rémque totam diuinæ prouidentiæ cõmitteret, & tamen aduerſus afflictam ſponſi mẽtem intimis ſenſibus cõmiſeratione moueretur.

VI. *Inprimiſque aduerſus ſponſum Ioſephum.*

Poſtquam vero Archangelus magnum illud incarnati Verbi arcanũ in ſomnis Ioſepho patefecit, quanta putas cum verecundia ſuas ipſe ſuſpiciones damnauit, quàm ſummiſsè à ſponſa virgine veniam petiit, quàm amanter impetrauit, quàm ſuauiter in amplexus pudicos, oſculáque puriſſima conuenere. Quæ fuere deinceps vtriuſque colloquia ſuper eodem myſterio, cuius à Deo electi fuerant adminiſtri, quámque eandem ob cauſam amici ſermones? Quantus inde conciliatus amor? accedente inſuper vtriuſque integritate, manſuetudine, innocentia, charitate, quæ ſunt virtutes, cum primis amabiles, fœdere denique coniugali, cuius Deus autor fuerat, & interueniente prodigio quaſi paranymphus. Quãta erat vtriuſque in alterum reuerentia, quantus honos. Virgo Ioſephum ſuperiorem agnoſcebat & Dominum, vt olim Abrahamũ Sara, appellabat. Ioſeph cõtra ſponſæ ſuæ prærogatiuas pręclarè intelligens, & nominatim illã veriſſimam Dei maternitatẽ, cùm ipſe filij Dei, ac B. Virginis futurus eſſet nutritius duntaxat parens, & vtriuſque cuſtos fidelis.

VII. *Mutuus eorum amor & reuerentia.*

Virgo Ioſephum ſuauiſſimè diligebat, atque honorabat vt tutorẽ, vt curatorem, vt ducem, vt propugnatorẽ; vt eum, qui victum ſibi veſtitúmque proprio labore acquirebat, & qui occultum tunc mundo myſterium honeſtè obtegebat. Ioſephus autem virginẽ amabat, ac reuerebatur, vt cauſam proximam omnium gratiarum & conſolationum, quas illi Deus effusè largiebatur, vt poſſet cum Sapiente dicere, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Virgo ſancti ſponſi ſe ancillã ducebat. Ioſeph ſibi gloriabatur in corde ſuo, quòd eius neceſſitatibus & cõmodis inſeruire poſſet, quod eius videre faciem, quod audire vocẽ, quod eadẽ men-

Sap. 7. 11.

sa vti, quod sub eodem tecto habitare posset; crebróque illud sibi iterare liceret, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sed illa sponsa Salomonica vtrumq; optabat, vtrumque postulabat; iste sponsus vtroque perpetuò, constantérq; fruebatur. Cant. 2. 14.

VIII. *Et suauissima vita cõsuetudo.*

Impar omnino sum cogitandæ modestissimę duorum istorum amantiũ consuetudini, in variis itineribus, hospitiis, ac diuersoriis, variis quoque locis, in quibus diutius habitarunt, Nazaretho, Ægypto, Bethlehemi, Ierosolymis, maximè autem post natum diuinum infantem, quem vterq; certatim osculis, amplexúque fatigabat, cuius necessitatibus & cõmodis ambo studiosissimè seruiebãt. Crediderim cœlites ipsos, qui Dei faciẽ beati contuentur, sancta coniugibus istis æmulatione inuidisse; quãuis illis semper turmatim adstarent, illos salutarent, honorarẽt, & varios subinde è cœlo musici carminis concentus pro re nata integrarent: denique ingeniosos se in famulatu illis deferendo, aut offerendo exhiberent. Hic nouam Abigail contemplantur, non iram Dauidis mitigantem, sed lacrymas præsepis & circuncisionis blandè filio Dauidis abstergentem. Lætantur videre nouum Samuëlem in matris virgineo gremio residentem, quæ vi precum infantem cœlitus obtinuerat, virgineóque lacte summa cura, beneuolentia, pietate, suauitate nutriebat. Sed videamus in hac mirabili virgine nõnulla exempla singularia mitis amoris, quem quærimus.

IX. *Virginis lenitas reperto filio.*

Videtur enim Seruator ipse de industria matri ansam exercendæ huius virtutis præbere voluisse, cùm suauissimæ ipsius orationi, cum nonnulla verborum asperitate, responderet. Illa ad filium singulari cum fiducia, suadente charitate accedebat, ipse se more repellentis gerebat. Illa luctu triduano pene confecta, propter filium nulla sua culpa perditum, apud eundem filium gemit, *Fili*, inquit, *quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ipse austerior, *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Non hîc filiũ Seruator agit, aut puerum duodennem, sed magistrum. Norat quippe, & innotescere cupiebat posteris propriã ipsorum in amando imbecillitatem, & vtriusque parentis sui solidam robustámque virtutem. Videamus & alteram, suauitatis & seueritatis antithesim, quam dilectus discipulus in Cana Galilææ, sub conuiuium nuptiale scribit contigisse.

X. *Et in nuptiis*

Virgo mitissima, nouos miserata coniuges, qui deficiente in nuptiis vino, pudore afficiendi erant, vltro filium, cuius potentiam non ignorabat, summissè adit, & amicè, sine vllo verborum apparatu, imminentem aperit necessitatem, non ignarum doctura, sed tacitè gratiam, qua apud filium valebat, adhibitura, *Vinum*, inquit mater, *non habent.* filius contra, *Quid mihi & tibi est mulier? nondũ venit hora mea.* Apparet sanè responsum ad aurem insusurratum parenti, ne sponsorum inopia vulgaretur: sicut & superiora illa verba, ne qua gigneretur

offensio apud eos, qui Seruatoris diuinitatem ignorabant, nihilque in eo, præ cæteris pueris, foris agnoscebant. Vtraque tamen responsio fuit eiusmodi, quæ minorem aliquam mansuetudinem commouere posset, matrem tamen non pupugit, neque tantillũ offendit; itaque solita cum animi quiete, quasi voti compos famulis ait, *Quodcumque dixerit vobis facite.* Simúlquevoluit à nobis intelligi, quid animi habere nos oporteat aduersus eos, à quibus verbis factisve, asperius fuerimus accepti, siue illi maiores nobis fuerint, siue etiam minores.

XI. *Matrum amor, & ira pro filiis.* Placet his adiungere aliud multò admirabilius mãsuetudinis sanctissimæ virginis argumentum. Norunt omnes quo amore matres filios prosequantur, benè moratos præsertim, & obsequentes. Hunc amorẽ produnt ipsæ belluæ, quæ pro defensione hinnulorum suorum haud dubiam in mortem ruunt. Nam neque tela neque hastas morantur; non gladios, non lato hastilia ferro reformidant, vt catulorum vitam libertatémque tueantur: quibus si meliore loco, vel conditione esse contigerit, canes venaticos, ipsósque venatores incredibili cum ira discerpunt, atque dilacerant. Amor hanc iram robúrque suppeditat, eóque maiorem iram, quo fuerit maior. Itaque Hecubam reginam ferunt furiosam esse factam, aut, vt Poëtis placet, in canẽ esse conuersam, quòd filios suos cerneret in conspectu suo trucidari. Niobe quoque, cùm filios omnes suos telis configi vidisset coram se, ita insaniuit, vt ne fari quidem posset, perinde ac si in saxũ conuersa esset, quod fabulæ locum dedit. Talis fuit stupor Psammeniti regis Ægyptiorũ, cùm filiam suam vidisset seruilem in modũ tractari, & filiũ, iussu Cambysis ad capitale supplicium duci. Porcia in morte defuncti coniugis, ira in seipsam conuersa, *ardentes auido bibit ore fauillas*, cum ei ferrum, quo se posset perimere, negaretur. (Herod.)

XII. *Virginis in morte filij mansuetudo.* Si ergo fatemur, quod profectò negari non potest, nullam vnquã matrem ita filios suos dilexisse, vt vnigenitum suũ sancta virgo dilexit, nec vllum vnquam filium matri amabiliorem extitisse, illud quoq; fateri necesse est, maternum hunc amorem maximũ in corde matris indignationis incendiũ aduersus illos excitare potuisse, qui tã crudeliter & barbarè innocentissimum, dilectissimúmque filium, in matris conspectu diuexabant. Itaque clarũ est mansuetudinem, quæ iustissimam iræ flammã extinguebat, sic vt nullum verbũ contra sicarios illos, ex eius ore laberetur, quo vel Dei vindictam accerseret, vel ad Dei tribunal, in tanta iniustitia prouocaret; non odisset suos, suique filij perduelles; filij potiùs exẽplo, diuinum illis numen conciliare conaretur, fatendum, inquam, est mansuetudinem illam, supra quàm dici potest admirabilem extitisse. Amor is quo in Seruatorem ferimur, etsi modicus & imbecillus, non solùm nos ad commiseratione mouet, sed iram etiã accendit aduersus improbissimã Iudæorum, ingratissimámque nationem. Quæ igitur ira, quòd odiũ amantissimæ parentis extitisset, nisi fides ac mansuetudo suggessissent, hæc omnia hunc in modum à diuina prouidentia fuisse ordinata, cui ac-

quiescendum esset. Quo modo Seruator ipse Petro dixerat, pro magistro in arma ruenti, sic oportuisse fieri, vt Scripturæ implerentur. Mat. 26. 54.

CAPVT VIII.

Diuinum Christi amorem in homines mansuetißimum extitisse, eßéque nunc quoque maximè placabilem.

SICVT naturalis amor in omnes animi perturbationes exercet imperium, eásque excitat aut coërcet, accendit vel restinguit, vt desiderio suo satisfaciat; Sic & diuinus amor, ita in cæteras virtutes dominatur, vt eas pro arbitratu exacuat, retundátque, moueat & impellat ad sibi præstitutum finem. Itaque Seruator, quem amor & desiderium salutis mortalium è cœlo deduxerat in terras, virtutes omnes, quæ vsui erant ad tam præclarum finem, adhibuit, & in vsum deduxit; & nominatim mansuetudinem, virtutem longè potentissimam alliciendis hominibus, quos ille vocabat ad se, & instituti sui sectatores esse cupiebat. Nec minus ad eosdem in laborioso sanctioris vitæ cursu, ad finem vsque retinendos: quoniam sola perseuerantia coronatur, qua illi caruerunt, qui *abierunt retro*, neque in Christi disciplina perstiterunt: quorum illa erat oratio, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire.*

I. *Mansuetudo vtilis fini Seruatoris.*

Ioan. 6. 61. 67.

Itaque mansuetudo & clementia Seruatoris à multis olim patribus, suis ipsorum moribus suauissimis demõstrata est, & quasi rudiore adumbrata penicillo, & nominatim Iosephi patriarchæ, quam supra memorauimus, qui Seruator quoque mundi dictus est, & Moysi legislatoris, & Dauidis regis & prophetæ, quæ ipsæ dignitates Seruatoris officio & nomine continentur. A prophetis quoque prænunciata est, in quibus eminet Esaias; apud quem Deus loquens de Messia, quem missurus erat in mundum. *Complacuit*, inquit, *sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum*: & videlicet cum eo omnium plenitudinem gratiarum, vt sit Iudex, Legislator, & Doctor omnium gentium. Ostendet autem & mansuetudinem suam: neque enim contentiosus erit, aut clamabit, eorum more quibus ira dominatur, quorum vocibus vici personant ac plateæ. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Id fuit præmonere, eum clementer toleraturum infirmos, nec tanquam inutiles abiecturum: sed eorum etiam opera vsurum, qui tantillum vigoris pristini retinerent, vt lycnus lineus, qui extinctionem minatur & fumum; aut lenitate sua iræ, quàm fumus significat, cessurum, permissurúmq; vt sponte extinguatur. Addit neque tristem fore, neque turbulentum, sed constantem vultus serenitatem conseruaturum, indicem interioris animæ quietis, ac tranquillitatis.

II. *Eiusdem figura, & vaticinia.*

Cap. 42. 1. 2. & Matt. 12. 18.

III. *Agni titulus ei conuenit.* Agni quoque cognomen, quod idem propheta Seruatori tribuit, testis est mansuetudinis eius, *Emitte*, aiebat ille suspirans Messiæ desiderio,
Isa. 16. 1. *emitte agnum Domine dominatorem terræ*, qui de Moabitis quoque originem ducet, & veniet *ad montem filiæ Sion*. Quo ille titulo fortasse respexit ad paschalem agnum, qui ipsum accuratè repræsentabat, éstque hieroglyphicum mansuetudinis; certè cùm de ipsius morte ageret, *Oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet*
Act. 8. 32. *os suum*. Quod de Christo S. Philippus interpretatur, edocens Candacis reginæ quæstorem. Hieremias quoque non ignarus se figuram esse Ser-
Ca. 11. 19. uatoris, sub eius persona dicebat; *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*. Quod eiusdem præcursor semel iterúmque confirmauit, eum populo indicans cum hoc elogio, *Ecce agnus Dei, ecce qui tol-*
1. 1. 18. 19. *lit peccatum mundi*. Quid Petrus? *Redempti estis de vana vestra conuersatione, non auro vel argento, sed pretioso sanguine, quasi agni imma-*
1. Cor 5. 7. *culati Christi, atque incontaminati*. Quid Paulus? *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Denique Ioannes in Apocalypsi eundem tricies Agnum vocat.

IV. *Et ouis quoque.* Propter eandem mansuetudinem Seruator passim ouis dicitur in sacris codicibus, ouíque confertur ab Apostolo ac Prophetis, sed quæ ad sacrificium cædémque destinatur. Quòd si ouium est agnos producere, nónne ipse est qui agnos procreat, atque adeo lupos & leones in agnos
Act. 9. conuertit? Peruulgatum est Pauli exemplum, qui, quasi lupus rapax, minas spirabat ac cædes, iuniori leoni par, aut veteri lupo, sed humi prostratum conuertit in agnum: illúdque Sapientis impletum est in Daui-
Eccli. 47. 3. de nostro Christo, *cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium*. Itaque filios suos agnos vocat, cùm ait Petro, *Pasce agnos meos*. Virtus eiusdem ouis operabatur in S. Cecilia, quæ Valerianum sponsum, quasi leonem ferocem accepit, & ad Christum, quasi agnum mansuetissimum destinauit, vt canit Ecclesia. Operabatur & in S. Monica, quæ Patricium maritum, & filium Augustinum, illum ethnicum, istum hæreticum Manichęum Christo lucrata est, & de lupis, Christi agnos fecit. Atque ita non solùm impletum est quod prædixerat
Ca. 11. Esaias, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabuntur*, sed lupi in agnos, pardi in hœdos versi sunt.

Explicat Matthæus Euangelista qua ratione diuinus hic Agnus man-
V. *Eius suauitas erga peccatores.* suetudinem erga peccatores, in vitæ consuetudine, exerceret, consentaneè iis, quæ olim prædixerat Esaias. Cùm enim indignarentur Pharisæi, quòd Sabbato curaret infirmos, consilium faciebant aduersus eum,
Mat. 12. 14. quomodo perderent eum. Iesus autem, dans locum iræ, recessit inde, neque improba consilia in caput eorum vertit; sed cùm eum plerique infirmi secuti essent, curauit eos omnes, & reddidit bona pro malis; quam gratiam mansuetudinis apicem vocare possumus, quando non

propria solùm ira coërcetur, sed aliena etiam extinguitur, charitatis officiis, quasi prunis ardentibus, in capita eorum coniectis. Rom. 12. 20

VI. *Adulteram, Magdalenã, publicanos.*

Eandem lenitatem probat illa suauitas, qua Dominus erga mulierem in adulterio deprehensam est vsus, quam ex eorũ manibus clementer eripuit, qui miseram saxis erant obruturi. Erga mulierem quoque, quæ erat in ciuitate peccatrix, quam à se verborum atrocitate non repulit, quamuis à propria innocentia, & integritate toto cœlo distantem, nedum pugnis & calcibus, quod superbi Pharisæi fecissent, sed eam ad pedes suos flere permisit, eiúsque etiam causam suscepit; & in mercedem lacrymis ablutorum pedum, eius animam à peccatorum suorum sordibus abluit; & pro suaui vnguento, quod illa liberaliter effuderat ad eius pedes, ille deuotionis & feruentissimæ charitatis balsamo animam eius imbuit, ac condiuit. Nec minorem patefecit mansuetudinem in recipiendis peccatoribus & publicanis, & cibo apud eos vltro sumendo; & facto suo, iis qui offendebantur, suauiter probando, quod sanis non esset opus medico, sed ægrotis; quódque non iustis, quales se ipsi credebant, sed peccatoribus opem laturus aduenisset. Luc. 7. 37.

VII. *Hierusalem, eáque lacrymis declarata.*

Quàm mite, quámque ad clementiam propensum putamus pectus illud, quod amarissimas lacrymas oculis suggerebat, quibus cæcitatem populi sui deplorabat, & horribilem calamitatem, quæ eorum capitibus imminebat; vnde & voces illæ gemitúsque fundebantur. *Ierusalem, Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Vocabam eos ad me non vt fame perirent, sed vt frumentum, quod ego multo labore quæsiueram, illis impertirer: non vt frigore obrigescerent, sed vt eos igne charitatis meæ calefacerem, calore viuifico, quo animæ ipsæ mortuæ vitam recipiunt; non vt pugnaturum exercitum rorarij morituri præcurrerent, sed vt eos incolumes, sub alarum mearum vmbra protegerem, & ab inferni miluij rostro, vnguibúsque conseruarem: non denique vt dies noctésque in tristitia luctúque traducerent, sed vt mecum quasi cum matre lætarentur, illúdque, quod Dei filiis promittitur, experirentur, *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Mat. 23. 36. Esa. 66. 12.

VIII. *Facilitas concedendæ veniæ.*

Indulgentia qua Seruator Petrum vti voluit, aduersus eos à quibus esset offensus valde admiranda est si, quis eam attente consideret. *Domine,* aiebat Petrus, *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit illi Iesus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Mat. 18. 21. Quam ille legem non tulit duntaxat, sed studiose erga mortales obseruat. Propterea enim infinitum meritorum thesaurum constituit in Ecclesia sua, vt perpetuo peccator inueniat, vnde dissoluat æs alienum suum. Itaque sedet ad dexteram patris, ibique eum pro peccatoribus interpellat, ibique semper viuit, vt ait Apostolus, vt semper interpellet pro nobis, vsque ad mundi finem, quando & peccata Rom. 8. 34.

& indulgentia finem accipient. Nec mirum ibi perpetuo veniam delinquentibus obtinere. Eandem quippe charitatem, bonitatem, mansuetudinem illic erga homines conseruat, quam iampridem in terris erga eosdem obtinebat.

IX. *Valde admirabilis.* Ea veritate constituta, ac stabilita, quis eam satis admirari possit? Num fando auditum est aliquando, hominem capitalis supplicij tertiùm aut quartùm reum, condonationem à principe toties iterati criminis accepisse? Pater familias, qui ab aliquo filiorum suorum insignem aliquam accepit iniuriam, vix eius memoriam tota vita deponit, sed illam potiùs reo vel leuiter delinquenti subinde exprobrat; quod si eandem noxam iteraret, exhæredem fortasse illum scriberet nominatim. Nónne atrox est in Deum iniuria, cui summa illa sapientia & bonitas æternum inferorum supplicium deberi iudicauit? Nihilominus ita animo comparatus est ille idem Deus, reo vt culpam huiusmodi condonet, non semel atque iterum, sed decies, centies, millies, si toties miserum relabi contigerit, & veniam toto ex corde postulare; adhibitis etiam illius meritis, qui in noxia quauis offenditur. Denique in omne tempus valet illa vox placabilis Domini, *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* (Ezech. 18. 23. 32. & ca. 33. 11.)

X. AVTOR. *Et plerisque occasio sæpius peccandi.* Sed animaduerte obsecro, mitissime Seruator, quantum periculi sit in ista facilitate tua, in tanta improbitate mortalium. Verendum enim profectò est ne ista tua, patrisque tui, aduersus homines consceleratos, placabilitas, ianuam aperiat improbis ad liberius peccandum, quæ deberet esse tantum amoris incitamentum, quanta est bonitas, ex qua indulgentia illa proficiscitur. Non est nescius huius rei Seruator humanissimus, ait Mitis Amor, sed respondebit fortasse, malle se, si fas est ita loqui, offendi sæpius, quàm semel, desperata post offensam venia, peccatorem perire. Et profectò fatendum est visam fuisse præstantiorem hanc rationem gubernandi homines, eorúmque libertatem, licet pluribus offensis obnoxiam, quàm alteram, quæ non dissimularet peccata hominum propter pœnitentiam, vt contigit præuaricatoribus Angelis, quando illam indulgentiæ viam, isti promptæ iustitiæ censuit anteferendam, vt experientia ipsa comprobatur: quæ peccatorem excitare debet ad millies agendas gratias tantæ bonitati, & amori, ex quo tanta placabilitas proficiscitur.

MITIS AMOR.

CAPVT

CAPVT IX.

Singularis mansuetudo Seruatoris aduersus eos, à quibus atroci supplicio necabatur.

TRANSEO nunc ad illa mansuetudinis exempla, in quibus nullum Seruator virtutis modum videtur seruasse, vsque adeo summa sunt omnia; illa dico quæ extrema vita mundo edidit: quot enim sunt cuiuscumque virtutis actus, totidem sunt actiones heroicæ. Sed vt mittamus cæteras, atque adeo illa ipsa mansuetudinis exempla, quæ tota illa tragœdia late funduntur, vt taceamus prodigiosum illud, in cruenta diuerberatione, in spinea coronatione, in crucis gestatione, in dira manuum pedúmque perfossione silentium: certè prima illa vox, quam cruci iam fixus edidit, quoddam quasi portentum mansuetissimæ charitatis dici potest, quando sui suorúmque cura postposita, in gratiam inimicorum suorum, Patri factus supplex dixit, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O mitissime Seruator! expectabamus, in isto tormentorum tuorum æstu, in mediis ingratissimorum Iudæorum cruciatibus ac probris, illam vt Zachariæ filij Ioiadæ vocem vsurpares, quando lapidibus, iussu regis obrutus exclamauit, *Videat Dominus, & requirat*, agnoscat illatam Sacerdoti suo iniuriam, & vlciscatur.

I. Mansuetudo orantis pro crucifigentibus. — Luc. 23. 34. — 2. Par. 24. 22.

Expectabamus, humanissime Redemptor, vt sanguis tuus multo innocentior, multóque iniustius effusus quàm sanguis Abelis, ad cœlum de terra clamaret, *Vindica sanguinem filij tui, qui crudeliter effusus est.* Sed sanguis tuus illo melius loquitur: veniam enim petit ac misericordiam, cùm ille vindictam postularet. Credebamus saltem fore, vt si nunc de improbis vlcisci nolles, neque iram tuam contra facinorosos accendere, *quia tempus miserendi venit, quia venit tempus*, vt ingemiscens saltem in tantis malis tuis, cum patientissimo Iobo diceres, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quod si parum memor es tui ipsius, aut contemnis dolores tuos, futurum putabamus, vt non obliuiscereris afflictissimæ parentis tuæ, sed ad eam primo quoque tempore consolandam accurreres, nec eam cuiquam mortalium posthaberes.

II. Plena stuporis. — Gen. 4. 9. — Hebr. 12. 24. — Psal. 101. 14. — c. 19. 21.

Neque profectò posthabuit, sed imitatus est medicum sapientem, qui curationis remedia membro periculosius laboranti quamprimum adhibet. Isti videlicet carnifices, isti blasphemi præsentissima indigebant medicina, huc illico precum illius ipsius qui torquebatur, remedium afferendum fuit, quod ira Patris æterni iam exardescens, in ipsos eruptura esset, & malos malè perditura, nisi opportunè exaudita fuisset illa dilectissimi filij vox, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Nec

III. Cur primùm pro eis orauerit.

Hebr.5.7. audita solùm, sed exaudita est *pro filij reuerentia*, cui datum est, vt de illis ipsis homicidis plurimi mox, ad prædicationem Apostolorum conuerterentur; & eorum, qui obduruerant in sceleribus suis, supplicia ad multos annos differrentur.

IV. *Præsens necessitas orationis illius.* 2. Reg.1. Dico autem præsentem æterni patris vltionem fuisse formidandam. Si enim Dauid audita Saülis cæde, quam iuuenis ille Amalecites, morientem miseratus intulerat, iusta ira, in regis quamuis infensissimi percussorem, commotus, eum illico iussit interfici, neque armillam regiam moratus, neque diadema. Quid facturum suspicemur æternum patrem, in illo ipso articulo cædis innocentissimi dilectissimíque filij sui, aduersus parricidas illos, nisi mitissimi filij preces interuenissent? Nónne audita Num.16.21 rursum de cœlo fuisset illa vox, *Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam.* Nónne terra sub eorum pedibus, horrendo hiatu discessisset, eósque viuos præcipitasset in Tartarum? Sed eam quam dixi veniam illis Seruator impetrauit, & sanguis, quo profani suas impiè manus cruentarant, valuit ad animorum culpas abluendas.

V. *Quàm indigni essent venia.* Sed age obsecro, mitissime Seruator, dic quæso nobis pro quibus studeas veniam obtinere, dicens, *dimitte illis*, quibusnam? discipulis ne tuis, quos à te metus huc illúcq; distraxit? aut quos scandalũ crucis fecit desertores tui? Omnibus, inquit, veniam peto etiam iis, qui supplicium crucis à Pilato extorserunt: etiam illis, quos nulla tangit miseratio suppliciorum meorum, neque innocentissimi corporis, sputis & alapis, flagris ac spinis, cruore vulneribúsque deformati; & iis nominatim, à quibus, cum atrocissimo manuum pedúmq; cruciatu, agor in crucem, quorum manus cruentæ sunt sanguine meo, quorum brachiis distenditur corpus meum, & cum cruce in altum tollitur, & conquassatur: qui me felle potant & aceto, qui irrident tormenta mea, insultant dignitati meæ, calumniantur miracula, doctrinam execrantur, paupertatem, nuditatem, desolationem meam, victoriam suam ac triumphum ducunt. O prodigium bonitatis ac misericordiæ, aduersus ingratissimam, nequissimámque hominum fecem! Quis audiuerat vnquam hominem, dum reipsa torquetur, dum probris & contumeliis afficitur, tum maximè tortoribus ipsis dare veniam, & ab vltore Deo postulare?

VI. *An excusari possent aliquo modo.* Eos nihilominus excusatione tegit, & tanti facinoris reatum in ignorantiam reiicit, *quia nesciunt quid faciunt.* Sciebant tamen certè se innocentem morti dare, quod iudex ipse non semel contestando denunciauerat. Non ignorabant se hominem illum interficere, qui mortuos reddiderat vitæ, qui cæcos illuminauerat, dæmones corporibus animísque mortalium exturbarat, morborum genus omne curauerat. Probè tenebant eximium se doctorem perimere, de quo profitebantur ipsi, nunquam hominem sic esse locutum; & prophetam, cui secula nulla viderant parem. Ipsi sibi conscij erant crimina omnia per calumniam intentata, vt qui falsos testes instruxerant ipsi ac subornarant, séque

sola stimulante inuidia, tam immane facinus perpetrasse. Si eum Messiam suum esse ignorabant (nam *si eum cognouissent*, vt ait Apostolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*) hoc ipso maiore culpa tenebantur. Ignorantiam enim affectabant, & ne viderent, propriis vnguibus sibi oculos eruebant. Non apprehendebant commeriti supplicij magnitudinem, quod in hanc futurámque vitam redundabat. Nimirum ad veri Pontificis officium pertinebat, offerre sacrificium, & orare pro populi ignorantia. 1. Cor. 2.8. Hebr. 9.7.

VI. *Inuitatio ad mãsuetudinem.*

Hîc ego te Christiane cõpello, qui ab aliquo non mortem ignominiæ plenam & crudelitatis, sed vulnus aliquod fortassis accepisti, imo non vulnus, sed verbum quodpiam incõsultum, aut contuitũ iracundum, qui statim stomacharis, clamas, efferaris iracundia, neque te placari finis, neque vltionis appetitum Christo Domino concedis: itáne revereris Seruatorem tuum, nihil vt de iure tuo cedere velis, in eius gratiam, qui erga te, tuíque similes tantùm cessit de suo? Serui Absalonis tantum detulerunt mandato Domini sui, à quo audiuerant, *ego sum qui præcipio vobis*, vt non dubitarent primogenitum regis sui in conuiuio trucidare. Quare tu tantum filio Dei non deferes, vt eo dicente, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, & exemplo præeunte, tu & imitationem detrectes, & obedientiam? & tamen velis Christianus audire. Imitare illum, qui ad minas promptior est quàm ad verbera. Vidit illum Ioannes gladium in ore gestantem, vtraque parte acutum, quod ad vltionem non pertinet, neque enim os aptum est ad tractandum gladium, sed ad minas intentandas, dextera verò septem stellas habebat, indices cœli, quod largiturus est iis, qui eius lenitatem imitabuntur. Mat. 5. 4.4. Apoc. 1.16.

VIII. *Eiúsque à Deo petitio.*

Da ergo nobis, ô mitissime Seruator, hanc cordis suauitatem, omnis fellis ac simulationis expertem! quæ se vultu, manibus, ac lingua prodat. Sit cor nostrum exemplo tui, plenum quietis & pacis, aut potiùs, quoniam perpetuus est humani cordis motus, & ex eo fonte calor, spiritus, & vita in cætera membra defluunt, sit instar fluuij leni agmine delabentis, in quem varij vndique torrentes incurrunt, sed præcipitem illum motum sub ipsum ingressum amittunt. Huiusmodi cor postulat à nobis Dominus, cùm ait, *Præbe fili mi cor tuum mihi*, & aliunde constat in pace fieri locum eius, & in cælesti Ierusalem vera pacis visione residere, & in filiis ac dilectis suis numerare, qui pacem diligunt, fouent, amplificant, rixas oderunt & sedant. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur.* Cæteri filij diaboli sunt, & infernæ illius furiæ, cuius erat illa vox, Matt. 5.9. Alecto. 7. Æn.

Dic in amicitiam coëant, & fœdera iungant.

CAPVT X.

Admirabilis Dei lenitas & clementia aduersus synagogam.

I. *Seruator refert vt imago, Patris virtutes.* IMAGO periti pictoris opus, viui ac spirantis vultus speciem ita repræsentat, vt prototypi ductus omnes effingat, atque delineet. Æternus olim pater non modicam præferebat mortalibus seueritatem, neque facilè lenitas eius apparebat. Postquam autem filium suum, absolutissimam imaginem sapientiæ ac bonitatis suæ, misit in mundum, simul etiam illa diuinarum perfectionum lineamenta in ipso patefecit, & mundo spectanda, notanda, imitanda dedit. Id significabat Seruator, cùm diceret Apostolis, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Ioan. 14. 7. 9. *Philippe qui videt me, videt & Patrem.* & rursum, *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* In primis autem clementiam & lenitatem cordis sui in filio vnigenito demonstrauit, vt hactenus significauimus; quamuis illi negotium esset cum rudi populo, & seruilis ingenij; quem virga timoris ad officium trahere, aut spe commodorum præsentium allicere oportebat potiùs, quàm beneuolentiæ amplexibus & osculis suauissimæ charitatis. Itaque passim sequebatur sua pœna nocentem; sicut Moses apertè fuerat comminatus. *Deus*, inquit, *fortis & fidelis,* Deut. 7. 10. *reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur.*

II. *Dei lenitas ex Ieremia.* Ca. 2. 2. Possumus nihilominus in ipsa lege Mosaica, & aduersus populum duræ ceruicis, & incircuncisorum cordium obseruare mirabiles quosdam diuinæ mansuetudinis, quasi penicilli ductus, in quibusdam præsertim Ieremiæ locis, quæ operæ pretium fuerit accuratius inspicere, atque explicare. *Recordatus sum tui, dicit Dominus, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.* Quasi diceret, cùm peccata tua clamarent ad me de terra, & debitam sibi vindictam exposcerent: cùm obmurmurationes tuæ, seditiones, defectiones, cultúsque idolorum tuorum recurrerent in memoriam meam, & in procinctu essem vt te repente disperderem, redij in memoriam adolescentiæ tuæ, quando educta ex Ægypto, sponsam enim alloquitur, secuta es me per immensas Arabiæ solitudines: & rationem habendam duxi huius officij erga me tui; nec volui te ob præsentia crimina internecione delere, sed compensatione quadam vti malui, sic vt priora illa merita tibi vsui essent, & in statera lenitatis meæ præsentibus sceleribus responderent, eísque præponderarent.

III. *Deus Synagogæ spõsus.* Sponsalia porro quorum meminit Dominus ad montem Sinæum celebrata fuerant, cùm Deus, interprete Mose, Israëlitis legem dedit, & Iacobi familiam, præ omnibus nationibus, elegit in populum suum,

quem erudiret, cui victum singularem in deserto, vestitúmque suggereret, quo modo sponsus erga dilectam sponsam se gerit, quem dies noctésque aduersus hostes vbique protegeret, & per media maria & flumina, sicco vestigio deduceret in promissam patribus eorum Chananitidem: quorum filios ac nepotes charactere suo notatos, continenti successione adoptaret in filios, & hæredes terræ lacte & melle manantis. Et vice versa populus hic voluit habere sponsum Deum, cui ritu solenni obligauit fidem, honorem, timorem, amorem & cultum, omnium idolorum seruitute repudiata. Idque mox, eodem interprete Mose, ratum habuit sacrificiis, aliisque ceremoniis, ad montis radices, in eum finem celebratis. Atque ita transactum est hoc sponsaliorum fœdus, populo isti honorificentissimum, *si mens non læua fuisset.* Exod. 24.

IV. *Quærit eius beneuolentiam.*

In illis porrò Domini verbis, duo sunt, quæ Dei mansuetudinem, erga populum hunc, vehementer commendant. Prius est, quòd eo commendando, & renouando memoriam illius obsequij erga se, sibi conciliat ipsius beneuolentiam, vt querela, quam mox allaturus est, altius in eius pectus descendat. Commendat autem modicam illius erga se charitatem, quam ipse magnis beneficiis prouocarat, & à longè maiori charitate profectis. Quæ vna causa fuerat electionis huius, vt Moses populum suum in Deuteronomio commonefacit, *Non quia*, inquit, *cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quòd iurauit patribus vestris.* Quam promissionem erga Abrahamum, cæterósque Patriarchas, sola Charitas expresserat, sola fidelitas in rem deduxit. ca. 7. 8.

V. *Et dissimulat in querela quæ pro se faciunt.*

Posterius hanc mansuetudinem commendat, amabilis in primis atque artificiosa dissimulatio. Dissimulat enim locum vnde populũ istum deduxerat, & intolerabiles eius mores in solitudine, & regionis ad quam deducebatur fertilitatem, & eius obtinendæ, Deo pro ipsis pugnante, facilitatem. Eduxit enim nouam hanc sponsam, non ex paterna domo, sed ex domo seruitutis, non ex reconditiore cella pretiosæ supellectilis, sed ex fornace ferrea, non ex horto deliciarum, sed ex pistrino, atque ergastulo, in quo inutili labore atterebatur, tumebat plagis, liuore decolorabatur; vbi infantuli, de parentum rapti manibus, abiiciebantur in profluentem. Et tamen præ se fert Dominus populum istum benè de se meritum, quòd inde abire voluerit, & sponsum deducentem sequi. Dissimulat quoque vitulum aureum, & nequitiam patratam ad Beelphegor, & oblocutiones, & seditiosos motus, quibus decies ab eo vindictam extorserat; itáque dissimulat, vt eos quasi subitos iræ motus, qui inter amantes contingunt, reputare videatur. Tacet quoque locum ad quem deducebatur, qui erat instar terrestris paradisi, locum autem per quem deducebatur commemorat, atque amplificat, quia vult istius sponsæ meritum augere, & prodere charitatẽ, quæ ostenditur tolerandis rebus asperis pro dilecto suo.

VI. *Mirabilis Dei querimonia.* Ier. 2.5.6. His ita explicatis indulgentissimi sponsi querelam audiamus. *Quid inuenerunt*, inquit, *patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Et non dixerunt, vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti; qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo.* Dominus de causæ suæ bonitate certus, hæc à populo suo sciscitatur, eodémque modo apud Michæam, *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Sed satis nobis erit priorem illam querelam expendere, altera eadem opera illustrabitur. Vis ergo & sententia vtriusque querimoniæ est huiusmodi. (c. 6. 3. 4. 5.)

VII. *Explicatur accuratius.* Prou. 18. 1. *Occasiones quærit*, ait Salomon, *qui vult recedere ab amico*, neque enim sine causa, vel vera vel verisimili, amicitiæ dissoluuntur. Si ergo patres vestri quæsierunt aut inuenerunt causam aliquam deserendi me, agite, proferte illam. Ecqua me in noxa deprehenderunt, ob quam amicitia tam antiqua, tam honorabilis, tam fructuosa disiungenda videretur? nullam planè reperient. An me seueræ animaduersionis arguent? qui eos perpetuò citra commeritum castigaui, & vltra meritum affeci præmiis, & sæpè multos annos factus sum quasi cœcus & mutus, dum præstolor emendationem. An dicent iniucundam esse amicitiam meam? Refellet eos Sapiens, qui negat conuersationem Sapientiæ habere amaritudinē, aut tædium illius conuictum, sed lætitiam, & gaudium. Quid ergo causæ inuenerunt cur me perfidiosè desererent? præter propriam malitiam, quæ excœcauit eos, & induxit obliuionem singularis beneficij solutæ captiuitatis Ægypti, & paternæ curæ ac prouidentiæ in deducendo eos per deserta loca, instar mortis formidolosa, atque horribilia. (Sap. 8. 16.)

VIII. *Mansuetudo eius multis ex capitibus ostenditur.* Vide hîc admirabilem sponsi huius facilitatem, atque mansuetudinē. Quæ in re primùm elucet quod desertionis crimen à filiis transfert in parentes, qui hoc ipso grauiùs deliquerunt, quòd exemplo fuerunt filiis ad peccandum, & iter muniuerunt, in quod posteri ingrederentur: qui
1. alioqui fortasse rectam semper tenuissent viam. Sed elucet etiam in eo
2. vehementiùs, quod infinita illa sapientia & sanctitas se subditorum examini subiicit, non secus ac si culpæ obnoxius foret: quæ res sanctos Patres, qui ista considerant agit in stuporem. Et fortasse voluit Dominus accommodare se ignorantiæ quorundam Iudæorum, qui de Deo, non secus ac de homine peccatis obnoxio, iudicabant; quamuis illud ex Moyse discere potuisset, *Deus fidelis & absq; vlla iniquitate, iustus & rectus.* Ex ex Dauide, *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Quod sanctus quoque rex Iosaphat & didicerat, & profitebatur. (Theod. in Ier. Chrys. t. 1 serm. de Ierem. & t. 5. or. 4. de prouid. Deut. 32. 4. Psal. 91. fi. 2. Par. 3. 19. 7.)

IX. Elucet præterea in eo diuina clementia, quod videtur Deus suæ æqui-
3. tatem querelæ contra parentem peccata, filiorum iudicio velle permittere, qui pro ingenito in suos amore, parentum innocentiæ fauent; honoris enim ac dedecoris ipsorum participes fiunt. Cúm-

que nihil inueniant, quo eos purgare possint, ne perfidiam quidem suam, quàm à parentibus didicerunt, diluere possunt. Elucet postremò huius æquitas querelæ, quòd cum nulla iusta peccandi causa reperiri possit, nulla in Dei offensa æquitas, tantò iniquius est, eum sine vlla prorsus causa violare. Quanta erit ergo iniustitia, maximum peccatorum, quale est desertio veri Dei, perpetrare, & ad dæmonem in idolo adorandum transfugere, sine vlla causa? Nónne hic cœlum ac terra obstupescant super diuina patientia & lenitate, & super cæcitate Iudæorum, quos præ cæteris nationibus intolerantiùs insanire fatendum est, quòd lege Mosaica præ cæteris instituti essent. 4.

X. *Quare Deus hunc populum elegerit.*

Possemus etiam ni fallor, simili percunctatione vti aduersus mitissimum Dominum, qui cùm sapientissimus sit, parum tamen prudenter sibi populum elegisse videri possit. Dicemus enim vice versa. Quid in hoc populo, aut eorum patribus inuenisti, præ cæteris gentibus tam eximium & singulare, vt fieret Dei populus singularis? In hoc populo, quem probè noras, ex ortu, & institutione Ægyptiaca, ingenio esse seruili, ad bonum tardo, ad malum præcipiti, & instar Pharaonis ex bono facilè mobili, in malo autem, duro ac peruicaci. Quid tibi, & populo isti ad Ægyptios mores & superstitionem ficto, rixoso, turbulento, stupido, inutili, ac supra modum ingrato? An volebas stare promisso facto patribus, & iureiurando firmato? Sed quid inuenisti in eorum patribus, quod te ad hanc electionem & fœdus inuitaret? Certè constat ex sacris codicibus, quales fuerint duodecim Iacobi filij, & quibus criminibus obnoxij. Verùm enim verò Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph iusti fuerunt & sancti. Itaque visum est Deo multis eos locupletare bonis, & nepotes eorum propter eos: Et iam tunc mundum docere, gratam ipsi esse demissionem animi, quæ in magnis illis viris vehementer eluxit. Aut certè eò recurram. *Ita pater, quia sic placitum fuit ante te.* Matt.11.26.

CAPVT XI.

Probatio diuinæ mansuetudinis, ex alio Ieremiæ loco.

I. *Comparatio repudiatæ mulieris.* C.3.1.2. C.2.20.

IS certè prodigium nobis diuinæ bonitatis, & placabilitatis ostendet, in grauissima indignissimáque iniuria, & quæ Dei vltionem vehementer exposcit. Sic autem Dominus loquitur. *Vulgò dicitur, Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem,* ô Synagoga, *fornicata es cum amatoribus multis.* Et paulò pòst, *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non prostrata sis. In viis sedebas expectans eos, quasi latro in solitudine, & polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.*

Ier.2.20. Et rurſum. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. Tamen reuertere ad me. dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Ponendum autem eſt hîc non de corporum, ſed animorum fornicatione agi, quæ eſt Idololatria, quam Hebræi vbique, & cum omnibus circa gentibus exercuerunt, vt ex eodem Propheta iam diximus, & ex cæteris facilè conſtare poteſt.

XII. *Valde auget diuinam lenitatem ex multis capitibus.*

Hæc comparatio, qua Deus cum homine componitur, qui vxorem ſuam repudiarit, admirabilem Dei manſuetudinem multis ex capitibus oſtendit. Principio coniuges iſti ſuppares ſunt dignitate, nobilitate, diuitiis, cæteriſque dotibus; cùm Deus & anima peccatrix, quocunque perfectionum genere toto cœlo diſtent, cùm finitum inter & infinitum nulla poſſit eſſe proportio. Itaque hic longè plus admirabilitatis ineſt,
1. quàm ſi regius aliquis princeps ætate, forma, opibúſque præſtans, cum
Vide D. Thom. in addit 3. p. q. 67. a. 4. & Hen. l. 11. c. 8. n. 4. ſerua quapiam Æthiope, vultu fœda, & barbara moribus reconciliationem ambiret. Secundò mulier iſta contemptim à coniuge dimittitur:
2. hæc anima ſponte recedit à Deo, quem deſerit, cui terga vertit, quem contemptim poſthabet rei creatæ. Tertiò repudiata mulier alteri viro
3. coniugio legitimè copulatur, nec priori viro iniuriam vllam facit: hæc autem anima multis ſe flagitiis contaminat, & ſibi infamiam, Deo dedecus creat, quem, quamuis cœli, terræque Dominum, præ ſcurris ac nebulonibus contemnit.

XIII.
4. Quartò dimiſſa mulier vni duntaxat viro adhæreſcit: hæc pluribus adulteris, totidem ſcilicet quot vitiorum obiectis, Dei iniuria & con-
5. temptu eadem opera multiplicato. Quintò illa liberum habet conſenſum ſecundi coniugis, cui placet ipſam habere vxorem. Iſta autem peccatrix, in viis ſedet, quaſi latro in ſolitudine, & omnibus naturæ ac fortunæ bonis intemperanter abutitur, aduerſus eorum largitorem Deum.
6. Denique illa in loco ſecundarum nuptiarum conſiſtit, hæc inquieta va-
Ezech. 16. 25 gatur, & omnibus in locis ſignum erigit proſtitutionis ſuæ, vbique diuinam iracundiam laceſſit. Et nihilominùs licet prior maritus repudiatam, nullis adductus precibus, iterum ſit admiſſurus in coniugem: hic tamen nobiliſſimus princeps, pro ſingulari humanitate ſua, vocat vltro,
AVTOR. inuitat, orat, ſollicitat ad reconciliationem meretricem iſtam. Hic ego,

XIV. *Admiratio huius manſuetudinis.*
Eccl. 9. 10.

O manſuetiſſime Domine, ô clementiſſime princeps, quod hîc ego prodigium audio placabilitatis? quid tibi cum iſta lupa, quæ domum ſuam, imò tuam, omnium cupiditati patefecit, quæ *quaſi ſtercus in via,* vt ait Sapiens, ab omnibus prætereuntibus conculcatur. Nónne in regno illo tuo præſto tibi ſunt centena millia beatarum mentium, à quibus certatim laudaris, diligeris, honoraris? qui maieſtatem tuam deinceps amabunt, colent, venerabuntur & prædicabunt in omnem æternitatem. Eóne vſque te adducet bonitas tua, vt patiare ſcortum impuriſſimum ſiſti conſpectui tuo? vt mulierem toties in adulterio deprehenſam,

toties

toties lapidibus obruendam digneris intueri? num illa meretricios oculos ausit ad te attollere impudens, aut tu eius perfrictam frontem ferre possis? Et tamen tu ipse illam vltro quæris, vltro inuitas vt filia tibi sit, vt regni heres, vt super omnia opera tua beatissima collocetur. Quis hic cum illo Propheta non vsurpet, *Consideraui opera tua, & expaui.* Hab.3.2. apud 70.

V. *Per dialogismum, causa eius lenitatis.* Diuina bonitas, ait Mitis Amor, hunc in modum tibi respondebit. O si nosses quāta illam ego pulchritudine decorabo, si me audierit, quàm amabilem illam efficiam, & toti cœlitū curiæ gratiosam! O si intelligere posses, quàm mihi gloriosum sit, futurúmque perpetuò sit, tot curasse vulnera, & tantam fœditatem in tantam gloriam commutasse; non ita obstupesceres, sed maiore studio incitareris ad procurandam reconciliationem istam. MITIS AMOR. Rectissimè hoc quidem, inquam. fateor tamen, nullum mihi videri in operibus diuinis admirabilius isto prodigio placabilitatis. Cætera enim ista maiestate digna sunt, potentia, granditate, hoc autem quid? cordi enim meo hæret adhuc ille timor, ne facilius, audacius, impudentius offendatur bonitas eius. Quid æmularis pro Domino, ait Mitis-Amor, nónne Dominus est? nónne quod libuerit facere potest? Multi lenitate eius abutentur ad iniuriam, multi ad maiorem beneuolentiam proficient; multi in peccatis suis computrescent, ad extremam vsque vitæ periodum, & peribunt; ita est: sed multi etiam à desperationis baratro emergent, & interitum euadent sempiternum.

CAPVT XII.

Exempla singularia diuinæ placabilitatis, tempore Mosaicæ legis.

I. *Dei humanitas in gratiam Abrahæ.* QVÆ de diuina erga Synagogam mansuetudine generatim, atque vniuersè diximus, eam apertè probant, validéque confirmant: iuuat tamen sigillatim eandem singularibus exemplis illustrare. Si enim magnus ille Abraham, vt hinc ducamus initium, demissione animi ac suauitate singulari vsus est cum Domino loquens, & suum in pessima, ac desperata Sodomorum causa fauorem adhibens, multo se Deus humaniorem præbuit in eodem colloquio cum famulo suo, sexies precibus eius continenter cedens, nec importunitatis arguens gratiosi hominis crebra postulata: quamuis illorum populorum flagitia, cœlitus vindictam noctes diésque accerserent, & terram contaminarent. MITIS AMOR.

II. *Et Iacobi Patriarchæ.* Gen 31. Cùm Laban nuncium accepisset de Iacobi generi, totiúsque familiæ ipsius fuga, nam insalutato socero migrauerat, & quidem sublatis, vt ipse arbitrabatur, idolis suis, magna in illum ira concepta, illum totos septem dies, cum magna suorum turba, insecutus est; cúmque proximum esset vt assequeretur, & comprehensum spoliaret, ac malè mulcta-

ret, Deus egregiam prouidentiæ suæ suauitatem erga Iacobum dilectum suum ostendit. Nocte enim intempesta homini turbulento terribilis apparuit, omninóque prohibuit ne quidquam durius cum Iacobo loqueretur, vt fassus est idem Laban, nedum quidquam rebus ipsis inferret mali; quanquam ibi quoque verba pro rebus, aut actionibus sumēda videantur; neque enim alterutra ex parte verba duriora defuerunt.

Gen 31.29.

III. *Et Mosis.* Habebat Dominus in Ægypto armatas ad vindictam manus, ad Pharaonem, crudelem ac cruentum tyrannum, perdendum, qui, præter cæteram inhumanitatē, electi à Deo populi infantulos abiiciebat in flumen. Ergo semel iterúmq; vapulat, ingemiscit, veniā petit deprecatore Mose, obtinétque confestim, Iudicis facilitate singulari. Quid ego semel iterúmque dico? decies ille in stultam cæcitatem, obstinationémque relabitur, decies legislatorem, eiúsque interuentu Dominum vniuersorum exorat, vt diuina verbera intermittantur, quæ florentissimo regno intulerant vastitatem, donec Arabicus Oceani sinus vltimam attulit animaduersioni manum.

IV. *Et Hebræorū pœnitentium* Quoties Deus Mosis & Aaronis precibus placabilem se præbuit, licet diuersis occasionibus, Hebræis mirū in modum esset infensus in deserto: adeò vt statueret gentem vniuersam delere, à qua identidem, per summā improbitatem, stultitiam, ingratámque cæcitatē offendebatur, idémq; lapis voluendus erat continenter. Voluit tamen iisdem viuis misericordiam semper superexaltare iudiciū, vt ait Iacobus Apostolus. Post mortem autem Mosis, & Iosue, & seniorū, qui mira Dei facinora in Ægypto viderant, in mari, in desertis locis, in occupanda Chananitide, quoties Israëlitæ iustissimam perdendi sui causam Deo præbuerunt, cū videret se publicè, & generali pene defectione desertum, Baale & Astarotho in Deos improbissimè assumpto? Toties tamen se à misericordia passus est vinci, quoties isti cum gemitu ad illam confugissent. Audi Scripturam. *Cúmque Dominus Iudices suscitaret, in diebus eorū flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantiū. Postquam autem mortuus esset Iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum, sequentes Deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos.*

Exod.32.10

c.2.13.

Iud.2.18.19

V. *Placabilitas Dei aduersus Dauidē.* Rex Dauid Dominum Deum, proximúmque suum vehementer offenderat; eius enim cubile adulterio polluerat, & illius criminis cælandi gratia, Vriam priore iam scelere violatum, gladio Ammonitarum peremerat; virum in toto regno fidelissimum atque integerrimum; & aditū sibi ad nouas nuptias gemino crimine patefecerat. Cùm illum adit Dei iussu Propheta Nathan, accusátque sceleris vtriusque, & diuinitus destinatam proponit animaduersionem. Rex hoc tantùm verbo culpam agnoscit ac plangit, *Peccaui Domino.* Hîc vide in promptitudine veniæ, Domini placabilitatem: statim enim audit à Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Veniam videlicet obtinet, æter-

na morte, quam erat commeritus, in vitæ huius pœnas, ærumnásque, quas citò expertus est, commutata.

Venia quæ Salomoni data est à Deo, illo ab æternis suppliciis, ex probabiliore doctorum sententia, singulari misericordia liberato, haud leuius est argumentum, diuinæ erga peccatores clementiæ, ac lenitatis. Præsertim cùm ingrati animi crimen in eo tantùm reperiretur, quantum potest esse maximum. Nullus enim vnquam regum tot & tantis à Deo donis ac beneficiis affectus est, animi, corporis, externorum, quocunque illa genere censeantur. Et tamen in omnibus regibus Iuda ægrè peior Salomone reperiatur, idololatriæ in regnum suum aditu flagitiosè patefacto; & regni sui scissionē promerito, ex qua innumerabilium animarum sempiternus interitus erupit, quas idololatria multis seculis præcipites egit in Tartarum. VI. *Et Salomonem.*

Quid dici aut fingi potest indulgentius venia, qua clementissimus Dominus vsus est aduersus Manassem regem Iuda, Ezechiæ filium, in quo illud meritissimò vsurpetur, *Heroum filij noxa.* Qui instaurauit idololatriam, quam pater eius disturbarat, qui ædificauit excelsa, quæ pater eius demolitus erat, qui Baalis altaria restituit, & lucum in eius honorem plantauit impium Achabum æmulatus, quæ pius Ezechias disiecerat, atque succenderat; qui Solem, Lunam, stellas, omnem cœli militiam Numinum instar adorauit. Manasses augustissimum Dei templum excitandis dæmoni altaribus polluit, & profanum habuit, inque eius honorem filium suum per ignem superstitiosè traduxit, *Et ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicauit, & abominationes pessimas, super omnia, quæ fecerant Amorrhæi ante eum,* in contemptum præpotentis Dei. *Insuper & sanguinem innocentem fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os.* Fuítque primaria causa deflagrationis templi Salomonis, direptionis Hierosolymorum ac vastitatis; Denique exportationis populi sui in Babylonem, & septuagenariæ captiuitatis. VII. *Et Manassē.* 4. Reg. 21.

Quid commeritus erat improbissimus iste, ac profligatissimus princeps: qui cum publico totius populi scandalo, Deo patrum suorum nuncium remiserat, imò in illum scelerata arma conuerterat; qui piorum regum palatium, qui templum, qui ciuitatem, qui regnum vniuersum, cædibus, flagitiis, rerúmque omnium perturbatione compleuerat, vt solent in hostili regione infesti perduelles. Quid denique cōmeritus erat is, qui Deum de industria lacessere videbatur ad vindictam, eámque vel ab inuito extorquere velle? Nihil sanè minus eius sceleribus debebatur illa castigatione, quam memorat Ieremias, *plaga inimici*, ait Dominus, *percussi te, castigatione crudeli*, quæ est futuræ vitæ pœna, castigatio seueri, atque adeò iudicis inimici, non beneuoli parentis. Castigatione tamen paterna, quæ ad filij vtilitatem refertur, affectus est. Captus enim ab inimicis in Babylonem abductus est, & VIII. *Qui ea fuerat indignissimus.* Ier. 30. 14.

Vide an. m. 3345. nu. 17. & seqq.

coniectus in carcerem: vbi ad se, vrgente calamitate reuersus, & venia suppliciter à Deo postulata, exauditus est, móxque libertati, & regno suo redditus, supra quinque & quadraginta regnauit annos, & morte pacificè obita, Amoni filio regnum, posteritati exemplum reliquit admirabilis Dei clementiæ erga se, & placabilitatis;

XI. *Nabuchodonosoris scelera in populum Dei.* Vide supra l.8.c.44.n.5

Quam Babylonius ille Nabuchodonosor, non minùs admirabilem reddit, Magnus, inquam, Nabuchodonosor, qui primus Babyloniorum Imperator, quater in Iudæam cum numeroso exercitu infestus venit, Deique populum cædibus, rapinis, fame, incendio, deportatione vexauit; non vt Deo, populo eius castigando, famularetur, sed superbissimæ suæ dominandi cupiditati. Primùm, vrbe per vim fraudémve occupata, Ioachimum regem, Iosiæ filium cepit, & in Babylonem abduxit cum plurima nobilitate, in quibus Daniel cum sociis. Secundò vrbem & regem, quem dudum liberum dimiserat, data fide clientelæ, obsidione cinxit, quòd is clientem pertæsus, fidem Chaldæo fregisset. Cúmque in vrbem esset admissus iureiurando prius dato nihil se hostiliter acturum: captum regem cum flore nobilitatis interfecit, ratus perfido minimè seruandam fidem, eiúsque cadauer volucribus & feris abiici iussit insepultum, vti prædixerat Ieremias.

c.22.18.19.

X. *Alia item.* 4 Reg. 24. 14. Ierem 52.31 an.m.3446.

Tertiò Iechoniam, siue Ioachinum, Ioachimi filium, patris loco regem à se constitutum, & fatali quadam cæcitate rebellantem obsedit Hierosolymis; qui cùm se Chaldæo, Propheta suadente dedidisset, cum matre, totáque aulicorum turba Babylonem, cum decem millibus suorum abducitur, cum ingenti sacræ prophanæque supellectilis præda: ibi totos annos septem & triginta vixit in carcere. Postremò idem Nabuchodonosor contra Sedeciam Iosiæ filium, Iechoniæ patruum, quem regno nepotis præfecerat, & iureiurando violato rebellantem arma sumpsit, triennio ciuitatem obsedit, & fame, multiplicique calamitate fatigatam, vi cepit, regem fugientem comprehendit, &
an.m.3449. n.6. filiis in patris conspectu iugulatis, effodit oculos Sedeciæ, ipsum coniecit in vincula, in quibus misera morte extinctus est: templum expilatum incendit, ac solo æquauit, ciuitatem disturbauit, toti regno supremam intulit vastitatem.

XI. *Obtinet nihilominus veniam, & salutem.*

Hic ergo princeps, qui Dei populo tot intulit clades, multisque deinceps Asiæ & Africæ nationibus, quarum reges ridiculi eius fuerunt; qui Imperium Asiæ tyrannica populatione ac dominatione fundauit, quid supplicij in hac, & futura vita merebatur? Quo tormenti genere mactandus erat ille contemptor Dei, qui templi eius supellectilem dæmonum cultui addixerat, & se denique in colosso ingenti tanquam Deum adorari iusserat, &, post agnitam professámque veri Dei maiestatem, famulos eius in fornacem ardentem coniecerat? An minori pœna quàm Pharao, aut quàm Antiochus Illustris perdendus

esse videbatur? Sed diuinæ bonitati, ac mansuetudini aliter visum. Cùm enim superbiam regis illius ignominioso supplicio septennium castigasset, suo regno restituit, indéque etiam ad cœleste aditum aperuit, quod tam multis aliis ei similibus obseruauit; vt apud gentes idolis mancipatas extarent etiam admiranda diuinæ bonitatis, atque placabilitatis exempla. Quæ est antiquorum Patrum Augustini, Ambrosij, Tertulliani, Theodoreti, Epiphanij, Iosephi, & recentiorum Doctorum communis, neque aspernanda sententia. Vide A. M. 3472. n. 9. & seqq.

CAPVT XIII.

Alia quædam argumenta, quæ Dei mansuetudinem, & placabilitatem probent.

PLACET finem imponere huic disputationi meæ, allatis nonnullis rationibus, quæ hanc diuini amoris lenitatem probent, ac vehementer amplificent. Ordo naturæ ac iustitiæ postulat, vt qui alteri iniuriam fecerit, ei aliqua satisfactione vicem reddat, priusquam violata gratia redintegretur. Itaque qui alieno ære grauati coniiciuntur in vincula, non priùs asseruntur in libertatem, quàm creditori satisfecerint. Contrà verò mercatores, qui credita pecunia merces suas distrahunt, emptoribus gratiam & beneficium cõferunt, cùm in præsentia merces præbeant, & in posterum solutionem expectent. Eadem fuit Domini Dei in mortales beneficentia, in lege naturæ atque Mosaica. Considerata enim satisfactione, quam olim Seruator exhibiturus erat, peccata condonabat hominibus, gratiámque iis conferebat, qui fide, spe, charitate ferebantur in Redemptorem venturum: sicque merces solutione dilata tradebat, eximebat vinculis, priusquam factum esset creditori satis; denique, per singularem facilitatem, iustitiam conferebat & gratiam, priusquam venisset is, qui accepta damna, iniuriásque resarciret, & in cuius gratiam gratia conferebatur. I. *Deus veniã gratiámque anticipauit peccatoribus* Vide Less. l. 12. n. 89.

Nunc autem filij Dei satisfactione perfecta, de infinito meritorum Seruatoris thesauro, quæ sacramentis Ecclesiæ continentur, & hominibus ritè applicantur, Deus debitorum solutionem accipit, & hominibus peccata condonat, non gratia, sed copiosa solutione anticipata. Infinitus autem atque inexhaustus est hic thesaurus, propter infinitam dignitatem personæ diuinæ Seruatoris; sed eius in largiendo, & quasi profundendo facilitas mortalibus, plane admirabilis est, & digna infinita actione gratiarum, & accurata explicatione, quoniam hic vnus nobis superest ad dicendum locus. Ea facilitas, vt rectè intelligatur, duo nobis ponenda sunt minimè dubia, vel controuersa. II. *Nunc solutio anticipatur;*

III. *Facilitas veniæ demōstratur, posita malitia peccati.* Primum est peccatum mortiferum, quo Dei maiestas infinita violatur, tantum esse malum; & damna, quæ illud secum trahit, tam multa, támque atrocia; & bona quæ homini eripit, tam præclara, & vtrorumque durationem tam diuturnam, vt si Deus ad vnum aliquod condonandum requireret à peccatore, vt totam hanc mortalem vitam, in summa pœnarum acerbitate traduceret, vt more priscorum heremitarum, aspero cilicio indueretur, humi in cauernæ concauo dormiturus iaceret, radicibus insulsis pomísque syluestribus victitaret, vino penitus abstineret, omni vitæ consuetudine cum hominibus careret, habitaret cum feris, & improbissimorum dæmonum insultibus, & plagis dies noctésque vexaretur: si hæc, inquam, Deus in satisfactionem à peccatore requireret, ea libentissimè admittenda essent, magnóque animo, liberata fide præstanda. Nulla enim finitæ ad infinitam pœnam proportio est, quamuis alioqui cruciatu æquales essent; cùm tamen alteræ alteris ita cedant, vt vmbra corpori; ludus rei seriæ, somnia solidæ veritati.

IV. *Et gratia dignitate.* Alterum quoque ponendum est fundamentum, gratiam & amicitiam Dei tantum esse bonum, & bona quæ secum illa inuehit, etiam in hac vita, tanta esse, támque multiplicia; in illa verò æterna felicitate tam immensa, omníque opinione maiora, vt si ad illam amicitiam obtinendam, cæterorum amicorum, affinium, cognatorum, atque adeo parentis vtriusque odium incurrendum esset, omniúmque mundi principum inimicitiæ subeundæ, cum omnium commodorum, quæ inde oriri possent, iactura perpetua, nequaquam ancipitem hærere oporteret. Vt enim Deus pluris est infinitis partibus, quàm creatæ res omnes, ita eius amicitia & gratia cæteris præstat omnibus, quæ terrena duntaxat & caduca bona, multisque permista miseriis homini conferre possunt. Diuina verò confert ea, quæ vera sunt huius vitæ bona; deinde etiam in possessionem mittet bonorum futuræ vitæ; quæ iure eodem pretio acquirantur, quo scimus Laurentios atque Vincentios, Sebastianos & Bartholomæos, cæteróśque innumerabiles martyres illa sibi comparasse.

V. *Insignis Dei placabilitas.* Quæ cùm ita sint, nemo satis admirari potest, nemo prædicare diuinæ facilitatis dulcedinem in condonandis hominum peccatis, etiam postquam Dei filius mortem subiit, vt animas, quas peccata peremerant, vitæ redderet. Facilè enim hominem reperias, qui non vnum aliquod, aut alterum mortiferum peccatum admiserit, sed viginti, sed quinquaginta, sed centum, aut mille, aut quinquaginta millia, si lubet: ecquid ab eo Dominus postulat, vt ei toties commeritam damnationem æternam condonet? vt illi tam multa, támque grauia nomina ferat accepta? vt illum in filiorum suorum numerum referat? vt ius ei ad cœlestem tribuat hæreditatem? quid inquam ab eo postulat? Nempe vt ex animo doleat; de parente mansuetissimo atque optimo, fœdè atque improbè violato, vt firmissimè apud se de emendatione constituat, scelera sua legitimo sacerdoti fateatur, qui pauculis eum verbis absoluat.

Et ecce tibi subitò admirandam metamorphosim. Peccator in hominem iustum, mancipium diaboli in filium Dei conuertitur. Hac enim lege, & ceremonia voluit Seruator, merita sanctissimæ vitæ suæ, mortisque innocentissimæ peccatoribus applicari, & filiorum fieri bona, quæ sunt à parente congesta.

O prodigium diuinæ clementiæ, ô lenitatem seculis omnibus inauditam! Humanæ leges aliquando capitali supplicio puniunt cõtumeliam, verbo factó ve impositam, à quo non preces, non promissa, non munera, non minæ reum expedire possunt. Deus autem plurimas cædes, & adulteria, multas in Deum cælitésque voces execrandas, aliáque facinora vni lacrymulæ, vni emendationis proposito, ac secretæ confessioni condonabit, & æternam pœnam illis sæpius debitam, tantillæ satisfactioni, quæ Christi meritis, & satisfactione nititur, exæquabit. Insupérque peccatorem euehet ad eminentissimam filiorum Dei dignitatem, quæ omnium mortalium merita superat, si à Seruatoris meritis seiungantur; quæ ipsa dignitas singularem secum inuehit, ac paternam Dei prouidentiam, vt à malis protegatur, vt idoneos faciat in virtute progressus, & inuito cacodæmone, carnis illecebris, mundique vanitate, ad finem vsque, in Dei timore perseueret. VI. *Ex comparatione declaratur.*

Nescio sanè plusne Seruatori debeamus, ob tantis impendiis semel emptam salutem, ac satisfactionem nostram apud Patrem suum, an propter eandem hominibus toties, támque vili pretio liberaliter attributam. Quid enim ea quam dixi peccatorum reconciliatione facilius? præsertim si addideris ad tanti thesauri participationem, illum quoque admitti, qui ad purissimum illum perfectissimúmque de peccatis dolorem, aut absolutissimum charitatis actum non peruenerit; eò enim perpauci peruenire potuissent. Istarum quippe virtutum absolutio magnam vim diuini luminis exigit, magnam gratiam excitantem, & egregium naturæ ipsius conatum. Vt ergo viam salutis facilem redderet omnibus & expeditam, quoniam *vult omnes homines saluos fieri*, vtque admodum infirmis animos adderet, satis habuit ad reconciliationem, si imperfectam contritionem peccator afferret, quam Attritionem vocant, quæ coniuncta sacramento ad iustitiam sufficeret; ne quisquam merito, aut de salute consequenda diffidere posset, aut excusationem in damnatione prætexere. VII. *Et Attritione.* 1. Tim. 2. 4.

CAPVT XIV.

Postrema declaratio diuinæ in parcendo facilitatis.

OCCVRRIT postremo alia quædam ratio declarandæ diuinæ in parcẽdo facilitatis, quam illustriorem atque admirabiliorem comparatione reddemus. Certò constat Deum solùm esse animæ ratione I. *Cur Deus animam homini dederit.*

vtentis conditorem, nullam laudis illius partem, rem quamlibet decerpere. Hoc enim ille vnus homini munus propria manu confert, munus tanto artifice dignum, veráque imago diuini prototypi. Confert autem, non solùm vt hominem cum corpore terreno constituat, sed vt in dies, diuinis humanísque ornamentis congerendis, ipsa se reddat in eodem corpore pulchriorem, donec mandatum ab eodem acceperit hinc emigrandi,& se ad eius tribunal sistendi. Interim autem magna pars hominum animam ista ita tractat, vt eius deformitatem propositam habuisse videatur. Eius ergo conditori Deo cùm occurrerit ita deformata, quo animi sensu afficietur? qua cum indignatione exclamabit, *Cuius est imago hæc?*

II. *Similitudo pictoris offensi in tabula.* Si nobilissimus omnium, qui vnquam extitere pictorum ad præsentem diem, imaginem aliquam depinxisset, ad cuius absolutionem adhibuisset quidquid ingenio, quidquid industria atq; arte valeret, adhibitis etiam ex tota Europa atque Asia nobilissimis exemplaribus, ea mente atque animo, vt esset illa imago artis quoddam miraculum vniuersæ posteritati. Ea multo tempore aliquando perfecta, si quis in ipsam imaginis faciem magnam atramenti vim, aut noxij cuiuspiam liquoris malitiosè coniecisset, quantam ille pictor, contra istum animo conciperet indignationem? quo luctu confectus iaceret? *Et parentum in filio.* Contigerit duobus coniugibus filium exquisitissimæ pulchritudinis suscepisse, aurea cæsarie, facie candida & rubicunda, liberali atque exporrecta fronte, viuidis oculis, vario, gratóque colore perspersis, labiis, naso, genis, auriculis ad eximiam gratiam, venustatémque compositis, totóque reliquo corpore singulari elegantia, ac proportione conformato. Si furcifer aliquis isti puero truncasset nares, aurem alteram abscidisset, alterum effodisset oculum, oris hiatum ad aures vsque lacerasset, quid faceret isti barbaro sicario vterque parens, si in eorum ille manus incidisset? Aut quid ipse faceres, si tibi ea calamitas contigisset? Nónne tibi cor arderet dolore? nónne, etiam in re ficta, sanguis incalescit, & igneus erumpit in faciem? nónne tumultuatur bilis? nónne totus iustissimam in vindictam incumbis?

III. *Applicantur hæc similia.* O quanto maior est animæ Christianæ pulchritudo, quanto pellacior est eius decor beatarum mentium oculis, quàm mortalium istorum corporum species oculis corporatis; quippe quæ sit viua imago eius, qui est fons omnis pulchritudinis, quæ in corporibus mentibúsque reperitur; eius qui inter spiritus pulchrior est, quàm sol inter astra, aurum inter metalla, carbunculus inter pretiosos lapillos, homo inter omnes animantes. Quid ergo facturus est ille scelerum vindex Deus, illis qui imaginem Dei, indignissimè lacerarint? qui filiam Dei fœdissimè deformarint, totidem plagis, quot mortiferis peccatis? præsertim cùm eos sic habeat in potestate, vt effugere nusquam possint. Quo tandem animo feret, opus illud suum deprauatum ac perditum, quod inter omnia creata, si ab angelis

gelis discesseris, principatum tenet? Opus quod diuina sapientia dedita opera Dei perfectionibus tantum ornauerat, quantum imago absolutissimum exemplar imitari potest.

Age nunc obsecro, num prudenter credi possit illum pictorem, qui tabulam suam, istos parentes qui filium suum ita deformatum semper haberent ante oculos, luctum suum ac dolorem perpetuò renouantem, autorem luctus & calamitatis suæ serena fronte, hilari oculo, placido animo conspecturos, quamuis iniuriam illi suam, amicorum victi precibus, condonassent? Ecquis ergo non hærebit stupore defixus, in contemplatione diuinæ bonitatis, clementiæ, placabilitatis, qui tot ab homine affectus iniuriis, in filia sua dilectissima, regni sui & æternæ fœlicitatis herede, imagine diuinæ maiestatis suæ, ignoscit tamen illi ex animo, cùm primùm certam in eo pœnitentiam agnoscit, eius crimina de libro suo ac memoria delet: imo etiam istum nuper sicarium, blasphemum, adulterum, in filium suum adoptat, constituitque, si rectè deinceps se gesserit, suum ex asse heredem. O bonitatem! ô mansuetudinem! ô dignam Deo placabilitatem!

IV. *Et ostenditur incredibilis Dei lenitas.*

Quid fecit is, qui coram ipso Deo non dubitat prædicare mansuetudinem suam? Cùm insignem iniuriam à rege Ammonitarum, in persona legatorum suorum accepisset, illico pace atque amicitia violata, bellum exitiosum & crudele decernitur, acerbissiméque geritur; denique, cum immensa Hanonis Ammonitæ clade, debellatur. Quid fecit Deus ipse primis illis inimicis suis, desertoribus angelis, qui superbiā meditati fuerant in corde suo contra principem suum? Illico ad arma ventum est, eósque tanta animaduersione castigauit, quantam vniuersa omnium seculorum posteritas obstupescet. Hominibus autem, ô stupendam lenitatem, illico ex animo dimittit, non peccatum vnum, non decem, non quinquaginta, sed quot numerum capillorum eius æquare possint, si intimo ex corde doleat ob tantam Dei iniuriam, si supplex veniam petat, si serio de vitæ mutatione constituat.

V. *Augetur exēplo Dauidis, & Dei ipsius.* Psal. 131. 1. 2. Reg. 10. & ca. 12. 31.

Quid dicam amplius? alia ex aliis miracula diuinæ mansuetudinis occurrunt. Qui promptissimam homini veniam indulget, lentissimam miseri peccatoris pœnitentiam expectat; qui semper est ad reconciliationem paratus, reum cunctantem, atque adeo repugnantem dies expectat & menses, annos quoque permultos, vsque ad supremam aliquando mortis horam. Neque interea occultat se, aut morosus difficiles aditus præbet: imo, rem admirabilem, quasi eius plurimùm interesset, pacem ipsemet inquirit prior, *Conuertimini*, ait, *ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu*; viden' vt etiam aperiat inimico reconciliationis vias? Sit verbo venia Deus meus, Blandius etiam peccatores appellas, vt mater puerulum deliciarum appetentem, & pene cum lacrymis, repulsæ metu. *Conuertimini*, ait Ezechias, *conuertimini à viis vestris pessimis, & quare*

VI. *Et ex eo quod Deus ipse offensus pacem quærit.* Ioël. 2. 12.

C. 18. 30. 31. *moriemini domus Iſraël?* Et rurſum, *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicitè à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.*

VII. *Cōcluſio, & exhortatio.* Pſal. 72. 1. *O quàm bonus Iſraël Deus*, etiam iis qui non recto ſunt corde! quàm mitem Dominum, quàm placabilem habent parentem. Qui non diligunt te nónne ſilicem in corde gerunt? qui iſta audiunt, nec intelligunt quanta ſit Dei erga peccatores clementia, nónne ſtupidi ſunt, plumbei, faſcinatione contacti? Quando igitur omnem parentum bonitatem exuperat bonitas tua, omnem dominorum manſuetudinem lenitas tua, omnem principum clementiam placabilitas tua: & hinc quidem multis tibi titulis debetur famulatus meus, inde autem multiplex mihi ſubinde venia neceſſaria eſt identidem peccanti. Acceptum habe ſi placet hoc qualecunque ſeruitium meum, tibi debitum, tibi deſtinatum. Quærat qui volet alium herum, nunquam inueniet parem. Seruiat carni peccator impurus, ſordes metet & corruptionem; ſeruiat mundo, fumo excæcabitur vanitatis, pudore confundetur; ſeruiat denique dæmoni, mercedem accipiet in hac vita multarum calamitatum, & in futura damnationis æternæ.

VIII. *Ad ſeruiendum tam clementi Domino.* Tu autem, ô immenſa bonitas, longè aliter te erga ſeruos tuos geris. Nam & caſtiſſimus eſt famulatus tuus, qui ſeruis tuis nihil præter innocentiam, puritatémque præcipias: eſt & glorioſiſſimus, magni ſcilicet principis, & domini regum terræ; eſt ſuauiſſimus, & veræ conſolationis plenus, quantam quidem vitæ huius imbecillitas; fructuoſiſſimus denique, vt qui pactam habet mercedem æternæ vitæ. Inſuper autem, ô mitiſſime Domine, cùm peccamus, præ magnitudine miſeriæ noſtræ, veniam facilè obtinemus, pro magnitudine miſericordiæ tuæ. Si à te, vt improba mancipia fugimus, tu nos tanquam facilis herus inquiris; ſi tanquam filij prodigi redimus ad patrem, excipiunt nos paterna viſcera, & tanquam re bene geſta, in oſcula & amplexus ruunt. Si præcipuam vitæ partem cum inimicis tuis noſtríſque conſumpſimus, reliquias nihilominus hilariter accipis. Si aduerſæ res clamorem ad te noſtrum prouocant, aurem tuam precibus noſtris accommodas; ſi per vmbram mortis incedimus, tu nobis dux es & comes; ſi mors denique ſubeunda, tu ipſe, cum angelis tuis præſidio nobis es, vſque ad regionem æternæ vitæ.

CAPVT XV.

Rationes quædam, & viæ mansuetudinis acquirendæ.

HOc modo Mitis Amor finem imposuerat disputationi suæ, cùm ego ad eum oratione conuersa; finem ergo dicendi facis, mi Amor, & quidem suauissimum; quæ laus toti orationi tuæ admodum congruit: téque germanissimum filium Reginæ Charitatis ostendit: nos autem, si homines sumus, ad amorem tanti patris vehementer accendit, atque ad studium tam miti, támque placabili Domino amantissimè seruiendi. Sed placétne etiam aliquid addere, quod ad mansuetudinis vsum pertineat, & rationes ipsius acquirendæ? quod erit auctarium quoddam suauitatis ac facilitatis tuæ. Ne hac quidem in re, ait Mitis Amor, austerus aut difficilis esse cupio; re præsertim neque ardua neque difficili, si quæ à nobis dicta sunt hactenus memoria teneantur. I. *Transitio ad dicta media.*

Sit ergo primum in præceptis meis, studium imitandi magnos illos Heroas, qui mansuetudinis laude præstiterunt, Abrahamum dico ac Iosephum Patriarchas, Mosem legislatorem, Dauidem regem, omnésque nascentis Ecclesiæ Christianos; & multorum deinceps, qui pedes in eorum vestigiis posuere. Maximè autem statuendum est ante mentis oculos exemplum beatissimæ Virginis, quæ cùm cæterarum virtutum gloria refulget, tum istius in primis locuples est. Neque enim sine causa hoc illam elogio Ecclesia vniuersa compellat. *Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac & castos.* Nemo quippe à pauperibus diuitias petit. Nam quid ego de illius imitatione dicam, qui discipulis suis exemplum se dedisse profitetur, vt *quemadmodum*, inquit, *ego feci, ita & vos faciatis.* Quid de illo moribus exprimendo dicam, Patre inquam, cœlesti, de quo vnigenitus eius, *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, qui sunt omnes actus eximiæ mansuetudinis & lenitatis. Quare autem? *vt sitis*, inquit, *filÿ patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* II. *1. Imitatio mansuetorũ.* *Nominatim B. Virg.* *Christi & Dei.* Ioan. 13 15. Matt 5. 44.

Altera ad mansuetudinem via erit oratio, quæ tum ad illos ipsos alióśque cælites dirigatur, qui mansuetudinis laude præstiterunt, quorum paulò antè exempla protulimus, non admiratione solùm, sed etiam imitatione dignissima. Maximè autem orandus super ea virtute Pater ille cælestis, qui eam dare potest, & in filiis suis libenter intuetur; tum vnigenitus eius, qui eam promeritus est hominibus, tum Virgo illa sanctissima, quæ apud Patrem & Filium, omnia potest. Omnia enim bona cælitus in homines defluunt ab illo Patre luminum, & filio eius, qui immensos mortalibus gratiarum thesauros congregauit, quorum clauim III. *2. Oratio siue postulatio virtutis eiusdem.* Iacob. 1. 17.

dedit sanctissimæ genitrici suæ, eius honorandi causa, & quamplurimos
3. Demissio animi. illi toto orbo clientes colligendi. Accedat tertiò virtus altera, quæ tam in filio quàm in parente vehementer eminet, & germana est. & comes indiuidua lenitatis, Humilitatem dico, cui quò quis studiosius operam dederit, hòc se magis sentiet fecisse non pœnitendas, in ea quam quærimus lenitate, progressus.

IV. *4. Amor proximi.* Ca. 3. & 4. Addo etiam quartam rationem, in qua plurimùm omnino est efficacitatis ad mansuetudinem. Ea est in proximum charitas, quæ illius fons, origo, & mater est, vt supra circa vtrumq; amorem, naturalem, inquam, & diuinum declaratum est. Et profectò res ipsa docet eos, qui inter se amant, non facilè rixari, aut aditum præbere dissidiis; quod si aliqua offensionis causa necopinanter irrepserit, ea quamprimum euanescit, instar leuis nubeculæ, quæ à modico vento facilè dissipatur, amicorum animis pristina serenitate, instar stelliferi cœli fruentibus. Vident enim mutua monita, à mutua beneuolentia proficisci, quæ cognitio, vbi tantillum sedatus est feruor ille, confirmat profectò, nedum debilitat amicitiam. Mutua quoque illa fiducia facilè condonat atque abstergit quidquid commotionis inter agendum interuenerit.

V. *5. Reuerentia quædam aduersus improbos.* Sed huic amori adiungenda est quædam reuerentia, etiam aduersus intimos, maximéque necessarios, quod animi demissio præclarè vsurpare solet: vixque illa abesse potest, sine contemptu aliquo, qui solet iram excitare. In eos autem, quos tanquam superiores obseruamus & colimus, non solemus irasci, sed in agẽdo modestiam adhibemus, in loquendo lenitatem. Hanc reuerentiam fouebit ac nutriet non solùm personarum conditio ac dignitas, sed illa etiam consideratio, quod quamuis nũc fortasse vitiis inquinati sint, æternæ tamen felicitatis forte destinati sunt heredes, & maioris gloriæ, quàm nos ipsi. Contineat nos quoque aduersus istos ille timor, quod cùm sint admodum infirmi, periculum sit, ne & alieni fiant à nobis, & desperatione frangantur, & propter magnam propensionẽ in vitiũ, grauiore stomacho concitati, in deteriora præcipitent.

VI. *Et lenitas, & quam ob rem.* Ca. 10. & 11. Meminerimus, quod superius explicatum est à nobis, quo se modo Deus olim gesserit aduersus Synagogam, quasi mulierem multis ac magnis sceleribus contaminatam; quomodo Seruator, proposito exemplo filij prodigi, & indulgentissimi ac mitissimi parentis, docuerit quanta cum suauitate recipiẽdi sint peccatores, qui resipiscunt: quæ nonnunquã etiam adhibenda est vt velint resipiscere, ac sanari; quod ægrotorum genus maximam curantis cautelam requirit. Eodem pertinet illa Pauli mo-
Galat. 6. 1. nitio, *Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*, ne scilicet Deus hanc acerbitatẽ non probet, & patiatur graui aliqua tentatione prosterni, qui
Ephes. 6. 4. hactenus steterat inuictus. Et alibi idem monet parentes, ne filios ad ira-
Coloss. 3. 21 cundiam prouocent, iustam videlicet improuida seueritate, *ne pusillo animo fiant*, & diffidentes se posse morosis parentibus satisfacere, ab eorum se conspectu, disciplináque subducant.

Prouidendum etiam est ne ista lenitas in pusilli animi vitium degeneret, cui nulla vis est, nullus animi vigor ad monendos castigandósque delinquentes: qualem culpam fuisse legimus Heli Pontificis, ad filiorum suorum scelera conniuentis, in quibus & illi vltore Deo miserè perierunt, & arca Dei capta est, & Heli è sella corruens fratris ceruicibus expirauit. Reprehenditur etiam Dauid, quòd in dissimulanda filij sui Adoniæ vanitate dormitauerit, qui illa abusus lenitate, regnum inuadere, quamuis Salomoni diuinitus destinatum, molitus, ab eodem Salomone cæsus est. Iacob Patriarcha, pro natiua præ fratre lenitate, laxior fortassis fuit, in castigandis filiorum peccatis; per quorum postea scelus plurimis annis in summo animi luctu, ac mœrore iacuit. Est ergo quòd prouideant ij, quibus mollior natura contigit, & animus infractior, ne dum mites esse volunt, in segnem ignauiam delabantur: & fiant sal infatuatum, quod proiectum foras, ab hominibus conculcatur.

VII. *Lenitas in ignauiam degenerat.*

l. 3. Reg. c. 1. 6. & c. 2. 6 25 Gen. 37. 2.

Matth. 5. 13.

Cæterùm hæc qua de agimus reuerentia, mansuetudinis custos & nutrix, facilior multo est in consuetudine vitæ cum probis, quos oportet tanquam dilectos Dei filios intueri, & vtique nobis ipsis Deo gratiores, & ad maiorem in cœlo gloriam destinatos. Sed hæc reuerentia de interiore in primis accipienda est: nam exterior ex personarum conditione ac statu metienda est. Nec superior inferiorem, aliter quàm inferiorem, tractabit, quamuis eum virtute superiorem agnoscat. Nec filij regum aut principum aliter à gubernatoribus suis, quàm discipuli accipiuntur, & cùm res exigit ab illis castigantur, quamuis illi filij sint principum, ipsi autem in plebe fortasse censeantur. Natura ipsa docente didicimus, quo quæque res pretiosior est, hoc eam cautiùs & circunspectiùs esse tractandam, præsertim si instar crystalli fragilis fuerit. Magna est humani generis fragilitas atque imbecillitas: & cùm Apostolus Christianos sanctos appellet, & religiosi viri aut sancti sint, aut ad sanctitatem ex instituto progrediantur, videamus ne eos nulla cum reuerentia tractare, sacrilegij genus quoddam censeri possit.

VIII. *Lenitas facilis aduersus probos.*

1. Cor. 6. 1.

Hæc quoque reuerentia iis necessaria est, qui cum hominibus versantur magna patientia & mansuetudine præditis, qui facilè se ab aliis asperè, contemptimque tractari patiuntur; adeóque in diuinis beneficiis numerant, quod crucis eius, & perpessionum participes fiant; qui se reos semper agnoscunt, alios autem excusant libentiùs, quàm arguunt: quo fit vt difficilius culpam in eos admissam agnoscamus. Cùm enim aliquem exigua virtute præditum, vel leuiter offendimus: qui quamprimùm irascitur, & parem nobis, aut maiorem reponit iniuriam, quia pax interius exteriúsque turbatur, facilè culpam nostram agnoscimus; in illis autem qui silentio premunt acceptam iniuriam, & aliquid pro Christo pati gloriosum putant, non facilè. Eadem tamen in asperitate nostra culpa est,

IX. *Deceptio eorum qui probis irascuntur.*

aut etiam maior in eos, qui ob maiorem virtutem, maiori honore ac reuerentia digni sunt.

X. *Lenitas ex nobis ipsis discenda.* Alia etiam occurrit trita, & quasi compendiaria ad lenitatem via, si alios etiam delinquentes eo modo acceperimus, quo ab iis accipi cupimus, si qua in re nos contigerit deliquisse. Cupimus autem sine dubio amicè argui, atque beneuolè, nec superiores nobis satis placent, qui asperius subditos licentiúsque tractant: leniores autem ambimus, *Superuenit mansuetudo, & corripiemur*, ait Dauid. (6. Psal. 89. 10.) Nimirum monet vt mansuetudo actiones nostras anteuertat. Acturi videlicet cum hominibus, cor nostrum ad lenitatem componamus & pacem, certi continere freno patientiæ, quamuis tumultuantem intus iracundiam, atque adeò cohibere interiorem eius motum; Id si crebro fuerit factitatum, habitus mãsuetudinis acquiretur, quem insignis animi pax consequetur.

XI. *Mites amãtur, seueri contrà.* Cui rei consentanea fuerit illa consideratio, quod prona est omnium aduersus mites dilectio. Omnes enim natura pacis amantes sumus, nec facilè aggregamur ad eos, qui animo aut lingua prompti, ad iram facilè commouentur: cui enim iurgia vel rixæ placent? Spiritus Dei amabilis est, mitis atque pacificus, Sathanæ autem seditiosus ac turbulentus, & odio dignus. Id præclarè intellexit Poëta nobilis, qui furiam eduxit ex inferis ad turbandam pacem, & serenda in Italia crimina belli Troianos inter & Latinos, instigante alia muliere, quæ Troianos pessimè oderat. (Æn. 7. *turbascient.*) Mulierum vtique natura mitior est ac mollior quàm virorum; si quando tamen abundantes ira, illi habenas laxarint, eas rectè Proserpinas dixeris, aut Megeras, quæ gladios exacuunt, quibus se mariti contrucident, & vltionis ignem accendunt, quæ ipsas in primis comprehendet, atque consumet. Gratificari se putant coniugibus, cùm acceptam iniuriam exaggerant, & hostem quam possunt nigerrimo carbone depingunt, ignaræ, se oleum camino flagranti iniicere, quæ vtrosque conuoluet, ac miserè perdet.

XII. *Illi plus possunt.* Illud postremò animo pertractandum est, in consuetudine vitæ homines difficiles ac morosos non facilè adiri, lenes autem ac faciles contrà. *Fœnum habet in cornu*, aiunt, *longè fuge*. Ex quo sequitur seueritate impediri auxilium, quod diuinus amor egentibus afferre posset. Ad mansuetum autem, vt infantulus ad sinum nutricis, omnes accurrunt consolationis & remedij causa. Itaq; longè opinione falluntur, qui iram rebus gerendis mansuetudine vtiliorem putant; turbat ira potiùs negotia, quàm promouet, hoc ipso quod rationis vsum interiore illo calore debilitat; quid autem ratione perturbata rectè facias? Illúdque tandem animaduertitur seuerum minus efficere clamoribus ac tumultu, quàm mitem, qui officiosa humanitate demeretur sibi hominum voluntates, eásque ad nutum habet obsequentes. Hic ad exequenda mandata curritur, illic nihilominùs lentè agitur. Clamoribus enim assuefacti, non magis mouentur, quàm tubæ sono tubicinis equus, aut asinus plagis.

Quid habet virium aquæ gutta, qua nihil est mollius? Constat tamen ab ea lapides excauari. Nihil est oleo dulcius, nihil altius penetrat, nihil latius diffunditur. Mollis est aër, lentus, flexibilis; ignis quoque mollis est ac facilè cedit: quid tamen iis efficacius si terræ visceribus clausi teneantur? terras diffindunt, montes excutiunt, fluuios absorbent; fulgure, tonitruo, fulmine, ventis, grandine cœlum terrámque perturbant. Quòd si aliquando non monitione tantùm opus est, sed animaduersione, mitis leui castigatione facilius peccantem emendabit, quàm seueri Catones. Quem enim ille castigauerit, vbi paululum ira dolórque resederint, pœnæ suæ ipse quoque subscribet, & officio deinceps fungetur suo. Is quem iracundus ille, rigidúsque punierit, odium in illum diuturnum, ac pene implacabile concipiet. Habes epimetrum quod petisti, quod vsui esse possit mansuetudinis candidatis. XIII. *Mansuetudinis efficacitas.*

Noni Libri finis.



LIBER DECIMVS.

De Sollicitudine Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio sexti filij Charitatis, cui nomen Sollicitus-Amor.

I. *Transitio.* AVTOR.



HÆc cùm dixisset Mitis-Amor, Maximas, inquam ego, meritásque gratias meritò agimus, mitissime Amor, qui hunc laborem subieris, docendi non pleraque solùm, quæ ad diuinum in nobis amorem excitandum, atque augendum valent, sed etiam quæ ad mansuetudinem Deo in primis hominibúsque amabilem, & quidem multa, ni fallor, cum orationis suauitate, consentaneè moribus istis, & nomini quod à parente Charitate accepisti. Deo, inquit ille, laus & gloria. Deinceps porrò desideramus, inquam, Sollicitum Amorem germanum tuum ordine sextum audire; si tamen ex eadem parente fratrem. Apparet enim Sollicitudinem à Timore potiùs, quàm ab Amore progenitum. Ipsum nihilominus, ait Mitis-Amor, agnosco fratrem, lubénsque profiteor. Sed ille facilè hunc tibi scrupulum eximet, eum actutum euocabo.

II. *Descriptio Solliciti Amoris.* Subducit ille se paululum, statimque prodit adolescens, facie liberalis, cui nomen Sollicitus Amor; & verò sollicitudinem ipsa facie præferebat, quæ videbatur negotiosi hominis, & seria molientis, qualis erat quondam Iudæ Patriarchæ, cùm Beniamini causam apud Ægypti proregem ageret: quæ erat historia, quam acu pictam opere plumario ferebat in pallio purpurei coloris, cui nomen Prouisio. In eius limbo legebatur illa Mosis admonitio. *Custodi temetipsum, & animam tuam solicitè.* (Deut. 4.9.) Elogium ex Dauide mutuò sumpserat, *Dominus sollicitus est mei.* (Psal. 39. fi.) Quatuor habere dicebatur famulos, quos reliquerat domi. Primus dicebatur, Quid manducabimus, alter, Quid bibemus, Tertius, Quo operiemur, Quartus, vbi habitabimus. (Matt. 6. 31. Eccl. 29. 28.) Seruator trium meminit in Euangelio; quartum

quartum Sapiens adiecit; quæ sunt totidem curæ, & Sollicitudines hominis rerum sibi necessariarum satagentis, sed intra modum, neque alieno tempore aut loco. Quæ causa fuerat cur Sollicitus Amor eos domi reliquerat.

Habet porrò propositum docere germanam se esse Charitatis prolem, quæ sanctam in Deum proximúmque sollicitudinē hominum cordibus ingenerat. Deum item ipsum, qui est Charitas increata, maximam nostri curam gerere, quam ille mundo maximè patefecit, cùm ad eius procurandam salutem filium suum misit in terras, quam ipse quoque factus homo diuinis actionibus suis egregiè demonstrauit. Denique nos ad hanc sanctam sollicitudinem studiosè inuitabit. Sed nos de more prius conabimur ostendere Amorem vniuersè causam esse Sollicitudinis, de re quam diligimus, prout ratio ipsa docet, & experientia fidem facit. III. *Propositio dicendorum.*

CAPVT II.

Amorem causam esse sollicitudinis.

MINIME dubium est, vt alio quoque loco alia occasione significauimus, Amorem, qui princeps est ac primarius nostræ voluntatis actus, omnes humani cordis motiones, affectúsque producere. Nam, exempli causa, statim atque didicimus quid sit beatitudo, aut huius aut futuræ vitæ, illico voluntas ad illius amorem fertur, vt ad rem sibi valde conuenientem, & ad eam fruendam brachia affectuum suorum exporrigit. Eodem ipso naturæ pondere fertur voluntas ad odium miseriæ, quæ cum felicitate directò pugnat, nec mutuam ambæ societatem ferre possunt. Neque tamen amamus felicitatem, quia miseriam auersamur, sed contra odio habemus malum, quia bonum amore prosequimur. Infelicitas enim, vt vox ipsa significat, felicitatem ponit ac tollit, vt & cæteræ priuationes auditus, visus, fortunarum, quæ à surditate, cæcitate, paupertate tolluntur, quæ in subiecto apto fuerunt, aut esse debuerunt. Sic ergo felicitas miseriam antecedit, ac ponit. I. *Amor causa & fons omnium affectuum.*

Super hanc vtramque basim reliquæ animorum commotiones fundatæ sunt, sicut elementa reliqua aqua & terra nituntur. Ipsa nihilominus terra aquæ fundamentum est, eique perpetuò subiacet, atque substernitur. Quod enim de orbe terrarum, ait Dauid, *Ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum*, vel de stabilitate accipiendum est, qua terra præstat aquis, vel de propinquitate, vt cùm Hebræi fleuisse dicuntur *supe flumina Babylonis*, aut sedisse in Ægypto, *super ollas carnium.* Quia igitur felicitatem amamus, eam desideramus absentem, & de præsente lætamur; itaque desiderium & delectatio ab II. *Declaratur sigillatim.* Psal. 23. 2.

amore naſcuntur. Et quia miſeriam auerſamur, timemus abſentem, & de præſente triſtamur, qui ſunt totidem motus ab odio profecti. Si poteſt obtineri bonum quod diligitur, ſpes vel fiducia exiſtit, ſi non poteſt vitari malum quod odimus, diffidentia naſcitur, aut deſperatio. Si ægrè obtineri poteſt id bonum, amor excitat audaciam, ſi obuiæ difficultates vix euinci poſſunt, fuga naſcitur, homine induſtriam ſuam & conatum ab opere retrahente. Si quis boni conſecutionem impedire ſtudet, aut in id malum conijcere, quod odimus, incaleſcit amor, & producit iram.

III. *Sollicitudo non eſt deſiderium.* At enim, dicat aliquis, vbi eſt hîc ſollicitudo, quam quærimus? haud dubiè ad amorem refertur, à quo motus omnes excitantur, proximè tamen ad vnam aliquam prædictarum commotionum pertinet. Ad quam autem? an ad deſiderium? niſi fortè ipſa Sollicitudo deſiderium eſt. Non ita eſt. nam deſiderium appetit bonum duntaxat, at ſollicitudo rationē anxiè inquirit, & viam obtinendæ felicitatis. *neque triſtitia.* An ad triſtitiam reuocatur, cùm Paulus ſcribat ad Corinthios triſtitiam cauſam illis ſollicitudinis extitiſſe? (2. Cor. 7. 11.) Certum quidem eſt verum dolorem offenſi numinis, ſollicitos reddere, & cautiores ad vitandam noxam, ſed triſtitia ſollicitudinem proximè non producit, cùm illa præſens malum reſpiciat, hæc futurum. *ſed timor cum cura.* Ergo ad Timorem reuera proximè pertinet, ſed illi addit ſtudium & curam inueniendarum rationum, quibus malum vitetur, quod nos amato bono ſpoliaret. Itaque rectè S. Iob, (C. 13. 15.) *Conſiderans,* inquit, *Dominum timere ſolicitor.* Et Ouidius:

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Et alibi rurſum,

Quid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.

Cū ergo Amor timoris cauſa ſit, eſt etiā ſollicitudinis, quæ illi comes eſt.

IV. *Amoris ſollicitudo docetur experientia & exemplis.* Experientia quoque compertum eſt Amorem progenitorum eſſe Sollicitudinis. Cernimus enim quotidie parentum pro filiis curas, eóque maiores, quò illis chariores fuerint, ne quid eis deſit, ne quid noceat, ne quæſita perdant, ne expectatione fruſtrentur, ne importuno labore frangantur, ne quis eos caſus aduerſus affligat, ne qua improborum cōmunione deprauentur. *Iacobi pro Beniamino.* Cuius rei exemplum ſingulare legimus in Iacobo Patriarcha, in cauſa Beniamini ſui. Quoties ille recuſauit filiis ſuis, dare Beniamino commeatum Ægyptiacæ profectionis? Deinde ipſa neceſſitate labefactatus, quanta cunctatione, quot dilationibus, quanta procraſtinatione vſus eſt? quot illi contrà precibus, promiſſis, obſecrationibus egerunt apud ſenem, vt hanc demiſſionem extorquerent? Vt autem denique conſenſit, ac manus dedit, eadem ſollicitudine iuſſit munera ad proregem deferri, referri pecuniam prioris frumenti; Deum item orat vt peregrinatio benè vertat, & ſuam ſolitudinem gemitu antevertit, qui ſunt omnes ſolliciti amoris effectus.

V. Nec minor fuit Iudæ Patriarchæ ſollicitudo, in triſtiſſimo illo caſu, qui

in Ægypto Iacobi filios perculit vniuersos. Existebat illa Iudę cura, partim ex ingenito naturæ amore, aduersus minimũ natu fratrẽ, cui timebat ne barbari principis & idolorum cultoris seruituti manciparetur: partim etiam, multóque magis ex amore in parentem suo, quem mœrore confectum iri non dubitabat, quique eius illum fidei præ cæteris, promissisque crediderat. Quid ille, quid cæteri intentatum reliquere, vt tantam calamitatem vitarent? Consciderunt omnes vestimenta sua, vt proregem illum ad commiserationem inflecterent, ad eius si pedes proni abiecerunt, omnes se fassi sunt reos, & cum lacrymis & eiulatu, omnes se illius addixere seruituti. Quæ deinde fuit Iudæ oratio? quem illi artis locum non suggessit amor, vt veniam ac misericordiam impetraret? Neque suam, neque cæterorum fratrum, neque illius, qui reus agebatur in primis, innocentiam, quod facilè poterat, demonstrare aggressus est, ac ne vllum quidem verbum fecit aduersus satis euidentem calumniam, sed naturalem affectum patrum in filios, & filiorum in parentes validè aduocat ad certamen; præsertim abdicata vltro libertate sua, vt mortiferam parentis ægritudinem redimeret, & fratrem eximeret seruitute. Adiecit fidẽ seni datã, multa criminis, pœnæ, exprobrationis detestatione firmatã. *Iuda pro eodem.*

VI. *Tobiæ & Annæ pro filio.* Tob. 9.

Huc quoque Tobiæ senioris, & Annæ vxoris eius, pro filio sollicitudinem referamus licet, siue priusquam eum peregrè abiturum ab se dimitterent, ei de rebus omnibus, & nominatim de itineris duce, liberaliter prouidendo: siue postquam is se dedit in viam. Mater enim absentiam filij prosequitur lacrymis, & apud coniugem lamentatur, quod filiũ vnicũ pecuniæ causa discrimini commiserit. Mulierem fortior aliquanto senex consolatur, & eius minuere conatur curas, comitis fide memorata, & videlicet diuina prouidentia, quæ angelum illi socium haud dubiè dederit, à quo deducendus, & reducendus sit sospes. Mox tamen ipse idem, indulgens timori pro filio, proprias lacrymas Annæ lacrymis sociauit. Dies numerabat itineri, ac commorationi necessarios, & animus eius anxia cura fluctuabat. Anus autem ipsa, quotidie exiliens circunspiciebat, & lustrabat oculis vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem. Et gemitus quotidie suos iterabat, donec eum denique à longè venientem vidit atque agnouit, & ad senem, boni nuncij gerula, festina cucurrit, móxque vniuersa vtriusque sollicitudo in multiplex gaudium conuersa est. Ca. 10.

VII. *Et amici pro amico.*

Atque huius eiusdem rei ex similitudine capiamus exemplum amicorum vehementer inter se diligentium, quorum alter in grauem morbum inciderit; vide igitur in quantam sollicitudinem alterum amicitia coniiciat. Hominem quotidie sæpius inuisit, aut nusquam potiùs inde effert pedem. Medicum, chirurgum, pharmacopolam, omnésque domesticos de amici statu subinde rogat, quid spei sit recipiẽdæ valetudinis, quomodo quiescat, dormiat, cibum sumat, remittat ne an augeatur febris; omnia morbi symptomata anxiè scrutatur, irascitur in ægritudinis autores, affert

remedia quæcunque poteſt comminiſci. Cùm autem illum inuiſit, eidem addit animum & ſpem, qua ipſemet deficitur, iuxta illud,

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem. Hanc omnem ſollicitudinem amor exſuſcitat, & morbus corporis animum ægrum facit.

VIII. *Et vniuersè in tota vita.* Hic amor conſeruandæ potentiæ, opum, libertatis, inſtituit ſeruátque præſidia militaria in munitis arcibus, finibúſque regnorum, ne qua ex improuiſo contingat hoſtilis oppreſſio. Hinc excubitorum manipuli exorti, vigiliæ variis ſtationibus diſtributæ, excubiarum luſtrationes, lata profundáque foſſarum, ſubductarij pontes, cataractæ penſiles, cæteráque id genus ingenioſi amoris inuenta, quæ Sollicitus Amor in vſum deducit. Sunt & pleraque officiorum genera, quibus dati acceptique ratio reddenda eſt, & cautionum ſyngrapharum, acceptilationum, ſponſionum, pignorum, promiſſorum, & innumerabilium id genus contractuum, quæ ſecuritati ſeruiunt, ne parta ac poſſeſſa pereant, & vt quæſita iam augeantur.

IX. *Muliebris ſollicitudo.* Quis paucis explicare poſſit muliebrem ſollicitudinem & curam ornandæ, conſeruandæ, augendæque pulchritudinis? quot illæ horas quotidie in ea vanitate malè collocant, quot liquores magni pretij abluendis vngendiſque corporibus abſumunt? quæ pharmaca non inquirunt, quæ medicamenta non adhibent, vt formam oſtentent, vt ſibi aliiſque placeant. Quid ego mundum muliebrem, & infinitam monilium ſupellectilem memorem, quam Dominus apud Eſaiam deſtinat

c.3.18. hoſtili prædæ. *In die illa*, inquit, *auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia, & armillas & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina & acus, ſpecula & ſindones, & vittas & theriſtra.* Studium colendæ pulchritudinis harum ineptiarum magiſter eſt, quibus animæ, vt hamo piſces, & aues laqueo, à dæmone capiuntur, vt quæ luxui & libidini fere ſeruiant.

X. *Exemplum Pelagiæ.* In vita Pelagiæ in vitis Patrū, & apud Niceph. l. 14. c. 30. Si rem exemplis illuſtrari placet, poſſumus ex hiſtoria Eccleſiaſtica memoria repetere S. Nonnum Epiſcopum Edeſſenum, qui cùm Antiochiæ ad Diui Iuliani in multorum Epiſcoporum cœtu concionem haberet, vidit mulierem impudicam nomine Pelagiam, cultu magnifico ac pene regio, tantóque ornamentorum apparatu, tota vt auro, argento, gemmiſque vndique rutilaret. Incedebat illa fronte ardua & exporrecta, aperto vultu, erecta ceruice, nudato pectore, profuſo veſtium ſyrmate, quod ephebi honorarij, quaſi fercula triumphalia, circumferebant. Eorum alij præibant, alij pone ſequebantur, omnes pretioſa tecti veſte, quacunque autem illa gradiebatur, circumfuſus eam moſchi odor, aut felinus ſudor comitabatur.

XI. *Negligentiā arguit ſeruorum Dei.* Puduit Epiſcopos omnes muliebris pompæ, atque impudētiæ meretriciæ, & ne eam viderent, oculos vultúmque modeſtè demiſere, ſolus eā

Nonnus intuebatur attentius, & oculis comitabatur euntem: móxque rogauit Episcopos, ecquid eis tam accuratus mulieris cultus ornatúsque placuisset; qui cum tacerent, ipse demisso super genua vultu, sinum lacrymis repleuit; simúlque altùm suspirans. Quando, inquit, Deus vitæ nostræ rationem à nobis exiget, istam mulierem proferet in nostram condemnationem. Quot enim horas putatis ab illa in suo cubiculo collocatas, abluendi, vngendi, ornandíque sui causa, vt amasiis suis gratiosa videretur? Nihil illa profectò studij ac diligentiæ reliquum fecit: cùm nos tam parum solliciti simus de purgandis animis ornandisque, quas scimus clarissimis diuini sponsi oculis sisti oportere. Cúmque mox in cubiculum recepisset sese, humi stratus pugnis tundebat pectus suum, lacrymánsque dicebat, Domine Iesu Christe ignosce indigno isti famulo tuo, cuius omne religiosæ vitæ studium, improba mulier vnius diei diligentia superauit.

Sed quid ego horarum aliquot, aut diei totius iacturam queror in mulierculis istis, cùm Scriptura ipsa testetur Assueri cōcubinas, non priùs ausas se in regis conspectum dare, quàm annum integrum in hoc apparatu perdidissent, Expletis, ait, omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur, ita duntaxat vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur. Accedebant ad eundem cultum aurea gemmeáque monilia, omnísque pretiosorum vestimentorum pompa: tanta erat istarum sollicitudo puellarum, vt illi principi placere possent. Nec minus credibile est ista mancipia formæ totam reliquam vitam magna cura posuisse ad eam pulchritudinem excolendam fouendámque, quæ ipsis regis gratiam peperisset. Studebāt quoque illum non solùm oculis retinere captiuum, sed auribus etiam, verborum elegantia, & dulcedine vocis, quæ musicis coniuncta instrumentis, tinnulum quiddam modulatúmque referebant, animis laxandis idoneum, quantauis illi prius seueritate tenerentur. Ac ne epulæ quidem deerant leniendo palato. Constat enim Hesterem epulo regem biduo continenter excepisse. O vitam infelicem, ô indignam seruitutem animæ corpori turpiter mancipatæ, cùm corpus natum sit ad animæ seruitutem.

XII. *Sollicitudo concubinarū Assueri.* Esther. 2. 12.

Hæc amoris sollicitudo vsque adeo naturalis est, vt in brutis animantibus, quæ naturæ motus fingere, ac dissimulare non possunt, apertè se prodat. Gallina quæ calore viuifico oua fouens pullos exclusit, ita pro eis sollicita est, vt curas suas perpetuo gemitu & glocitatione testetur: & variè modificata voce nunc eos ad repertum à se cibum vocet, nunc ad milui vngues defugiendos, nunc ad calorem eis sub alis impertiendum. Vidi ego passerculum, qui cùm nimium cito esset aggressus parentes volantes sequi, deficiente impetu decidit in impluuium: ea clade ab eius progenitoribus agnita, iucundum erat animaduertere quantam sollicitudinem passer ostenderet, vt natum à tanto discrimine eriperet. Impetu

XIII. *Sollicitudo in brutis quoque cernitur.*

Declaratur in passere.

enim ferebatur ad volitantem humi passerculum, & facilem præibat ad elabendum viam, proximam fenestram volatu petens, inde ad humile tectum progrediens, mox ad alterum aliquanto altius; idque sæpius cùm faceret, animos addebat ad fugam, neque vox deerat, quæ facilè pusillo iter ostenderet, si ille tantillum cladem imminentem effugere conaretur. Dum ille cunctatur, recurrit pater ad feminam, eámque rostro & alis iratus petit. Inde reuertitur ad passerculum, sese non leui discrimini committens, ne vitam ac libertatem amitteret, quam nato dare cupiebat. Quid multa? tantum denique profecit, vt vterque à periculo liber euaderet.

XIV. *Conclusio & applicatio prædictorū.* Id exemplum non solùm innatam amoris sollicitudinem probat, sed docet quoque quanta nos cura sollicitare debeat, & nostræ & alienæ expediendæ salutis, eorum præsertim, qui nos propius aut amicitia, aut cognatione contingunt, peccati captiuitate, carnis illecebris, dæmonísque laqueis euitandis: quantum studium adhibendum sit, vt eis verbo & exemplo viam ostendamus, ad multiplices hostium nostrorum conatus irritos inanésque reddendos, vt eis cum Dauide dicere liceat, *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Docet etiam quo animo esse debeamus aduersus eos, qui nobis offendiculo sunt ad peccandum. Cæterùm canis ille, qui seorsim ad fontem siti fatigatus accurrebat, & inter bibendum subinde attollebat caput, vt respiceret quantum herus in equo progrederetur, vt eum mox consequi posset, docet quæ nos cura inter huius vitæ negotia sollicitare debeat, ne longius à Domino recedamus, nedum illum penitus amittamus.

Psal. 123. 6.

CAPVT III.

Amorem diuinum sollicitudinis causam esse, & Charitatem matrem esse Solliciti Amoris.

I. *Aditus ad futuram orationem.* QVÆ cùm ego dixissem, sic exorsus est dicere Sollicitus Amor. Rectissima profectò est ista monitio tua, quam operæ pretium sit in hominum cordibus descriptam esse, qui sapiunt terrena duntaxat, vt ait Apostolus: itáque huius vitæ curis quasi fluctibus demerguntur, vt dominum suum vltra non videant, non cogitent, non meminerint, ac propemodum non curent, quasi eius nihil interesset humana curare, & Dauidicum illud alieno sensu improbè vsurpent. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Et bonus ille Dei famulus, Nonnus inquam Episcopus, iustum animo dolorem capiebat, quòd ab impura muliere de suo officio doceretur, quòd serua peccati, mancipium Satanæ,

Phil. 3. 19.

Psal. 113. 16.

mundi ludibrium, quæ formæ venustatem instar idoli coleret, maiore cura perniciem suam quæreret, quàm Dei filij, cœli heredes, angelorum cognati, & quos spiritus diuinus inhabitat, Deo placere studeant, & immortalem acquirere felicitatem.

Vt ad eum porro sermonem ingrediamur, qui à me expectatur & quæritur, illud consentaneè dixerim orationi tuæ, sicut profana sollicitudo timor quidam est, sed addit studium & inquisitionem rationum, quibus malum quod timetur vitari queat; Idem valet in Christiana, religiosáque sollicitudine, si obiecta caduca & plena vanitatis, in vera solidáque mutaueris. Et sicut naturalis amor studium illud excitat & curam, quæ in brutis animantibus reperitur, ita diuina charitas Dei filiis curam ingenerat diuinæ gloriæ promouendæ, & secludendorum impedimentorum, quæ è transuerso ad eam impediendam incurrunt. Quæ Solliciti Amoris origo est. Et sicut Charitas in Deum primò, inde propter ipsum fertur in proximum, ita & Sollicitudo hæc, earum primo rerum curam gerit, quæ Diuinam gloriam directò intuentur, tum humanorum negotiorum satagit, quæ cum diuinis modo quodam sunt implicata. II. *Sollicitudo Amoris naturalis, & diuini.*

Illud quoque obseruandum videtur, Charitatem quidem non excidere, vt ait Apostolus, sed ab hac ad futuram vitam emigrare: non omnes tamen eius filij, eam comitantur. Nam sollicitudo huius vitæ propria est, quæ periculis abundat & malis, à quibus vt expediamur, Sollicitudo diligentem operam nauat. Hic enim studiosè curatur, ne is quem diligimus à nobis aliísve offendatur, ne quod illi damnum infeatur; ne non obtineamus quod quærimus, ne quæsitum amittamus. In cœlo nihil huiusmodi formidandum est, ideóque non est illic sollicitudini locus. III. *An locum in cœlo habeat.* 1. Cor. 13. 8.

Credo equidem, inquam, vbi Deus huic rerum vicissitudini finem imposuerit; interim autem non videtur cura omnis à beatis abesse. Nam qui patres in cœlo sunt, solliciti sunt pro filiis, quos in terra viuos reliquere, ne illuc non perueniant, neue tanta felicitate priuentur. Et qui filij eò maturè peruenerunt, pro parentibus suis amica sollicitantur cura. Denique si eò timor peruenire potest, quidni & sollicitudo perueniat, *Timor*, enim, *Domini sanctus permanet in seculum seculi*, vt ait sanctus Dauid. AVTOR. *Ita videri.* Psal. 18. 10.

Non admodum arduum est, ait Sollicitus Amor, hisce dubiis respondere. Credibile enim est Deum reuelare beatis, quæ sors ipsorum parentibus, proximísque cognatis euentura sit. Nam partim res ipsa per sese est vehementer desiderabilis, partim id desiderium videtur admodum rationi conueniens. Qui enim nos consanguinitate, affinitate, intimáque beneuolentia contingunt, quasi alteri nos ipsi æstimantur. Nec dubitant in Scholis affirmare Theologi, sanctos in Deo videre quis suorum sit in terra status. Sanctum scilicet Ignatium atque Dominicum, quæ ad ipsorum religiosum ordinem pertinent. Cùm ergo IV. AMOR SOL. *Responsio negans, eiúsque causa.*

eorum electionem in Deo vident, ac perseuerantiam vltimam, vehementer lætantur, & gratias agunt Deo, suísque precibus illi perseuerantiæ seruiunt, prout eas cernunt diuina prædestinatione contineri. Sin contra vitæ exitum agnouerint infelicem, Deo negotium omne permittunt, eiúsque iustitiæ desideria sua sacrificant, cum illa voce Dauidis, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Neque inutiliter student diuinam mutare dispositionem, quæ actionum ipsorum peruersitate nititur, & libertatis abusu.

Psal. 118.

V. *An beatæ animæ de suis corporibus sint sollicitæ.*

Neque verò par est ratio desiderij naturalis, quo sanctæ animæ afficiuntur, de futura corporum suorum beatitudine, & iterata coniunctione cum ipsis. Nulla enim super ea re tanguntur cura, propter certitudinem felicitatis futuræ penitus exploratam; tota quippe res iam ad Deum vnum pertinet, qui illa corpora, gloriosa resurrectione restituet. Electorum autem salus à Deo, & eorum libertate pendet; reprobatio verò pereuntium, ex ipsorum scelerata vita pendet, in qua sine reconciliatione cum Deo decedent; & à Iudice, qui præuiso toto illius vitæ curriculo, sententia illum æternæ damnationis percellit. Sicut ergo beatæ animæ nulla corporum suorum cura distinentur, vtpote de toto euentu minimè dubiæ: ita neque pro cognatis, amicisque suis solicitudine anguntur, cùm futurum euentum in Deo certissimè contemplentur, eique summa cum tranquillitate mentis acquiescant.

VI. *Deum eis reuelare quæ eas attingũt.*

Quod si Deus, intra huius mortalitatis fines, non rarò quibusdam amicis suis ita gratificatus est, vt tam suam, quàm aliorum ad gloriam electionem illis patefaceret, vt eorum testantur historiæ. (Nam de sanctissimo Francisco legimus, illum diuinitus de sua felicitate nuntium accepisse, eáque cognitione omnibus incedentem lætitiis, cum Dauide dixisse, *Lætatus sum in iis, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Id ergo cùm sit exploratum, illud quoque rationi consentaneum est, Deum eam gratiam non recusaturum iis, qui ea vltra abuti non possunt; iis quos tanquam amicos, dilectósque discipulos amplectitur, quibus olim nondum mortali vita defunctis dicebat. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Quid ergo suspicemur, eum sui iuris in cœlo ita retinentem fore, vt eis aperire nolit, quid denique futurum sit illis, quibus intimè coniuncti sunt, siue naturali beneuolentia, siue charitate fraterna?

Psal. 121. 1.

Ioan. 15. 15.

VII. *Quis sit in cœlo timor.* Apoc. 15. 4.

Nam quod ad sanctum Dei timorem pertinet, qui manet in seculum seculi, quo beati abundant in cœlis, canúntque certatim: *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* minimè ignorandum est, eum timorem omnis esse curæ, ac sollicitudinis expertem. Nullum quippe malum illis contingere potest, à quo sibi cauere debeant; sed reuerentiam quandam illo timore significari, quam diuinæ maiestati sancti exhibent, in cuius conspectu abiiciunt sese, animóque prosternunt, illius infinitam nobilitatem, atque excellentiam præ sua, præque omni re creata

re creata profitentes. Denique si rectè hunc timorem æstimemus, nequaquam inueniemus ab adoratione differre, quæ habet etiam timoris nonnihil, sed seruile planè nihil, etsi ea in hominibus seruili conditione natis reperiatur. Sed iam tempus appetit, vt diuini amoris sollicitudinem, sacris è lege Mosaica patefaciamus exemplis.

CAPVT IV.

Solliciti Amoris diuini exempla, ex Mosaica lege petita.

HIc ergo amor anxio timore pontificem Heli quatiebat, in magno illo Philistæo prælio, in quo duo supra triginta hominum millia de Israëlitis cecidere, in quibus duo de filiis eius Ophni & Phinees, & ipsa Dei arca deuenit in hostiles manus; hic inquam amor infelicem quatefaciebat pontificem, priusquam clades ipsa contingeret. *Erat enim cor eius*, ait Scriptura, *pauens pro arca Dei.* Ne qua scilicet ab infidelibus illi fieret iniuria, quæ in Dei qui in ea colebatur, residebátq; supra cherubinos eius, & populo per pontificem roganti responsa dabat, iniuriam redundaret. Itaque audito aduerso prælio, & magna cæde mortalium, nondum animo fractus est: accepta vtriusque filij cæde, etiam tum constabat sibi, etsi eum timor, & sollicitudo, & ætatis longinquitas totis artubus concutiebant. Ast vbi nuncius arcam Domini nominauit, *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.*

I. Sollicitus Dei amor in Heli.

1. Reg. 4. 13.

Moyses Hebræum populum diligebat, non tam quòd ex eo esset oriundus, quàm quòd is esset Dei populus, solúsque ex omnibus gentibus veri Dei cognitionem, cultúmque profiteretur; in cuius vicissim ille gratiam idētidem mirabilia opera perpetrabat. Denique quod illum sibi populum Deus commisisset instituendum, ac diuinis legibus informandum, gubernandum, & per deserta loca in Chananitidem deducendum. Pro isto itaque populo Moses continenti sollicitudine angebatur, vt pater pro filio haud bonæ indolis, qui subinde facinus aliquod edit, hominis paternam disciplinam detrectantis. Hic ergo populus cùm vitulum conflasset aureum, eique, dum Moses apud Deum in monte ieiunus oraret, diuinos honores comessabundus obtulisset, idipsum facinus à Deo ipso primùm legislator accepit, cum supremæ interminatione calamitatis, aduersus populum perpetuò ad idola prurientem. *Dimitte me*, inquit, *vt irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciámque te in gentem magnam*, magni videlicet cuiusdam populi principem.

II. Et Mose pro ipsius populo.

Exo. 32. 10.

Hic Moses omnes scrutatur vias, quibus tantæ calamitati occurrat; móxque artificiosè causam susceptam ita obliquat, vt non populi, sed

III. Post crimen vituli aurei.

Dei ipsius causam agere videatur, cuius vehementer interfit, destinata in hunc populum animaduersione abstinere. Iacturam enim facturum honoris & gloriæ, tot mirandis operibus, in educendo de Ægypto populo suo perpetratis. Fore vt Ægyptij de illius bonitate ac potentia impiè detrahant, quod eos malitiosè ex Ægypto eduxerit, vt eos inter horrentia saxa, desertósque locos perderet. Dicturos non stetisse illum promissis iureiurando firmatis, dilectis eius famulis Abrahamo, Isaaco, Iacobo: fore videlicet, vt eorum nepotes stellas cœli, & terræ puluerem multitudine æquarent, aut vincerent, & Chananæorum terras perpetuò possiderent. Quæ omnes rationes, totidem argumenta sunt Solliciti Amoris, Dei populum ab imminenti clade liberare satagentis; quem amorem Deus ipse tunc seruo suo suggerebat. Denique tam feliciter, támque studiosè causam perorauit hic patronus, vt victor euaderet, & salutem commisso sibi populo impetraret.

IV. *Mosis sollicitudo in seditione exploratorum.* Num. 14.

Plerique etiam alij incidere casus, qui sollicitum Mosis amorem pro isto populo luculenter probarunt, quos missos facere necesse est, ne cui sim longiore oratione grauis; contentus ero illum vnum memorare casum, qui in reditum exploratorum cadit. Quorum oratione audita, populus de more oblocutus est aduersus Dominum, & aduersus Moysem seruum eius; præter morem etiam flere cœpit & lamentari, quod in Ægypto non periissent. A lamentis & imprecationibus, in seditionem versi, de eligendo duce, qui eos in Ægyptum reducat, deliberant; lapidibus obruere meditantur Iosue & Caleb, qui seditionem concitatam sedare moliuntur, & certa spe victoriæ erigere desperantes. Cùm Dominus horribili fulgore apparet supra tectum fœderis, simúlque vox increpantis auditur, *Vsquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.*

V. *Ad placandum Deum.* Ibid.

Sensit Moses quanto in discrimine Hebræorum vniuersa gens versaretur, vt ipsa mox effecta docuerunt, & de Domino mitigando sollicitus, ad exploratas iam, ac salutares recurrit artes. Demonstrat ergo cum amica fiducia, præpotenti Deo non conuenire tali animaduersione vti aduersus peccatores istos; in ea de ipsius agi honore, ac fama. Ægyptios, accepto nuncio tantæ, támque generalis calamitatis, illiúsque causa non satis perspecta, offensionem animo concepturos, & tanquam de improbo facinore oblocuturos. Tantundem quoque facturos esse Chananæos, qui dudum auditione acceperant, quanta is populum suum beneuolentia quotidie, curáque tractaret: vbi postmodum intelligerent, eum tricies centena hominum millia, non secus atque hominem vnum peremisse. Dicturos eum fidem patriarchis populi huius olim datam fefellisse, quod promissa, præ imbecillitate præstare non posset. Denique non purgato populi crimine, ad Numinis mi-

ſericordiam confugit, quæ tulit vt iuuentuti infra vigeſimum annum parceretur, reliqua multitudo in ſolitudine conſumeretur. Statímque ipſa ſeditionis capita, diuina animaduerſione perierunt.

Ioſue Moſis ſucceſſor atque diſcipulus, heredem ſe quoque virtutum eius, ac nominatim ſollicitudinis pro diuina gloria, populique ſalute oſtendit. Cùm enim ab Iſraëlitis, contra vrbem Hay infeliciter pugnatum eſſet, in vltionem violati ab Achano anathematis Iericuntini, & forte fiduciæ quoque in propriis viribus, vt qui tria tantùm hominum millia ad illam vrbem expugnandam miſiſſent, contra quam Dominus mox totum exercitum mitti iuſſit, Ioſue ſummo affectus mœrore ſcidit veſtimenta ſua, & vultu in terram ſtrato, & capite puluere conſperſo, tota die coram arca Domini procubuit, vt cauſam acceptæ cladis addiſceret, & remedium quod poſſet afferret; eúmque imitati ſunt cæteri principes populi. *Et dixit Ioſue. Heu Domine Deus quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? Vtinam vt cœpimus manſiſſemus trans Iordanem. Mi Domine Deus quid dicam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies nomini magno tuo?* quod ſcilicet hactenus cunctis gentibus formidabile fuit. VI. *Ioſue item.* Ca. 7. 6. 7.

Magnum omnino diſcrimen adiere Iudæi tempore Iudithæ & Holophernis, ne is ſanctæ Hieroſolymorum ciuitati, & templo Domini faceret, quod cæteris ciuitatibus fecerat, & templis earum. Itaque *tremor & horror inuaſit ſenſus eorum*, vt ait Scriptura, & cura tanti periculi deuitandi. Et præter cæteram diligentiam, quam Eliachimi pontificis cura ſuggerebat: *clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum; & induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad Dominum Deum Iſraël vnanimiter.* qua de re ſolliciti? *ne darentur in prædam infantes eorum*, educandi videlicet à victoribus in cultu idolorum, *& vxores eorum in diuiſionem*, vt præda diuidi inter victores ſolet. *& ciuitates eorum in exterminium*, & quod caput eſt, ne ſancta eorum ſordibus idololatriæ polluerentur, & fierent opprobrium gentibus. Hanc ergo formidinem amor, & ſtudium diuinæ gloriæ ſuppeditabat. VII. *Et Hebræorum.* Iudith. 4. 7. 8.

Eiuſdem generis fuit ſancta Iudithæ ſollicitudo, quam Dominus elegerat ad facinus omnibus ſeculis, populiſque memorandum. Quid enim erat animi mulieri viduæ, inermi, ac ſine vllo ſuorum militari præſidio, mulieri, quam obnoxiam iniuriæ florida ætas eximiáque forma faciebat; quid erat inquam animi mulieri in medio hoſtilis exercitus, *cùm ſtetit an-* VIII. *Iuditha, & Eſtheris.* ca. 13. 6.

te lectum, Imperatoris eius, *orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio, dicens, Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt sicut promisisti Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.* Tantumdem de sanctissima Esthere & Mardochæo, cæterisque illius ætatis Israëlitis dici potest, cùm & Dei honos, & populi salus pari in discrimine versarentur, & illi æquè pro vtroque laborarent. Itaque gemino amore sollicitudo duplicabatur, naturali patriæ, & cœlesti diuinæ gloriæ.

CAPVT V.

An sollicitudo diuini Amoris Euangelica lege prohibeatur.

I. *Euangelium videtur reiicere sollicitudinem.* AVTOR. Matt. 6. 25. Luc. 8. 14. 1. Cor. 7. 32. 1. Petr. 5. 7. Luc. 10. 41. Ca. 4. 9.

ET hæc quidem exempla, mi Amor, ex Mosaica lege collegisti, nam in Euangelica arduum fortasse fuerit exempla reperire sollicitæ charitatis, cùm Seruator ipse sollicitudinem omnem ex discipulorum suorum cordibus prorsus euellisse videatur, quando eam, ne in rebus quidem necessariis, quales sunt cibus, potus, vestitus, ferre voluerit. *Ne solliciti sitis*, inquit, *animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Et alibi asserit sollicitudines vitæ huius suffocare sementem verbi Dei, sicut diuitias & voluptates, sic vt fructum non ferant. Quid Paulus, nónne vult Corinthios sine sollicitudine esse? Cui consentiens Petrus Christianos hortatur, non vt partem aliquam, sed omnem sollicitudinem proiiciant in Dominum, *quoniam*, inquit, *ipsi est cura de vobis*; quasi dicat eam superfluam fore, quod Dominus quoque haud obscurè significat. Quem etiam apparet parum probasse Marthæ sollicitudinem eum lautiùs accipere cupientis. Denique Paulus Philippenses monet, nihil sollicitos esse, sed satagere tantùm, vt ipsorum orationes innotescant apud Deum.

II SOLLICITVS AMOR. *Quæ sollicitudo prohibeatur.* Ca. 4. 3. Gal. 2. 10. 2. Tim. 1. 17 & 2. 15. Rom. 12. 8.

Hæc quidem scripta sunt, inquit Sollicitus Amor; Neque tamen Apostolorum, aut ipsius Seruatoris mens vnquam fuit, omnem è Christianorum cordibus sollicitudinem excludere. Nam Paulus vult Ephesios suos, vtique & cæteros Christianos, sollicitos esse, *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Et ipse se pro pauperibus sollicitum fuisse testatur, & Timothei discipuli sui sollicitudinem commendat, eámque illi præcipit. Denique præpositis mandat vt cum sollicitudine præsint. Inutilem ergo curam improbat, atque superfluam, curam nimis anxiam, & importunam, aut quæ cum diffidentia de prouidentia diuina coniuncta est. Arguit inutilem, qualis esset adiicere cubitum vnum super staturam suam; arguit superfluam,

qualis erat Marthæ ſatagentis circa plurima, cùm vnum ſufficeret neceſſitati: arguit anxiam, qualis eſt, quæ curam opprimit vacandi Deo, ac propriæ ſaluti: arguit importunam, quæ ſine cauſa præuertitur, vetat enim ſollicitudinem diei craſtini, quando ſibi ipſi ſufficit craſtinus dies. Arguit poſtremo ſollicitudinem, quæ derogat diuinæ prouidentiæ, qualis eſt ethnicorum, qni non credunt, aut cogitant eſſe in cœlo patrem, qui nouit quæ ipſis neceſſaria ſint. velitque cum humana diligentia, & labore concurrere.

Qui ſuſtulerit huiuſmodi vitia, ſollicitudinem reperiet quæ in laude ſit. Paulus vult Corinthios ſine ſollicitudine mundana eſſe, vel anxia, quæ diuinum impedit famulatum; nam ibidem illum commendat, qui ſollicitus eſt eorum quæ Domini ſunt. Quæ autem ſcribit Philippenſibus minimè trahenda ſunt in eam ſententiam, quæ placuit Euchitis hæreticis, qui corporis labore damnato, pigritiam ſuam velo perpetuæ precationis obtegebant. In quorum condemnationem Paulus ipſe gloriatur, ſe victum veſtitúmque, & ſibi & ſociis ſuis, manuum ſuarum labore conſecutum eſſe, neque gratis panem ſuum manducaſſe. Eo autem ſpectat vt anxiam eis ſollicitudinem adimat, vt vox μεριμνᾶτε requirit, in cuius rei ſignum, ſemel iterúmque inuitat Philippenſes ad modeſtam lætitiam, quæ eſt anxiæ ſollicitudinis remedium; móxque illis pacem exoptat, quæ exuperat omnem ſenſum, quámque illa ſollicitudo perturbat. Cùm autem & Petrus, & Chriſtus ipſe in mentem reuocant, Deum ſuorum maximè curam gerere, ſtudent eam nobis curam eximere, quæ fiduciæ in diuinam prouidentiam repugnat, volúntque ambo, vt cùm accurratè fecerimus quod in nobis ſitum eſt, nos diuinæ prouidentiæ permittamus, quaſi nihil egiſſemus nos, totáque res ab ipſo vno penderet.

III. *Alia eiuſdem vitia.*

Act. 20. 34. 2. Theſſ. 3. 8. 9. 10.

Et hic fiduciæ affectus maximè proprius eſt animæ diligentis Deum, quæ ſui cura depoſita, omnia Deo confidenter permittit, & omnia ex æquo læta triſtia, proſpera aduerſa recipit ex ipſius manu, certus amicum amico non niſi benefacere poſſe, niſi per imprudentiam, quæ in infinitam illam ſapientiam cadere non poteſt. Itaque non curioſè inquirit Dei de ſe prædeſtinationem aut reprobationem, vel habiturus ne ſit donum perſeuerantiæ, nec ne, ſitne nunc Deo gratus an non; Nihil ſolliciti ſitis, faceſſat hæc ærumnoſa cura: age quod tuum eſt, & permitte Deo quod ipſius eſt; age quod eſt officij ac muneris tui, & pater tuus cœleſtis non obliuiſcetur ſui.

IV. *Sollicitudo iungenda fiducia in Deum.*

Ac ne illud quidem magnopere laborat, num in grauiorem aliquam calamitatem mentis aut corporis caſurus ſit, morbi, infamiæ, paupertatis; ſed vbi operam dederit, nulli vt iuſtam offenſionem præbeat, id curat vnum, vt quidquid ad Dei gloriam poteſt, hilariter exequatur, id habet propoſitum ac deliberatum vt Dei mandata, conſilia afflatus cognitáſque dilecti ſui voluntates exequatur. Itaque dominus de illo quo-

V. *Cum quadam ſui negligentia.*

Act.13.21. & Psal. 88. 21. Psa.26.1.2.3. dam modo gloriari potest, sicut olim de Dauide, *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et ipse vice versa cum psalmographo canet, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.*

CAPVT VI.

Exempla sollicitæ Charitatis in Euangelica lege.

I. *S. Paulus præcipit sollicitudinem.* 1. Tim. 5. 8 Cap.12. 8.11

AB hac ignauorum incuria, qui se pallio diuinæ prouidentiæ obtegunt, vt otio torpescant, atque desidia, tam longè abfuit Paulus Apostolus, vt ad Ephesinum episcopum Timotheum discipulum suum scriptum reliquerit, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegasse, & esse infideli deteriorem,* ea scilicet in re, cùm infideles suorum curam gerant. Romanis quoque præcipit, vt qui cæteris præsunt, cum sollicitudine præsint, neque se ab ignauia vinci patiantur. Et reuera hanc eorum sollicitudinem alibi celebrat, cùm iubet subditos suis obedire præpositis. *Ipsi enim,* inquit, *peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ipséque de se affirmat premi se sollicitudine omnium ecclesiarum, sic vt aliorum infirmitas eum redderet infirmum, & offensione paruulorum vreretur.

Hebr.13.17. 2. Cor.11. 28.29.

II. *Eámque exercet ipse.* 1. Cor.9.19. 2. Cor.7.12.

Num is modica in sollicitudine viuebat, qui cùm liber esset ex omnibus, omnium se seruum fecerat, vt plures lucrifaceret Deo; cum Iudæis, quasi Mosaicæ legi obnoxius; cum Ethnicis, quasi lege careret, vt vtrosque à Dæmonis seruitute liberaret. Et rursum scribit se obiurgasse Corinthios in Epistola, ad manifestandam sollicitudinem suam pro ipsis coram Deo: quæ illum vrgebat, vt non semel ad eos bene longas epistolas daret, pro eis continenter apud Deum preces funderet, eos laudaret, argueret, consolaretur, obiurgaret, in omni patientia & doctrina. Denique omnia studiosè ageret, quæ à sollicita charitate didicisset.

III. *Sicut & S. Petrus.* 2. Pet.1.5.

Princeps autem Apostolorum Petrus, probè memor quanta cum sollicitudine Dominus oues illi suas commendasset, magna eas cura gubernabat, & ad meliora perpetuò promouebat, vt videre est in canonicis eius epistolis, in quibus commonefacit Christianos, vt curam omnem adhibeant in omnium acquisitione virtutum; nominatim autem fidei, fortitudinis, scientiæ, abstinentiæ, patientiæ, pietatis, & in Deum proximúmque charitatis. *Hæc enim,* inquit, *si vobiscum adsint &*

superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est & manu tentans, & ingratus, vt qui fiat immemor singularis beneficij, acceptæ videlicet *purgationis veterum suorum delictorum.* Quapropter ait concludens hunc locũ, *Fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestrã vocationem & electionem faciatis.* Petrus itaque non solùm curam gerit ipse salutis & spiritalis profectus filiorũ suorũ, sed vult ipsos quoque eiusdem sollicitudinis esse participes; ad obstruenda ora hæreticorum, qui bona opera missa faciunt, sibi de sola fide blandientes, cùm careant vtrisque. Eóque pertinet illa cæcitas, & ingrati animi crimen, quæ illis exprobrat, rectè Paulo consentiens, qui Philippenses monet, vt cum metu & tremore salutem suam operentur. cap. 2. 12.

IV. *Eiusdem cura pro magistro.*

Erat hoc quoque in Petro sollicitæ aduersus magistrum suum, totámque eius familiam charitatis argumentum, cùm imminente à tempestate naufragio, ipse cum cæteris Apostolis, & fortasse præ cæteris, vt qui feruidiore charitate flagrabat, dixit magistro, quem excitabat à somno, *Magister non ad te pertinet quod perimus?* Et in oliuetano monte amor in Dominum suum, & studium defendendi eum ab inimicis, hominem perpulit vt ferrum inuaderet, ratus fortasse hanc esse Domini mentem, qui paulò antè arma comparanda dixerat, ipsúmque sibi socium assumpserat. Itaque neque expectata permissione, neque responso, quem primùm obuium habuit ense percussit, capitis ipsius, non auriculæ auidus abscindendæ. Cúmque rursus post fugam eum Domini amor sollicitè vrgeret, à longe secutus est ipsum, vt videret quemnam res exitum esset habitura, & an se ex eorum manibus esset extricaturus, vt non semel Nazarethanorum, Scribarum, & Pharisæorum malitiam eluserat; an permissurus vt vlterius, voluntas eorum scelerata procederet. Mar. 4. 18. Ioan. 18. 10.

V. *Ioannis quoque & condiscipulorũ. Titi Episcopi.*

Eadem cura Ioannem charitásque retinuit, & dilecti magistri societatem, ad crucem vsque, sepulchrúmque persuasit. Omnes quoque discipulos sollicitus amor vrgebat, ne magistrum in Iudæam redire permitterent, vbi Lazarum excitaturus erat à mortuis, *Rabbi*, aiebant, *nunc quærebant te Iudæi lapidare, et iterum vadis illuc?* Paulus gratias agit Deo, quod pro Corinthiorum salute sollicitudinem in cor Titi iniecisset; ex quo intelligitur hanc sollicitudinem esse donum Dei: quod Sanctus quoque præcursor acceperat, & patefecit, cùm duos ex discipulis suis misit ad Christum, rogaturos essetne ipse Messias, an alius aliquis vlterius expectandus. Ioannes enim, qui se comparabat ad mortem, discipulorum curam gerebat, cupiebátque eos Christi Domini discipulis aggregare. Ergo eos ad illum mittit, & eorum dubitationem beneuolè in se transfert, ne illi dubitationem suam proferre non auderent. Nam hanc ipse cognitionem diuinitus ex vtero matris acceperat, eámque iam dudum coram populo professus erat. Ioan. 15. 15. & cap. 11. 8. Luc. 4. 29. 30 Ioan. 8. 51. 2. Cor. 8. 16. *S. Ioan. Bap.*

VI. *S. Martha*

Sanctę Marthæ sollicitudo non displicuit Christo Domino, vt non

nemo fortasse suspicari posset, sed accepta potiùs fuit. Illa enim proprij
S. Martha. nominis repetitio, haud obscurum est beneuolentiæ indicium, Martha Martha. Sic enim cum peculiari amoris sensu, Dei aut Domini nomen in Scripturis iteratur:& Dei filius dum Patrem in horto rogat, geminat Patris nomen, aitque Abba pater, siue Pater Pater. Quin & Iudas, eadem
Marc. 14. 46. in græco cordis dulcedine simulata, salutando magistro ait, Rabbi Rabbi. Eo-
Matth. 25. 11 & 7. 21. démque pertinet illud, *Non omnis qui dicit mihi; Domine Domine*, & rursum illud virginum rogantium aperiri sibi ianuam, *Domine Domine aperi nobis.* Et apparet sane Martham ne monitionem quidem illam, quamuis amicam fuisse audituram, si ab accusatione sororis, quam à meliore negotio abducere cupiebat, abstinuisset, & liberiori apud Dominum querelæ pepercisset.

VII. Cæterùm plenæ sunt Sanctorum historiæ piæ huius sollicitudinis. Ma-
S. Fœlicitatis. gnus enim Gregorius affirmat S. Felicitatem, quæ in oculis suis septem filios crudeli pro fide supplicio trucidari cernebat, tantum timuisse ne eos viuos relinqueret, quantum cæteræ matres sollicitæ sunt pro incolumitate filiorum, & de eorum præmatura morte lamentantur. Tantundem de S. Symphorosa dici potest, & illa septem Machabæorum paren-
S. Andrea. te. Sed quid dici potest admirabilius illa S. Andreæ cura, ne quo modo illi martyrium è manibus eriperetur? Propterea enim Ægeam proconsulem non molliebat verbis, sed increpabat; propterea etiam populum obtestabatur, ne martyrium suum impedirent. Et in cruce iam fixus, Deum singulari contentione animi rogat, ne se à cruce deponi patiatur, in qua cùm biduum pependisset, vitam ei dedit, quem fuerat imitatus in morte. Hæc porro sollicitudo crebrius cernitur in vsu operum, quæ dicuntur misericordiæ, aduersus eos, qui aut corporibus laborant aut mentibus; aut operum pietatis ad Dei honorem, & proximorum promouendam salutem.

CAPVT VII.

Exempla quædam recentioris memoriæ de Sollicitudine Amoris eiusdem.

I. PLACET duorum sanctorum exempla nonnulla proferre, quæ hoc
S. Ignatij sollicitudo pro Dei gloria, cum sui neglectu. ipso seculo contigerunt, & ad propositum pertinent argumentum. S. Ignatius fundator Societatis Iesu, in iis meritissimò numeratur, qui capti studio diuinæ gloriæ promouendæ, & salutis animarum, omnem sui
Ribad. an. 1541. mens. Iul. curam neglexisse videantur, in Deúmque vnum proiecisse. Dixit enim aliquando, eo ipso præsente, qui scripsit historiam, si optio sibi daretur à Deo statim emigrandi ex hac vita, & in cœlum euolandi, aut subsisten-

di in hac vita diutius, non magis salutis suæ certo ac perseuerātiæ, quàm cæteri mortales esse solēt, hāc se partem proculdubio electurum, si modò ipsi constaret se posse interea Dei gloriam insigniter promouere, posthabita præsenti gloria & periculo suo. Negabat enim vllum esse in terra principem, qui non crederet, si eximia quapiam mercede donare vellet subditum suum, quam is differri cuperet, donec insigni aliquo facinore suum obsequēdi studium domino testatus esset, qui, inquam, non crederet se obligatum ad illam cliēti suo mercedem, non conseruandā solùm, sed amplificandam etiam, quando cliens in domini gratiam se illa mercede priuasset. Ecquis ergo arbitretur optimum illum, maximúmq; cœli principem permissurum perire nobis beatitudinem, quam ipsius gratia vltrò distulissemus?

Hæc erat magni illius viri mens, hæc oratio, existimātis non id esse negligere salutem suā, aut eam quam à nobis ordinata charitas exigit curam abiicere, sed eam cum Domino feliciter commutare, itáque cū Domino pacisci, sicut ille olim cum Catarina Senensi, cui proditū est dixisse Dominum, habe curam mei, & ego tui curam geram. Tu quoque sollicitus esto quomodo mihi perditas animas restituas, & ego sollicitus ero ne quo modo perdas tuam; iniice sulcis copiosam sementem, & ego multiplicabo fructus iustitiæ tuæ. Nōne sanctus idem curam sanitatis ac vitæ suæ deposuisse videbatur, cùm sollicitus de anima amici cuiusdam sui, è cœno fœdæ voluptatis eripienda, ipse se in cœnosam ac perfrigidam demersit aquam, secus locū, perquem ille erat transiturus, vt impuræ tyrannidi seruiret. Illo ergo animaduerso à longè, sanctus inclamat. Abi infelix, abi quo te pertrahit flagitiosa nequitia, non respicies tandem fulmen diuinæ iracundiæ, quod in tuum intentatur caput? Perge si libet, dum ego cruciatu meo conabor à te iustissimam Numinis animaduersionem auertere. Substitit ille tanta charitate obstupefactus, & consuetudinem turpiter coalescentem diremit. II. *Aliud eiusdem exemplum.*

Aliud quoq; nobile facinus aggressus est idem sanctus, plenum negligentiæ corporis sui, plenum sollicitudinis salutis alienæ; hominis videlicet, quem studiorum & habitationis sociū habuerat Parisiis, eundémq; pecuniolæ eleemosynæ nomine acceptæ, & apud eum depositæ, fraudatorem. Is cùm Rotomagi in morbum incidisset, parúmq; è re familiari instructus esset, non dubitauit illius implorare charitatem, quam ipse improbissimè violauerat. Cum sancto igitur agit per literas, nūciat ægritudinē suam, opem exposcit. Ignatius autem, qui malefacta solebat rependere, atq; obruere benefactis, oblatam occasionem exercendæ charitatis arripit. Deum illi primùm precibus placat, tum plenus curæ iuuādi hominis, magno animo atque alacritate se dat itineri, quod nudis pedibus ita confecit, nihil vt penitus toto triduo cibi potúsue degustaret, eámq; Deo pœnam, pro ægri incolumitate offerret. Inuentum hominem curat, fouet, consolatur, neque prius deserit, quàm sanitati restitutum, & in- III. *Tertium exemplum.*

structum viatico, literísque commendatitiis, in patriam dimitteret, admirantem tam incensam hominis charitatẽ, qui beneficiis contra malefacta certaret, séq; ipsum vehementer incusantem, quod de tanto viro, támque singulari amico tam malè meritus fuisset.

IV. *Exemplum S. Xauerij. Tursl. l. 5. c. 2. an. 1551. mense Nouem.*

Plena fuit vita Xauerij, nobilissimi Indiarum, vltimique orientis Apostoli, mirabilibus exẽplis sollicitæ charitatis, in proximos de æterna salute periclitantes, vnicũ breuitatis causa referam, ex quo de cæteris liceat facere coniecturam. Cursus illi erat in Sinas ex vltima Iaponia, cùm die septimo atrox tempestas exoritur, quæ nauim propellit in ignota maria, ibique quinque ipsos dies densis in tenebris detinet, cũ fluctibus ac procella luctantem. Vis enim venti scapham onerariæ validè alligatam magno impetu auulsit, in qua quindecim fere Christiani, & Saraceni duo vehebantur, tantáq; celeritate rapuit, vt puncto pene temporis nusquã compararet. Nauarchus ratus actum esse de oneraria, nisi scapham recuperaret, statuit eò cursum dirigere, quò illa deflexisset. Sed illico nauis tot fluctuum voluminibus cingitur, atque vndiq; verberatur, vt tantùm non vndis absorberetur. Nautæ diuinæ matris auxilium cum eiulatu implorant. Accurrit Xauerius, & animaduerso præsentissimo naufragio exclamat, *O Iesu Christe, Deus cordis mei*, per illa quinque vulnera, quæ in cruce pertulisti pro nobis, obsecro te atque obtestor, vt miserearis nostri. Statimque nauis è fluctibus ac periculo elabitur, cum stupore vectorum omnium, & gratiarum actione.

V. *De eodem.*

Hoc vitato, aut declinato discrimine, cymba, & qui ea vehebantur, nõ leuis erat cognatorum atque amicorum luctus, ac sollicitudo: quos vt Xauerius consolaretur, ait triduo filiam ad matrem sponte rediturã; scaphã scilicet ad onerariam. Postridie vnum de turba nautica ad mali speculam conscendere iubet, & circunspicere, num qua parte appareat nauicula; quod cùm ille negasset, abdit se in cubiculum, vbi bonam diei partem in lacrymis egit ac precibus: indéque egressus affirmat scapham breui redituram, ideóque Nauarchũ rogat, demissis vt velis venientem præstoletur; quod ille facturum negat; vectores quippe clamabant satis iam expectatum, neque scaphæ calamitatem, onerariæ naufragio esse cumulandam. Hic Pater veritus ne humana diffidentia prodigium, quod Deus facturus erat irritum redderet, aliquantum moræ à Nauarcho exorat; sed cùm interea scapha nusquam appareret, & commune periculum augeretur, Nauclerus vela tolli iubet, ventísque permitti. Neque tamen hìc sollicitudo Xauerij languescit aut frangitur.

VI. *Effectus sollicitæ huius charitatis.*

Preces enim iterat, promissáque vir sanctus, & manibus in antennas impositis, nautas per Iesu Christi sanguinem obsecrat, vt modicam adhuc illi moram indulgeant. Indulgent, expectant; & dum ille feruentes iterat preces, ad speculam conscenditur, frustráque maria omnia latè lustrantur, orat speculator sibi descensum permitti, orat pater tantillũ adhuc exscensionem differri. Tantulum illud tres adhuc horas tenuit, cùm ille exclamat apparere cymbam, & ad onerariam recta ferri, ad quam

etiam mox, ſine vlla cuiuſquam opera, placidè applicuit, nullo vectorũ deſiderato: qui etiam affirmabant ſecum ſemper nauigaſſe Xaueriũ, perpetuóque à ſe in ſcapha viſum; etſi reuera è naui pedem non extuliſſet. Sed volebat Dominus illos intelligere cuius precibus, meritis, ſollicitudini vitam deberent. Nec vir ſanctus ſpe ſua fruſtratus eſt. Illud enim par Mahumetanorum, pro quorum ſalute tanta cum cura Deum fuerat hominéſque conteſtatus, oculos aperuit Chriſtianæ veritati: quam edocti, ſacris vndis abluti, abdicato prophano Mahometo, Chriſto nomen dederunt: atque ita ſollicita Xauerij charitate, illi animæ, corporiſque perniciem feliciter euaſere.

CAPVT VIII.

Sollicita Charitas Deiparæ virginis.

PAVCA illa, quæ in Euãgelica hiſtoria de beatiſſima virgine ſcripta ſunt, non exiguam materiam ſingularum virtutum ſubminiſtrant, quas inter ſollicita charitas, neque infrequens eſt, neque infimũ locum tenet. Exempla nonnulla proferam, quæ alio quoque loco, alterius occaſione virtutis, ſunt vſurpata, quod in vnam eandémq; actionem plurimæ ſæpe virtutes incurrant, quæ iucundiſſimum, & quaſi harmonicum muſicæ concentum efficiunt. Et vt ab illo colloquio ducamus initium, in quo & diuini Verbi incarnatio, & humani generis vertebatur ſalus: ea Virginis interpellatio, cùm Angelus hoc illi myſterium in ipſa perficiendum nunciaret, ſatis prodit eius pro cuſtodienda virginitate, quam Deo promiſerat, ſollicitudinem. Eius enim ſponſus, illius non contaminator erat, ſed conſeruator & teſtis; itaque modum ab Angelo ſciſcitatur, quo id negotium conficiendum ſit. *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Quorum verborum hæc videtur eſſe ſententia.

I. *Actiones virginis plena variis virtutibus.*

Non dubito equidem, quin hoc diuinum myſterium, cuius tu mihi factus es nuncius, à Deo fieri poſſit; nihil enim ſuperat illius vires, qui poteſt omnia: neque dubito fieri oportere, ſi redimendum eſt humanum genus. Sed quoniam tu me huius ſacroſancti operis mediatricem fore nuncias, & concepturam in vtero, & pariturum Altiſſimi filium, ſcire velim, quo id modo Deus perfici velit. Magnum enim video huic negotio impedimentum obſtare, ſi res humano more conficienda eſt; cùm ego quidem virum habeam, ſed pari mecum corporis animique integritate præſtantem, & præpotenti Deo ab vtroque conſecratam virginitatem ſciam. Vides ergo in Virgine ſtudiũ conſeruandi pudoris atq; illibatæ integritatis Deo dicatæ, quando ne in diuinam quidem maternitatem conſentit, cum illius detrimento. Itaque non prius auditur ab ipſa, *Ecce ancilla Domini*, quàm ab Angelo ſit auditum, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: quod erat docere conceptionem iſtam & partum, non humanæ, ſed

II. *Sollicitudo eius in nuncio incarnationis.*

diuinæ virtutis fore; nec iis minuendam matris virginitatem, sed consecrandam. Quàm probrosa est igitur hominis stultitia, qui fluxa & fœda delectatione, iacturam facit eius boni, quod sanctissima Deipara tantæ prætulit dignitati?

III. *In perturbatione Iosephi.* Postquam autem hoc diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis prodigium in sacrosancto Virginis vtero perfectum est, non minore illa sollicitudine turbata est, animaduersa perturbatione castissimi ac dilectissimi sponsi sui, quod eam vterum ferentem videret, quam nunquam penitus attigisset. Et hinc quidem Virgo angebatur, quod rem vti gesta fuerat, & quæ cum summa ipsius laude coniuncta erat, præ animi demissione vulgare non auderet, neque existimaret defensionem, ex suo ipsius ore profectam, visum iri probabilem. Inde autem angelum non habebat in potestate, qui eius innocentiam tueretur. Ergo paupercula & desolata magna sollicitudine, in sua Deique causa premebatur, vt quæ hinc iustum Iosephi mœrorem, curásque cerneret, inde periculum suum, si ab eo dimitteretur, vt quæ ægrè haberet, quo se grauida reciperet; nec posset suorum criminationes, & infamiam probabilem effugere, quamuis iniustissimam. Ergo diuinam maiestatem sollicita deprecatione pulsabat, vt præsenti occurreret necessitati, eius tamen prouidentiæ penitus permittebat sese, certa subire aduersa omnia in eius gratiam, quem vtero clausum gestabat. Hoc videlicet rerum statu misit Dominus Angelum suum, qui hoc errore Iosephũ exsolueret, & vtrumque sollicitudine permolesta. Tum demum Iosephus protinus se ad verecundantis ac renitentis sponsæ pedes supplex abiecit, suúmque illi obtulit, magno cum feruore famulatum.

IV. *In itinere Bethleemitico.* Hac tempestate transacta, breui alia exorta est. Quantam enim sollicitudinem in corde puerperæ, sua in filium charitas excitabat, cùm imminente puerperio & hyeme sæuiente longinquum iter suscipiendum esset, & se non satis rebus instructam necessariis videret, siue ad iter agendum, siue ad pariendum, fouendúmque partum. *Natiuitate.* Præterea verò itinere confecto, cùm se vel ciuium inhumanitate, vel hospitum frequẽtia cerneret ad stabulum compingi, vbi primogenitum suum, eundémq; Dominũ & Deũ suum, & mundi vniuersi regem ederet in lucem, pannis inuolueret, in præsepi reclinaret. Proh quanta cõmiseratione in filium virguncula tãgebatur, quantáq; sollicitudine, ne quid ille inualetudinis cõtraheret, in aëre perfrigido, in stabulo ventis peruio, in nocte intempesta, igne fortassis ac lumine, præterquam stellarum destituta. *Circumcisione.* Eadem mox cura & commiseratio renouata est, cùm circũcisus est puer, & sanguinem suum, primitias redemptionis humanæ, cœpit effundere, & augustissimum IESV & Seruatoris nomen adipisci.

V. *Fuga in Ægyptum.* Cura hæc non modica cepit incrementa, in angelico nuncio fugæ capescendæ, & barbaræ infidelium regionis adeundæ, ad cruentam Herodis tyrannidem deuitandam, qui puerum summo studio quæsiturus

erat ad necem. Magna ſuberat, humanitus loquendo, pauoris ac ſollicitudinis ſeges, tam genitrici, quàm nutritio parenti, qui præceptum diuinitus accepit, cum filio & matre illius quamprimum emigrandi. Etſi enim non parum remittebatur illa cura, perpetua in diuinam prouidentiam fiducia, quæ diuino inuigilabat infanti, & maturè præmonuerat, vt tutò aſportari poſſet, & monitionem ſpondebat ad reditum. Nocturnæ tamen tenebræ, in quibus conuaſandum, atque emigrandum fuit, altum ſilentium, & præpropera celeritas profectionis, & cauſæ ſunt, & indicia ſollicitudinis, quam & parentum amor ſingularis, & infantis conditio, hinc vehementer augebant, inde efficiebant, vt magno ac libenti animo perferretur.

Archelaus redeuntibus timorem iniecit, & cauſa fuit, cur dimiſſa, quam cogitabant Iudæa, Galilæam, oppidúmque peterent Nazarethanum. Sed aliquot poſt annos, puer ipſe, in quo vno tota parentum ſollicitudo poſita erat, vehementiore illos cura & dolore affecit. Qui enim timor amittendi reddiderat ſollicitos, ipſa eius amiſſio perculit acerbius, atque afflixit, dum is triduo circumquaque magno cum luctu quæritur, vt teſtatur illa vox, *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Quæ illis iuſtiſſima pudoris cauſa ſit, qui cùm Ieſum ſua culpa perdiderint, atque adeo malitioſè à ſe nonnunquam turpitérque eiecerint, tantula cum cura & dolore reconciliationem quærunt, quaſi eius amiſſio, aut receptio perexigui momenti ſit. Certiſſimo argumento exiguæ in ipſum fidei ſuæ, aut amoris, aut defectus fortaſſis vtriuſque. VI. *Amiſſione pueri duodennis.*

Nuptiæ ad Canam Galilææ charitati Virginis geminam ſollicitudinem iniecerunt: prior fuit vt maturè prouideretur pudori atque ignominiæ, in quam incurſuri erant noui coniuges, à quibus ipſa, cum filio ſuo, eiúſque diſcipulis fuerant inuitati. Ergo filium vltro adiit, vini penuriam indicauit, non ignara poſſe illũ ac velle opem ferre indigentibus; præſertim cùm ad eius benignitatẽ, matris quoq; preces accedunt; neque homines dubitare, fas eſt de ſpiritalibus ſubſidiis, eius opera obtinendis, quæ pro terrenis commodis, etiam non rogata, patrona facta eſt. Poſterior cura fuit circa conuiuij adminiſtros, quos ſapienter præmonuit, vt quidquid eis præciperet filius, ſine vlla cunctatione exequerentur. Alioqui fortaſſe crediđiſſent irrideri ſe, qui deficiente vino, aquam haurire, & hydrias ea replere iuberentur; & defectu obſequij inſigne prodigium, & tenuioris heri ſubſidium impediſſent; & inſuper cæcæ obedientiæ piis hominibus exemplum non præbuiſſent. VII. *In nuptiis gemina eius ſollicitudo,*

Addam etiam alteram diuinæ matris ſollicitudinem, quæ ad tempus mortis & cruciatuum Chriſti Domini pertinet: neque tamen circa filij perſonam ea cura verſabatur: cuius cauſa non angebatur ſollicitudine, ſed luctu ac mœrore conficiebatur: certa nihil illi poſſe cõtingere, quod ipſe non præuidiſſet multo antè, & permittere ſtatuiſſet, quo pertinebat eius illa vox, *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo.* VIII. *Et tempore paſſionis.* Ioan. 10.

Itaque mater mœſtiſſima neque ſummum pontificem, neque Pilatum, aut Herodem precibus exorare, aut mitigare aggreſſa eſt; non filij innocentiam, non calumnias inimicorum eius, malitiámque aperta in luce conſtituere: ſed neque alteri cuiquam hoc officij genus committendum putauit, quod vtique cum laude aliæ matres facere potuiſſent. Circa diſcipulos igitur filij ſui matris cura ſedulò verſabatur, quos videbat grauiſſima offenſione turbari, aut planè infidelitate corruere. Ergo pro iis ſollicitè Deum orabat, eóſque vel ipſa per ſe, vel per amicos monebat, vt proximam expectarent reſurrectionem, qua omnia, iuxta filij promiſſionem, inſtauranda erant.

CAPVT IX.

Sollicitus Seruatoris Amor in ſtabilienda fide, ac cognitione mortalium aduerſus ipſum.

I. *Deus factus homo, vt humanam haberet ſollicitudinem.* Matt. 23.37. ca. 2. v. 12. Ioan. 10.10.

NON viſum eſt diuinæ bonitati ſatis, miſericordiæ virtutem præſtantiore quodam modo habere apud ſe, ad opem hominum miſeriis afferendam, aut ſollicitudinem ad occurrendum periculis eorum, ſed ipſummet humanum affectum induere voluit, & ſenſum ipſis hominum præcordiis hærentem. Ideóque factus homo, vtriuſque argumenta dedit longè clariſſima. Sed omittamus nunc quidem miſericordiam, inſpiciamus ſollicitudinem, quam populari comparatione gallinæ de pullis ſuis ſollicitæ declarauit, vt paulò antè explicatum eſt. Nónne ipſe eſt, qui animas peccato mortuas viuificat? iuxta illud, *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Qui modò clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*: modò lacrymatur dicens, *Ieruſalem Ieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*; &, *ſi cognouiſſes & tu*, quanta te calamitas maneat, quanta pernicies impendeat ceruicibus tuis, eam vtique mecum deplorares.

II. *Quam paſſim oſtendit.*

Nónne ipſe eſt, qui de mortalium ſalute atque emendatione ſollicitus, alias ex aliis vias init, ad eos ad ſe alliciendos. Proſperis enim atque aduerſis, lætis & triſtibus, amore & metu ad ſe homines vocat, inuitat ac trahit: nunc concionatoris voce, lectione pia, arcano inſtinctu, ſeſe in eorũ corda inſinuat; nunc bonorum exemplis, nunc malorum cladibus, aliiſque innumeris modis cordis oſtium pulſat, omnem deniq; lapidem mouet, vt beatam aliquando vitam conſequantur. Qui electos ſuos à quatuor ventis, ſiue mundi partibus congregat, non vt fame emoriantur aut frigore, ſed vt calore illo vitali, & igne, quem miſit in terram, incaleſcant, & viuant. Sanentur, ait, ſudoribus meis, diteſcant meritis meis, redimantur ſanguine meo, conſolentur gemitibus meis, victoriam obtineant per certamina mea, & regnent aliquando mecum in regno meo.

Sciebat summè necessariam esse cognitionem aduentus sui in terras; quantam obsecro curam adhibuit, vt is vbiq; vulgaretur? vt omnes persecutus est vias, vt omni hominum generi innotesceret. Eam vnam ob rem nuncios cœlo misit, qui gaudium ingens pastoribus intempesta nocte vigilantibus, nunciarent. Idem impleuit diuino spiritu Simeonem sacerdotem, & Annam prophetidem, vt salutare Domini toto templo vtrique sexui nunciarent. Idem nouam stellam in oriente produxit, quæ noui regis ortum aperiret. Quin & cruentissima Herodis carnificina vsus est, vt Messiæ natiuitatem, etiam in occiduis regionibus, tanti facinoris fama loqueretur. Eandem ob causam & idola puer in Ægypto deturbauit, & eis tum alibi passim, tum in Italia silentium imposuit. Nam Augustus ab Apolline, post diuturnum silentium, oblata hecatombe, hoc denique responsum expressit. III. *Eius cura in declarando aduentu suo.*

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristémque redire sub orcum,
Aris ergo deinc tacitus discedito nostris.

Cùm autem iam vir factus esset, cœlum, terra, inferi, Deus & angeli eius, homines & dæmones eum suo vbique sermone celebrarunt. Iordanem adit, ibique dum latere inter peccatores, & tanquam vnus aliquis eorum, Ioannis Baptismo initiari cupit, ecce vox Patris æterni, qui hanc animi demissionem exaltat, eiúsque dignitatem, voce illa cœlitus emissa declarat. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Declarat & Spiritus sanctus, sub columbæ specie in ipsum delapsus, & eius animi corporisque integritatem ostendit. Quod si eum ibi segregat à peccatoribus pater, eundem in Thaboræo monte præ cæteris iustis reddit insignem, filium suum dilectum iterum vocans, præ Moyse scilicet & Elia famulis suis; data rursum illi docendi homines, gubernandique potestate, *ipsum audite.* Quod confirmabat quoque Spiritus sanctus, ibidem sub nube sublustri apparens. Quid Angeli? nónne ipsius prodidere maiestatem, cùm impletum est illud, quod suis ipse discipulis promiserat, *Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis*, quocumque tandem id tempore, locóve contigerit. IV. *Declaratur quoq; à patre ad Iordanem.* *Et in monte Thabor.* *Et ab Angelis.* Ioan. 1. 51.

Mortalium omnium primus Ioannes Baptista eum patefecit exultatione sua, cùm ambo maternis adhuc vteris tenerentur inclusi. Deinde cum se Christus in consuetudinem hominum dare cœpisset, Ioannes publicè clamabat, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Alia quoque pleráque testimonia vulgò protulit præstantiæ ac dignitatis eius, quæ Iudæis erant admodum credibilia, propter singularem Ioannis apud eos autoritatem & fidem. Scribit enim Lucas existimasse populum, & cogitasse omnes *in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus.* Sed vir sanctus non est passus eos diu in illo errore versari. Sed confessus est, in omnium oculis, etiam eorum, qui ad eum legati ea de causa venerant, V. *Et à Ioanne Baptista.* Luc. 1. 41. Ioan. 1. 15. 19. 36. Ca. 3. 15. Mar. 1. 7.

quique Christi, ac Messiæ titulum ei libentissimè detulissent, se non esse Christum. Baptizare quidem se, sed mox adfuturum multo se fortiorem ac præstantiorem, qui non aquæ, sed Spiritus sancti baptisma collaturus esset, tantóque se præstantiorem, vt se negaret dignum, qui solueret corrigiam calceamentorum eius. Cúmque eum iterum ad se venientem vidisset, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ioan. 1. 29.

VI. *Et à dæmonibus.* Marc. 1. 24. Luc. 4. 33.

Christi quoque aduentum ipsi dæmones euulgabant, nunc clamoribus & querelis, vt qui dicerent, *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos; scio quis sis Sanctus Dei.* Increpauit autem illos Iesus, iussitque obmutescere & exire ab homine; qui quamuis renitens, vnicus enim tum fuit, & exclamans exire coactus est. Vide autem inde amplificatam de Christo notitiam. *Et factus est*, ait Lucas, *pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem dicentes. Quod est hoc verbum, quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt. Et diuulgabatur fama de illo, in omnem locum regionis.* Aliàs etiam cum veneratione & honore eum patefaciebant. Cùm enim miracula sanitatũ maximè patraret, *spiritus immundi*, vt ait Marcus, *cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes, Tu es filius Dei.* Christus autem increpabat eos, & iubebat obmutescere, nolens vti eorum opera ad notitiam sui. Sed miracula, quæ maximo numero quotidie, summa cum autoritate, ac facilitate faciebat, multo certius atque honorificentius eius nomen & gloriam disseminabant: adeo vt multi de turba crederent in eum, diceréntque, *Christus cùm venerit nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Alij autem, *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Alij, *Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.*

Ca. 3. 11. *Et miraculis suis.* Ioan. 7. 31. Matt. 8. 27. Marc. 1. 27.

VII. *Quæ referebantur ad stabiliendam fidem.* Ioan. 11. 42. & c. 3. 2.

Quo autem spectabant ista prodigia? non vt miseris duntaxat bene esset, sed vt fidem faceret omnibus, in primísque Iudæis, se à Deo summa cum autoritate, atque potestate missum. Nam excitaturus quatriduanum Lazarum, in sua ad patrem oratione dicebat, *Vt credant, quia tu me misisti.* Et Nicodemus magister in Israël, *Rabbi*, ait, *scimus quia à Deo venisti magister; Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Alioqui quomodo ferre potuissent antiquari Mosaicam legem, quam sibi persuadebant fore sempiternam? Æquo illos animo ferre oportebat omnia legis sacrificia irrita fieri, sacerdotium, omnémque leuiticum ordinem abrogari, & deinceps in prophanis censeri. Templum illud, quod Deum agnoscebat authorem atque architectum, non frequentari, sed negligi; non ornari donis & multiplici anathemate, sed diripi ac disturbari: circuncisionem, cæterásque ceremonias, quæ tanto cum apparatu traditæ, diuinúsque institutæ fuerant, & vltra mille & quingentos annos floruerant, in egenis numerari, atque inanibus elementis. Gal. 4. 9.

VIII. Sed docebat insuper missus hic à Deo magister, res vulgò inauditas,

ac ne

ac ne doctoribus quidem ipsorum cognitas, & quæ humanam æstimationem, ac fidem longè multúmque superarent. In vnitate diuinæ essentiæ, trinitatem nihilominus existere diuinarum personarum, diuinitatem cum humanitate in vnam coaluisse personam; mulieris fœcunditatem cum inuiolata virginitate consistere, panem & vinum in Dei & hominis carnem sanguinémque conuerti; nec posse istius Doctoris esse discipulum, nisi qui odisset patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, atque adeo vitam, atque animam suam. Quis hic discipulus non diceret. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Sed illud quoque erat in hoc doctore acerbissimum, atque ad perturbandos omnes, qui in eum crederent, potentissimum: quod atrocissimam, atque ignominiis omnibus refertam crucis mortem subiturus erat; qua præterita eius miracula obscuraretur, doctrina repudiaretur, vita notaretur infamia, discipuli metu ac pudore dispergerentur, amici vexarentur, omnes grauissimam offensionem paterentur: vt verè præscius ipsemet horum omnium diceret, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.*

Quámque ea necessaria foret.

Luc. 14. 26. Ioan. 6. 61.

Matt. 11. 6.

IX. *Idem amplius declaratur.*

Quanta ergo fides necessaria erat hominibus, tantam vt tempestatem, tam horribilem, tam inauditam ferre possent? vt crederent hominem actum in crucem, in patibulo summo cum dedecore ac cruciatu mortuum, Christum esse, diuina humanáque natura constantem; vnam eandémque animam, summo simul gaudio affluere, & summa tristitia æstuare: eundem filium à Patre in acerbissimo animi mœrore derelinqui, & suauissima nihilominus eiusdem præsentia frui: simul in terris ab hominibus affici contumeliis, & in cœlis, ab omnibus beatarum mentium choris, exquisitissima prædicatione celebrari. Quæ fides, quæ animi constantia requiritur, vt expectatione futurorum bonorum, quæ nemo vnquam viderit, nemo audiuerit; præsentia, quæ omnibus percipiuntur sensibus, negligantur, & pro ignotis illa ferantur alacriter, quæ recenset Apostolus, *Sustinetis*, inquit, *si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cedit.*

2. Cor. 11. 20.

X. *Ipsius Christi & Euangelistarum verbis.*

Quæ cùm Seruator præclarè cognosceret, magna sollicitudine in eam incumbebat curam, vt diuinæ incarnationis fidem hominum mentibus insereret, ac validè stabiliret, tanquam bases, & arcus obnitentes spiritualis ædificij. Huc maximè, vt dixi, eius miracula referebantur, iuxta illud, *vt credant quia tu me misisti.* Ioannes Euangelista se Euangelium suum scripsisse profitetur, vt homines crederent Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes beatam illam vitam in nomine eius obtinerent. Omnia ferme Christi colloquia cum Scribis, Pharisæis, legísque Doctoribus, vel probationes erant ad stabiliendam fidem, vel reprehensiones tarditatis eorum in credendo. Et vt passim quæ patrabat miracula, fidei eorum tribuebat, in quorum gratiam edebantur, & salutem; ita defectus signorum, penuriæ fidei ab Euangelistis ascribitur.

Ioan. 11. 42. ca. 20. 31.

XI. *Christus & Apostoli maximè arguũt incredulitatem.* Nunquam seuerius locutus est mitissimus agnus Dei, quam aduersus eos, qui post tot ac tanta prodigia, vel filio Dei ipsi non crederent, vel alios etiam à fide auerterent. Itaque Paulus Apostolus, in quo viuebat Christus, atque loquebatur, ex ipsius Christi affectu inuectus est in Elymam magum, qui Proconsulem Sergium Paulum à fide auertere conabatur. Act. 13. 10. *O plene*, inquit, *omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem, vsque ad tempus.* Nec irritæ fuerunt minæ. Confestim enim cecidit in eum caligo & tenebræ, Ioan. 3. 18. & circumiens quærebat cui manum daret. Quod cùm vidisset *Proconsul credidit, admirans super doctrina Domini.* Et Christus ipse, cùm dixisset Nicodemo, missum à Deo filium suum in mundum, ad eius salutem, non ad iudicium ac pœnam, ait eos, qui in ipsum non credant, sed tenebras luci præferant, iam iudicatos esse, & in Dei prænotione æternis suppliciis destinatos. Luc. 18. 8. Hinc eius ille genitus, *filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?*

XII. *Iudæi agnoscunt Christum de stabilienda fide sollicitum.* Iudæi quoque satis indicarunt commendatissimam esse Christo Domino fidem, cùm crucifixo improbissimè insultantes dicerent, *Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*: rati nullo potentiore argumento illi persuaderi posse huiusmodi miraculum. Denique beatos pronunciat, qui in eum, quamuis auditione duntaxat cognitum, crediderunt. Mat. 27. 42. Ioan. 20. 29. Sed quorsum obsecro totus hic verborum Christi Domini, exemplorum, & rationum apparatus? Num ad venditandam falsam hæreticorum, atque arrogantem fidem, qui his omnibus in contemptum bonorum operum, quæ pessimè oderunt, abutuntur. *Fides hæreticorum.* Minimè verò; sed vt posito fidei fundamento, inædificetur diuinorum obseruatio mandatorum. Mat. 19. 17. Scriptum est enim, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ergo Seruator sapientem imitatus architectum, dedit operam vt quàm solidissimum iaceret fundamentum noui apud Iudæos ædificij, Christianæ religionis. Quo modo etiam nunc, qui Christianam sapientiam in barbaros populos atque infideles inuehunt, nihil habent antiquius, quàm vt fidem de mysteriis diuinis eorum pectoribus inferant, priusquam Christiana disciplina inducatur in mores.

CAPVT X.

Aliæ probationes sollicitæ Christi charitatis erga discipulos suos.

I. *Christus licet præscius futurorũ, sollicitus fuit.* NEMO Christianus dubitare potest Christum Dominum, dum adhuc mortalitati esset obnoxius, cognitione futurorum fuisse præditum, animóq; perspicuè prouidisse, quid cuique esset euenturũ: quæ ta-

men cognitio neq; timorem impediebat, neq; sollicitudinem inde manantē. Etsi enim homines certò sciunt se aliquando esse morituros, mortem nihilominus reformidant, & si quid sapiunt, sollicitè prouident rebus omnibus, quæ necessariæ sunt, rectè & Christianè morituris. Quin & ipse Dei filius, in peruigilio mortis suæ, pauore affectus est, vt testantur Euangelistæ, etsi clarè videbat quidquid sibi, & quo quidque modo, loco, tempore erat euenturum, non secus ac cùm res ipsa contingebat. Timor enim non solùm in malum dubium, sed in certum etiam cadit, nec in mœrorem, nisi malo præsente conuertitur.

Hanc itaque curam Seruator pro discipulis suis ac necessariis ostendit, omninóque pro tota Ecclesia Catholica, tam antè, & post cruciatus suos, quàm cùm iam maximè pateretur. Discipulos enim suos, qui mirabili quinque panum & duorum piscium multiplicationi adfuerant, lacum Genesarethanum transire iussit; magnámque noctis partem fluctibus iactari, & contrario colluctari vento permisit, dum ipse pro eis Deo supplex erat in monte. Quarta verò vigilia noctis, vt se neque eorum memoriam, neque curam deposuisse doceret, *venit ad eos ambulans supra mare*, eadémque opera ostendens, se facilè vndarum periculo ipsos erepturum, qui sibi vndas sterneret instar solidi pauimenti. Illi nihilominus tanta rei nouitate turbati, præ timore clamauerunt. At Iesus de suorum non periculo solùm, sed etiam timore sollicitus, *statim locutus est eis dicens, Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Qua voce ita confirmati sunt, vt Petrus, accepta à magistro venia, auderet ipse quoque ambulare super aquas, donec irrepente timore, mergi cœpit, & inuocato Seruatoris auxilio, didicit se illius prouidentiæ curæ esse. Apprehensa enim illius dextera, hominem secum induxit in nauiculam, & cessauit ventus, & vndæ tumultuari desierunt; Vectores autem attoniti, & ad Seruatoris sui pedes prostrati, dixerunt, *verè filius Dei es.*

II. *Pro discipulis suis tempestate iactatis.* Matth. 14. 20. 21. Marc. 6. 44.

Ab ista Domini sollicitudine proficiscebantur crebræ illæ, iugésque preces, quas pro discipulis suis fundebat, adeò vt solidas etiam noctes absumeret orando. Inde conciones ad ipsos, atque adhortationes, quarum specimen habemus, tam in eo sermone, quem in monte ad eos habebat in primis, & de præcipuis legis Euangelicæ capitibus instituebat; quàm in eo colloquio, quod vltimam excepit cœnam; in quo sollicitè Apostolos comparabat ad omnia aduersa fortiter subeunda, siue quæ iam imminebant, siue quæ postea erant euentura. Mutuum quoque inter se amorem commendabat, & labantes animos spe proximæ resurrectionis erigebat. Inde denunciatum Petro, cæterísque discipulis scandalum, & tertio iterata Simonis ex timore negatio, quæ ideo prænunciabatur, vt ille studiosius sibi attenderet, & caueret ruinam.

III. *Eísque erudiendis, ac præmuniendis.*

Et hæc quidem Seruatoris de Petro sollicitudo, minus mira fortasse videatur; ipsum enim destinarat in Ecclesiæ suæ fundamentum, in pastorem vniuersi ouilis sui, in totius familiæ suæ, vbi receptus esset in

IV. *Christi pro Iuda sollicitudo.*

cœlum, œconomum, atque vicarium, adeóque diuinæ illius regionis ianitorem; quam tamen aduersus proditorem suum curam adhibuerit, vt is respiceret se, ac resipisceret, nemo satis admirari possit. Aduersus illum, inquam, qui in magistri vitam ac famam flagitiosissimè coniurauerat, qui mox futurus erat signifer factionis, quæ illum comprehensura erat; qui denique, vt reprobus, destinatus erat suppliciis sempiternis. Quæ ergo signa sunt animi de Iuda solliciti? Principiò vt eum iusto de salute sua timore percelleret, terrificas illas edidit minas. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; nec tamen eum nominatim compellauit, vt posset integra adhuc fama, resipiscere. Secundò, vt eum insigni animi demissione sibi lucraretur, abiecit se ad eius pedes, eósque humanissimè lauit. Beneficia placant homines; præter corporeum cibum, dedit illi sacrosanctam Eucharistiam, quamuis non nescius improbitatis eius. Postremò admonitione suauissima, voluit illum ad se pellicere, *Amice*, inquit, *ad quid venisti.* &, *Iuda osculo filium hominis tradis.*

Mat. 26. 24.

V. *Et Petro negante.* Matth. 26. 68. 69.

Eadem ipsa sollicita charitas monuit Seruatorem, vt Petrum, qui proximè ipsum abnegarat, & flagitiosam negationem iureiurando, multáque execratione firmauerat, suauiter peramantérque respiceret, quamuis illo ipso tempore multa pateretur, quæ ipsum de se potiùs, quàm de aliis cogitare suaderent. O mirabilem contuitum oculorum! non contuitum, sed sagittam, quæ peruasit cor peccatoris, atque perfodit, eductúmque de media impiorum turba, ad lacrymas adegit amarissimas. *Egressus foras fleuit amarè.* Eadem charitas preces elicuit in cruce pendentis ad patrem, vt istis carnificibus, saltem ad tempus ignosceret, dum electi sui resipiscerent. Eadem discipulo matrem, matri discipulum commendauit, vt mutuas inter se partirentur curas, suísque de vtroque succederent.

VI. *Et discipulis post resurrectionem congregandis.* Zach. 13. 7. Ezech. 34. 12. 16.

Percusso pastore dispersæ erant oues gregis, in die nubis & caliginis, vt Prophetæ tanto antè prædixerant; sed illud quoque dixerant, fore, vt pastor requireret quod perierat, & quod abiectum erat reduceret, & quod confractum fuerat alligaret, & quod infirmum consolidaret. Itaque statim atque bonus hic pastor factus est rediuiuus, paterna eum sollicitudo primùm ad matrem, quàm omnium maximè dolores afflixerant, consolandam adduxit, tum ad Magdalenam, quæ luctu iuxta tumulum conficiebatur, cæterásque matronas. Nec Petri lacrymas, peccata sua abluentis neglexit. Quin potiùs voluit illum primum virorum testem fieri resurrectionis suæ, sicut & magdalenam primam inter mulieres secundum matrem, vt suum erga pœnitentes amorem proderet.

VII. *Et nominatim peregrinis ad Emaus.*

Inde discipulis duobus apparuit euntibus in oppidum Emmauntem, atque adeo se illis socium dedit, non solùm vt eorum mœrorem illum leuaret, quem probrosa magistri mors inuexerat, sed vt fidem in eis,

ſpémque labantem firmaret. Iſtam enim infirmitatem illa eorum verba haud obſcurè docent, *Nos autem ſperabamus, quod ipſe redempturus eſſet Iſrael. Sperabatis*, ait Auguſt. *non ergo vltra ſperatis, Ecce Chriſtus viuit, & ſpes mortua eſt in vobis.* Aberrabant igitur oues hæc duæ, & lupo illi tartareo prædæ patebant, niſi ſollicitus paſtor, ad opem ferendam accurriſſet, omiſſis interim Apoſtolis, quos Spiritus vnitatis, & concordiæ iam in vnum collegerat. Exigit enim ratio, vt vbi morbus vehementiùs ſæuit, eò promptiùs remedium afferatur. Et hoc primum indicium eſt, paternæ Chriſti in hoſce diſcipulos curæ. Luc. 24. 21.

Alterum eſt, quòd noluit primo ſtatim aditu ruborem reis iniicere, in manifeſta culpa deprehenſis, ne fortè inde occaſionē acciperent veniæ deſperandæ, & imitandi Iudam; aut certè obſtinatis ſe Scribis ac Phariſæis aggregandi. Ergo præcedentes ignotus aſſequitur, peramanter ſalutat, familiariter colloquitur, morbum elicit, cordis duriciem, & credendi tarditatem: vt qui neque magiſtri promiſſis acquieſcerent, cùm tertium diem reſurrectioni deſtinatum non expectarent; neque ſanctarum mulierum teſtimonio fidem haberent, licet illæ tam oculos ſuos, quàm ipſos Angelos teſtes dominicæ reſurrectionis proferrent, eáque nunciarent Apoſtolis, quæ Dominus ipſe eas iuſſerat nunciare; neque ex Apoſtolis ipſis deeſſent, qui adito ſepulchro mulieribus conciliarent fidem. VIII. *Vt eos demeritus ſit.*

Tertium indicium eſt, quod vlceris tumore ſponte patefacto, ſcalpellum confidenter infigit, cum acri reprehenſione tantæ in credendo tarditatis; itáque attentione comparata, eorum ſtultitiam arguit, qui regnum, & caduca huius vitæ bona, carniſque licentiam à Meſſia expectarent; neque viderent quàm indecorum eſſet, Deum mittere cœlitus filium ſuum, vt populus eius Epicuri vitam, & bacchanalia viueret, non vt immortali aliquando fœlicitate frueretur. Docet ergo oportuiſſe Chriſtum pati, ac vitæ huius perpeſſionibus & ærumnis, ſibi ſuiſque patefacere aditum regni cœleſtis; quod Dominus decertantium præmium eſſe conſtituiſſet. Eóque refert legiſlatoris oracula, & vaticinia prophetarum, quæ de Chriſto edita fuerant, quæ ipſe mirificè cum rei geſtæ veritate componebat, ab ipſa conceptione vſque ad reſurrectionem, à natiuitate ad mortem, à præſepio ad patibulum. Atque ita illuſtrata eorum intelligentia, & inflammata voluntate, eis ſeſe agnoſcendum præbuit, eóſque ſollicitè ad boni paſtoris ouile reduxit. Eadem enim hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, & ſociis ſeſe fidelibus hilariter adiunxere. IX. *Docuerit, ac conuerterit.*

CAPVT XI.

Singularis Christi Domini cura, de Apostoli Thomæ salute.

I. *Pro Thoma Christi sollicitudo.*

ET hæc quidem perillustria sunt indicia solliciti amoris Christi Domini; sed aliud etiam occurrit eius argumentum, in gratiam Apostoli Thomæ vsurpatum, longè illustrius, ac longè admirabilius; eóque mirabilius, quo minus ille tantam humanitatem Magistri, tantámque sollicitudinem merebatur. Fuit enim eius obstinatio in respuenda resurrectionis fide planè singularis. Primò quòd nō esset in Christi disciplina tyro, sed aliquot iam annorum discipulus, & familiaris, atque adeò vnus ex duodeno Apostolorum choro. Non erat rerum imperitus adolescēs, qui tum fortè cum maioribus suis peruicacia, atque obstinatione certaret, sed erat ætate virili, ac matura. Multa quoque iam miracula viderat, generis eiusdem, cum eo, quod præfractè se crediturum negabat. Filium quippe viduæ, ipsúmque nuper quatriduanum Lazarum à mortuis viderat excitatos. Denique in ea pertinacia non vnam hæserat, alterámve horam, sed octiduum totum.

Morosa eius pernicacia.

II. *Multipléxq; ostenditur.* Eccl. 19. 4.

Secundò morosa ista peruicacia pœna digna erat; vt quæ esset cum cæterorum Apostolorum iniuria coniuncta, quos leuitatis in credendo tacitè accusabat; iuxta illud Sapientis, *qui cito credit leuis corde est*: eáque in re hòc maiore in culpa erat, quò plures contra se testes, fidéque digniores stare cernebat. Principem Apostolorum audierat, profitentem visum à se à resurrectione Dominum; audierat discipulos duos ab Emaunte reuersos, qui longum etiam cum eo sermonem habitum referebāt, eundémque cognitum in fractione panis: Audierat Magdalenam, cæterásque sanctas mulieres, quæ eum allocutæ fuerant, & tenuerant pedes eius. Quin etiam reliquos decem Apostolos audiebat, ipsi omni asseueratione affirmantes visum à se Dominum, manuum, pedum, laterisque cicatricibus insignem; auditum semel, iterúmque salutantem, & Spiritum sanctum, in remissionem peccatorum, impertientem. Ad quæ verba ipse mox alludens, negabat se Domini resurrectioni crediturum, nisi manibus ipse suis fixuras clauorum, & lanceæ vulnus exploraret.

Matt. 28. 9.

III. *Ratione quoque ipsius Christi.*

Tertiò insignis erat ista in non assentiendo duricies, si Seruatorem ipsum, de cuius renouata vita quæstio erat, consideremus. Etenim vel existimabat eum nolle resurgere, vel non posse. Si voluntatem deesse arbitrabatur, eum mendacij arguebat, qui toties post diem tertium se resurrecturum dixerat, quod ipse quoque non semel audierat. Quod ne Iudæi quidem ignorabant, qui supplicem Pilato libellum obtulerunt, vt

iuberet custodiri sepulcrum vsque in diem tertium, *Ne fortè*, inquiebāt, *veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis.* Matt. 27. 63
Si credebat deesse potestatem, ne Deum quidem esse credebat; qui tamen alios propria potestate excitarat à mortuis: diuinæ potestati alterum altero difficilius non est. Quanquam non petebant Apostoli ab eo vt crederet propria illum virtute resurrexisse, sed resurrexisse duntaxat, siue id sua, siue aliena virtute contigisset.

IV. *Quæ huius morbi causa.* Orat. 3 de Resurr.

Hæc erat hominis ægritudo: cuius causam rectè, opinor, dixerimus fuisse timorem. Insignem enim mœrorem animi timebat, si solus ipse, ex omnibus Apostolis, excitati Seruatoris visione caruisset: maluit itaque non credendo, eo mœrore liberari. Idipsum nonnullis contingit, ait Gregorius Nyssenus, qui sibi conscij turpissimarum actionum, quibus graues meriti sunt pœnas, odio Iudicij resurrectionem tollunt. Mortalium inconsultissimi, qui non intelligunt suam vel infidelitatem vel fidem rem ipsam non mutare, multóque fore satius tutiora consilia sequi, in re præsertim tanti momenti, in qua salus æterna vertatur. Thomas autem credidit etiam fortasse, illum non vltra deinceps à quoquam visum iri, aut potiùs certus bonitatis eius, & curæ suorum domesticorum, voluit illum ad nouam familiæ suæ, aut sui ipsius seorsim visitationem compellere.

V. *Dei Charitas præ humana mirabilis.*

Qua in re minimè falsus est aut spe, aut opinione sua, & felicior quàm sapientior fuit. Neque enim bonus magister tanta offensus peruicacia, hominem abiecit à se, ac deseruit propositi sui tanto tempore, & contra talia fidei argumenta, tam tenacem. Deseruissent vtique vulgò, quorum charitas minor, atque intolerantior est, quam vt huiusmodi proximorum molestias, ineptiásque deuorare possit. Sed alia Dei est, alia hominum misericordia. *Languor prolixior*, vt ait Sapiens, *medicum grauat*, sic vt tædio affectus, deserendi hominis causam probabilem inquirat. At ægri mater neque labore fatigatur, neque tædio frangitur, sed contra morbi peruicaciam pertinaciter pugnat. Ille phrenetide amens multa insipienter facit, adeò vt matrem manu pulset, aut despuat: quæ tum maximè commiseratione mouetur, non ignara filium suum, si mentis compos foret, mortem subiturum potiùs, quàm talia cogitaturum. Sic Christi Charitas nonnunquam iniuriis lacessita crescit: vt cùm misertus est Pauli, eo maximè tempore, quo is minas spirabat & cædes aduersus Dominum, & aduersus seruos eius. Genesius quoque mimus eo potissimum tempore suauissimam Dei sensit manum, fidem accepit, ac fortitudinem martyrio necessariam, quo in publico theatro Christum, Christianámque religionem deridebat.

Eccl. 10. 11

Iniuriis lacessita crescit. Act. 9.

VI. *Christus se voluntati Thomæ accommodat.*

Occurrit & aliud in hac Thomæ causa, quod paternam Seruatoris in eum sollicitudinem vehementer amplificat: quod ad morbum discipuli curandum, magister & medicus, ad omnem, quamuis iniquam conditionem descendit. Placet rem colloquio cum ægro, & percunctatione

illustrare. Age Thoma, qui te crediturum negas, nisi digitos inferas in aperta clauorum foramina, non ignoras Domino tuo multas subesse vias, quibus te adducat ad resurrectionis fidem. Si ergo illi visum esset Angelum ad te mittere cælitus, qui eius resurrectionem testaretur, nónne Angelo fidem haberes, qui hominibus non credis? *Non credam*, inquit. Quid si mater sanctissima Seruatoris, eum resurrexisse asseueret, visum à se, & diuturno complexu colloquióque detentum testetur? Falli potuit, inquit, *non credam*.

VII. *Pro eximia salutis eius cura.* Sed age obsecro, Thoma, si veniat ad te magister tuus, sic vt eum quidem non videas, audias tamen, & liceat notas audire & reddere voces, quid facturus es? *Nisi videro non credam*. Videbis ergo eum hisce oculis tuis, & auribus percipies verba eius, nunquid hoc satis erit ad extorquendam à te fidem? Non erit satis, inquit, *nisi misero manum meam in latus eius, non credã.* O Thoma quàm parua est fides tua, quàm magna est obstinatio tua. Et tandẽ audis, *fiat tibi sicut vis.* Proh quanta est bonitas Magistri tui, quàm mirabilis sollicitudo pro salute tua! Nónne videtur Dominus eũ beneficentissima charitate obruere voluisse, qui pro serui arbitrio, vt ei benefaceret, ad omnem conditionem, legémque descenderit? quod illustrius solliciti amoris argumentum fingi possit?

VIII. *Eumque denique curat.* Accepit ergo Dominus quamlibet à famulo suo propositam conditionem, & illius arbitrio penitus acquiescens, ad eum venit post octauum diem, egitque cum eo in hunc fere modum. Ratio postulabat vt discipulus Præceptoris acquiesceret voluntati. Sed quoniam eò ventum est, vt necesse sit Dominum famuli sui arbitrio accommodare se, Age Thoma, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Hic videlicet tam singularis, támque sollicitus amor fecit de incredulo fidelem, nec adhibita quam postulauerat tangentis experientia, magna cum fide clamorem illum, & confessionem elicuit, *Dominus meus, & Deus meus.*

CAPVT XII.

Indicia quædam solliciti ac prouidi Christi amoris in Ecclesiam suam.

I. *Christi pro Ecclesia cura eius oratione monstratur. Ioan. 17.* PRINCIPEM obtineat locum cura Seruatoris commendandi Ecclesiam suam æterno Patri, eo maximè tempore, quo se comparabat ad mortem, & tradendus erat in barbaras inimicorum manus. Quo videlicet modo patres familias è viuis abituri, solent commendare familiam suam iis, quos maximè dilexerunt, quique hoc vicario parentis munere rectè fungi possunt. Quoniam verò salus totius corporis ex capite

pendet,

pendet, in primis Deo commendat discipulos suos, qui Ecclesiã, quasi capita quędam gubernaturi erant. *Ego pro eis rogo*, inquit. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Et mox, *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Et infra. *Ego dedi sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Sanctifica eos in veritate, & pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Et deinceps, rogat pro reliquo Ecclesiæ corpore. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti.* Hæc atque his similia tunc orauit Seruator, & sæpè alias, quæ colligere licet, tam ex hac ipsa oratione, quàm ex paterna parentum in filios suos sollicitudine. *Ioan.17.9.*

II. *Et constituẽdo vicario suo.*

Numeremus secundo loco egregiam Seruatoris prouidentiã in constituendo visibili capite Ecclesiæ, qui eius in absentia corporea locum teneret, in eóque decorando, ac locupletando iis gratiarum ornamentis, quæ Ecclesiæ secundum Deũ principem decerent, fide, prudentia, charitate, demissione animi, patientia, zelo animarum, cæterisque virtutibus. Quanta illi cum cura & verborum apparatu commendauit gregem suum. Semel, iterum, tertiò de illius in se amore percunctatus est, eò spectans, vt ipsius in magistrum amor, in omnes, qui ad ipsum spectarent, diffunderetur: eorum vt curam gereret, vt ouium pastor, vt impuberum tutor, vt hæredum regni cœlestis curator, vt primarius militum suorum imperator, vt discipulorum suorum magister & doctor; Deniq; vt dux certissimus in via salutis æternæ, quando studiosè prouidit, vt in tradenda fide Catholica, bonisque moribus edocendis errare non posset.

III. *Instituendisque Sacramentis.*

Occurrit tertio admirabilis Seruatoris cura & prouidentia, in Ecclesia Catholica rebus omnibus instruenda, institutione diuinorum Sacramentorum, siue eam consideremus vt spiritalem quandam Rempublicam, siue vt instructum ad pugnam exercitũ, qui inimicam aciem haud longè habet obiectam. Primùm igitur necesse est florentem Rempub. numero ciuium abundare, à quibus decus accipiat & firmitatem. Baptismus dat homini ius diuinæ illius in cœlo ciuitatis, ciues enim sanctorum efficit, & domesticos Dei. Leges, mores, & instituta Reipublicæ tenenda, probanda, ac tuenda sunt, aduersus eos, qui verbis illam factisve impugnant. Nam pro illius defensione etiam vitam ponere gloriosum est. Confirmationis Sacramentum, Christianum in fidei professione confirmat, robúrque tribuit ad eam, cum certo vitæ discrimine, defendendam, aduersus hæreticos, cæterósque infideles. *Ecclesia spiritalis Resp. Baptismi.* *Confirmationis.*

IV. *Pœnitentia.*

Necessarij sunt in Repub. medici, chirurgi, pharmacopolæ, qui industria præditi, studio & experientia edocti, ægris pharmaca & medicamenta dispensent, quibus recipiant vires, ac sanitati restituantur. Pœni-

tentiæ Sacramentum ſpiritalibus animarum morbis occurrit, tanquam officina nobilioribus referta pharmacis, quam quæ ex Indiis aut Molucis huc inuehuntur, habétque ſpiritales medicos, ſacerdotes doctrina & vitæ probitate præſtantes, qui animorum morbo laborantibus faciant medicinam. Opus habet ciuitas cellis & horreis, & omnis generis apothecis, quibus vina & frumenta, cæteráque vitæ neceſſaria recondũtur, quæ ciuibus vſui ſint atque peregrinis, & pauperibus, qui non ſolùm de die, ſed etiam in diem viuunt. Verbum Domini, maximéque Euchariſtiæ myſterium, cibi ſunt animorum, qui neque deficiunt vnquam, neque conſumuntur, quibus diuites & pauperes, iuuenes & grandes natu, viri fœminæque toto anni tempore nutriuntur,

Euchariſtiæ.

V. *Ordinis.*

Reſpub. indiget magiſtratibus, cum iudiciaria poteſtate, qui in legum obſeruationem inuigilent, & populum ex earum præſcripto gubernent, lites dirimant, præmia meritis diſtribuant, in ſontes animaduertant. Sacri ordines Eccleſiaſticos inſtituunt magiſtratus, & legitimam eis poteſtatem præbent, vt animas peccatis ſoluant, ſacroſanctam conficiant Euchariſtiam, Sacramenta populis adminiſtrent, cenſuris percellant peruicaces, totum denique corpus Eccleſiæ ritè ac ſapienter adminiſtrent. Legitima connubia publicæ rei maximè neceſſaria ſunt, pernicioſæ vagæ libidines, maximéque omnium adulteria punienda. Incertam enim efficiunt prolem, eique parentum amorem, & educandi curam eripiunt, atque adeò ſollicitudinem aliquid eis acquirendi & conſeruandi, quæ certiſſima eſt ad interitum rerum publicarum, quamuis potentiſſimarum, via. Matrimonium in Eccleſia non ſolùm ciuilis contractus, ſed Sacramentum etiam eſt, in quo gratia coniugibus confertur, felicem vt prolem, ſanctámque ſuſcipiant, quæ terras coloniis, cœlúmque frequentent, vt probam eis educationem impertiant, vt pacificè viuant, vt mutuo diligant, vitent inconceſſa contubernia, ſéque viciſſim, ad vitæ huius ærumnas tolerandas, iuuent.

Matrimonij.

VI. *Et ſupremæ vnctionis.*

Denique homines in Repub. bene conſtituta, quando ex hac vita emigrandum eſt, egent auxilio extraordinario, vel neceſſariorum, vel magiſtratus ipſius, vt vniuerſæ familiæ rectè vtilitérq; prouideant; ſæpe enim, corpore animóque ægrotatione debilitati, minus idonei ſunt ipſi per ſeſe, ad illam prouidentiam. Supremæ vnctionis myſterium, poſtremum eſt auxilium, quod filiis ſuis impertit Eccleſia, quo animi, in vltimis morbi moleſtiis, ipſáque etiam corpora interdum iuuantur: peccatorum reliquiæ deterguntur, robur additur ad formidoloſas mortis anguſtias fortiter peruadendas. Qui ergo tam vtiliter ſapientérque proſpexit Eccleſiæ ſuæ, corpori ſuo myſtico, & Reipub. ſpiritali, nónne apertè patefecit, quàm ſollicita eſſet ipſius erga illam prouidentia, quantámque pro eiuſdem ſalute curam ſuſcepiſſet?

CAPVT XIII.

Christum Ecclesiæ suæ, quasi instructissimo exercitui solliciè prouidisse.

INSPICIAMVS nunc hanc ipsam Christi Ecclesiam, vt fortissimũ, rebúsque omnibus instructissimum exercitum: in sacro enim sponsæ Cantico dicitur *terribilis vt castrorum acies ordinata*. Ad comparandum & conscribendum exercitum Princeps conuocat duces suos, iubétque classicum cani, tympana concrepare, militem ad signa euocari. Christus collegit Apostolos suos, eósque iussit cœlestem Euangelij doctrinam Iudæis primùm, tum cæteris gentibus nunciare: omnes inuitare, ad cœli prouinciam vi & armis obtinendam, profligandum Sathanam, eiúsque teterrimum, crudelissimúmque dominatum. Scribuntur nomina profitentium militiam, eique sese obligant Sacramento, fidem vt principi, duci obedientiam præstent. In baptismate Christianus inscribitur exercitui Seruatoris, ei spondet iureiurando fidelitatem, & Ecclesiæ prępositis obedientiam; eius autem inimicis, dæmoni & mundi pompis, inimicum se fore pollicetur; simúlque aqua renatus & Spiritu sancto, omnibus peccatis, emundatur.

I. *Ecclesia castrorũ acies.* Cant. 6.3.9.

Miles armatur ad pugnam, & ab Imperatore animatur, vt fidem suam & gloriam eius quouis periculo, ipsáque morte antiquiorem ducant, immobiles consistant, & in vestigio, aduersis concisi vulneribus, animas ponant. Confirmationis sacra vnctio suppeditat vires, ad forti animo profitendam fidem, in oculis tyrannorum, infidelium, & hæreticorum: ipsúmque animum Christiano militi subleuat, vt excelsa mente, erecta ceruice, exporrecta fronte non dubitet in rotam equuleúmque conscendere; non aliter quàm adiret festas amantissimorum hominum celebritates. Debent militum vulnera curari diligenter, sunt enim certamina sæpe non incruenta. Itaque necessarij sunt in acie chirurgi, omnis generis instructi pharmacis, & vniuerso curationis instrumento. Dum miles Christianus stat in acie contra Sathanæ, mundi, & carnis insultus, non raro vulneratur; impositis vulneribus medicinam faciunt, in Sacramento pœnitentiæ, Sacerdotes; & sanitati restituitur vt iterum, ac tertiò, sæpiúsque pugnare possit.

II. *Eique vt exercitus prouisum.*

Nisi militi annona suppeditetur, totis sæpe castris sine missione discedìtur, neque hostiles solùm agri, sed amicorum quoque populationi ac prædæ patent. Ergo constituuntur apothecæ castrensis commeatus, annonarij præbitores, aliique militiæ administri; maximè autem ne desit cibarius panis. Christianus miles præter diuini verbi cibum,

III. *Per Sacramenta.*

Eucharistiæ, Ordinis. quod in sacris passim ædibus auribus insonat, cibo etiam fruitur augustissimi Sacramenti, quod & quotidianus est panis, & primarius, & manna diuinum, factum ad omnem saporis suauitatem. Exercitus ducibus indiget exercitatis, qui plura stipendia cum laude confecerint, quorum constet superiorem inter atque inferiorem mutua ratio, ne qua inter ordines perturbatio contingat. Ordo sacer triarios habet, quos centuriones constituit ac tribunos, presbyteros, inquam, ac præsules, cum superiore aliquorum tum inferiore iurisdictione; vt honestè omnia, & se-
1. Cor. 14. fi. cundum ordinem fiant, vt iubet Apostolus, & Ecclesiasticis legibus & institutis clerus, populúsque temperetur.

IV. *Matrimonij.* Veteranæ legiones tyronibus in album referendis supplendæ sunt, qui demortuis, aut emeritis paulatim succedant. Id ipsum fit in Ecclesia per varios ordinum gradus, quos matrimonium fœtu semper nouæ prolis amplificat. Effœti senio milites perpetuo stipendio aluntur in arcibus & præsidiis, quæ regni fines tutantur, donec contigerit
Extremæ vnctionis. morte defungi. Christianus miles morte imminente, viatico sustentatur, & suprema vnctione fouetur, vt hinc facilius emigret, tributo, quod omnis Adami posteritas morti debet, ritè persoluto. Quî ergo rem Ecclesiasticam, quasi castrensem tam accuratè dispensauit, omnibúsque vitæ incommodis studiosè prouidit, nónne sapientissimam mortalibus charitatem, & plenam paterna sollicitudine demonstrauit?

V. *Christi cura in Sacramēto pœnitentiæ.* Vides quàm leui brachio perstringam istos Sacramentorum thesauros, vt pene me pudeat ieiunitatis. Nihilne sim molestus, si quid addidero de pœnitentiæ Sacramento? Quî potes, inquam, qui & non pœnitenda dicas, & auditorem habeas harum deliciarum ieiunum atque ap-
AVTOR. petentem? Animaduerte igitur, ait Sollicitus Amor, Seruatoris in hoc
AMOR SOLL. reconciliationis Sacramento sollicitudinem. Quid enim est quouis loco ac tempore paratam exhibere peccatoribus medicinam, quam sic ægrotum affari. Etiam atque etiam vereor ne quis te morbus opprimat improuisò, ne qua desperatio ianuam tibi salutis obstruat; ne si distulero veniam, dum tu peccata peccatis accumulas, ita pondus eorum augeatur, vt te præcipitem detrudat ad inferos. Itaque accurre ad me, ô peccator, quotiescumque libuerit, paratus sum ruere in amplexus tuos, & peccata ista exterminare. Nolo materna charitate vinci bonitatem meam; nam mater toties sollicitè filio suo medicinam facit, quoties ille fuerit inualetudine tentatus. Nulla mater est, quæ mecum certare queat in studio salutis tuæ.

VI. *Ex admirabili bonitate* *Quàm bonus Israel Deus*, etiam peccatoribus, *qui non recto sunt corde*! quàm amabilis etiam filio prodigo pater! ô diuinus amor,
Psal. 72. 1. tam dignus sollicitè conseruari, quàm tu sollicitè prouidisti, vt gra-
Eccl. 5. 5. tia tua tam sæpe, támque facilè recuperari posset. Voluisti tu quidem, vt

de propitiato peccato non essemus sine metu, sed noluisti quoque vt de non propitiatis desperatione frangeremur. O mirabilis Seruator, demiror ego profectò consilium tuum! liceat obsecro dicere licentius, quod bonitatem amantissimi cordis tui, infinitæ sapientiæ tuæ anteferre videatur. Demiror, inquam, te Principem tanta sapientia, prudentia, maiestate, amorem istum tam castum, tam religiosum, tam sanctum hic cum filiis hominum permiscere voluisse, filiis hominum, reuera pueris inconstantissimæ voluntatis, ac beneuolentiæ, quæ in horas singulas, ac momenta mutatur, non secus ac decurrentes aquæ, aut pinnulæ ventorum indices, locum celeriter mutant turbida tempestate. *Et amore erga homines.*

VII. *Quamuis mutabiles, ac leues.*

Quid opus erat istis protheis atque euripis intricare amicitiam tuam, qui aiunt negant, volunt nolunt, donant subinde, ac donata repetunt, & perpetua amicum sollicitudine distendunt. Eadem tibi tela identidem texenda ac retexenda est, non cum iis modò qui amicitiam tecum initam sæpè conglutinant, ac repente præcidunt: sed cum illis etiam qui nullo quidem amicitiam crimine violant, sed in multas quotidie dilabuntur ineptias, eorum quidem consentaneas infirmitati, sed quæ plurimum tuam dedeceant maiestatem. In beatis illis sedibus, quæ sunt omnis inconstantiæ, & mutabilitatis expertes, tibi potiùs, qui nulli mutationi subes, collocandus ac defigendus est amor tuus, nullo vt casu deinceps aut pereat, aut languescat. Patrem profectò, patrem egisti humanissimum atque optimum, qui filios diligit, quia filij sunt, qualescumque tandem illi sint; qui, ne si quinquaginta quidem domi habeat, vnius interitum facilè ferre queat: quin omnes potiùs curat, omnium se ingenio moribúsque studiosè accommodat, vt eos ad omnem fingat honestatem. Tu quoq; neminem perire vis, omnium curam geris, omnes muneribus ornas tuis, & optas ad eximium sanctitatis gradum, ac beatitudinis peruenire. *Paternus Christi amor.*

VIII. *Et sollicitudo pro Ecclesia.*

Parentes pro liberis continenti sollicitudine tenentur, præsertim si quando in familiam suam quæpiam incubuerit aduersa tempestas. Eos enim tum crebro inuisunt, aut moras cum iis diuturnas trahunt, monent, animant, consolantur, & omnia boni parentis officia cumulatè explent. Quomodo se olim gerebat Seruator, cùm sub initia nascentis Ecclesiæ, eam quaterent variæ atque atroces à mundo, & cacodæmone tempestates? Quoties Apostolos ac discipulos suos, modò seorsum singulos, modò coniunctim vniuersos amantissima visitatione recreauit? Itaque tum in Iudæa, priusquam à se inuicem disiungerentur, tum postea, cùm sparsi per omnes mundi plagas, Euangelium nunciarent, vt scriptæ ea de re historiæ fidem faciunt. Visus est protomartyri Stephano stare ad patris dexteram; nimirum ad opem martyri ferendam paratus. Visus est Petro, Paulo, Iacobo, aliisque sanctis martyribus, tum maximè eum præ rerum aduersarum pondere grauiter afflictarentur. *Matt 7. 55. 1. Cor. 15. 7. 8.*

XI.

Neque verò Seruatoris amantissimi sollicitudo satis habuit laboran-

Cui semper adest. tibus suis adesse per vices; continentem Ecclesiæ suæ præsentiam largiri dignatus est, quamuis non aspectabilem, neque tractabilem, vt vna ex
Matt. 28. 1. parte non deesset auxilium, ex altera adesset, quo exerceretur fides. Præsentiam autem istam concessit non ad exigui spatium temporis, sed ad vltimam vsque mundi huius periodum; Ibi autem eos nutrit, roborat, consolatur, docet, monet, castigat, obruit denique suorum magnitudine meritorum. Sed illuc redeo.

X. *Et quam ostendit in Pauli conuersione.*

Fuitne obsecro exigua illa gratia, & prouidentiæ Seruatoris, paternæque ipsius sollicitudinis argumentum, cum Iudæis, teneram adhuc & vix coalescentem Ecclesiam animosè vexantibus, illud ipse certamen infregit; hebetiores quidem certè reddidit eius aculeos, Saulo illis erepto, qui inconsulto pro lege Mosaica zelo, maximè omnium æstuabat, qui Christi Domini nomen execrabatur, famulos eius cateruatim coniiciebat in vincula, qui vrbes & oppida vicatim obibat, *Spirans minarum & cadis in discipulos Domini*, summorum sacerdotum furorem in eos omni ope exacuens, atque accendens, vt Christi nomen, familiam, doctrinam penitus extingueret, si quo modo posset. Nec contentus pius pater, hostibus suis Iudæis illum eripere triarium, aut cataphractum potiùs ducem, infesta eius in illos ipsos arma conuertit, actorem in patronum, vexatorem in protectorem, vas iræ in vas electionis mutat. Eum humi præcipitem affligit, vt sublimem in tertium cœlum euehat; eum triduò obcæcat, vt cœlesti luce perfundat, cibo hìc priuat & potu, vt illic nectare ambrosiáque pascat. Denique qui ciues sanctorum, & domesticos Dei multum vexauerat, factus est spectaculum patientiæ, Deo, angelis, & hominibus: iuxta illud Oraculum. *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

(Margin: Act. 9. 1. — 1. Cor. 4. 9. — Act. 9. 16.)

XI. *Et alias, in varijs Ecclesiæ vexationibus.*

Nec minus postea res contra Ecclesiam turbulentæ extitere; eóque turbidiores, quò & hostis potentior, & longinquior diuturnitas iniquissimæ tempestatis; siue hæreticos memoria repetas, siue tyrannos. At nec vicissim minor cura fuit, nec minus insignis prouidentia capitis eius, & principis; primùm in fidei puritate, atque integritate doctrinæ Catholicæ contra pestilentissimas hæreses conseruanda, in ore Principis Apostolorum, ac successorum eius, ipsos iam mille ac sexcentos annos; quorum plerique doctrinæ, virtutúmque præstantiam, martyrij gloria coronarunt. Deinde in eadem Ecclesia contra portas inferorum sustentanda, contra Nerones, inquam, & Traianos, Domitianos & Diocletianos, aliósque potentissimos, ac ferocissimos Imperij Romani principes, qui cùm orbi dominarentur vniuerso, eò potentiam omnem, industriámque conferebant, nomen vt Christianum funditus extirparent. Contra importunissima multorum ab Christi vicario diuortia, & periculosissima diuturni temporis interregna; contra bella ciuilia & barbararum gentium furorem, à quibus Roma sæpè vi capta & direpta est,
Greg. 9. Fedei, der. 1. totáque Italia latè flammis ferróq; fœdata; illiúsque elogij veritas comprobata est, *Fluctuat, at nunquam mergitur ista ratis.*

CAPVT XIV.

An Dei in suos Amor sollicitus esse poßit.

ETSI sollicitudo Charitatis est proles, eam tamen perpetuo comitari non potest, nec cadere valet in quodcunque personarum genus, minimè autem in Deum. Quî enim fieri potest vt in Deum, ipsum beatitudinis fontem cadat, cùm nuper dictum fuerit à nobis, sanctos, qui diuinam duntaxat beatitudinem participant, esse curæ, & sollicitudinis expertes: ipsúmq; Dei filium factum, esse hominem, vt humanam sollicitudinem experiretur. Quî obsecro in eo cura & sollicitudo reperiatur, qui neque vllius rei iacturam timet, neque vllius rei acquirendæ sibi, alteríve desiderio angi potest, vt qui apud se, & ex seipso habeat, quidquid rectè amari aut desiderari potest, & quem nemo impedire potest, quo minus cuilibet, quantum quóque modo videbitur, largiatur. Habet enim in manu sua potestatem omnem rerum, quæ cœlo, terráve, aut inferis etiam continentur, quæ nullam penitus habent ad agendum facultatem, sine primæ causæ concursu; quem inhibere ipsa cùm libuerit, ac sustinere potest.

I. Deus sollicitus esse nequit. c. 3. n. 3. 4. ca. 9. n. 1.

Rectè tu quidem ista, mi Amor; neque tamen arbitror esse sapientiæ ac modestiæ tuæ, Regij Prophetæ improbare sententiam, aut orationem emendare; præsertim quam tibi instar elogij assumpsisti. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Ac ne Petrum quidem Apostolum corrigere par est, qui serio commonefacit Christianos, vt omnem sollicitudinem suam in ipsum proiiciant, *quoniam*, inquit, *ipsi cura est de vobis.* Recta ratio ac fides condemnat quorundam antiquorum philosophorum temeritatem, qui Numini prouidentiam, & rerum humanarum curam adimebant; & è contrario docet Deum non solùm vniuersis, sed etiam singulis consulere ac prouidere. Nimirum æquum est eum, qui rebus dedit vt essent, dare etiam vt conseruentur, & ad destinatum illis finem progrediantur, amotis quæ incurrunt impedimentis. Sed quid philosophiam morer, cùm liceat audire Sapientiam? *Pusillum*, inquit, *& magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.* Neminem videlicet excludit à sua prouidentia, & ex æquali sapientia & bonitate, potentium & tenuiorum curam gerit: præsertim cùm ne passerculus quidem cadat in terram sine patre nostro, à quo ipsi etiam capilli capitis nostri omnes numerati sunt, vt docuit vnigenitus eius.

II. AVTOR. Licet ei Scriptura eam tribuere videatur. Psal. 39. 18. 1. Pet. 5. 7. ca. 6. 8. Mat. 10. 29.

Absit à nobis, ait Sollicitus Amor, vt vel sacras literas emendare, aut diuinam prouidentiam negare velimus, dicimus nihilominus de prouidentia, quod supra iam attigimus, de diuina misericordia, quam in Deo esse constat, quòd ad effectum subueniendi miseris, non quod ad illum

III. SOLLICITVS AMOR. Quia eius effectum habet.

affectum, quo cientur corda hominum, & cum miseris patiuntur. Effectus enim ille cum Dei potentia rectè congruit, hic autem affectus infirmitatis est index. Idem de hac sollicitudine proportione dicendum est. Est enim ea sollicitudo motus quidam timoris in anima, quæ laborat vt rei dilectæ prouideat, procurandis ei bonis, & auertendis malis. Timidus hic motus in Deo esse non potest. Neque enim de re aliqua laborare, aut angi potest, quod infirmitatis est, quæ cum infinita Dei potentia pugnat, neque dolore tangi, quod summæ ipsius felicitati aduersatur. Amor autem personarum in eo est, & voluntas prospiciendi saluti eorum, auertendi mala, & auferendi; quæ deinde temporibus efficiuntur suis. Et ita Scripturæ verba interpretanda sunt, quæ se nostro loquendi, atque intelligendi modo prudenter accommodat; quod ipsum nobis, si ab omnibus intelligi volumus, faciendum est.

IV. *Et eam ipse curam parentibus dedit.* Hanc ipsam Dei sollicitudinem illud etiam probat, quod non solùm ipse se patrem vocat, & matri nostræ se confert, sed etiam quod parentum cordibus, qui apud liberos suos Dei vices gerunt, sollicitum amorem, & sollicitudinem instillauit; præsertim cùm adhuc tenelli sunt, vt ne quid eis desit, néve quid noceat. Quin & ingeniosè diuinant cur plorent, quare egeant, quáve offendantur, vt eis cum cura prospiciant: quæ illuc vel maximè fertur, ne animæ priùs ex illo hospitiolo migrent, quam nouam Christi natiuitatem consequantur, & eius corpori mystico inserantur. Eadem cura in parentibus perseuerat, & si quando progressu temporis, sicut & necessitas ipsa minuitur; nunquam tamen planè deponitur, donec de eis ratio reddita sit ipsi Deo. Sic & angelus cuique à Deo custos destinatus, hominem nunquam planè deserit, donec eum diuino tribunali sistat, interímque, ex Dei præscripto, parentum sæpenumero partes, negligentiámque supplet.

CAPVT XV.

Eximia Dei cura malorum à nobis auertendorum.

I. *Duo capita huius diuinæ sollicitudinis.* NEGAVIMVS hanc Dei curam in quopiam motu corporeo esse positam. Spiritus enim est, neque sensiles aliquos affectus, corporeósne recipit. Inest in eo tamen beneficentissima voluntas erga amicos suos tam munerandos, in quo est liberalitas, quàm improuisis eorum casibus auertendis, vt bonorum, quæ ipsis præparauit, participes fiant; in quo est ea sollicitudo, de qua suscepta est ista disputatio: nam liberalitatem diuini amoris iam dudū Liberalis Amor explicauit. De malis porro à quibus eximit homines diuina prouidentia, infinita oratio est, vix enim vllo numero continentur; ea tamen ad tria capita reuocare placet. Primùm ad ea mala, quæ à nobis ipsis, tum quæ à dæmone, postremò quæ

Bellar. l. 6. de amiss. gra. c. 8. & seqq. & Lessius l. 11. de Pers. c. 7.

quæ ab externis causis corporeis proficiscuntur, quæ sunt omnia effecta peccati, quibus tantum mali in res humanas inuehitur, vt nisi plerisque illorum diuina prouidentia occurreret, omnia in terris susque déque voluerentur, ac pessum irent. De singulis hisce malorum capitibus dicamus aliquid.

Principiò trahunt homines ex materno vtero, cum culpa originis, tantam propensionem ad peccandum, vt diuinæ omnes atque humanæ leges, vt pœnæ, quæ sceleribus, tam in hac quàm in futura vita infliguntur, continendis mortalibus pares esse non possint, ne proiecta quadam & effrenata cupiditate in vitiorum primò, deinde inferorum barathrum præcipites ferantur. Certum quidem est non omnes æquè ad peccandum esse procliues, quod singulari Dei gratiæ tribuendum est; nemo tamen est, si varios anteactæ vitæ casus penitus inspiciat, & oblatas vltro peccandi occasiones, quin facilè animaduertat, Deum illas paterno studio auertisse, eadémque opera huius ac futuræ vitæ calamitates, quæ illis ipsis debebantur peccatis. Debitores sunt omnes Deo, non modò bonorum operum, quæ cum eius gratia perfecerunt, sed malorum etiam, quæ eiusdem ope gratiæ non perpetrarunt: quòd scilicet libidinum laqueis, quòd auaritiæ sordibus, quòd gulæ intemperiis, quòd hæresum perfidia capti non fuerint, quibus tam multi in fraudem inducti periere, pereúntque quotidie; & ipsi quoque, Deo non opitulante, periissent.

II. *Dei studium in nostris malis auertendis, quæ à nobis,*

Secundo improborum spirituum potestas mirum in modum magna est, adeò vt Deus ipse, cum Iobo colloquens, dicat, *Non esse potestatem super terram, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Certè constat angelum, eadémque est dæmonum ratio, quibus naturæ dona integra remanserunt, vi sua cœlum vnum versare posse, quod constat infinitis partibus esse maius, toto globo marium atque terrarum, & diei vnius curriculo spatia immensa decurrere. Nec minor est in eo industria, vel cognitio eorum, quæ vel nocere corporibus, vel animos possunt allicere ad peccandum; sed eius malitia latiùs etiam patet. Incredibili enim ardent omnes odio aduersus Deum, qui eos leui, vt putant, de causa, suppliciis addixit sempiternis: eúmque optarent dilacerare si possent, aut pedibus conculcare. Sed cùm non possint cum eo congredi, in hominem eius imaginem, omnem pectoris sui furorem exonerant, omnémque Dei honorem & cultum exterminare contendunt, in eiúsque locum subrogare suum, quod ad hanc vsque diem vbique terrarum moliti sunt.

III. *Quæ ab immundis spiritibus proueniunt.* ca. 41. 24.

Certum tamen est Deum retinere vinculis æternis colligatum Satanam, angelósque eius, tamquam indomitas feras, quæ neque excurrere, neque insilire, neque vnguibus aut dentibus inuadere quenquam possunt, nisi quantum catenæ, id est diuinæ permissionis longitudo permittit: nec vltrà vel digitum vnum progredi possunt, vt ex historia Iobi notissimum est. Nam quando licuit in eius fortunas omnes inuadere, nihil penitus attentauit vltra. Cùm eius quoque improbitati permissum

IV. *Quæ Deus prohibet.* Iudæ. 6.

est sancti viri corpus, citra mortem tamen, ab ea vellet nollet diligenter abstinuit. Cúmque Seruator versaretur in terris, ne in porcos quidem inuadere ausus est iniussus, nedum humana illi corpora occupare, aut per se, aliósue torquere liceat, nisi facta ab illo potestate, à quo manibus eius pedibúsque iniectæ sunt catenæ, alioqui cœlum terris, terrásque cœlo confunderet ac permisceret.

V. *Siue Angelorum opera.* In eos porro, in gratiam hominum, ita dominatur, angelorum ferè, maximéq; custodũ ministerio, quos diuina prouidentia constituit, vt homini præsidio essent; maximè autem aduersus principes & rectores tenebrarum harum, qui fugiunt aciem oculorũ eius. Et vt aspectabiles essent, non est in homine potestas, quæ comparetur illis: neque illis multo conatu opus foret vt præfocarent hominem, vt mutilarent, vt membrorum omnium in totam vitam impotem redderent, vt contingit veneficio illigatis. Verùm angeli Dei, in quorum isti conspectum cadunt, qui eorum artes, & machinationes exploratas habent, eósque celeritate possunt ac potestate vincere, accurrunt quamprimum homini periclitanti, eorúmque improbis conatibus obsistunt, vt ne vltra nocendo progrediantur, quàm patitur is, qui vel eorum peccata castigat, vel hanc ipsorum molestiam statuit in maius bonum conuertere. Asmodæus iuniorem Tobiam omnino mactare cupiebat, non secus ac priores illos septem Saræ maritos: at Raphaël iniecit illi vincula diuinæ potentiæ, & apprehensum religauit in deserto superioris Ægypti. (Tob. 6. 14. & 8. 3.)

VI. *Siue suo concursu negato.* Deus quoque istorum malitiam ac temeritatem coërcet, inhibito primæ causæ generali concursu, eóque influxu, sine quo inferiores causæ agere nihil possunt. Sic membra hominis nihil agere possunt, nihil moliri, aut vllum omnino ciere motum, si vitalibus, quos vocant, spiritibus, aut animalibus fuerint destituta, vt videre est in iis, qui paralysi laborant. Itaque dæmon neque inquirere, neque admouere propius poterit alicui, quæ illi nocitura sunt, si Deus inhibuerit actionem suam: cuius defectu, neque ignis in fornace *Babylonica* illos afflauit adolescentes, neque naturalis calor in Mosis, aut Eliæ pectore, aut ipsius etiam Seruatoris, in quadraginta dierum ieiunio, humorem insitum consumere valuit, & famem excitare. Quis ergo vim aut furorem illius inferni canis reformidet, cùm neque fauces aperire possit, neque occludere, sine illius nutu, qui nobis est pater? qui suo nos amore dignatur? Et qui, licet alioqui suum illi concursum non negaret, maiore tamen illum vi cohibere posset, ac prohibere, ne influxu illo generali primæ causæ vti posset.

VII. *Siue timorẽ incutiendo.* Neque absurdum est illum frenari diuinitus, iniecto noui timore supplicij, quod ille vehementius reformidat: sicut molossum videmus à mordendo abstinere, cùm videt valido armatam fuste dexteram, brachiúmque sublatum, ad grauem illi plagam infligendam. Ita dæmones isti valde timent ne in abyssum abire iubeantur, ibique detineantur, vt

liquet ex Euangelio S. Lucæ, vbi illi Seruatorem plurimùm rogant ne in Tartarum mittantur, vbi neque nocere vltra possent, Deo mortales eorum opera non castigante, neque ad peccandum eosdem incitare: eáque ipsa de causa desertis locis inuitius addicuntur, vbi nullam inueniunt requiem, vt ait Seruator, & eum ex quo pulsi sunt locum repetere moliuntur; ingratissima enim est quies iis, quibus manus ad malè agendum pruriunt; quos negat Salomon dormire posse, *nisi malefecerint, & rapitur,* inquit, *somnus ab eis, nisi supplantauerint.* Ca. 8. 31. Mat. 12. 43. Prou. 4. 16.

VIII. *Deus auertit mala, quæ ab hominibus proueniunt.*

Eò denique fertur Dei cura, vt ea mala impediat, quæ dæmones nobis hominum interuentu procurant, intra limites diuinæ prouidentiæ. Aliquando enim damna quædam soli ipsi inferre non possunt, quæ hominum opera miseris importantur. Permittit enim Dominus hominibus, quorum minor vis est ad nocendum, socios vexare potiùs quàm dæmonibus, quibus resistere non possumus, & quorum malitia hominum consensu modificatur, & temperatur. Quorum voluntate procellas in mari, in cœlo tempestates, in terra pestes hominibus ac pecoribus inuehunt. Eadem quoque mala impedit interdum, quamuis non interueniente maleficio, multáque improborum consilia, & conatus in perniciem amicorum suorum destinatos auertit; vt Saulis aduersus Dauidem; quin & ferarum in homines retundit furorem, insito illis terrore humani vultus.

CAPVT XVI.

Peculiaris Dei prouidentia, & cura aliquorum, præsertim Religiosorum.

I. *Dei erga S. Clementem prouidentia.*

PLACET in hoc genere Sanctissimi Papæ Clementis exemplum in medium proferre, quem Traianus Imperator, pro Christi fide decertantem trans mare Ponticum relegarat, placet, inquam, Dei circa ipsum, eiúsque populum peculiarem notare prouidentiam, & vnius honorandi, alterius necessitatibus subueniendi sollicitudinem. Deus enim illo quasi nouo Moyse vsus est, ad restinguendã aqua mirabili populi sui sitim. Cùm enim duo Christianorum millia, ad extrahenda, secundáq; marmora damnata essent, & aquæ penuria vehementer laborarent, nouum Deus fontem produxit ad Clemẽtis preces, eúmque in vicino colle scaturientem, agno indicante patefecit. Nouum, inquam, fontem: neque enim alioqui in vicino positus, diu latere, aut à duobus hominum millibus siti laborantibus potuisset non inueniri; vt datam ab agno indice coniecturam non vrgeam.

II. *Persimili Mosaica.* Sed Mosem, vti cœpimus, Clementi committamus, & populos vtrique commendatos, atque concreditos. Iudæi enim paleas tota Ægypto laboriosè conquirebant, & Ægyptiis in operibus luti & laterum famulabantur, cum mercede plagarum: Christiani in eremo Chersonæ, aquam multo labore vestigabant, dum infidelibus, eruendis secandísque marmoribus, infelicem operam nauarent. Illis Deus Mosem solatio misit, istis Clementem. Deus Mosi, populóque eius mare aperuit, Clementi autem, & Christi confessoribus ad tria milliaria mare semouit, iussítque retrocedere, vt populus Clementem sicco vestigio adire posset. Deus Mosis & Clementis corpora Angelorum ministerio honorificè sepeliuit; qua in re vide etiam singularem Dei suauitatem. Qui enim ad mare circa marmora, aspero indignóque labore desudarat, marmoreo sacello in ipso mari, sepulchróque diuinitus honoratus est. Et qui olim sepulchrum Mosis Iudæis absconderat, ne demortui corpus in Numen honorando verterent. Clementis sepulchrum mirabile patefecit, vt reliquam idololatriam apud illos populos radicitus euelleret.

III. *Eadē vtriusque comparatio.* Moses adhuc infantulus profluenti permissus est Nilo, sed Deo curæ fuit illum committere filiæ Pharaonis, quæ ipsum filij loco habuit. Clemens in mare proiectus est vt periret, sed ibi mortem amisit, & vitam consecutus est sempiternam; adeóque honorem in terris nunquam intermoriturum. Quid autem mirum Deum corpus & animam sanctissimi sui martyris ac vicarij honorasse, qui etiam eius instrumenta martyrij honore affecerit. Nam anchora, ad quam alligatus fuerat vt mergeretur, non fracta, aut disiecta reperta est, sed intra sacellum angelica manu fabricatum, & iuxta sepulchrum, in quo corpus sanctum iacebat, & cuius contactu quandam participarat sanctitatem; fortassis & vim morborum depellendorum, & expellendorum dæmonum, vt aliis quoque contigit pœnarum instrumentis, iis præsertim, quæ Christi Domini cruciatibus, & triumpho seruierunt.

IV. *Dei erga suos cura, ab ipsa pueritia.* Sed omittamus nunc quidem magnos illos heroas, & alios Dei famulos inspiciamus, in quibus nemo est qui, si oculos in diuinam erga se prouidentiam coniiciat, non debeat illud cum regio Propheta vsurpare, *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Nam si parentes respiciat, si tempus, & locum quo editus est in lucem, inueniet vnde diuinæ erga se prouidentiæ gratias agat. *Psal. 39.18.* Si enim habuit progenitores timentes Deum, à quibus ad studium virtutis, Deíque timorem ab ipsa prima pueritia, eductus fuerit, pietatem cum lacte nutricis suxerit, in naturámque conuerterit, si denique probæ ipsius institutioni tempus locúsque fauerunt, nónne meritò dicat, Dominus sollicitus fuit mei? Sin è contrario parentibus natus est hæreticis, aut alioqui suam & liberorum suorum salutem negligentibus, si locus, tempus, socij, ad ipsius pestem potiùs, atque perniciem, quàm salutem conspirarunt, iustius etiam dixerit, Dominus mei sollicitus fuit, Deum enim

Angelósque eius habuit, qui supplerent parentum vicem.

Si Deus insuper illum ex improborum consuetudine sapienter abduxit, aut in illa familiaritate, singulari cum gratia, à perditis illorum moribus seruauit intactum, tanquam alterum inter Hussitas Iobum, si cœcos inter factus est perspicax, si diuino timore imbutus est, inter contẽptores iudiciorum eius, si Deus illi propriæ salutis curam inseuit, medias inter turbas eam negligentium, nónne cum gratiarum actione meritò dixerit, Dominus mei sollicitus fuit? Sed hunc locum, iam à liberali Amore lustratum, neque satis vnquam explicatum, omittamus nunc quidem. Illud tamen non omiserim. Nam si illum præterea Deus è mũdi vanitate, ad religiosæ alicuius familiæ cœtum, eúmque proprij instituti obseruantem suauiter euocarit, vnde exulent occasiones ruinarum, vbi obuiæ sint omnes salutis viæ, floreat Superiorum prudentia, lenitas, fortitudo, & sollicita super gregem sibi commissum vigilantia; à quibus, ad omnem virtutis absolutionem, verbis incitetur & exemplis, vbi subditi cum maioribus singulari obedientia, inter se religiosa veneratione, beneuolentia, & charitate copulentur, singuli spiritu propriæ vocationis abundent, & erumpentes animi motus acriter premere ac subigere didicerint, vbi denique lingua & manu ad omnem spiritalis vitæ tractationem excitetur. Is ergo qui tantam à Deo gratiam acceperit, eóque fortasse tempore, quo eam minimè omnium merebatur, nónne iure illud iterabit, Dominus mei sollicitus fuit?

V. In consuetudine improborum.

aut vocatione religiosa.

VI. Quòd si non solùm cœlitus fuerit ad religiosam vitam euocatus, sed in eam etiam omnium impedimentorum expers, quæ plerisque, bona licet voluntate præditis, viam obstruunt, fuerit admissus, in eáque se suáque omnia Domino consecrarit, ad eius gloriam omnibus animi corporisque viribus promouendam, ad suam proximique salutem & perfectionem omni studio, & mentis contentione acquirendam, & in eadem amplissimum meritorum thesaurum construxerit, nónne in illam vocem gratiarum actionis erumpet, Dominus mei sollicitus fuit? Præsertim si tempus illi diuturnum, facultatémque concesserit, ad Dei negotia fideliter & syncerè procuranda; occasiones naufragij sustulerit, fiduciam quandam, in eius bonitate fundatam, obtinendi perseuerantiæ doni concesserit, quo denique paterna Dei sollicitudo tota terminatur, quoties verissimam illam vocem confessionis & laudis inculcare poterit, Dominus sollicitus est mei?

Et in ea perseuerantia.

VII. In hac tanta támque fructuosa Domini sollicitudine, ecquanam par est eius famulos cura sollicitari, ad promouendum toto orbe terrarum eiusdem timorem, honorem, amorem, & cultum? Cùm præsertim plerique ipsorum iampridem experiantur, nihil ipsorum corporibus, animisue, per dulcissimam eius, veréque paternam prouidentiam vnquam defuisse; non victum, non vestitum, non habitationis locum, non occupationes idoneas, non quidquam aliud, quod rectè desiderari possit,

Eorumdem in Deum ingratitudo.

Quomodo ergo iidem ferre possunt, Deus optime maxime, vt tanta bonitas tua, támque suauis prouidentia vix à dimidiata hominum parte agnoscatur, ametur, colatur, honoretur? quomodo ne illi ipsi quidem, qui his officij muneribus funguntur, isti tam legitimo debito satis pro sua parte faciunt, sed multa potiùs cum negligentia & laxitate?

VIII. *Ex famulis vanitatis agnoscitur.* Vtinam sollicitudo, quæ mentes hominum, mundo ac vanitati famulantium, infeliciter occupatas tenet, ad eius leges atque instituta, quamuis profana, barbara, atque sacrilega studiosè obseruanda, stimulus esset Dei famulis ad pudorem, vt sacrosancta Dei mandata, salutaréSque leges accuratiùs custodirent. Vtinam diuitiarum amor, honorum ambitio, ardor pestiferæ voluptatis, non maiorem illis terræ filiis sollicitudinem inferret, quam Dei amor Dei filiis in cœli diuitiis conquirendis, in illis deliciis, quibus nullæ aliæ conferri possunt, & immortalibus illis coronis, præ quibus aurea regum diademata, gemmeáque sordescant. Erubescant ciues Sanctorum & domestici Dei, quòd ab terræ ciuibus officium edoceantur suum; pudeat illos, quòd hos videant tenebrarum amantiores, quàm sint ipsi lucis; acriores in lucrum fragminum vitreorum, quàm ipsi in acquirendis saphiris, adamantibus, & smaragdis: maiorem illos adhibere curam atque industriam in opere luteo ac stramineo, cum Ægypti mancipiis, quàm ipsos in colligendo frumento, quo conficiatur Angelorum panis. Ingemiscite quòd vernæ illi Ægyptij porros & allia multo sudore quæsita taciti comedant, Dei autem populus panem Angelorum vltrò oblatum obmurmurans, & cum fastidio nauseáque consumat. Videte tamen ne pudore tantum gemitúque contenti, nullum tanto támque deplorando malo, ac rerum perturbationi remedium afferatis.

CAPVT XVII.

Quæ possint, ac debeant esse obiecta sollicitudinis amicorum Dei.

I. *Pro Deo solliciti esse possumus.* QVONIAM declaratum est hactenus Sollicitudinem rectè cum Amore congruere, & Sollicitum Amorem filium esse Charitatis, necesse est hanc in nobis sollicitudinem reperiri, quæ præsentiam causæ suæ, principiique testetur, & ad eadem ipsa Charitatis obiecta referri, vt Deum scilicet ac proximum cum cura & sollicitudine diligamus. AVTOR. Atquid opus est, inquam, sollicitudinis aduersus Deum, cui nihil fraudi esse potest, nihil ei detrimentum afferre? Sollicitudo autem timor quidam est, ne quid illi quem diligimus mali contingat,

eodémque modo amor, quo prosequimur Seruatorem, aut matrem eius sanctissimam, aut reliquos cœli ciues, qui sine controuersia in proximis numerantur, súntque extra omnem teli iactum, hic, inquam, amor nullam requirit sollicitudinem, Nemo quippe illos potest iis fraudare bonis, quæ possident, neque damnum vllum eis inferre, vt olim cùm mortalem hanc vitam degebant.

Constat quidem, ait Sollicitus Amor, neminem Deo nocere posse, nullum ei mœrorem inferri, nullam eum à quoquam gratiam, vel recentem lætitiam accipere: hæc enim omnia cum æterna infinitáque eius felicitate directò pugnant. Famulatus omnis, prædicatióque mortalium, natiuam illam Dei gloriam non augent, neque eorũ culpæ diminuunt. Eodémque modo preciosi lapidis ingenita excellentia & dignitas, nulla fit commendatione præstantior, nulla vituperatione aut ignoratione deterior. Quia tamen officiosa obsequia, & iniuriæ natura sua ad offensionem valent, aut gratiam, ad lætitiam vel mœrorem inferendum naturæ intelligenti; Deus, qui se ad vsum nostrum, & rationem accommodat, iniurias etiam accipit & obsequia, non secus ac si reuera eius felicitatem minuerent, vel augerent; quoniam id genus opera, natura sua idonea sunt ad effectus huiuscemodi procreandos. II. *Non ipsa quidem eius persona.* AMOR SOLL.

Deus igitur honori sibi ducit aut contemptui actiones illas, quibus homines aliquem honorare solent aut contemnere; quia eorum se iudiciis moribúsque accommodat, & mentem eorum ac voluntatem magis, quàm opera ipsa intuetur. Quicunq; ergo dabit operam ne quo modo diuinum violetur numen, aut elaborabit vt in pretio & honore sit, sollicitum illum, quem quærimus, amorem obtinebit; eique Deus gratiam habebit, referétque mercedem, non secus ac si nouo illum gaudio affecisset, aut ei fuisset emolumento. Nihilominus summæ illius maiestatis gloria extrinsecus augetur, cùm plurimi de ea præclarè sentiunt ac loquuntur, & sedulã illi exhibent seruitutem: quóque magis eorum numerus augetur, hoc latius funditur & augescit illa gloria. Itaque seruorum Dei curas in eo euigilare par est, vt ingeneretur in animis hominum, & noua semper accessione augeatur diuinus amor, ac timor, & debitus maximo, amantissimóque Domino famulatus: illúdque eos sollicitè prouidere oportet, ne quid sua negligentia de illo cultu vel timore decedat, aut charitas refrigescat. Hoc videlicet iustissimum illud est, planéque liberale desiderium, quo Dei filij feruntur in parentem suum, cùm quotidie precantes postulant, vt sanctificetur eius nomen. III. *Sed in hominum opinione, & voluntate.*

Idem de Seruatore dici potest, quatenus est Deus. Sed aliquid habet singulare, propter augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo & honore & iniuria affici potest, & ipse sibi honori vertit, quæ homines honoris ergò inter se factitant; eadémque est ratio iniuriæ. Itaque si IV. *Cura pro Seruatore.*

humana ratio, vel consuetudo ferret, vt eum conculcare fas esset, quem vellemus honorare, facilè pateretur Seruator amicos suos in diuinum Sacramentum pedibus insilire. Sed aliam ipse aperuit amori nostro viã ad sollicitudinem exercendam. Cùm enim statuisset fieri cibus amicorum suorum, idque non corporis immortalis, sed specierum corruptionem requireret, vt ratio cibi postulat, in illis se omnibus animalium atque elementorum iniuriis obnoxium reddidit, iterúmque se improborum potestati furorique permisit, vt œconomos suos sacerdotes excitaret ad singularem huius thesauri custodiam, & quæ sollicitudinem Heli Pontificis pro arca fœderis, longè multúmque superaret.

V. *Circa Eucharistiam.* Vt autem hæc cura ad solos pertineat sacerdotes, illa certè tangit vniuersos, ne quis ad tantum conuiuium indignus aut profanus accedat: locupletes autem, vt tota sacra suppellex pios sapiat, ac magnificos Christi Domini amatores: ne se ab Hebræo populo, Arabicas solitudines peragrante, vinci patiantur; cuius tam profusa fuit, pro construendo Tabernaculo fœderis, in largiendo liberalitas, vt præconis voce denunciandum fuerit, vt nemo quidquam vltra offerret in opus sanctuarij, *eo quod oblata sufficerent, ac superabundarent.* (Exod. 36. 2. 3. 7.) Vsque adeò timuerant omnes ne tam sancto operi quidquam deesset. Minimè profectò fas est Christianum populum liberalitate, aut pietate vinci ab Hebræo, alioqui stupido, quique non multò minorem, sed sacrilegam pro aureo vitulo exercuit liberalitatem. Tantundem proportione dici potest de beatissimæ Virginis, & reliquorum cœlitum cultu, in templis ac sacellis ipsorum, in quibus & contemni possunt & honorari; & gratiæ vel iniuriæ sensum habere aduersus eos, à quibus vel culti fuerint vel neglecti.

VI. *Et circa pauperes.* Est & alia cura famulorum Dei erga proximos suos, qui adhuc peregrinantur in terris, quique bonorum spiritalium, aut temporalium penuria laborant, in primisque spiritalium, quæ tantò magis sunt necessaria, quantò minùs necessitas ista vulgò percipitur, aut curatur. Itaque ô amatores Dei, perquàm studiosè prouidete, vt ij, de quibus Seruator dicebat, *quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis*, ne vel sine Dei timore viuant, vel sine Ecclesiæ Sacramentis decedant; quorum defectu cœli porta illis æternùm obstructa maneat; ne in secundis rebus monitore careant, aut consolatore, si contra eos impetum suum fortuna conuerterit. Ne rudibus catechesis vnquã desit, ne seruis correctio, ne liberis institutio, atque educatio liberalis; sed vniuersis omnium, quantum fieri poterit, exempla virtutum præbeantur. Ne ægris in nosocomiis, aut vinctis in carceribus præsidia vitæ desint; ne viuentes veste careant, ne mortui sepultura. Hæc ille cùm dixisset conticuit, paululúmque interius subduxit sese ad parentem.

Decimi Libri finis.

LIBER



LIBER VNDECIMVS.

De Vnione Diuini Amoris.

CAPVT I.

Deſcriptio ſeptimi filij Charitatis, cui nomen AMOR VNIENS, *ſiue Socialis.*

HVNC in modum finem dicendi fecit Sollicitus Amor, non ſine excuſatione aliqua, quòd aliquanto longior opinione ſua extitiſſet. At ego, Nunquam credidi orationem dici aut haberi debere longiorem, in qua nihil ſit ſuperfluum: præſertim ſi à neceſſariis vacetur occupationibus, & lubenti auditori ſermo fiat. Illud porrò ſemper exiſtimaui, breuitatem, quæ eſt obſcuritatis parens, minùs idoneam audientium coronæ, ex promiſcua hominum turba compoſitæ, quales futuros arbitror, qui ex me poſtea iſta cognoſcent, quam moderatam orationis amplitudinem, qua ſuſceptum argumentum perſpicuè, & pro dignitate tractetur; ita vt in animos hominum influat, neque nimia breuitate prætervolet, ſed memoriæ adhæreat, mentem illuminet, permulceat voluntatem, & ad id, quod eſt oratori propoſitum, ſuauiter impellat. Cùm breuitas fulguris inſtar euaneſcat, vixque tenui veſtigio memoriam perſtringat, quo fit vt neque mens illuminari ſatis, neque voluntas permoueri poſſit; ſed illa cum tenebris, hæc cum arida ieiunitate conflictetur.

I. Tranſitio cũ excuſatione longitudinis AVTOR.

Cùm ergo Sollicitus Amor ſubduxiſſet ſe paululum, ſeptima Charitatis proles modicè proceſſit, cui nomen inditum eſt Amoris vnientis, ſiue Socialis. Erat is egregius adoleſcens, qui frontis honore, & totius decore faciei auitam generis nobilitatem teſtabatur. Flaua erat cæſaries in natiuos cincinnos deſinens, eáque coronario variorum florum manipulo cingebatur, quem tenuis vitta colligabat, in qua ſcriptum erat, *Ex*

II. Deſcriptio Amoris vnientis.

pluribus vnum. Mites erant oculi atque amabiles, ſicut & reliqua facies. Veſtem ferebat elegantem, ex varij coloris multatitio, quam vocabat Concordiam, in his coloribus ſcitè, artificioſéque coniunctis, roſeus eminebat, cui ex carne factum eſt nomen. Super eam veſtem plumarius artifex acu pinxerat Gabrielis Archangeli legationem ad beatiſſimam Virginem, cuius opera diuinitas humanitati, ſingulari ex amore vnita eſt. Itaque in illius limbo acu pictum legebatur illud oraculum, *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Faſciam geſtabat tranſuerſam eiuſdem cum veſte coloris, & multiplici hedera intertextam, cui nomen dederant, *Nexum animorum.* Citharam ad concentum ſcitè aptatam ſiniſtra geſtabat, eáque peritè vtebatur. Dextera verò illud geſtabat Elogium, *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?*

III. *Ordo & capita futuræ diſputationis.* Ioan. 1. 7. 21

Eius porrò conſilium eſt, ſi quid licet coniicere ex iis, quæ priores filij Charitatis dixere, docere Amorem vnientem germaniſſimum eſſe filium Charitatis, cuius maximè propria videtur coniunctio animorum. Tum ſanctos omnes Dei amicos, vi Amoris huius, Deo fuiſſe mirificè copulatos, nexu gratiæ in hac vita, & doni orationis, multò autem maximè in cœlo, poſſeſſione diuinitatis, cum qua, quod olim orabat patrem Seruator, ibi vnum fiunt. Amorem filij Dei, coniunctionis cum hominibus maximè appetentem fuiſſe, idque verbis factiſque, in myſteriis præſertim Incarnationis & Euchariſtiæ demonſtraſſe luculenter. Deum denique ipſum rebus creatis, ſecundum naturam diuinam voluntatémque iungi; ſed nos prius aliquid de Amoris vnione vniuerſè dicemus; neque deinceps vnionis vocabulum ſubterfugiemus, quoniam eo abſtinere non poſſumus.

CAPVT II.

Amorem latè atque vniuersè ſumptum res in vnum cogere ſolere.

I. *Amorem vniuersè vnire.* c. 4. de diu. nom. *ex S. Dionyſio.* Καὶ ἔστι τοῦτο (ἔρως) δυνάμεως ἑνοποιοῦ, καὶ συνδετικῆς, καὶ διαφερόντως συγκρατικῆς, *S. Hierotheo.*

LATIVS porrò placet ſumere amorem hoc loco, quàm ij ſoleant, qui illum conſiderant vt primum voluntatis actum, in iis rebus, quæ intelligentia, vel ratione valent; aut appetitus ſentientis in animantibus ratione deſtitutis. Libet enim hunc amorem in iis quoque rebus agnoſcere, quæ ſenſu carent ac vita. Et ſanè apparet magnum illum Areopagitam Dionyſium, amorem cum huiuſmodi amplitudine contemplari, cùm ait Amorem eſſe virtutem quandam vel facultatem vniétem res inter ſe, colligantem, ac præclarè permiſcentem in pulchro & bono. Clarè quoque apud eundem Hierotheus, in libro de Amoris laudibus, ait Amorem ſiue diuinum, ſiue Angelicum, ſiue ſpiritalem, ſiue animalem, ſiue naturalem, intelligendum, vim quandam con-

iungentem miſcentémque; & quæ ſuperiora impellit, vt ſe ad inferiora demittant, proſpiciendi ac conſulendi cauſa, inferiora vt ſe ad ſuperiora opis accipiendæ gratia conuertant: paria denique vt inter ſe ſocietate iungantur. Auguſtinus quoque, ait Amorem eſſe vittam quandam duo aliqua copulantem, vel copulare appetentem, amantem ſcilicet, & quod amatur. Alij Amorem propenſionem cuiuſque rei eſſe putant, in rem ſibi conuenientem, vt ei ſe iungat, cum ea commoretur, eique cohæreat, quæ adhæſio vnio quædam eſt. *S. Auguſtino* l. 8. de Trin. c. vlt.

II. *Inanima ipſa vnionē appetunt.*

Videmus elementa omnia, lapides, metalla, cæteráque inanima, amare ac quærere locum ſuum, vbi melius conſeruantur. Ibi quippe qualitates reperiunt ſibi congruentes, eóque videtur terra ipſa, occulta quadam vi, vt magnes ferrum, grauia omnia ad ſe trahere. Ergo neque inde ſine vi extrahuntur, neque ſine vi alibi detinentur, quæ cùm ſublata fuerit, in locum eundem ſuoptè nutu iniuſſa conuolant; qui eos ita capit, ac continet, támque arctè complectitur, vt res cum loco eius non plus ſpacij requirat, quàm alteruter. S. Auguſtinus in eam ſine dubio rerum inanimarum inclinationem intuebatur, cùm illud crebro iactatum diceret, Amor meus pondus meum, eò feror quocunque feror. Hinc ille materiæ qui dicitur appetitus, vt ſe formæ coniungat, & fiat ex vtraque compoſitum: hinc partis ad totum, & accidentis ad ſubiectum cui inhæret inclinatio.

III. *Et quæ vigēt.*

Quòd ſi placet ad ſtirpes gradum facere, quæ interiore quodam motu vigent, primúmque obtinent vitæ gradum, arbores, plantæque omnes, quæ radicibus in terra nituntur, vt vitalem inde ſuccum hauriant, non aliter nutriuntur, aut incrementa capiunt, quàm conuerſa in propriam, vnitáque terræ ſubſtantia & quantitate. Neque tritici grana humi condita aliter producunt ſpicam, quàm cùm in terram putreſcendo vertuntur, & quid vnum cum terra fiunt. Eadem eſt omnium proportione quadam animantium ratio, quamcumque tandem cœli, terræ, & aquarum regionem incolant, adeóque hominis ipſius. Omnes enim primùm hunc vitæ gradum communem habent, cuius tamen actiones, vt quodque animal perfectius eſt, ita ſunt præſtantiores. Neque aliud videtur eſſe fames aut ſitis in animantibus, quàm appetitus vniendi ſibi denique alimenti; quæ vnio cauſam habet amorem natiuum propriæ conſeruationis, qui rebus omnibus eſt communis.

IV. *Et quæ ſenſus habent externos.*

Tranſeamus ad actiones animæ ſentientis, quas ſi ſcrutemur accuratiùs, omnes profectò reperiemus in quadam vnione conſiſtere. Satis enim conſtat fieri in oculo viſionem, dum obiecta pupillæ vniuntur, per intermedias quaſdam illorum imagines aut ſpecies, quæ per illuminatum aërem, aquámve ſparguntur, quæ in ſpeculis cernuntur, aliiſque corporibus læuibus & politis, in ipsáque in primis oculi pupilla. Tenues ergo iſtæ rerum corporatarũ imagines vniũtur pupillæ,

per easque obiecta ipsa cernuntur. Eadem est auditionis ratio, vt rerum valde distantium soni ab aure percipi possint. Quanquam fieri potest vt ipse per se sonus, qui colorem subtilitate vincit, audiendi organo copuletur, sicut & odor odorandi. Nam quòd ad gustum attinet & contactum, notum est ipsa per se obiecta eorum sensuum organis coniungi. Quòd si eorum quoque species linguam ad gustatum, manum ad tactionem afficiunt, pro vnica, gemina vnio in vtroque sensu continget.

Vide Arist. l.2. de ani. tex. 121. & 138.

V. *Internósque.*

Quid de internis sensibus dicam, qui externorum obiectorum cognitionem accipiunt, iis sibi vniendis antedictarum imaginum interuentu, quæ aures oculósque prætergressæ, cæteráque sensuum instrumenta, ad sensum communem phantasiámque perueniunt, per neruos sensuum deuectæ, & per spiritus, qui dicuntur animales, quasi ad pusulam expurgatæ, & spiritaliores redditæ, fiunt phantasmata, quæ memoriæ receptaculis conseruantur, & vbi res tulerit, voluntatis imperio proferuntur; in iisque phantasia multiplici permistione ludit, cùm externi sensus à muneribus & functionibus suis vacationem, dominante somno acceperunt.

VI. *Intellectus & voluntas suis iunguntur obiectis.*

Nam quòd ad intelligentem animam attinet, quæ intellectum habet & voluntatem, vsque adeò verum est obiecti vnitionem ad intellectionem requiri, vt Philosophus non dubitet affirmare, intellectum vnam eandémque rem esse cum re intellecta, & quod consequens est, intellectum omnia fieri intelligendo, vtique beneficio phantasmatum, quæ intellectus agens spiritalia reddit, materiæ & concretionis experta, & consentanea naturæ istarum non materiatæ animæ facultatum. Voluntas quoque se iungit obiectis, quæ ipsam amare, ac desiderare contigerit. Neque enim illam dumtaxat coniunctionem ponit, quæ à mente intelligendo facta est, sed peculiari etiam modo suis copulatur obiectis. Cùm enim intellectus obiecta, quæ percipit ad se trahat, sibique accommodet, voluntas vice versa exit à se quodammodo, vt delectabilibus vniatur obiectis, iuxta illud Bernardi vulgò iactatum, *Anima verius est vbi amat, quàm vbi animat.*

VII. *Cum quadam differentia.*

Hinc alia nascitur inter hasce facultates differentia. Intellectus enim intelligendis rebus quamuis flagitiosis aut sordidis non inquinatur; eas enim similes sibi reddit, puras, spiritales, omnique materia liberas. At voluntas similis euadit obiectis suis, quæ si mala fuerint, turpia, sordida, terrena, ipsa quoque fit improba, sordida, lutulenta, sin autem cœlestia diuináque dilexerit, cœlestis euadet & diuina. *Facti sunt abominabiles*, ait Oseas, *sicut ea quæ dilexerunt.* *An nescitis*, ait Apostolus, *quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino vnus spiritus est?* Et alibi. *Odientes malum*, inquit, *adhærentes bono*, quo adhærendi vocabulo, ad illam quam dicimus voluntatis proprietatem allusit, cùm Amos, quem Paulus eo loco sequitur, dixerit dumtaxat, *Odite malum, & diligite bonum.*

ca. 9. 10.
1. Cor. 6. 16.
Rom. 12. 9.
Amos 5. 15.

on-

Cùm autem duæ sint amoris formæ, vt dictum est sæpius, altera beneuolentiæ siue amicitiæ, altera cupiditatis, vtraque ad vnionem aspirat. Prior amicum tanquam alterum se apprehendit, aut dimidium sui, vt poëta ille ait, eique bene esse cupit, non secus ac ipsi sibi. Et sicut ipse sibi semper est præsens, ita illi, quem habet quasi alterum se, perpetuo præsens esse discuperet, & vt ipse vnus est in se, ita vnus in amico, aut cum amico esse vellet: quod videtur Christus ipse desiderasse, & à patre orando postulasse, cùm diceret, *vt & ipsi in nobis vnum sint*; & rursum, *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* sint vnum, amicitia & vnione voluntatum, sicut nos natura vnum sumus. Vulcanus apud Platonem cùm duos alloqueretur amicos, *Cupio*, inquit, *ambos in vnum colliquefactos permiscere, vt vnus sitis ex duobus, itáque duo simul viuatis, ac si vnus tantum essetis, & post ipsam quoque mortem, vnus loco duorum esse perseueretis.*

VIII. *Amor beneuolētiæ vnit.* Ethic. l. 9. c. 4. Horat. l. 1. od. 3. Ioan. 17. In sympos. p. 192. D. Ἐθέλω ὑμᾶς συντῆξαι, καὶ συμφυσαι, &c.

Amoris quoque forma illa posterior facit vt quippiam diligamus, quod commodo nostro seruiat, eiúsque ope bene sit nobis; itaque illuc ferimur, ei coniungimur, ei cor nostrum applicamus. Testis magnus ille doctor, *Vbi*, inquit, *thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* quod eò impellet pedes, à quibus eòdem corpus animúsque perferentur. Qui literas amat, vt earum beneficio inter homines fulgeat, aut sibi ipse placeat, & in ea delectatione acquiescat, assiduus est in peruolutandis libris, aut in hominum doctorum consuetudine, multa cum iis inquirens, examinans, probans improbánsque, & eruditionem vbique consectans. Qui hominem diligit eruditum, facundum & comem, liberalem & modestum, nunquam vellet ab eius latere discedere, nullum faciunt ambo colloquendi, nullum rogandi ac respondendi finem. Virtutis amor minores habet in hac vita illecebras, quòd minus corporeis oculis eius pulchritudo cernatur; solidior tamen est atque constantior: idémque est familiarum religiosarum parens, qui virtutis ac perfectionis amantes viros, in vnam quasi familiam ac societatem cogit, vt se mutuò iuuent, nec fiant tantùm vna familia, sed, vt olim in Ecclesiæ Christianæ cunabulis, *cor vnum, & anima vna.*

IX. *Sicut & cupiditatis.* Luc. 12. 34. Act. 4. 32.

CAPVT III.

Diuinus Amor orationis opera iungit homines Deo.

AMOR VNIENS.

I. *Homo naturaliter appetit vniri Deo.*

QVæ cùm ego dixissem, sic exorsus est nouus diuini Amoris orator. Oratio tua de Amore vniente vniuersè sumpto, in eo quod expectatur à me, opportunè terminatur, vt videlicet pro virili parte doceam

diuinum amorem Deo amicos suos copulare, & vicissim Deum amicis suis. Et quod ad prius illud attinet, tecum omnino sentio, amorem inclinationem quandam esse, & naturæ pondus, erga bonum sibi proprium & conueniens, in quod fertur desiderio, quod perquirit, eique se coniungere cupit atque vnire. Quod planè sentiebat magnus ille Dionysius, cùm diceret amorem esse vim quandam, *αὐτοκινητικὴν* quæ per se moueat ad consocians quoddam temperamentum *πρὸς ἑνωτικήν τινα κρᾶσιν*. Cùm autem nihil sit in rebus creatis quod sibi sufficiat, siue vt sit & conseruetur, siue vt agat quidpiam, sed omnia opem alienam requirant, qua si fuerint destituta, in illud ipsum nihilum recident, ex quo prodierunt. Eam necessario inquirunt, vt conseruentur & agant, eique se coniungere cupiunt; quæ vis est & ratio Amoris vnientis. Hanc opem nusquam reperire est præterquam in vno Deo, qui solus nihil habet ex quo pendeat, solus sibi sufficit, eó que bona omnia, tanquam primario fonte continentur. Vnde consequens est creata omnia innato appetitu Deum diligere, eique quantum possunt adhærere velle, tanquam bono suo. Est enim Deus, vt ait Augustinus, *non aliquo bono bonus, sed bonum omnis boni.*

C. 4. de diu. nom.

Et quare.

L. 8. de Trin. c. 3.

II.
AVTOR.
Ea ratio in Deo locum non habet.

Sed vide obsecro, mi Amor, ignorantiam meam. Videris enim eam ingredi nunc viam, quæ aliò ducat quàm tu arbitrere. Hoc enim iacto fundamento, consequens videtur neque Deum amare nos, neque optare vniri nobis; seipsum tantùm diligere, præterea & extra se nihil. Audio, ait Amor vniens, sed profectò nihil aliud inde colliges, quàm nihil opus esse Deum res à se creatas, commodi sui causa, quærere, quippe qui nulla re indigeat, quærere tamen nihil vetat, vt eis benefaciat, propter magnitudinem ingenitæ bonitatis, aliámve causam, vt suo loco dicetur. Adde quod illa ratio ad res tantùm creatas pertinet, quæ inopes sunt, & alieno præsidio egent, vt vitis, & hedera, aliæque id genus plantæ, quæ cùm natura caducæ sint, & nisi fulciantur feruntur in terram, eædem vt se erigant aliquid quærunt, & clauiculis quasi manibus, quidquid nactæ fuerint complectuntur.

III.
In homine autem maximè.

Eadem ratione homo infirmitatis suæ ac penuriæ conscius, natura duce Deum quærit cui adhæreat, quo nitatur, qui sibi præsidio sit; neque enim probabilitate caret, quod vulgò fertur, hominem graui quopiam periculo circumuentum, quamuis diuinitatis ignarum, in cœlum nihilominus oculos tollere, indéque auxilium implorare. Agniculus quoque, qui à socio ludibundo inuaditur, natura institutus, caput illi obiicit, & cornua nascitura, præsentiens ibi se subsidium habiturum. Homo igitur eiusdem instinctu naturæ, Deum quærit, quo niti queat, & opera orationis conatur se illi coniungere, vt cum eo difficultates omnes perrumpat, omnes aduersarios pedibus substernat suis. Homo se iungit Deo, ad eum oratione conscendens, & vicissim Deus se homini iungit, descendens ad eum, & auxiliatem ei præbens manum. Hanc coniun-

Qui Deo per orationem iungitur.

ctionem hunc in modum explicat magnus Gregorius. *Moyses ascendit, & Dominus in montem descendit. Mons quippe est ipsa nostra contemplatio, in quam nos ascendimus, vt ad ea, quæ vltra infirmitatem nostram sunt, videnda subleuemur. Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus, parum de se aliquid sensibus nostris aperit.* Ita Gregorius.

IV. *Idque traditur à patribus.*

Cui consentiens Ioannes Damascenus, orationem vocat Ascensum mentis in Deum. Et Augustinus. *Quid est autem oratio, nisi ascensio animæ, de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium? Oratio coniunctio est Spiritus sancti*; & mox, *Oratio perseuerans iungit Deo, atque ita gaudens assistere se Domino, gloriatur. Adhærens autē Domino incipit securitatem habere & libertatē, nec pauores sustinet timoris.* Sic ipse. Ibi ergo otiosa non manet, sed cum delectatione mirabili eius magnitudinem contemplatur, quam in operibus eius, tam gratiæ quàm naturæ, agnoscit; bonitatem in primis, qua fit animosior ad colloquendum, interrogandum, postulandum, vt amicus cum amico solet, quod Deum inter & Mosem legimus contigisse. Itaque Nyssenus ille Gregorius orationem definit, Conuersationem sermocinationémque cum Deo, cui consentit Chrysostomus, idque, vt credas inquit, audi Dauidem, *Iucundum sit ei colloquium meum*; *ego verò delectabor in Domino.*

L. 3. c. 24. Serm. 230. de temp. Exod. 33. 11. Orat. 1. de Orat. Dom. διαλογὴ μετ. Chrys. ho. 30. in Gen. Psal. 103. 34.

V. *Contemplatio vnio quadam est cum Deo.*

Hæc ergo visio siue contemplatio, tam spiritalis quàm corporea, coniunctio quædam est facultatis contemplantis, & obiecti, quod sub contemplationem cadit, vt tute paulò antè dicebas, & qui sermocinantur inte se, & dicendi, audiendique vices permutant, vniuntur inter se, non solùm per soni species, aut coloris, aut diuinioris lucis, si quando placuerit Deo amicis suis, de aliqua illustratione gratificari, sed communicatione cogitationum & sensuum, quibus mens illuminatur, & affectuum quibus peruaditur cor humanum atque accenditur, vt desponsata Deo anima cum Dauide dicat, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Sponsus autem cum Salomone respondeat, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Itaque magnus Dionysius, ostensurus orationem esse coniunctionem cum Deo. Ante omnia, inquit, à precibus nobis ordiendum est, non vt vim illam diuinam trahamus ad nos, sed vt diuinis commemorationibus, & inuocationibus nosmetipsos & tradamus ei, & coniungamus. ἐγχειρίζοντας αὐτῇ, καὶ ἑνοῦντας.

Psal. 26. 13. Cant. 4. 9. ca. 3. de diu. nom. διὸ καὶ πρὸ πάντος, &c.

VI. *Eáque explicatu difficilis.*

Nimirum vt inde transitus ad delicias contemplationis fiat, quæ coniunctionem facultatis cum obiectio antegressam ponunt, & quandiu Deo visum fuerit perseuerant; subducit enim ipse se, ad illius ipsius vtilitatem, qui ab hisce deliciis abdicatur. *Venit ad consolationem*, ait Bernardus, *recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te, ne si semper apud te sit sponsus, incipias contemnere sodales, & hanc continuam*

De scala claust. c. 6.

visitationem, non iam gratia attribuas, sed natura. Quis autem explicare possit, qua suauitate demulceantur amici Dei, qui recumbunt in mensa Domini, cùm Dominus ipse transiens ministrat eis manna, quod nemo nouit, nisi qui accipit; quis in illis amplexibus feruor charitatis accendatur, quem neque suspiriorum anhelitus, ne riuuli lachrymarum restinguant, sed vehementiùs inflamment. Quis capiat quo sponsa gaudio perfundatur, cùm sponsus illi petitioni acquiescit, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Neque enim minùs sponsæ conuenit ista postulatio, quàm sponso cuncta peruidenti infinita scientia sua.

Cant. 2. 14.

VII. *Quid de ea S. Bernardus.*

Ibid. c. 2.

D. ipse Bernardus de meditatione agens, quæ fores aperit contemplationi, & varia in alicuius rei consideratione circunspicit. *Sentio*, inquit, *quod puteus altus est, sed ego adhuc rudis tyro, & in quo pauca hæc haurirem vix inueni.* Quid ergo de contemplatione dicent, qui eam non sunt experti? Doceat nos S. Bernardus, qui se tyronem, præ animi demissione vocat, quamuis veteranus esset miles, planéque emeritus. Ab eo discemus in primis *Contemplationem esse mentis in Deum suspensæ eleuationem, æternæ dulcedinis gaudia degustantem.* Eam à Deo gratiam cum ipso postulabimus. *Da mihi Domine*, inquit, *arram hæreditatis futuræ, saltem guttam cœlestis pluuiæ, qua refrigerem sitim meam, quia amore ardeo.* Si hæc sentiebat & loquebatur tyro, qualis fuit & quantus cum factus est magister?

Ca. 3.

VIII. *Effectus eius ex eodem.*

Ca. 4.

Vide Bern. deinter. domo ca. vlt. & serm. 23. 46. 62. super Cãt. Ioan à Iesu Maria in Theol. myst. Tho. à Iesu l. de Contẽplat. & de Orat. l. 2. c. 9.

Addit porro deinceps, his atque huiusmodi desideriis, contemplationis amantem suum inflammare desiderium, & quasi quibusdam incantationibus diuinum ad se sponsum aduocare, cuius oculi super iustos, & aures non solùm ad preces eorum intentæ sunt, *Sed ipsas*, inquit, *preces eorum non expectat donec sermonem finierint, sed medium orationis cursum interrumpens, festinus ingerit se, & animæ desideranti festinus occurrit, cœlestis rore dulcedinis circunfusus, vnguentis optimis delibutus animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impingat, & facit eam terrenorum obliuisci, memoria sui eam mirabiliter roborando, viuificando, inebriando, & sobriam reddendo.* Hæc vir sanctus, ex sua sibique similium experientia, quorum numerus perexiguus est, in turba multorum, qui multis annis petunt, expectántque contemplationis gratiam, quam non accipiunt, siue propter negligentiam mundandi cordis sui, siue diuina prouidentia de ipsis aliter disponente.

IX. *Perfectissima vnio vitæ huius.*

Greg. hom. 17. in Ezec.

Notandum verò.

Vide Tho. à Iesu de Orat. l. 2. c. 9. & l. 4. c. 1.

Etsi autem diuina clementia contemplationis gaudia non perfectis solùm, sed proficientibus etiam, atque adeo nonnunquam tyronibus ipsis atq; imperfectis cõmunicat, & recẽs egressos ex Ægypto pane reficit angelorũ: vnio tamen, à qua via vnitiua nomen accepit, perfectorũ est; quibus conuenit, vt Theologiæ mysticæ doctores, cum magno Dionysio tradunt, purgata iam mentis acie, diuina perspicacius intueri, & arcano amoris nexu ipsi Deo adhærere, ibique velut in arce Sion, ac

proprio centro pace, quæ ſuperat omnem ſenſum, & puriſſima voluptate perfrui. Hic ſupremus eſt in hac vita ſpiritalis vitæ gradus, quo ineffabilis humanæ mentis cum Deo ipſo vnio, atque arcana coniunctio continetur, ipſiúſque Dei in animam illapſus; cui ſe mirabili quodam modo patefacit, quam amantiſſimè deoſculatur, quam in ſe diuina quadam metamorphoſi conuertit. Ibi denique diuina charitas, vltra viæ purgantis atque illuminantis incrementa, eò caput extollit, quo vix fertur intuitus. Sic fere myſtici illi Theologi.

CAPVT IV.

Rurſum de oratione, diuiníſque colloquiis, eorúmque præſtantia, & vtilitate.

VERVM de tam ſublimi támque diuina vnione hactenus, quando non ſolùm populi captum, cui nunc ſtudemus in primis, ſed grauium etiam Theologorum longè multúmque tranſcendit, quam ſancti ipſi diuinitus edocti, tacere malunt quàm proloqui; negántque vllam poſſe orationem, quæ ipſi experientiæ par eſſe poſſit. De ſacris ergo potiùs cum Deo colloquiis, quæ ſunt doctis indoctíſque communia, & homines Deo peramanter coniungunt, dicamus aliquid. Illud autem non parum ad eius excellentiæ commendationem pertinet, quod ait S. Chryſoſtomus, Angelos ipſos honorem habere iis, qui tam facilè, tam ſæpe, tam familiariter ad colloquium diuinæ maieſtatis admittuntur. Magnus ille credentium pater Abraham, ille princeps patriarcharum, præclarè intelligebat quanta fieret homini gratia, cui permitteretur familiares cum Deo conferre ſermones; cùm etiam alloquens angelum, qui Dei vice fungebatur, diceret, *Quia cœpi, loquar ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis.* Ioſeph totius Ægypti prorex, non audet alloqui Pharaonem, pro impetrando commeatu ad ſepeliendum in Chananitide parentem ſuum, ſed regis neceſſarios interpretes adhibet. Nos autem cùm libuerit, nullo adhibito gerendi negotij gratioſo internuncio, adire poſſumus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiæ conſequendæ gratia, ſupplices ei libellos offeramus, aut in eius gloria celebranda, officium beatarum mentium vſurpemus.

[Margin: I. *Excellentia orationis, ſiue colloquij cum Deo.* — L. 1. de orã. Deo. — *Quàm id honorificum homini.* — Gen. 18. 27. — Hebr. 4. 16.]

O quàm fructuoſa eſt apud Deum pia & feruens oratio, ad iungendam cum eo amicitiam, cùm ſatis in ea ſit virium, ad peccatorem omni debito liberandum, & lacerandum æris eius alieni chirographum, vt Euangelico illi publicano contigit, qui humili prece conſecutus eſt, vt iuſtificatus rediret in domum ſuam: deinde etiam vt iuſti gratiæ & gloriæ incrementa promereantur, quæ Deus ex iuſtitia cumulatè reddat;

[Margin: II. *Quámque fructuoſum.* 1. — 2.]

3. iuxta illud, *& pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Deniq; quid-
Matt. 6. 6. quid poſtulare libuerit, poſſumus ex diuina liberalitate obtinere, iuxta
Mar. 11. 24. mirabilem illam filij Dei promiſſioně, *Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Itaque meritò Chryſoſtomus, orationem manum animæ vocat, quòd ſicut manu omnium inſtrumentorum organo, ad omnia peragenda vtimur, ita oratione ad omnia obtinenda, quæ cum diuina gloria, vel noſtra vtilitate non pugnant.

III. 4. *Intellectus illuminatur.* Exod. 34. 29. 35. Pſal. 33. 6. Oratione illuminatur intellectus. Ecquis enim mentis oculos in lucem illam iuſtitiæ ſolis intendat, quin noua illuſtratione clareſcat? In cuius rei ſignum Moſes, poſt quadraginta dierum cum diuina maieſtate in monte colloquium, faciem inde retulit vſque adeo fulgurantem, vt eum fulgorem populus ferre non poſſet, niſi Moſes adhibito velamine, faciem ſuam obumbraret. *Accedite ad eum*, aiebat
5. *Spes augetur.* Dauid, *& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Minimè ſanè, cùm proprium ſit orationis munus ſpei firmitatem & incrementa tribuere, dum videt ſe tam facilè voti compotem fieri. Eadem cha-
6. *Et charitas.* ritatem inflammat aduerſus eum, à quo tot tantiſque bonis identidem
7. *Et humilitas.* cumulatur. Eadem animi demiſſionem fouet, dum agnitam inopiam ſuam Domino repræſentat, tantámque miſeriam, vt ipſe per ſeſe nihil poſſit, niſi peccare; eadem cœli opibus immenſiſque theſauris pa-
8. tefactis in mundi contemptum inducit. Ea denique nonnunquam ſan-
9. ctorum animos tanta delectatione complet vt diem nocti, & noctem diei conſequenti, ſine tædio vel labore iungat.

IV. *Deus appetens vnionis huius.* Qui ergo ſe quotidie ita coniungit hominibus atque communicat, nónne oſtendit habere ſe pectus plenum amoris vnientis? qui longiorem temporis moram ferre non potuit, neque amicorum gaudia differre dum cœlum adiiſſent, ſed in hoc quoque exilio eis conſociari placuit, nónne apertè docuit quanto vnionis iſtius deſiderio teneatur, quámque æquum ſit nos iſti eius deſiderio reſpondere? Cùm enim oratio ſit eleuatio mentis in Deum; ſimul etiam animum ad eam paulatim præparat functionem, quæ perpetuò exercebitur. Hæc quippe eſt optima illa Mariæ pars, quæ non auferetur ab ea. Sic tyrones rudibus pugnant in palæſtra, prius quàm legitimum ſubeant in acie certamen; ſic ſcholaſtici non prius in curia cauſis capitalibus adhibentur, quàm in theatro, & ſcholaſtico puluere declamarint; ita denique Dei ac pietatis amatores, Deum hîc contemplantur & laudant, cœleſti contemplationi diuinitatis, laudibúſque proludentes.

V. *Frigida vitæ huius oratio.* Luc. 24. 2. Cor. 5. 6. Interea Cleophæ hoc loco plerique, eiúſq; ſocio ſuppares eſſe ſolent, qui, cum magiſtro ſuo peregrinabantur ſerebántq; ſermones, nec tamen illum agnoſcebant, quòd oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent; tenentur & noſtri, dũ in hoc mortali corpore peregrinamur à Domino, quamuis nobiſcum ipſe progrediatur, & colloquamur interdum, & in

nobis sit, & sermonibus eius atque afflatibus incalescamus, manet tamen ignotus; occultat quippe splendorem faciei suæ velo fidei; de ipsius nihilominus præsentia certi sumus, quàm illi discipuli non norant, quamuis cor eorum ardens esset in via, dum eis magister ignotus exponeret diuinarum oracula scripturarum. Plurimorum tamen sæpenumero frigida est, & desidiæ concretione torpescit. Neque sanè mirum, inquam, cùm nos Deum alloquamur, ipse autem tacitus perseueret, qui tamen cum discipulis colloquebatur; Et sponsus non faciem solùm sponsæ ostendi siti postulabat, sed dulcem quoque illius vocem, in auribus suis resonare cupiebat. Nos autem cùm vtroque careamus, quid mirum in ore verba exarescere, & in corde sanguinem non calere? AVTOR. *Quid causa.*

VI. AMOR. *Deus multipliciter loquitur hominibus.*

At profectò, ait Amor Vniens, Deum hominibus multiplicitèr loqui, negari non potest; ipsúmque etiam ab eis exaudiri posse, si diligenter attenderint. Ipsos enim modo per res à se creatas alloquitur, quæ auctoris sui bonitatem, sapientiam, liberalitatem, amorémque testantur, dum humanis vsibus deseruiunt. Ita Seruator, Ioannis discipulis se præbuit agnoscendum, mirabilibus operibus in eorum conspectu perpetratis. 1. Interdum etiam nos, regum & principum more, alloquitur, qui cum subditis agunt, eorum interuentu, qui vices ipsorum gerunt. Matt 11. 5. Luc. 7. 21. Vicariam autem Dei potestatem exercent, quicunque legitima nobis cum auctoritate præsunt, vt parentes, reges, atque præsules. 2. Quid sacræ literæ, nónne Dei verba sunt, oraculáque certissima? 3. Quid tam multi pij codices, quos Deus dictauit amicis suis? nónne eorum opera ipse nos alloquitur, arguit, instituit, consolatur? Quid interna lumina, afflatúsque dicam? 4. quibus tam in oratione, quàm extra eam, puncto temporis, vnóque verbo nos reddit de sua voluntate certiores; sic vt verbum vnum instar sit amplissimi sermonis, adeóque etiam gustum præbeat, qui plurimis verbis vtilitate præstet. *Non enim in sermone est regnum Dei*, vt ait Apostolus, *sed in virtute* persuadendi corda mortalium, & cœlesti amore inflammandi. 1. Cor. 4. 20

VII. *Cur minus audiatur.*

Sed contingit non raro vt interior illa vox non audiatur, propter strepitum & tumultum curarum mundanarum. Si quando amicus modestè pulsat ad fores, nemo audit, si fortè contigerit tum domum tympanorum strepitu personare. Affirmabat Tullius, querebatúrque aures hominum obsurdescere, nec naturæ voces de officio nos admonentis audire. Tusc. 5. Deus ipse potiùs naturæ autor monita salutis auribus cordis instillat. Itaque Dauid Oratorem illum corrigebat, cùm diceret, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Psal. 84. 8. Contra verò, vt alio loco ait, peccatoris furor instar est serpentis, aut *aspidis surdæ, & obturantis aures suas.* Psal. 57. 5. Qui assueti sunt fragori torrentiũ per confragosa loca, & aspera saxa decurrentiũ, quæ sunt huius

vitæ commoda, multo cum labore, multa corporis, animíque contentione quæsita, sibilum illum auræ tenuis, in quo reperitur Dominus, obseruare non possunt.

3. Reg. 19. 12.

VIII. *Deus sine verbis auditur.* Iob. 4. 12.

Huiusmodi fuisse videtur id verbum, quod Iobi amicus Eliphas se diuinitus percepisse dicebat. *Porro*, inquit, *ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea verba susurri eius.* Verba igitur ex parte Dei deesse non possunt, sed necessarium est silentium, & attentio singularis, vt sibilus ille auræ tenuis exaudiri possit. Sed age obsecro, quid aliud est loqui, quàm animi nostri sensa patefacere? nónne philosophi sine vlla disputatione consentiunt, verba esse signa conceptuum, siue cogitationum in mente latentium? siue ergo verbo fiat à Deo illa patefactio, siue scripto, siue nutu, siue signo alio, nónne perinde est? Speculum melius hominem certiorem facit maculæ, quæ in eius vultu residet, quàm omnia admonentis amici verba.

IX. *Mirum hominem esse in oratione elinguem.*

Permirum itaque fuerit in ore alloquentium Deum verba exarescere, neque eos inuenire quid amanti amicè respondeant, cùm eis omnes creatæ res verba suppeditent, & gratiarum actionis argumenta continenter suggerant, eius beneficiis noctes diésque in eos depluentibus. Num rebus caremus aduersis, periculísque grauissimis, vt ab eo postulemus conseruari in nobis patientiam, aut certè aperiri nobis viam expediendæ salutis? Nónne quotidie multa peccamus, de quibus oporteat veniam petere? Hæc ergo argumenta loquendi cùm perpetuo præsto sint, prodigij instar fuerit, quempiam inter orandum, instar piscium obmutescere, aut quasi truncum stupere semisomnem. Quòd si orandi materia deesse non potest, necesse est nostrum in Deum amorem incalescere, affectus concitare, explicare linguam, non tam oris quàm cordis, quæ Dei aurem directò petit. Quæ causa fuit cur Moses, cùm Deum oraret vehementius, neque tamen lingua verbum vllum expromeret, nullum ederet ore sonum, à Deo tamen audierit, *Quid clamas*
Exod. 14. 15. *ad me?* Ille vtique parum amicum diligit, quem cito tædet cum eo miscere sermones. Ille contra multum prodit amorem, qui licet temporis prematur angustiis, subinde valedicere potest, abire non potest.

CAPVT V.

Sanctos viros magna cum Deo coniunctione, præsertim inter orandum, præstitisse.

I. *Figura orantium lucta Iacobi.* Gen 32 23. 24.

TALES se olim insignes Dei amici, omnibúsque deinceps ætatibus demonstrarunt; quæ res quondam in Iacobo patriarcha insigniter adumbrata est, qui bonam noctis partem cum Angelo, ad emicantem

vſque auroram luctatus eſt, nolens tam nobilem antagoniſtam, qui Deum repræſentabat, à ſe dimittere, aut brachia cum eo complicata laxare, donec benedictionem, quam precibus implorauit & lacrymis, ab eo conſecutus eſſet. Dei amans luctatur cum Domino, eique vim facit, quando contentioni precum etiam lacrymas adiungit, vt ab eo gratiæ aliquid exprimat. Ita Moſes vim afferebat Domino, & quaſi complexu cōſtrictum tenebat; id enim illa Domini verba teſtantur, *Dimitte me*, inquit, *vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleã eos.* At Moſes contrà ingenti obnitens conatu; *Aut dimitte eis*, inquit, *hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quaſi diuinæ amicitiæ renunciare vellet, niſi hanc populo veniam extorqueret; quæ exuperatio quædam eſt in dicendo, ſupra quam veritas patiatur. Oſee 12. 4. Exod. 32. 10 v. 32.

Nec deſunt alia in ſcripturis huiuſmodi ſuperlationis exempla, quæ fidem huic expoſitioni concilient: vt cùm Dauid Ionathæ dicebat, *Si eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Sic aliquando contingit patrem familias fuſte obarmatum, improbum filium ac peruicacem inuadere, ad eum malè mulctandum, cùm mater, aut irati parentis amicus aliquis ſingularis, medium ſe dat, furentem complectitur, brachium occupat, ne luculentam aliquam plagam inferat adoleſcenti. Pater contra, dimitte me, obſecro, iſtum vt nebulonem pro meritis caſtigem, frangam illi brachium, vt reliquam vitam improbitatis pœnas luat. At ille, niſi deſiſtis, inquit, ego amicitiæ tuæ remitto nuncium: perſeuerat nihilominus, dum filius à parentis conſpectu ſubducat ſe, obtineatur venia, pax redintegretur. II. *Et vim afferentium Deo* 1. Reg. 20. 8

Eodem pertinet mulier illa Chananæa ex Euangelio, quæ arctè obſidet Seruatorem, omninóque ab eo extorquere cupit filiæ à dæmone obſeſſæ libertatem. Ergo clamorem primo tollit miſericordiam petens; id cùm fruſtra fieri videretur, adit Apoſtolos, quaſi tormenti verberatione mutata: cùm ne ibi quidem proficeret aliquid, redit ad Seruatorem, eum vrget importunius, & ex inſuaui recuſatione, elicit victoriæ argumentum. Denique quaſi victum, ad illam victoriæ confeſſionem compellit. *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Nec deſunt alia Sanctorum iſtiuſmodi cum Deo luctæ exempla, qua neceſſariam ſibi gratiam extorſerunt. Sed abſtineo, ne ſim longior, & ad magnum illum Hebræorum Legiſlatorem redeo. III. *Exemplo Chananaa.* Matt. 15. 22.

Inſignem vtique orationis donum Moyſes ſe conſecutum eſſe patefecit, & gratiam amoris cum Deo ſuauiſſimè coniungentis, qui ſemel, iterum, tertiò, quadraginta ipſos dies, in diuino illo monte, ieiunus permanſit. Primùm poſt legis promulgationem, quando quadrageſimo die tabulas digito Dei deſcriptas accepit. Secundò, cùm montem repetiit, poſt adoratum, confractúmque vitulum aureum, ad veniam populo à Deo conſequendam. Tertiò, cùm remiſit eum Dominus ad præparandas nouas tabulas, quas poſt alios 40. dies accepit, & cùm eis ad popu- IV. *Oratio Moſis ter 40. dierũ* Vid. Annal. an. m. 2544. n. 626. 627. Exod. 24. 18 Deut. 9. 25. & 10. 10. Exod. 34. 28

lum rutilanti facie reuersus est, ex diuturna cum Deo consuetudine, adeò, vt ne Aaron quidem ipse, & frater & Pontifex, ad eum propiùs auderet accedere. Nimirum ferrum in fornacem iniectum, vbi ignis ipsum peruaserit, lucem latè spargit, & quodammodo fulgurat, præter calorem, mollitudinem, leuitatem, & si quas alias qualitates, quas ab igne participat, quibus ea dona repræsentantur, quæ Deus iis communicat, qui vnus spiritus fiunt in oratione cum ipso.

Exod. 34. 30

V. *Et S. Ignatij Deo se subinde iungentis.*

Legimus de sanctissimo Societatis Iesu patriarcha Ignatio, tam solenne ipsi ac perpetuum fuisse, Deo sese orando coniungere, vt coniectis oculis, non solùm in admirabilem illam, atque vndique coruscantem cœli faciem, sed in florem vnum, in auiculam, aliúdve quidpiam simile, magna ad Deum cum suauitate assurgeret, omnibúsque in rebus, quasi in eleganti codice, diuinas perfectiones legeret, ex omnibus ad spiritalem profectum diuina documenta colligeret. Oraturum colligere sese studiosius, & in secretum cordis intrare, ibique ita calefieri amore diuino, vt facies ipsa ignesceret ardore concepto: Deum autem vicissim ita illustrasse animam eius splendoribus Sanctorum, ac visitationibus, vt in corpus ipsum redundare viderentur. Itaque plerique non raro faciem eius ex oratione radiantem viderunt, idque iurati testati sunt, vt in eius vita perscriptum est, Deo Mosaicas illi delicias communicante: vt cùm Manresæ totos octo dies mansit in aberratione alienatæ mentis: quibus transactis ad se rediit, quasi ex dulci somno euigilaret, sacrosanctum Iesu nomen pronuncians.

VI. *Anachoretarum vnio cũ Deo.*

Quomodo potuissent olim Anachoretæ viuere, ac durare tot annos in desertis locis, omnis humanæ consuetudinis, & familiaritatis expertes, nisi diuina ac cœlesti abundassent? Quomodo ad solis ardores, ad hyberna frigora, ad ventos & pluuias, pene sine sensu motúque perstitissent, nisi eos tum diuinæ coniunctionis æstus absorbuisset? quomodo cibi & potus & somni tempora immemores transmisissent, nisi eorum memoriam Deus intimè præsens funditus occupasset? Num malorum dæmonum terrores ac minas, clamores & verbera, non intermissa oratione, & immoto vultu contemnere, aut ferre potuissent, nisi perpetuò Deum secum, quasi clypeum aduersus omnia inimici tela, circuntulissent? Quomodo eorum dolos artésque declinassent, improba concilia detexissent, malitiam agnouissent, nisi vera illa lux, quæ illuminat mentes hominum & Angelorum, præsens adstitisset, & serpentem in Angelum lucis transfigurantem se patefecisset? Denique nunquam in illis vitæ solitariæ asperrimis ærumnis ipsos quadraginta, octoginta, vel centum annos constanter perdurassent, nisi Deus illis præsentiæ suæ deliciis, cuncta corporis oblectamenta continenter suppleuisset?

CAPVT VI.

Amorem vnientem religiosarum familiarum autorem, & parentem extitisse.

SED vt derelictas illas regiones, earúmque ciues Anachoretas omittamus, quem verius dicere possumus cœnobiorum, & religiosarum familiarum autorem, quàm Amorem vniētem? Ipse est qui cœnobia cōstruxit, ibique lectissimas animas, à seculi vanitate conuersas, collegit, vt patrem vnum, regulam vnam, vnámque omnes voluntatem haberēt. Ille idem eos sub eodē tecto, concordia & fraterna charitate copulatos, conseruat: his enim vinculis quasi neruis corpora mystica vinciuntur; hæ sunt venæ, quæ per omnia membra proseminatæ, singulis idoneum largiuntur alimentum; hoc intritum est, aut signinum, quo viui lapides inter se iuncti, in parietes spiritales, domósque consurgunt. Accedit vna eadémque forma victus, vestitus, studiorum & occupationum, ne qua cernatur in tota structura deformitas; quamuis eos contingat esse ætate dispares, genere dissimiles, gentibus prouinciisque disiunctos, moribus, ingeniis, diuitiis, variisque vitæ conditionibus discrepantes. Hæc omnia perficit vnus idémque spiritus propriæ vocationis, quo animantur omnes, vnus idémque socialis amor ac fraternus, quo arctissimè inter se connectuntur. *Vnio religiosorum multiplex.*

Vota porrò, quibus ratio Religiosorum ac natura constat, fructúsque sunt Amoris vnientis, nihil aliud quàm hunc animorum nexum loquuntur, quæ vota cùm illum qui ea emiserit obligent, profectò ligant. Paupertas hominem diuitiarum vinculis absolutum, Christo pauperi voluntario arctè constringit, Castitas voluptatum laqueis expeditum, Christo Angelica puritate consociat, maximè qui intaminatam Deo virginitatem consecrarunt: de quibus Ioannes ille Christo dilectus, qui hac laude maximè floruit. *Hi sunt*, inquit, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Eandem vnitatem maximè respicit obedientia, quæ præ cæteris Christi consiliis hominem religiosum constituit; cuius omnes gradus vnitati seruiunt, non ea solùm, quæ voluntatis est, & intelligentiæ, sed quæ nudæ duntaxat executionis. *II. Maximè per vota.*

Qui enim mandata superioris exequitur, & ad eam obedientiam neque propriam voluntatem accommodat, neque iudicium, sed vtraque potiùs animi facultate repugnante, imperata facessit, merum est Superioris instrumentum, quod natura sua ita cum præcipuo agente coniungitur, vt vna eadémque res cum ipso censeatur; actio *III. Præsertim obedientia executionis.*

quippe vnica est, & tota tribuitur agenti. Nam scriptio non calamo tribuitur, sed scriptori; & depicta tabella à pectore facta dicitur, non à penicillo; & omnino actiones omnes, siue spiritales, siue corporeæ, quæ ab homine proficiscuntur, non menti ascribuntur aut manui, sed homini, qui mente manúque vtitur, tanquam instrumento. Ex quo etiam intelligi potest eum, qui in obediendo solam attulerit manum, proprij iudicij retinens, atque voluntatis, nihili esse, nulliúsque meriti apud Deũ; sicut neque apud herum vlla dignus est mercede vile mancipium.

IV. *Voluntatis.* Alter in parendo gradus, cui propriè nomen debetur obedientiæ, est cùm duæ, aut tres potiùs voluntates in vnam confluunt, & quasi in fornace conflantur. Vnica est enim Dei & prælati voluntas, iisdem expressa *Luc. 10. 16.* verbis, eodem ore prolata; id enim testatur illud oraculum, *Qui vos audit, me audit.* Accedit & obtemperantis subditi voluntas, quæ in rem imperatam interiore motione fertur, & illud, si opus est, etiam voce pronunciat, *Fiat voluntas tua.* Quo facto perficit egregium illud prodigium, quod augustissimam in diuinitate triadem repræsentat, non trium personarum in vna natura, sed in vnica voluntate; quæ vnio amoris, ex quo procedit, plena est; plena gloriosæ libertatis: efficit enim vt homo suam perpetuo expleat voluntatem, vt qui præter diuinam, quæ prælati etiam est, nullam habeat propriã & suam: plena meriti, Abrahami enim sacrificium imitatur, quo promeritus est infinitam posteritatem, in qua ipse etiam Christus fuit, dum quod habet in hac vita charissimum, consecrat Deo: plena denique fiduciæ, cùm certò ei constet obedientem legitimæ potestati, nisi in aperto crimine, errare non posse.

V. *Propriique iudicij.* Supremus obedientiæ gradus, quædam etiam vnio est, nec superiori dissimilis. Hic enim tria, Dei, præsulis, & subditi iudicia in vnum coëunt, & quasi liquefacta concrescunt. Nam exempli causa in diuini Verbi incarnatione, Dei iudicium fuit, Deum humanæ naturæ coniungi posse in vnitate personæ, & ex virgine matre nasci; idem Archangeli nunciantis iudicium, fuit asserentis nihil esse quod diuinam superet potestatem. Idem & Virginis, quæ quod eadem fieri posse credidisset, beata *Luc. 1. 45.* vocata est, *Beata quæ credidisti*, inquit Elisabetha. Beatus quoque qui credit, ac persuasum habet, & corporis oculos, quorum officium est regere corpus, præ cæteris membris illuminari, (quæ foris tantùm lucem accipiunt, cùm oculus ad pupillam vsque, quæ in oculi centro est, illuminetur) & religiosæ familiæ præpositos, præ subditis, diuina luce illustrari; quamuis alioqui subditi aliis Dei donis fortasse præstarent. S. enim Iosephus, non B. Virgo, ab Angelo de fuga in Ægyptum, de reditu in terram Iuda, & in Galilæam monitus est.

VI. *Paupertas quoque & castitas vniunt Deo.* Illud etiam de voluntaria paupertate, continentiáque addiderim, eas virtutes, quæ vti diximus, Christo Domino similes efficiunt, vnum cum ipso efficere religiosos, qui ob illius amorem, atque imitationem, opes voluptatésque contempserunt. Nam similia, in eò quòd similia sunt,

vnum ſunt; iuſti omnes in ratione iuſtitiæ vnum ſunt, vnum & omnes docti & pulchri, in eadem ſpecie pulchritudinis & doctrinæ, vnum omnes homines in humana natura. Eodémque modo religioſi omnes, qui Chriſto continentia & voluntaria paupertate ſunt ſimiles, non ſolùm illi coniuncti ſunt, ſed vnum cum eo ſunt, qui vexillum ſuſtulit conſiliorum diuinorum, vitam cum Apoſtolis agendo, & vitæ religioſæ formam præbendo, nemine habente quidquam, quod ſuum eſſe duceret. Act.4.32.
Itaque Petrus nomine omnium, & in eius auribus qui norat omnia, non dubitauit dicere, *Ecce nos reliquimus omnia*, ne vxoribus quidem exceptis, vt ex Chriſti reſponſione colligitur. Matth.19. 27.

VII. *Christianorum cor vnũ & anima vna.*
Hic ipſe ſpiritus paupertatis, ſe mox in vniuerſam effudit Eccleſiam; de primis enim Chriſtianis Iudææ, & Hieroſolymorum incolis ſcriptum eſt, multitudinis credentium fuiſſe cor vnum & animam vnam, nec quemquam, eorum quæ poſſidebat, dixiſſe aliquid eſſe ſuum; neque bonorum communione tantùm iuncti erant, ſed in conſentiente cum diuina voluntate concordia. Hic nimirum fructus erat orationis illius, quam Seruator apud Patrem ad mortem iturus effuderat. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Paulus quoque Apoſtolus, vt tute ante retuliſti huic ſubſcribit veritati, cùm ait eum qui adhæret Domino, vnum ſpiritum eſſe cum eo. Quod ex ſua ipſe experientia dicere poterat, quippe cuius eſt illa confeſſio, *viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et quidem ita vt Pauli anima non magis proprio corpori, quàm Seruatori adhæreret. Profitetur enim vitam ſibi eripi poſſe, Chriſtum non poſſe. Nam cùm rogaſſet in hunc modum, *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* Reſpondet, *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quod de cæteris quoque ſanctis, proportione gratiæ ac virtutis acceptæ, dici poteſt.

Act.4.32. Ioan. 17.11. 1.Cor.6.17. Gal.2.6. *& coniunctio cum Deo*

CAPVT VII.

Ieſu Chriſti amorem vnientem in myſterio Incarnationis maximè ſe prodidiſſe.

I. *Tranſitus ad myſterium vnionis hypoſtaticæ.*
EXEMPLVM Apoſtoli Pauli ſuauiter nos deduxit ad Seruatorem, & Charitas hominis ad charitatem Dei, cuius amor mirificè ſe vnionis appetentem oſtendit, qui tanta ſapientia excogitarit, tantáque poteſtate confecerit vnionem duarum naturarum, quæ magis à ſe diſtant, quam extimum cœlum à centro terræ, in perſona diuini Verbi, quod inde factum eſt Deus homo, aut homo in Verbi perſona ſubſi-

stens. Hæc vnio qua nihil admirabilius fieri potuit, & Amorem agnoscit autorem, dignissima est, quæ ab iis quoque aliquo modo intelligatur, qui licet in adyta Theologiæ non penetrarint, cupiunt tamen in Seruatoris amore, veneratione, atque admiratione proficere; sed & Matris eius sanctissimæ, quæ bonam partem habet in hoc augustissimo mysterio. Videamus ergo quomodo facta sit diuina hæc vnio, tũ de eius præstantia dicemus aliquid; omissis iis, quæ & spinosiora sunt, quàm vt vulgò à semidoctis intelligi possint, & vt intelligerentur, minus ad finem, quem habemus propositum, conducunt.

II. *Proque ea re ad Deum oratio.* Ad hunc finem coniunge nos tibi; ô sanctissime atque amãtissime Seruator, per illum ipsum amorem, quo excitante adductus es ad humanum genus infinita nobilitate, opibus, pulchritudine decorandum. Collustra face luminis tui intellectum nostrum, quem propria ignorantia, & innata fidei obscuritas, ipsiúsque rei subtilitas non parum obscurant, vt ne tantillum quidem à sanæ doctrinæ semita declinemus, sed in sanctorum Ecclesiæ doctorum vestigiis, pedes perpetuo ponere contingat. Demerge nos in fornacem Charitatis tuæ flagrantissimæ, vt amoris nostri tepor inardescat, duricies molliatur; vt opera nostra multæ animæ tibi desponsæ intelligant, ac sentiant quo se vsque protenderit, ac progressus sit amor tuus Vnionis amantissimus, cuius tam illustria argumenta in hoc diuino mysterio demonstrasti.

III. *Differentia conceptionis Christi à communi.* Intelligendum igitur est humanam coniunctionem animarum cum corporibus suis longè aliter fieri solitam, quàm fuerit coniuncta diuinitas cum humanitate Seruatoris. Materies enim humani corporis disponitur, ac præparatur in materno vtero, spatio quadraginta, aut octoginta dierum, priusquam animus in eam possit infundi, eique vitam impertiri. At materia ex qua sanctissimum Christi corpus construi oportuit, & in sua membra digeri ac dispensari, puncto temporis in vtero virgineo collecta fuit, immensa Spiritus sancti virtute; disposita, distributáque intus & foris, eodem temporis puncto, absolutione tanta, quantam decebat corpus, quod ad tantam dignitatem erat destinatum; eodem in illud infusa est anima, eximium quasi archetypon omnium, quæ vnquam fuerunt, aut futuræ sunt animarum. Conuenit inter Philosophos corpus humanum vita primùm donari, qua viget vt plantæ, tum qua mouetur ac sentit vt animalia, postremò qua ratiocinatur. Conuenit etiam inter Theologos Christi corpus eodem instanti temporis omnes vitæ gradus esse consecutum, adeò vt nunquam hic infans rationis vsu caruerit.

D.Thom. 3.p.q.6.a.5. ad 1.& q.33. a.1.& 2.

IV. *Tota momẽto temporis perfecta.* Luc.1.38. Itaque cùm primùm Virgo beatissima, ab Angelo edocta de diuino consilio, super redemptionem mundi, per Incarnationem Verbi, acquieuit diuinæ voluntati, & præbuit in hæc verba consensum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, eodem tempo-

ris puncto Deus admiranda prodigia in vtero Virginis, operatus est. Humanum enim corpus eiusdem cum cæteris speciei, conformatum, digestum, ac perfectum est, ex ea materia, quam virgo intemerata suppeditauit, Spiritu sancto virilis seminis vim omnem & efficacitatem supplente. Anima quoque illa nobilissima atque beatissima creata, & in eadem membra, tanquam propria corporis forma, infusa est. Denique eodem momento persona Verbi vtrique parti copulata est, & ipsæ partes inter se coniunctæ sunt, ita vt Seruator non prius fuerit homo, quàm homo Deus, quem Græci θεάνθρωπον vocant.

V. *Cum quibusdam tamen naturæ antecessionibus.*

Licet autem momento temporis hæc omnia facta sint, in ipsis tamen notatur naturæ quædam antecessio, quæ prioritas vulgò nominatur. Ponunt enim Philosophi quandam antecessionem, & quasi præcursionem ordine temporis, quo modo dies dominicus diem lunæ, & vita mortem antecedit; aliam autem ordine naturæ, quo modo tactus fidium præuenit eorum sonum, vt causa effectum qui ab illa pendet, licet sonus & tactus eodem momento contingant; sic dum baculus in aquam immergitur, aqua simul aperitur, & à baculo peruaditur, prius tamen natura est aquam aperiri, quàm in eam intrare baculum. Eodem modo in hoc diuino mysterio, & vnione Verbi cum humanitate, illiúsque partibus, nullam temporis antecessionem esse constat; naturæ tamen prægressionem sacri Doctores admittunt, aiúntque in via operationis siue executionis, assumptionem partium priorem esse naturà, assumptione totius humanitatis. Verbi enim coniunctio cum anima, vel cùm corpore non dependet à coniunctione corporis cum anima, quia hac coniunctione soluta, perseuerauit coniunctio Verbi cum vtraque parte seorsim.

Ordo vnionis Verbi. D. Thom. 3.p.q 6. a 5 ad pri. & ibi Suar. sec. 1. §. *Dico secundo.*

VI. *Cum anima & corpore.* D. Thom. 3.p q.6.a.4. ad 3. & ibi Suar & d. 17. ser. 2. §. *Dico secundo, &. Quod autem id repugnet.*

Prius porrò intelligitur animam Christi in Verbo subsistere, quàm suo corpori iungatur, quia humanus animus prius natura subsistere intelligitur, quàm copuletur corpori suo, ergo & anima Christi, quæ subsistit in Verbo, supplente ipsius naturalem subsistentiam, prius illi vnita intelligitur, quàm corpori coniungatur. Similiter & corpus prius intelligitur Verbo coniunctum, quàm animæ propriæ; prius enim intelligitur esse quoddam ens partialiter subsistens, quam intelligatur animatum, non est autem subsistens nisi per Verbum, prius igitur Dei Verbo, quàm animæ suæ coniunctum est. Cæterùm posita gemina hac vtriusque partis coniunctione cum Verbo, sequitur naturalis partium ipsarum inter se coniunctio in vtero materno, ad eámque mater actione materna concurrit; ex quo fit vt Virgo non solùm sit mater huius hominis, sed verè ac propriè mater Dei; quia priusquam Seruatoris anima & corpus inter se vnirentur, vtraque pars erat copulata Verbo, erántque Dei anima, & Dei corpus. Sicut ergo mulier, in qua

Vnde pendet diuina maternitas. Vide Suar. 3.p.t.2.q.27 d.1. sec. 1.§. *Aliter ergo resp.*

iungitur hominis anima humano corpori, est vera illius hominis mater; ita virgo, in cuius vtero iungitur Dei anima diuino corpori, est vera Dei mater. Et sicut illa non desinit esse mater, quamuis non procreet animam, sic nec virgo desinit esse Mater Seruatoris hominis Dei, licet non producat diuinitatem eius.

CAPVT VIII.

Omnium intimam atque excellentissimam esse vnionem incarnati Verbi.

I. *Vnio incarnationis substantialis præstat accidentalibus.*

INTIMAM esse omnium Diuini Verbi cum humana natura coniunctionem illud docet in primis, quod naturarum est, quæ per se constant; eóque ipso accidentariam omnem connexionem longè vincit ista copulatio, siue naturæ cum proprietatibus suis, siue subiecti cum accidentibus. Itaque interior est illa coniunctio quam Solis cum lumine suo, ignis cum calore, aut niuis cum albedine inhærente: quamuis illa cum istis à sanctis Patribus componatur, ad faciliorem intelligentiam. Origenes enim, & sancti Basilius & Damascenus incarnati Verbi vnionem cum ea conferunt, quæ est candens inter ferrum & calorem, vt doceant Seruatoris humanitatem à coniuncta diuinitate illustrari, & vim accipere opera mirabilia perpetrandi. Alij conferunt ramo insito in alienam arborem, & populariter ostendant substantiam alteram alteri coniungi, ac coagmentari posse.

II. *Quæ sunt multiplices.* Ephes. 5. Ioan. 2.19.

Paulus Apostolus eam comparat vnioni Matrimonij, partim ad mutuum duarum naturarum amorem edocendum, partim ad rationem explicandam, qua humanitas à diuinitate nobilitatur, regitur, locupletatur. Seruator ipse corpus suum templum, vtique diuinitatis appellat, vt intelligamus diuinitatem modo quodam singulari in hac humanitate habitare, in qua nobilius, quàm vsquam alibi, honoratur & colitur. Nulla tamen harum, aut similium vnionum huic ex æquo respondet, quæ substantialis est, & in qua non accidentarium, sed proprium ac germanum, ex diuina & humana natura compositum, perfectissimè coalescit: atque adeo perfectius, quàm anima corpori suo, tanquam forma iungatur.

Serm. 17. de pass.

Quod innuit magnus Leo pontifex. *In tantam*, inquit, *vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec potuerit supplicio dirimi, nec morte dissolui,* cùm tamen mors, animæ cum corpore nexum dissoluat, diuinam autem naturam aut personam ab humanitate seiungere nulla vis, si à diuina discesseris, vllo modo potest.

Cyril. l. de incarnat. c. 7.

III. *Præstat vnioni materiæ & formæ.*

Adde quod interior est simpliciórque coniunctio naturæ, cum persona in qua subsistit, quàm materiæ cum propria forma; eiúsque rei signum est, quòd illa reperitur in Angelis, quorum natura simplicior

multò eſt, quàm rerum corpore conſtantium, iſta non item. Multo denique interiore iunctione tenentur natura & perſona, quàm partes cum toto quod componunt. Partium enim inter ſe, aut cum toto copulatio, extrema quaſi ora copulantur, minúſque cohærent quàm anima cum corpore, aut forma cum materia, quæ ſe totis, & omni ex parte coniunguntur; hæc tamen coniunctio, illi quam dixi, tanquam interiori multo, atque ſimpliciori cedit.

Hæc ipſa vnio perſonæ cum natura non ſolùm intima eſt omnium, ſed etiam perfectiſſima. Nullum enim gratiæ opus Deus vnquam edidit, aut editurus eſt aliquando, quod vnioni diuinæ perſonæ cum natura humana par eſſe poſſit. In hoc enim myſterio incarnati Verbi excellentius quiddam homini tribuitur, quàm cùm peccatori gratia datur in terris, aut iuſtis in cœlo gloria; atque adeo cum ipſa Spiritus ſancti perſona, & non dona eius duntaxat, homini communicatur, vt in Dei filium adoptetur; aduentitiæ quippe ſunt omnes iſtæ coniunctiones, nec in eis Deus ſe dat homini, ad perficiendam, complendámque naturalem eius entitatem, & conflandum cum ea verum ac ſubſtantiale compoſitum: ſed illi ſe dare dicitur, quia ſingulari modo fit ei præſens; ſiue in ratione obiecti facultatum eius, ſicut oculo lumen vnitur; ſiue tanquam ſupernaturale principium, quod animam quam poſſidet moderatur ac regit, ſiue per eam animorum vnionem, qua ſingulari quodam amoris vinculo inter ſe amici iunguntur. IV. *Eiuſdem excellentia præ cæteris omnibus.*

At in vnione qua *Verbum caro factum eſt*, ipſa perſona Verbi huic ſeſe impertitur humanitati, ad ipſius naturam vltimo complemento ac perfectione donandam, ſic vt eam ſuſtentet, determinet, & efficiat ex homine Deum; Deum inquam ex homine efficiat, non diuinum, neque ex adoptione filium, vt cæteri mortales, ſed germanum atque naturalem Deum. Idque Paulus apud Hebræos apertè profitetur, ac prædicat, cùm ait Seruatorem tanto meliorem Angelis effectum eſſe, quanto differentius atque excellentius præ illis nomen hæreditauit. Dei videlicet nomen, quod illi iampridem tribuebat Eſaias, cùm diceret illum non ſolùm vocatum iri Admirabilem, magni conſilij angelum, fortem, principem pacis, ſed Deum etiam, ac patrem futuri ſeculi. Facile eſt intelligere mirabilem eſſe huius vnionis excellentiam, cùm illius cauſa plus honoris ac venerationis huic humanitati debeatur, quàm omnibus illis mentium beatarum legionibus, quæ illam iuſſæ ſunt adorare, dicente per Dauidem Domino, *Adorate eum omnes Angeli eius.* Imo quàm omnibus omnino ſanctis, ne excepta quidem beatiſſima Virgine, quantiſcumque Dei cumulentur donis: cum quibus nihilominus in rebus creatis perpetuò cenſebuntur: cùm hæc vnio hominem efficiat creatorem, & omnis, etiam in hac vita, defectionis expertem. V. *Incarnatio facit ex homine Deum.* ca. 1. 4. ca. 9. 6. Pſal. 96. 8. Hebr. 1. 6.

Eadem vnio reddit humanitatem coniunctum diuinitatis inſtrumentum, ſicut manus & brachium eius humanitatis ſunt organa, cui natu- VI. *Et coniunctũ diuinitatis inſtrumentũ*

rali coniunctione cohærent; à qua vitam, motum, gubernationem accipiunt. Huic ergo humanitati coniunctæ Deo, debetur communicatio perfectionum eius, vt de ferro candente dicebamus, & ab ipso Dei Verbo dirigi debet & gubernari, tanquam ab humana persona, in cuius locum successit, quæ summa est ipsius perfectio; ad eundem modum quo corporis humani summa perfectio est esse instrumentum coniunctum animæ ratione vtentis, cuius hoc ipso perfectiones & spiritalem ordinem aliquo modo participat, eóque statu ad perfectionem, quauis alia creata maiorem excitatur. Hæc vnio intimè attingit personam Dei, eique humanitatem substantiarum more modóque connectit; eúmque verum Deum efficit, qui verus est homo, & ad gradum euehit tam sublimem, nullus vt gratiæ habitus eò aspirare possit, quod S. Thomas de huiusmodi etiam gratia Seruatoris affirmat.

Suar. 3. p. q. 16. d. 9. sect. vlt.

3. p. q. 7. a. 13.

VII. *Hæc vnio Dei amoris in homines argumentū.*

Is ergo qui ex immensa bonitate sua, & infinito in homines amore, eis tam magnificè seipsum, támq; gloriosè coniunxit, nullam profectò causam de suo in eos amore dubitandi reliquit, cùm istius coniunctionis opera diuinæ iustitiæ pro ipsis cumulatè satisfecerit, eos extulerit in libertatem, filiorum Dei, & innumeris gratiarum donis locupletarit. Cùm, eiusdem vnionis beneficio, eo vsque naturam humanam euexerit, vt diuina omnipotentia nullam sibi rationem aut viam reliquam fecerit, qua eam altius excitaret. Nam neque Deo quidquam sublimius inueniri potest, neque interius aliquid Deo iungi, quàm in vnitate personæ. Hæc vnio fons est hominibus omnium virtutum, omniúmque meritorum, firmamentum spei omnibus sanctis, & charitatis incendium, summæ animi demissionis exemplum, paupertatis, patientiæ, obedientiæ, & omnium in heroico gradu virtutum.

VIII. *Et incitamentum.*

Vnio eadem immensi cuiusdam amoris obiectum est, laudis & immortalis gratiarum actionis validissimum incitamentum; admirationis, venerationis & gaudij, cuius nullus erit vnquam terminus, nullus finis. Imo & verissimæ gloriæ seges, præ ipsis angelis. Habent enim mortales hominem Deum, illi Angelum Deum non habent. Sed illa in primis hominum est vtilissima gloriatio, si peccatum, nobilitate sibi à Christo collata indignum putent, quando ille hominis consanguineus ac frater esse dignatus est. *Agnosce*, ait S. Leo, *ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Hoc verissimum est gloriæ argumentum, de quo si quis gloriari voluerit non erit insipiens, veritatem enim dicet, vt Paulus ait; qui & autor est, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, qui mauult esse hominibus amoris, quo ipsi coniunctissimi efficiantur, quàm gloriæ incitamentum. Hæc enim gloria, si solitaria fuerit, non reddet meliores, amor autem amicos reddet & heredes.

Sicut & gloria.

Serm. 1. de Nat.

2. Cor. 12. 6.
1. Cor. 1. 31.

CAPVT IX.

Vnio Seruatoris cum ipsius matre sanctißima Virgine Maria.

AMOR VNIENS.

PAVLO antè declaratum est à nobis, vnione diuini Verbi cum humanitate sua, Virginem factam esse Dei matrem, eúmque titulum summo illi iure conuenire, cùm ipsa circa filij Dei humanitatem nihil minus operata sit, quàm cæteræ matres circa filios suos; fuit enim diuinæ illi humanitati quasi aduentitium quiddam, vt corpus illud, & illa anima, ad quorum compositionem Virgo materno concursu, & quasi causa efficiens concurrebat, singula iam personæ Verbi consociata essent. Quæ est ergo Virginis augustissimæ atque purissimæ non solùm cum humanitate, sed cum ipsa etiam Verbi persona necessitudo siue cognatio? vtique consanguinitatis, & quidem in eo gradu, in quo esse solent pater & mater; affinitatis autem ad Deum, reliquásque diuinas personas, vt loquitur S. Thomas. Hæc sanguinis in primo gradu coniunctio, fundamentum est omnium gratiarum, omnísque prærogatiuæ, qua sancta Deipara vnquam est affecta diuinitus. Quas enim gratias ante incarnationem consecuta est, dispositiones fuerunt tanto mysterio congruentes; quæ autem illam secutæ sunt, quasi proprietates fuerunt, & ornamenta debita incomparabili reginæ.

I. *Virgo vera Dei mater.* Vide Suar. t. 2. in 3. p. d. 12. s. 2. con. 3.

Cum affinitate, & consanguinitate cum Deo. 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. & ibi Caiet.

Propter eandem vnionem Seruator humana diuináque natura constans, geminam quoque filij relationem habet, æternam vnam, qua æterni patris æternus est filius; ex tempore alteram, sed quæ in totam propagabitur æternitatem, qua filius est virginis: vnicus tamen est filius, quia vtriusque generationis idem est suppositum eadémque persona; nec satis est multiplicari naturas, nisi personæ quoque multiplicentur. Vnicus quoque Dei filius natus est, quamuis gemina natiuitate. Sicut ergo propter priorem generationem Seruator Deum æternùm vocabit patrem, ita posterioris causa Virginem æternùm appellabit matrem, & ipsa vicissim filium vocare nullo vnquam tempore desinet; neque inglorios vnquam ducet filius titulos illos. Si enim, vt ait Paulus, *Deus non confunditur vocari Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Iacobi*, quòd illis ciuitatem præparauit in cælis, sic neque titulos matris aut filij parum gloriosos æstimabit, propter illam, quam mater ipsi præparauit humanitatem, quam ipse diuinam fecit.

II. *Gemina Verbi relatio.* Suar. vbi supra.

Hebr. 11. 16.

Sed conemur, si placet, assequi coniecturis quantam inuehat gloriam ista maternitas. Si quis vulgò ad eminētem aliquem dignitatis gradum,

III. *Quanta sit gloria diuinæ maternitatis.*

è paternis fuerint euecti sordibus, aut auitis, cognatos pauperes apud se habere nolunt, eorúmque humilitatem suam arbitrantur ignominiam; itaque vel cognationem dissimulant, vel eos ornant congruenter propriæ dignitati. Si quis enim tenui ex re ad summum fuerit euectus pontificatum, is qui fortè cognatorum nuper tenuis erat conductor vectigalium, fit prouinciæ gubernator, & sacello præfectus illustrissimus Cardinalis. Quid ergo dici potest de amplitudine dignitatis & gloriæ, ad quam Dei filius extulit matrem, vt esset consentanea propriæ maiestati? Ipse regibus imperat & monarchis, illa cœli & terræ Regina facta est. Ipse princeps est electorum omnium, ipsa quoque inter electos principatum gerit. Dei filius totius Ecclesiæ militantis atque triumphantis constitutus est caput, ex quo gratiæ omnes in corpus mysticum defluũt. Sed Dei mater sub hoc capite collum est, per quod illæ gratiæ in omnia membra decurrunt.

IV. *Cum Dei titulis, bonisque communicat.*

Denique vt omnibus filij bonis, sic & titulis omnibus communicat mater, adeò vt ad diuinitatem ipsam, quàm proximè fieri potest accedat. Illa enim ipsa natura corporea, quam Verbum ad diuinitatem extulit, proximè antequàm Virgo diuinæ legationi præberet assensum, Virginis erat substantia: & sanguis ex quo nobilissimum id corpus conformatum est, paulò antè verus ac proprius Virginis sanguis fuit, & personæ Verbi diuini intimè coniunctus fuit. Neque vnus ille sanguis, sed quidquid illa filio suppeditauit alimenti, siue dum in vtero virgineo versaretur, siue cùm illi postea triennio lac dedit. Hoc enim totum alimentum, vt in veram Seruatoris substantiam vertebatur, ita à Verbo diuino, ad personæ suæ vnitatem, assumebatur. Sicut ergo diuinam reddidit naturam, quam sumpsit à matre, ita quodammodo diuinam reddidit personam humanam genitricis suæ, quæ est quid sponte existens ex humana natura, corpore animóque constante.

Vide D. Thom. 3. p. q. 5. & Suar. ibi dis. 15.

V. *Quæ inde in homines vtilitas.*

AVTOR. Præclara sunt ista, fateor, inquam, & magnifica, atque adeò diuina; Sed quid in nos ex hac vnione matris ad filium, ex hac consanguinitate hominis cum Deo vtilitatis existit? AMOR VNIEN. Plurimum omnino, inquit Amor. Testatur enim Apostolus, Deum, dato hominibus vnigenito suo, qui patris erga eos, qui Domini, qui fratris, qui aduocati munere fungeretur, eadem opera thesauros omnes suos in homines effudisse. Dicamus nos quoque, data mortalibus in dominam ac parentem tanta regina, tam gratiosa apud Deum, tam miti aduersus miseros, nónne cùm illa omnia nobis donauit? Quid enim potest, aut quid omnino debet à tali filio sperare talis mater? Id sanè fuit, vt alio dictum est loco, Deum obligare se ad veniæ & misericordiæ thesauros perpetuò recludendos: pietatis item ac consolationis, gratiarum denique omnium atque virtutum. Docet enim experientia neminem ab ea quamuis facinorosum repelli, si ad eam ex animo confugerit, eius præsidium quæsierit, auxilium implorarit. Materna quoque iura demonstrant, nunquam ipsam passuram esse repulsam.

Rom. 8. 32.

O Deus

O Deus optime maxime, quanto ex amore profectum est, vt tu mortales tanta propinquitate, & cognatione attingere dignareris, eadémque opera non leuem vltrò contraheres obligationem ea pro ipsis conficiendi, quæ naturalia necessitudinis & affinitatis iura, periculo existimationis deposcunt. O pulcherrimum inuentum, longéque fructuosissimum, si eo vti placeat, vt vehementer optamus, ô amantissime Seruator. Recordare quæso, quod olim dicebant Dauidi tribus Israël, quòd *os tuum & caro tua sumus*, quamuis pauperes, & mendici, mendicamus enim quotidie ad ianuam tuam panem nostrum, & quidem ex præscripto tuo. Cognitionis tui, & nostri perquam egentes sumus, egentes modestiæ in prosperis, & patientiæ in aduersis, inopes humanitatis & castimoniæ, amoris & charitatis erga te, & proximos nostros filios tuos. Et tamen *filij sanctorum sumus*, vt Tobias aiebat, atque adeo, vt ait Apostolus, filij Dei atque hæredes, & cohæredes tui.

VI. *Oratio ad Deum gratiarũ actionis.* 2. Reg. 5. 1. Tob. 2. 18. Rom. 8. 17.

Quantas hi tituli spiritales opes postulant, ne sint pudori ei, cui *data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Sed quoniam à dulcissimo sponso deliciæ quoque expectantur, ne permittas, ô amantissime Seruator, vt consolationum spiritalium defectu, cum magna pernicie nostra, & nonnullo dedecore tuo, delicias aliundè mendicemus, etiam ab iis, qui capitali te odio, nósque ipsos prosequuntur; impuras à carne illecebras, à mundo & Satana vana honorum somnia, & ludibria diuitiarum. Ne patiaris in miseria nostra insultare nobis infideles, quasi talem támque potentem fratrem, & tam gratiosam, támque opulentam matrem falsò iactantibus; quasi parum credibile sit eos, fratres ac filios suos, in tanta verorum bonorum inopia deserturos. Redde nos eorum bonorum locupletes, quæ à tali principe magni fiunt, eúmq; cumprimis decent, intimæ videlicet amicitiæ tuæ thesauro, & amoris vnientis, qui tibi nos in omnem consociet æternitatem.

VII. *Et postulationis spiritalium opũ.* Mat. 28. 18.

CAPVT X.

Amor vniens Christi Domini in sacrosancta Eucharistia declaratur.

DIVINÆ Verbi personæ coniunctio, cum sacrosancta humanitate, quam traxit ex beatissima Virgine, omnium quæ sunt aut esse possunt intima est, nobísque gloriosissima; & excellentia ac perfectione sua, facilè inter omnes obtinet principatum. Immenso tamen Seruatoris amori parum visum est eam fecisse vnionem, quæ vnica humanitate terminaretur, quæ diuinam acquireret dignitatem, quæque in cæteros homines, qui eadem humana specie continentur, redundaret: sicut non admodum singuli mortales videntur honorari, quod ex ipsis nonnulli

I. *Causa susceptæ vnionis in Eucharistia.*

ſunt reges. Itaque diuina illa ſapientia rationem excogitauit, qua ſe ſingulis hominibus copularet, qui eum ſub typo panis & vini reciperent, in quibus corpus ſuum, animam, diuinitatem mirabiliter occultauit, eiſque ita ſe coniunxit, vt ille nexus non parum vnioni, quæ in diuina incarnatione facta eſt, reſponderet.

II. *Qua vnioni Incarnationis reſpondet multipliciter* 1. Vide Leſſ. l. 12. de Perfect. diu. c. 16. n. 129. 2. 3. 4.

Sicut enim in auguſtiſſimo aſſumptæ humanitatis myſterio, diuinitas, quæ ſub aſpectum non cadit, aſpectabili humanitati copulata eſt; ita in mirabili Euchariſtiæ ſacramento humanitas inuiſibilis Seruatoris typis illis, qui cerni poſſunt atque attrectari, coniungitur. Præterea illa vnione vnus efficitur Chriſtus, iſta vnum Chriſti corporis ſanguiníſque ſacramentum. Tertiò ſicut per Incarnationem totum Verbum ſingulis humanæ naturæ partibus vnitum eſt, ita per conſecrationem, totum corpus & ſanguis Seruatoris cum eius diuinitate, ſingulis ſpecierum partibus vniuntur. Quartò ſicut Chriſti humanitas propria ſubſiſtentia caret, eámque diuina Verbi perſona ſupplet; ita ſpecies ſenſiles in Euchariſtia non retinent propriam exiſtendi aut ſubſiſtendi rationem, ſed virtute Chriſti Domini, qui eis amictus eſt, ſine vllo ſubiecto corpore conſiſtunt, ac ſi eſſent veræ ſubſtantiæ, & non nuda accidentia.

III. 5. *Alia comparationes in eãdem rem.* 6. 7. *Etiam in cõmunicatione idiomatum.* 1. Cor. 10. 16

Quintò ſicut neque mors, neque vlla creata vis poteſt Verbi vnionem cum humanitate diſſoluere, ſic neque hanc cum ſpeciebus connexionem, quandiu eæ ſaluæ atque incorruptæ permanſerint. Sextò, ſicut ante reſurrectionem Chriſti humanitas perpeſſionibus erat obnoxia, & reipſa dolores acerrimos perpeſſa eſt, à quibus diuinitas penitus immunis fuit. Ita in ſpecies ſolas ſacramenti cadit, quæcunque vis aut iniuria ſacramento inferatur; nihil inde læſo aut violato glorioſo corpore Seruatoris. Nihilominus tamen ſicut propter vnionem hypoſtaticam humanitate in cruce patiente, pendente, ac moriente, rectè dici poterat Deum in cruce pati, pendere, ac mori, ita propter vnionem ſacramentalem dum franguntur ſpecies, & in cibum vertuntur ac potum, Chriſtus frangi dicitur, edi, ac potari, propter quandam idiomatum, ſiue proprietatum communicationem. Neque ineptè dicitur videri corpus Chriſti, tangi, portari, claudi, proiici, aut cum re quapiam miſceri, quod hæc omnia in ſpecies cadant, quibus reipſa Chriſtus Dominus continetur.

IV. *Per quam explicantur SS. Patres.* Chryſoſtom. Hom. 83 in Matth. Hom. 45. in Ioan.

Et hæc commodiſſima eſt ratio exponendi aliquas antiquorum patrum locutiones, de coniunctione ſacramentali Chriſti cum communicantibus. *Non enim ſatis habuit*, inquit ille oris aurei Patriarcha, *fieri hominem, aut flagellis cædi & crucifigi, ſed nos ſecum in eandem quaſi maſſam coagmentat, idem corpus efficit, non fide ſolùm, ſed reipſa.* Quibus verbis impudentia hæreticorum ora meritò verberentur, vt ait idem Antiſtes: qui alibi quoque docet, per cibum, quem Chriſtus largitus eſt nobis, fieri, vt non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa cum illa carne permi-

ſceamur. *Cùm enim,*inquit,*ſuum in nos amorem demõſtrare vellet, ſeipſum nobis commiſcuit, & corpus ſuum in nos permiſcere voluit, vt vnum quid efficeremur, vt corpus capiti coaptatum: id enim eſt vehementer amantium.* Sic ipſe. Qui rurſum fideles in perſona Domini ſic alloquitur, *Vniui te mihi, atque coniunxi, dixi, me comede, me bibe, & in cœlo te habeo, & tibi in terra connector.* & mox, *Non vtcumque commiſceor tibi, ſed connector, comedor, & in fruſta concidor, vt ſumma coniunctio, & commixtio, atque vnio fiat. Quæ enim iunguntur proprios retinent terminos; ego verò tibi contexor, nihil volo eſſe medij, vtraque vnum eſſe decerno.* Ita Chryſoſtomus. Quæ verba ideo Chriſti corpori tribui poſſunt, quia ſpeciebus conueniunt, quæ cum cæteris miſcentur cibis, & cum iis in humanam naturam tranſeunt, dum glorioſum Chriſti corpus omnis corruptionis perſeuerat expers. I. ad Tim. hom. 15. fi.

V. *Cyrillus Alex.* L. 4. in Ioã. c. 17.

Alexandrinus patriarcha Cyrillus, *Quemadmodum,* inquit, *ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur.* Verùm hæc ipſa commiſtio non poteſt niſi in ſpeciebus contingere, quæ obnoxiæ ſunt corruptioni. Ipſum tamen Chriſti corpus, quandiu illæ ſaluæ ſunt, vbique perſeuerat. Hic idem Cyrillus, cum Nyſſeno Gregorio, ſacramentum hoc modico fermento conferunt, quod non modicam ſubactæ farinæ maſſam fermentat; ita immortale hoc corpus mortale ſubiens, ſuas illi dotes communicat, & immortale reddit, iuxta illud Seruatoris oraculum, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Vitæ quippe panis eſt, & cibus immortalitatis. *Gregorius Nyſſ.*

VI. *S. Irenæus.* L. 5. c. 2. vide etiam l. 4. c. 34.

S. Irenæus in hæreticos carnis reſurrectionem negantes ſic inuehitur. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia, quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & fit membrum eius?* Significat hic S. Præſul, carnem humanam, diuinæ interuentu ſpecierum vnitam, vim & prærogatiuam immortalitatis adipiſci: nec tamen affirmat corpus gloria & immortalitate donatum, aliter quàm per ſpecies corruptioni obnoxias, mortali corpori coagmentari. *In illa myſtica diſtributione ſpiritalis alimoniæ,* ait S. Leo, *hoc impartitur, hoc ſumitur, vt accipientes virtutem cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus.* Ius videlicet accipimus communicationis qualitatum glorioſi corporis, illius qui olim, non ſecus ac nos, humanis perpeſſionibus, mortique ipſi obnoxius fuit. *S. Leo.*

VII. *S. Auguſtinus.*

S. Auguſtinus ait carnem humanam puriſſimæ Chriſti carni vnitam, & vnam eandémque rem cum ea factam, viuere de ſpiritu eius, vt corpus

De cõsec.d. 2.cã. *Christi panis*, ex Epist. ad Irenem, quæ non est apud August. confess. l. 7. c. 10.

de suo spiritu viuit; Quæ vnio reipsa fieri nequit, nisi cum speciebus; & vita, quæ inde existit, spiritalis est non corporea, gratiæ non naturæ. Hæc quoque est eius oratio in confessionibus eius, quæ sacræ Eucharistiæ, fortasse præter autoris mentem, accommodantur. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Non tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Nimirum huius diuini cibi qualitates indues, fiésq; humilis, mitis, patiens, & diuino Amore abundabis, sicut ipse Dei filius.

S. Hilarius.

Denique S. Hilarius ait Seruatorem non solùm in nobis esse, per veritatem humanæ naturæ à se assumptæ, sed naturaliter quoque per Eucharistiam manere in nobis: quia videlicet tandiu manet in nobis, quandiu naturaliter species inuiolatæ seruantur.

VIII. *Vnio non fit nisi per species.*

Itaque non videtur necessarium admittere corpoream aliquam vnionem, eius qui recipit Eucharistiam cum beato illo corpore ac diuino, nisi interpositu specierum: quod clarè videtur dixisse S. Cyprianus in aureo illo libello de Cœna Domini. *Panis*, inquit, *hic azymus cibus verus & sincerus per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat.* Audis tactum per speciem? Hæ igitur species non difficilem reddunt expositionem eorum, quæ à sanctis Patribus exaggeratius circa hoc mysteriùm dicuntur, ad confutandam eorum hæreticorum impudentiam, qui multis pòst seculis realem Christi præsentiam erant negaturi.

CAPVT XI.

Eadem vnio Eucharistica, eiúsque primarij fructus ex communi Ecclesiæ doctrina, explicantur.

I. *Differentia, vsus & effectus sacramenti.*

SED placet paulo accuratiùs hanc explicare doctrinam, & docere alium esse vsum ab huius effectu sacramenti. Etenim vsus in sumptione consistit, per quam species & in ipsis Christus demittitur in stomachum, in eóque Christi corpus reipsa contingit recipientis corpus, sola sacramentalium interiectione typorum; qui vsus bonis est malísque communis; at in effectu magna est vtrorumque distantia. Notus enim est hymnus ille Doctoris Angelici,

De Cœna Domini.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vitæ vel interitus.

Nec ignotum illud S. Cypriani, *Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tanta sanctitudini contradicit.* Vides vsum ab effectu sacra-

menti huius à S. Martyre esse distinctum? Non est autem positus hic effectus, in producenda coniunctione duarum naturarum, qualis est materiæ & formæ, quæ cùm imperfectæ sint, ad compositum vnum perficiendum concurrunt; recipientis enim & recepti naturæ perfectæ sunt ambæ. Neque positus est in conficienda vnione personæ, conuiuam inter & diuinum hunc cibum: ea enim ne in resurrectione quidem continget, quando interior erit cum Seruatore corporum animorúmque coniunctio, quàm nunc in Sacramenti communione contingat. Denique non consistit hic effectus in transformatione naturali vnius corporis in alterum, alterutrum enim in alterum verteretur, & vel diuinum fieret corruptionis particeps, vel incorruptionis humanum.

Addamus illud quoque; si in receptione Eucharistiæ alia quæpiam vnio corporea contingeret, ab ea quam dixi per contactum & commistionem specierum contingere, huiusmodi vnio vel fieret cum toto corpore communicantis, vel cum ea parte dumtaxat quam species attingunt: non cum toto corpore, quia partes quæ coniungi debent, omnes aliæ aliis præsentes esse debent & contiguæ, vt cohærere possint; cùm tamen Christi corpus particulam tantum stomachi contingat; neque fit vnio cum illa tantùm corporis parte quæ attingitur. Quid enim probabilitatis, os, linguam, stomachum, potiùs quàm cerebrum, cor, pulmones, oculos, tam præstanti vnione gaudere. Quòd si quis dixerit Christi corpus totum hominis corpus perfundere ac permeare, vt cum omnibus eius partibus vniri possit, temere profectò dixerit. Seruatoris enim corpus ibi est dumtaxat vbi sunt species, quas perpetuò comitatur, quæ certum quendam occupant locum, nec ab eis vsquam digreditur donec fuerint viuentis calore consumptæ.

II. *Vnio Christi non fit in eo corporaliter.*

Panis iste communis, ait S. Cyprianus, *in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus. Ideóque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm spiritali transitione Christo nos vniri.* Audis vnionem, ac transitionem spiritalem, quod ad effectum attinet, corporalem autem quod ad vsum, qui illi dignitate cedit ac fructu. Eadem paulò pòst explicat luculentiùs. *Panis iste*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili, ineffabiliter diuina se infundit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, syncerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus*, id est spiritalis gratiæ, & coniunctionis; nam subdit. *Non quòd vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset. Solus quippe Christus patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partibilis substantia Trinitatis. Nostra verò & ipsius coniunctio nec miscet per-*

III. *Sed spiritaliter ex S. Cypriano.* Lib. de cœna Domin. post init.

ſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates. Hæc magnus ille Antiſtes, pene ex ſeueriore Scholaſticorum diſciplina.

IV. *Per charitatis affectum, qui ex cibi proprietate declaratur.*

Conſociantur porrò affectus, & confœderantur voluntates, per gratiam, quam Seruator ſuis largitur conuiuis, quæ partim propria eſt & peculiaris huius conuiuij, partim cum cæteris communis Sacramentis. Et ſicut cibus, dum corpus nutrit, illi vnitur ac concreſcit, ita & gratia, quæ eſt animi cibus, Chriſtum animo dignè recipientis coniungit; in hoc maximè Sacramento, quod ab autore ſuo in formam cibi fuit inſtitutum, & reipſa autorem ipſum gratiæ & fontem continet. Et ſicut cibus dum tranſit in ſtomachum, corpus totum ſenſu quodam delectationis afficit, ita & ſacer hic cibus corpus ſubiens, animum delectabili conſolatione permulcet. Et ſicut Spiritus ſanctus, qui iuſtorum animas inhabitat, ad virtutum actiones, & feruidæ dilectionis ſuauiter impellit: ita & Verbum per corpus ſuum, pérque ſpecies quibus obtegitur, quæ ſunt inſtrumentum myſticè coniunctum, & ad nobiliores effectus eleuatum, piam & attentam voluntatem ad ſuauiſſimos delectationis actus mouet, & ad omnia quæ ſunt diuini cultus propenſam reddit.

V. *Vt proſit etiã corporibus Euchariſtia.*

Hoc diuinum inſtaurandæ vitæ ferculum, aliam etiam confert piis ac religioſis hominibus vtilitatem. Sicut enim eſcæ iſtæ communes corporis vitam conſeruant, viréſque reparant, quæ vi caloris natiui perpetuò deperduntur; ita gratia, quæ per communionem acquiritur, ſpiritalem animi vitam conſeruat, eiúſque vires inſtaurat, ne à lege peccati, & innata in vitium procliuitate penitus conſumantur. Itaque qui Domini menſam frequentant, multò cæteris facilius & conſeruant gratiam, & tentationibus reſiſtunt. In cuius rei figuram illa vitæ arbor, quæ medium innocentiæ domicilium quondam occupabat, mortis poteſtatem infringebat; & ſubcinericius ille panis, quem Angelus dedit Heliæ, tantas contulit Prophetæ vires, vt itineri quadraginta dierum, vſque ad montem Dei Horeb, ſine alio cibo ſufficeret. Diuina præſentia tentationes affligit, atque debilitat, & immundos ſpiritus vertit in fugam, qui quaſi improba, & fugitiua mancipia, in præſentia Heri contremiſcunt; aut quaſi latrones in conſpectu præfecti rerum capitalium.

Gen. 3. *Figuris declaratur.* 3. Reg. 19. 6.

Chryſ. ho. 45. in Ioan.

VI. *Et patrum autoritate.*

Vtilis etiam eſt corporibus communicantium Sacramentalis iſta coniunctio, vt plerique ſanctorum Patrum obſeruarunt, monimentiſque prodiderunt. Cyrillus enim Hieroſolymitanus corpus & animam ab hoc ſacro myſterio ſanctificari teſtatur. Ioannes Damaſcenus, ait illud cedere in animi corporiſque præſidium, iis qui illud dignè percipiunt, & tendere ad animæ corporiſque noſtri incolumitatem. Chryſoſtomus aduerſus iræ perturbationem diſputans, *Quomodo*, inquit, *à tam pernicioſa peſte liberabimur? ſi calicem Domini biberimus, qui ver-*

Catech. 4. myſt.

l. 4. c. 14.

lib. 4. in Ioan. c. 17.

mes qui intra nos sunt, serpentésq; mortificat. Cyrillus Alex. *Diuina*, inquit, *benedictione participa, quæ non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat*, &c. Nyssenus denique Gregorius vocat Sacramentum hoc medicamentum salutare, quo vitiosæ corporis affectiones curantur.

Ex his aliisque sanctorum dictis in eandem sententiam, intelligi potest hunc diuini corporis contactum, in dies minuere insitam corpori propensionem ad culpam, & carnem paulatim efficere spiritui obsequentem. Et sicut Dei Verbum, quod spiritus est, animo conciliat vim singularem, sic sanctissima eius humanitas corpori eximiam munditiam largitur; vim quoque & alacritatem ad ieiunia, cæterásque corporis afflictationes perferendas: & ad nobilissimas religiosorum corporum dotes disponit. Quòd si Iustitia originis, quæ spiritalis erat, ad corpus quoque pertinebat, sic vt degustato vitali fructu, à mortis imperio, à tædio, à defatigatione eximeretur: exigit profectò ratio, vt qui castè ac purè Christo in hoc Sacramento iungitur, singularem id ei alacritatem conferat, ac vigorem, ad virtutum actiones, & carnis contumaciam deterendam.

VII. *Conclusio de iisdem corporis commodis.*

CAPVT XII.

Alia quædam singularis & realis vnio Christi Domini in Eucharistia, cum selectis amicis suis.

QVÆ dicta sunt hactenus de coniunctione Christi Domini cum fidelibus in admirabili Sacramento, ad eam vnionem pertinent, quæ dicitur per affectum; qua quicunque dignè ad diuinam mensam accesserint, vi huius Sacramenti, Christo Domino per affectum charitatis vniuntur, vt paulò antè, ex S. præsertim Cypriano dicebamus. Quidam tamen pietate & doctrina insignes Theologi, qui vulgò Mystici appellantur, qui familiarius ad diuinæ sapientiæ, & bonitatis penetralia sunt admissi, aliam quandam vnionem in eiusdem Sacramenti participatione concedunt, quam realem, immediatam, & substantialem vocant. Qua in re hòc maiorem merentur fidem, quòd non solùm doctrina præstant, & in antiquorum ac recentium Theologorũ scriptis studiosè sunt multúmque volutati, sed quod caput est, ex propria, vt apparet, loquuntur experientia, quam minimè fallacem esse, eorum erudita sapientia, pietásque demonstrant.

I. *Transitus ad doctrinã mysticam.*

Aiunt ergo præter eam vnionem, quæ fide per affectum amantis ad amatum stabilitur, éstque omnium dignè communicantium commu-

II. *Realis cum*

Christo vnio in Euchari-stia. Thomas à Iesu de or. diuina l. 4. c. 27. & seq.

nis, aliam quandam admirabilem cum Christo vnionem, planéque diuinam contingere; quæ non solùm per Charitatis affectum fiat, sed per effectum etiam, & realem purissimarum mentium cum Christo coniunctionem; ad quam ab illa per singularem Dei benignitatem feliciter aliquando transitur, sicut in oratione diuina à contemplatione, ad realem cum Deo vnionem atque complexum nonnunquam peruenitur. Et quamuis Christus, in hoc diuino epulo, mediis speciebus reipsa sit intimè præsens corpori, & animo ritè eum suscipientium, hæc tamen vnio realis dici nequit, quamuis receptio sit realis, quia præsentia eius fide creditur, non gustatur, neque experimento percipitur, vt in reali illa & ineffabili coniunctione, quæ defæcatis tantùm mentibus, & Christum ardentissimè desiderantibus euenire solet.

III. *Cuiusmodi ea sit.*

Hanc autem felicissimam vnionem nihil aliud esse dicunt, quàm intimam manifestationem ipsius Christi præsentiæ in hoc Sacramento latentis, non tam per visionem aut reuelationem, quàm per amplexus dulcissimos, quibus animam ita ineffabiliter ac suauiter adstringit, vt ipsa realem eius præsentiam, oscula, & amplexus certissimè percipiat, eiúsque bonitatem, & ineffabilem dulcedinem in suo fonte degustet. Hæc vnio mirabilis, si ex parte Christi consideretur, nihil aliud est quàm illapsus, siue manifestatio ipsius Christi, occultè in Sacramento existentis, se tamen ostendentis purgatissimis mentibus, sub ratione summæ lucis, & quodam ineffabili contactu ad carnem spiritúmque pertingentis; qui contactus nihil aliud est, quàm dulcissimus amplexus & deosculatio Christi, qua sponsam dilectissimam suauiatur. Ex parte verò animæ, est mutuus amplexus, quem consequitur experimentalis ipsius Christi perceptio, per quam spiritalis dulcedo in ipso Deo possidetur. Ea porrò perceptio nullius hominis meritis, aut dispositioni respondet, cùm sit gratia gratis, & ex mera Christi liberalitate, paucissimis concessa.

ex parte Christi.

& animæ.

IV. *Quibus concedatur.*

Addunt intimam hanc Christi cum anima coniunctionem, dici spiritale matrimonium, quod per Charitatis affectum contrahitur, per illapsum verò Christi in animam, & per eius amplexum consummatur; quæ est suprema vnio animæ cum Christo, & maxima omnium, quæ cum eo possunt in hac vita contingere; ad quam illi tantùm admittuntur, qui rebus aduersis, & tentationibus tanquam aurum in fornace diu exerciti ac probati, digni inuenti fuerint, quibus sponsus amantissimus Christus præsentiam suam diutius occultare non possit. Neque absurdum est Christi corpus in hac vnione tangi, palpari, sentirique diuina virtute posse: quamuis gloriosum sit, admodúmque subtile. Se enim Christus Apostolis præbuit à resurrectione palpandum, quod profectò non faceret, si palpari non posset: & sanctæ mulieres post resurrectionem tenuerunt pedes eius, & adorauerunt: eóque referri potest illud Ioannis, *quod manus nostræ contrectauerunt.* Itaque caro quoque eorum qui

Christum posse tangi. Vide Aug. ser. 155. de temp. & Leon. epist. 10. c. 5. Matt. 28. 9. Ep. 1. 1.

qui ad hanc feliciſſimam vnionem admittuntur, ſentit ineffabili contactu Chriſti præſentiam. Quamuis enim in Sacramento tangi ac percipi non poſſit, diuina tamen virtute fit vt tangat & tangatur; neque ſolùm à puriſſimis mentibus, ſed ab eorum etiam carne immediatè percipiatur.

Explicant etiam quæ ſint, tempore illius manifeſtationis, vitales actiones, tam ipſius intellectus, quàm voluntatis humanæ. Tunc enim intellectus ita ſentit ac vitaliter percipit Chriſti præſentiam, nulla vt ratione dubitare poſſit Chriſtũ eſſe ipſius ſpiritui vnitum, licet eum clarè, atque, vt aiunt, intuitiuè non conſpiciat, quomodo amici præſentiam etiam in tenebris agnoſcere poſſumus. Ergo tempore huius illapſus, viſio intellectualis oculi diuinitus eleuati in ipſum Chriſtum terminatur, non tantùm vt ibi præſentem, ſed vt per diuinum illum amplexum intimè coniunctum. Itaque intellectus fit omnino certus de præſentia Chriſti, tam ſub ſpeciebus Sacramenti, quàm ſibi arctiſſimè coniuncti, vt eam præſentiam tunc cernere potiùs & experiri, quàm credere videatur. V. *Actione intellectus* p. 612. & ſeqq.

Voluntas autem, tempore illapſus eiuſdem, Chriſtum ſibi præſentem dulciſſimè amplectitur, eóque ſumma cum voluptate fruitur. Et ſicut beatitudo cœleſtis in manifeſta Dei viſione, & vnione intellectus & voluntatis cum ipſo poſita eſt, ita iſta vnio, ſiue Chriſti vitalis perceptio, quæ beatitudo inchoata verè dici poteſt, nihil aliud eſt, quàm vitalis Chriſti perceptio, in Sacramento exiſtentis, quem vtraque facultas immediatè cõtingit; ſunt enim eæ quaſi duo brachia, quibus anima Chriſtum complectitur, eique coniungitur. In qua vnione, anima, præ amore extra ſe rapta, ſoporatur ſomno placidiſſimo, eiúſque tam externi, quàm interni ſenſus penitus abſorbentur. *Iſtud profectò epulum*, ait Bernardus, *omnium eſt delicioſiſſimum, ſupremáque omnium felicitas, quæ in hoc mundo ſponſæ contingere poteſt. Guſtus enim quidam eſt cœleſtium voluptatum, & fruitio amplexus Chriſti Iſtud eſt quod præ omnibus ſponſa deſiderat. Verùm proh dolor! adeò raro, adeò tenuiter ac momentaneè hac illi ſuauitate frui licet, vt eam priuſquam ſe percepiſſe ſentiat, amittat.* Ita Bernardus. VI. *Et voluntatis.* *quæ Chriſto fruitur.* In Canticis.

Hic ego, noua profectò narras, mi Amor, pauciſque nota myſteria. Vt pene libeat cum Athenienſibus illis Philoſophis dicere, *Poſſumus ſcire quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur doctrina? noua enim quædam infers auribus noſtris.* Profectò, inquit Amor, vt noua ſint maximæ parti mortalium, certè quæ à ſanctis patribus enunciata, ipſóque Chriſto promiſſa ſunt, noua dici non poſſunt. Ad hanc enim quorumdam ſanctorum experientiam referri poteſt illa cognitio, quam promiſit Seruator, paulò pòſt inſtitutam Euchariſtiam, de qua S. Hilarius hæc ipſa verba interpretatur, *In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis*, & quidem non obſcura illa cognitione VII. *Eadem vnio confirmatur* AVTOR. Act. 17. 19. Ioan. 14. 20 l. 9. de Trin. ant. med.

dumtaxat, quæ habetur per fidem, & est omnium fidelium communis, sed multò illustriore, Christo se apertius suis manifestante. subdit enim paulò pòst, *Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Eodem referri possunt non paucæ sanctorum Patrum sententiæ allatæ superius, quas iterare non est necesse; & possunt ab ipsis mysticæ Theologiæ doctoribus peti, Hugone, Bernardo, Bonauentura, Richardo, Gersone, Taulero, aliisque recentioribus, quos apparet, vt dixi, ex propria experientia potiùs, quàm ex nuda contemplatione locutos.

CAPVT XIII.

Conclusio vnionis Eucharisticæ, cum querela humanæ circa hoc Sacramentum negligentiæ.

I. *Christus in Eucharistia fit principiū bonarum actionum.* Suar. t.3. d. 64. s. 1.

REGREDIAMVR itaque ad tritam omnium fidelium vestigiis viam, circa vnionem Eucharisticam, de qua illud libenter addiderim; rem vnam alteri copulari posse, siue vt eius naturam constituat, siue vt sit principium actionum eius. Anima enim rationis particeps non solùm constituit hominem, sed influit etiam in omnes actiones eius. Ipsius enim beneficio homo videt, audit, ambulat, ratiocinatur. Eodem modo Verbum diuinum dat humanitati suæ esse diuinum, & actiones, quas sancti patres theandricas appellauere. Cæteris autem hominibus non ita se coniungit, vt eis tribuat esse diuinum; essent enim omnes dij, sicut ipse: sed ita se dat vt cum eis fiat principium actionum humanarum, iuuétque creatas facultates, vt rectè cum Christo cooperentur. Sic escæ bonitas cùm calore vitali fiunt principium vnum commodæ nutritionis. Sic Deus insertus intelligentiæ beatorum, lumine gloriæ illustratæ, cum eorum mente concurrit ad actum beatæ visionis, & dilectionis eliciendum. Denique talis est ista coniunctio, qualis est motoris cùm re mota intimè coniuncti, puta Angeli cum cœlo, quod diurno ciet nocturnóque motu, vimque suppeditat aliqua in terris viuentia procreandi. Ergo & qui adhæret Deo, quod ad animum attinet, vnus spiritus est cum eo; quod ad corpus autem, vnum fit cum eodem principium actionum sanctarum.

Vt cibus, & motor intimus.

Arist. 2. cœli.

1. Cor. 6. 17.

II. *Ex amore vniente.*

Vnde igitur, ô amantissime Seruator, ortum est tibi desiderium tam admirabilis vnionis cum hominibus, per quam sanctissimum corpus tuum, beatissimus animus tuus, ipsáque diuinitas, reipsa mortalium corpora subeunt, vt cùm ipsis affinitate ac consanguinitate iungaris? nónne ex amore vnionis appetente? Cibi enim & potus formam appetisti, quæ ita cùm recipiente iunguntur, vt in eius substantiam naturámque vertantur, vt eadem opera doceres velle te diuinam carnem hu-

manæ coniungere, vt huic illa mederetur, & animam sanctissimam peccatrici, vt hæc ab illa contraheret sanctitatem, humanitati denique diuinitatem, vt hæc illam gubernaret, essétque principium coniunctum operum, quæ naturæ vires longè multúmque transcendunt. Ita voluisti, itáque fit in multis electis, & primariis amicis tuis.

Sed proh dolor! quàm multi sunt in vulgaribus istis amicis tuis, qui meritò obstupescant, & altiùs ingemiscant; qui videant ignem ita ferro in fornace iungi, itáque illud possidere, ac reddere iuris sui, vt cum eo calorem suum, leuitatem, luménque communicet, molle id reddat ac tenerum, & ita flexibile, vt artificis ductum sequatur, quocunque torserit. E contrariò sciant te esse sancti amoris incendium, mensam tuam fornacem accensam; se autem esse ferri massam, quæ neque ad animi dolorem molliatur, neque luce bonorum operum fulgeat, neque sensu pietatis & charitatis incalescat; obtorpeat potiùs in exhibendo tibi famulatu, & duricie proprij iudicij, propriæque voluntatis rigescat. Demirantur quid hoc sit prodigij, quod ignis, qui ex altari tuo resilit, tanquam ex Babylonica fornace, tot circunquaque animas pietate præstantes illuminet, atque accendat; nonnullæ tamen, quæ ab eo propius absunt, tam exiguum calorem percipiant: cùm fornax illa Babylonica flammas in altum ad cubitos tantùm 49. excuteret: ex altari autem prorumpat amoris incendium, quod elementa omnia, cœlósque transgressum, ad ipsius Dei thronum euolet, ibique tanquam in proprio loco conquiescat. III. *Querela quod pauci diuino igne calefiant.*

Philosophi asserunt elementum ignis infinitum esse non posse; neque malè, vt arbitror, ratiocinantur. Tantam enim habet vim agendi, tantúmque feruorem, vt facilè reliqua omnia elementa consumeret, & quidquid ex eorum commistione constat. Si amor ignis est, si Deus infinitus est amor, quomodo igne isto non deflagrant omnia? quomodo ij saltem non inardescunt, qui Deum propiore quasi cognatione contingunt, qui ei tot votis sunt tótque ordinibus obligati, & ad illam ipsam fornacem quotidie appropinquant. O improbam voluntatem pestifero amoris proprij veneno afflatam! vnde tibi tantum virium, vt possis, tanta duricies, tantáque malitia, vt velis & audeas resistere tantæ diuini amoris deflagrationi? IV. *Tanto præsertim.*

Nec minorem habet homo materiam querelarum, in Eua Adami sui perditrice, id est in carne sua, ad sensuum oblectamenta mirum quantum propensa. Hæc, quam, diuina illa Verbi carne vel semel contacta, oportebat esse auro è fornace prodeunte puriorem, crystallo nitidiorem, stellis ipsis illustriorem; quam ratio postularet factam mollissima cera tractabiliorem, ipsa pene pietate religiosiorem, denique à corporum lenociniis, ipsis mortuorum corporibus alieniorem: eas tamen ipsas adhuc blanditias misera consectatur, ac spirat, & sine ipsis vitam istam acerbam putat. Itaque par esset illam ingenti pudore V. *Querela de carne deliciarum auida.*

suffundi, ac percelli timore, quòd cum permodica, aut nulla morum
c.6.v.6. emendatione, tam sæpè se sanctissimo huic ac diuino epulo sistat. Volauit ad Esaiam vnus de Seraphinis, & calculo, quem forcipe tulerat de altari, tetigit Prophetæ labia, & abstulit iniquitatem eius; quomodo ergo corpus, quod tam sæpè peruasit diuinus ille ex altari calculus, non illud penitus emundauit, ac restituit sanitati?

VI. *Et preces pro eius cura.*

O te miseram, ô te infelicem caro peccati, quando perfectè ab illa ægritudine sanaberis, qua olim infecta es in illis deliciarum hortis, in quibus primus parens, cum vaferrino pugnans hoste, succubuit, sibique, ac toti humano generi iustitiam originis perdidit. O sanctissime salutis humanæ restitutor, quoniam minus expedire hominum bono tibi visum est hanc funditus exhaurire sentinam, dum mortalis hæc vita decurritur; illud certè perfice, vt ne illa ad se pertrahat voluntatem, eámque pelliciat ad consentiendum cupiditatibus suis, ad repugnandum mandatis tuis, & resistendum verissimis commodis suis. Imminue atque infringe quotidie vim morbi huius, atque malitiam; & ex hac procliuitate ad ægrotandum, & sacrosancto cibo tuo, quasi ex duobus pharmacis compone medicamentum salutare, theriacum antidotum contra peccati venenum, illius præsertim, quod cum diuina puritate tua maximè pugnat.

VII. *Interuentu diuini cibi.*

Tu Domine cibus es, qui non mutaris in illum à quo reciperis, vt miser, terrestris, ac voluptarius fias, sed illum in te mutas, vt spiritalis, cælestis, ac beatus euadat. Cùm ergo natura, ingeniti caloris interuentu, cibum ter concoquat, térque digerat, priusquam illum sibi perfectè vniat; effice tu quoque vt hæc natura, quæ tibi perfectè coniungi, ac cohærere debet, prima concoctione ab inordinato caducarum rerum amore, per voluntariam paupertatem purgetur; altera, vt ab eorum cupiditate mundetur, quæ suadentur à sensibus, voluptatis amore deprauatis, per Angelicam animi corporisque mundiciem: tertia vt à superbia proprij iudicij, propriæque voluntatis libera euadat, per votiui obsequij sanctitatem; supernaturalis ac diuini caloris interuentu, & illius charitatis, quæ animas emundat, purificat, illuminat, ac iungit Deo, iungétque in pignus inseparabilis, ac gloriosæ vnionis, quæ aliquando in æterna vita continget.

CAPVT XIV.

Deum rebus omnibus à se creatis diuino amore esse coniunctum.

I. *Proprietates sunt in suis principiis perfectiores.*

PERSPICVA res est ac per se illustris, lucem ipsiúsq; natiuas proprietates multò in sole perfectius, tanquam in primaria earum causa, primóq; principio reperiri, quàm in cæteris inerrantibus stellis, immotisq;

ſyderibus; multóque etiam magis, quàm in terrenis corporibus luminoſis. Facile eſt intelligere calorem, & qualitates, quæ ex eo proficiſcuntur, in igne potiùs abundare, quàm in cæteris terrenis concretiſque corporibus; ignis quippe fons eſt & prima origo caloris. Idem de improbiſſimo cacodæmone dici poteſt, vt omnis autore atque inuentore malitiæ, qui quotidie, atque adeo continenter machinatur aliquid mali, qui totis viribus homines ad peccandum impellit, eorúmque malitiam, & peruerſas voluntates per ſe ſuóſque artificiosè promouet.

Cùm igitur quæ poſita ſunt ac declarata ſuperius oſtendant amorem, qui inter res creatas inuenitur, eſſe coniunctionis atque vnionis appetentem, facile eſt intelligere Deum principium bonitatis vniuerſæ, fontem diuinæ charitatis, maiorem in ſe vim huius amoris continere, eámque in operibus ſuis patefacere, quàm poſſit vllus hominum aut angelorum: patefacere autem præclaris vnitionis modis, ac cognitione digniſſimis, qui ſimul eius in homines amorem produnt, & hominum in Deum amorem prouocant. Erat quippe rationi conſentaneum, eum qui quaſi centrum eſt omnium rerum creatarum, radios omnem in partem diſtribuere ad circunfuſam extremitatem, eique ſe circunquaque colligare: & eſſe inſtar ſpeculæ mali, ad quam funalis omnis apparatus noſtræ nauigationis adſtringitur, dum in mundi huius oceano vela facimus. Denique ipſe eſt quaſi vmbilicus, quo nituntur & continentur ingentes illi cœli fornices; qui ſi abeſſet, omnes illico hinc inde diſſilirent, aut in illud ipſum nihilum abirent, vnde à principio extiterunt. II. *Ergo bonitatis & amoris proprietates in Deo ſunt.*

Id nunc breui nobis oratione repræſentandum eſt, docendúmque Deum, vt ſe huius ſtudioſum vnionis oſtenderet, voluiſſe omnibus rebus creatis ineſſe & quaſi inſidere, & ſingulis, pro eorum captu, gloriæ ac lætitiæ ſegetem miniſtrare. Deus eſt in rebus omnibus poteſtate, aut ſi mauis, in Dei poteſtate ſunt quæcumque aliquem entis gradum quoquomodo participant, ſummum quippe illius ius eſt in omnia, ſummáque iuriſdictio, vt de iis pro arbitrio ſtatuere poſſit atque decernere, quocunque aut tẽpore capiantur, aut loco. Quo modo omnes ſubditi regis, in eius ſunt poteſtate, maximè quandiu regni finibus continentur. Sed ſingulari etiam modo res omnes diuinæ ſubiacent poteſtati, qua illis poteſtate dedit vt eſſent, eadem illud ipſum eſſe tuetur ac fouet, ne ſi quo modo ceſſet conſeruatrix illa poteſtas, per ſingula momenta ad ſuum illud quod dixi nihilum redeant, atque deficiant. III. *Deus in omnibus eſt poteſtate.*

Secundo loco creata omnia in Deo dicuntur eſſe per præſentiam, aut in diuina eſſe præſentia; quia Deus perpetuo ſingulas intuetur, non humano more, quorum oculis externa tantùm patent, ſed diuino, qui intima quæque peruadit ac perſcrutatur ad minimum vſque apicem. Itaq; nuda illi atque aperta ſunt, quæcunque patent ac latent, cor & facies, manus & conſcientia, *nec eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*, vt ait Paulus Apoſtolus. Quod ſi beati res creatas contemplantur in Deo, IV. *Præſentia.* Hebr. 4. 13.

vt in ſpeculo, quomodo Deus, qui per immenſitatem ſuam vbique eſt, & vbique eſt clariſſima intelligentia, omnia perſpicuè non videbit? quæ tenebræ illi cuiuſpiam rei conſpectum poterunt ſuffurari, cùm in eo Euangeliſta teſte, nullæ ſint tenebræ, & lucem inhabitet inacceſſam?

1. Ioan. 1. 5.
1. Tim. 6. 16.

V. *Omniáque eſſentiæ ſua immenſitate permeat.*

Diuina potentia, qua fit vt Deus ſit in omnibus rebus, & ſapientia cuius opera omnia intuetur & cognoſcit, perfectam Dei cum rebus coniunctionem non efficerent, niſi beneficio immenſitatis naturæ ſuæ, omnia vndique permearet, & omnibus omnino quæ ſunt præſentem efficeret; ſicut aqua demerſam ſpongiam omni ex parte peruadit, & illi vndique intus foriſque copulatur. Sic animus, ſanguis, & calor per omnia viui corporis membra ſparguntur; cum hoc tamen diſcrimine quòd animus forma corporis eſt, Deus non item: ſanguis autem & calor partes habent, quæ ſingulis corporis partibus reſpondeant, Deus autem, cuius pars nulla eſt, totus eſt in quauis parte rei creatæ; quo modo etiam angelus, cuius natura indiuidua eſt atque ſimplex, totus eſt in qualibet parte corporis occupati; ſed angelus certo definitur loco, Dei autem immenſitas efficit, vt non ſolùm toti mundo, quem replet quodammodo coextendatur, ſed in omni ſpatio ſit, quod extra cœleſtes orbes imaginatione diſtenditur, quodcunque enim punctum aut ſpatium animo fingi poteſt, ad illud pertinet, in eóque reuera exiſtit diuina immenſitas. Et ſicut mundus hic non eſt in ſpatio creato, alio à quantitate & extenſione ſua, ita Deus nullo eſt in ſpatio reali, niſi in eo, quem illi ſua definiuit immenſitas.

§ Vide Leſſ. de Perf l. 2. n. 13. & 15.

VI. AVTOR. *An id vi amoris veniẽtis cõtingat.*

Verum enimuero, inquam, Apparet ſanè hanc vltimam partem diſputationis tuæ non admodũ ad inſtitutum tuum pertinere. Neq; enim iſta Dei coniunctio, cum rebus ab ipſo creatis, amoris vnientis argumẽtum eſt, aut amicæ voluntatis effectus, ſed ingenitæ immenſitatis, ex qua neceſſariò fit vt inſit rebus omnibus quæ ſunt, quæ viuunt aut mouenuentur, iuxta illud Apoſtoli, *Non longè abeſt ab vnoquoque noſtrum; In ipſe enim viuimus & mouemur, & ſumus.* Obiicis tu quidem eleganter, ait Amor, neque negari poteſt hanc coniunctionem proximè ex diuina immenſitate proficiſci, eandémque neceſſariam eſſe atque naturalem; ſed quæ fuit neceſſitas Deo producendi res, quibus productis neceſſariò ineſſet? Si Amor prioris effectus, qui eſt ipſa rerum productio, cauſa eſt, eſt etiam poſterioris, qui eſt inexiſtere productis rebus; quod enim cauſæ cauſa eſt, vt philoſophi aiunt, eſt etiam cauſa effectus. Libera eſt Deo rerum creatio, libera & conſeruatio; quandiu tamen eas aut eſſe placuerit aut conſeruari, neceſſe eſt Deum in illis, propter ſuam immenſitatem exiſtere.

Act. 17. 27.
AMOR.

VII. *Aut ex neceſſitate natura.*

Itaque non tollit voluntatem, aut amorem iſta neceſſitas, ſed eam ex accidente ſequitur, propter conditionem naturæ diuinæ; prius enim natura eſt rem à Deo produci, quàm ipſum in ea exiſtere. Qui comedit, liberè comedit, & ex propriæ conſeruationis amore; at nutritio neceſſariò

fit, natiuo calore in cibum necessariò agente, liberè tamen nutriri dicitur, qui liberè comedit, & cõseruationis amor rectè causa dicetur vtriusque. Deus amore hominum produxit homines, conseruátque productos voluntaria beneuolentia; & à conseruatione pro arbitrio abstinet: si tamen conseruare placuerit, necesse est eum propter suam immensitatem illis inesse. Est itaque Deus in nobis, non solùm vt gradiatur nobiscum, vt olim cum Hebræis, sitque dux & comes peregrinationis nostræ, sed vt intimè sit in nobis, eáque coniunctio in omnem perseueret æternitatem. Ierem. 14. 9. Exod. 34. 9.

VIII. *Diuinas personas esse in homine.*

Hinc perspicuè cõsequens est, si in nobis sit ipsa diuinitas, ipsas quoq; personas, in quibus illa substitit, in nobis etiam esse, vna cum infinita illa potentia, sapientia, bonitate, maiestate, cæterisque perfectionibus, quæ illas comitantur, & in nobis quamuis tectas, amari, coli, atque honorari oportere. Regia quippe maiestas, vbicunque eam esse contigerit, honorari debet, quamuis conopæo tecta sit, neque vultus eius cernatur. Quomodo igitur non agnoscimus illum oculum, qui cogitationes omnes nostras, actionésque, non à longè, aut à summo cœlo intuetur, sed ex proximo & continenti loco, ita vt interior esse non possit? Quomodo diuinam illam manum non sentimus, quæ nos surgere aut sedere volentes erigit atque inflectit? qui pulmonibus respirationem, cordi vitam, calorem & motum, cæterisque omnibus corporis membris, cum animo nostro suggerit atque impertitur. Neq; enim in nobis otiosus est Deus, sed nobiscum omnia gratiæ opera naturæque perlibenter exequitur.

IX. *Omnia creata in Deo esse, & conseruari.*

Agnoscendæ quoque in Deo creatæ res omnes; eas quippe omnes amplectitur, sustentat, intiméque peruadit; itáque conseruat, vt is impressam conseruat imaginem, qui sigillum in aquis imprimit, aut qui se speculo præsentem exhibet. Sic in aëre, vel aqua effusa lux, à corpore luminoso pendet, & à tactu fidium concentus harmonicus, & à præsentia cibi palati voluptas. Deus est qui sigillum imprimit similitudinis suæ in aquea mutabilitate rerum creatarum. Ipse est à cuius præsentia animus, diuinitatis imago, in corpore mortali pendet; qui conseruat in nobis lumen humanæ intelligentiæ, vt sol in diaphano corpore claritatem. Ipse est qui contactu suo omnium partium humani corporis concentum tuetur ac regit; ideóq; membra omnia, quasi fides in cithara, ad gloriam eius celebrandam, intendi par est. Ipse denique est, à cuius amœnissima, suauissimáque præsentia, tanquam ex cœlestis mannæ gustu, pendet vera dulcedo atque hilaritas, quæ ad palatum animi nostri, cum suauitate affluit atque illabitur: à qua si discesseris fallax est omnis voluptas, inanis omnis sensuum animorúmque delectatio, illique persimilis, qua quis epulatur in somnis, & mox cum integra fame illusus expergiscitur.

CAPVT XV.

Singularis Dei cum amicis suis coniunctio, diuinæ gratiæ interuentu.

I. *Huius & præcedẽtium unionũ differentia.* CONIVNCTIO quam regia, ac plane diuina magnificentia exercet cum rebus omnibus à se conditis, quæ cœlo ac terra, ipsisque inferis continentur, quas autoritate sua regit ac potestate, quas intus ac foris perspicaci sapientia contemplatur, quas naturæ suæ immensitate vndique permeat ac sustentat; Hæc, inquam, coniunctio argumentum est magni amoris parentis huius vniuersitatis, qui creata omnia fouet, sustentat, atque complectitur, quasi genitos à se filios, nullo discrimine pulchritudinis aut deformitatis, vilitatis aut precij. Animatis inest atque inanimis, materia carentibus ac materiatis, bonis denique ac malis. Sed idem mundi procreator vna præterea, atque altera se coniunctione communicat, quæ conuenit duntaxat bonis; éstque tanto præstantior, quanto maioris est index beneuolentiæ. Blandius enim atque officiosius tractantur amici quàm famuli, qui sæpe parum modesti sunt, parum sobrij, aut fideles, & famuli quàm seruitia domestica, & mancipia quàm mutæ animantes; Ea est coniunctio gratiæ in hac vita, & gloriæ in futura, de quibus perpauca reliqua disputatione disseremus.

II. *Amoris item diuini, & humani.* Et vt à priore ducamus initium, memoria repetendum est, quod alio quodam dictum est loco, Amorem Dei ipsius erga res creatas, aliter se habere quàm amorem creatum, qui ponit rem quæ diligitur bonitate præditam, ob quam diligatur, cùm Deus vltro maiorem minorémve rebus conferat bonitatem, sibique eas reddat amabiles. Quibusdam enim dedit duntaxat vt sint, viuant ac sentiant, neque ad nobiliorem eas retulit finem, quam vt perfectioribus famulentur. In alios quos condidit ad imaginem suam, homines inquam & angelos, multo liberalior fuit, ratione quippe & intelligentia, libertate atque immortalitate donauit, vt ad Deum ipsum supremo intelligentiæ gradu proximè accederent, eum reuelata facie intueri, eóque frui possent. Eum porro ad finem diuinitus eis gratiæ habitum, qui vires naturæ transgreditur, infundit, quo vtrorúmque natura nobilitatur, atque perficitur.

III. *Homo perficitur in ordine naturæ.* D. Tho. 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. Psal. 4. 7. Tria porro in eandem naturam conueniunt, esse, posse, agere; ab essentia pendet potestas, à potestate actio. Nam, exempli causa, homo naturam habet humanam, à qua corporeæ facultates, spiritaléisque dependent, & ab his corporis animíque actiones; puta visio, auditio, intellectio, ratiocinatio. Natura humana, in iis quæ ordinem naturæ non superant, naturæ lumine perficitur; de quo scriptum est illud, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Facultates autem, virtutum moralium

lium habitibus, acquirunt abſolutionem ſuam, ex quibus iuſtitiæ, fortitudinis, & cæterarum virtutum actiones proficiſcuntur. Ad eundem modum anima, quæ ſupra ordinem viréſque naturæ, ad diuinitatis ipſius participationem excitanda eſt, gratiæ diuinæ ſupernaturali habitu donatur à Deo, eóque ſublimius euehitur, quàm ab vlla naturalium diſciplinarum, aut moralium virtutum. *Et Gratiæ.*

Qualitas iſta nobiliſſima ipſam animæ vim ac naturam permeat atque peruadit, in eáque reſidet; ſicut in eiuſdem animæ facultatibus fidei, ſpei, charitatis infuſæ virtutes; vnde & actiones earundem virtutum promanant. Et ſicut virtutes humana induſtria comparatæ, hominem intra naturæ lumine rationis inſtructæ fines, aptè congruentérque diſponunt, ſic & virtutes infuſæ, animam lumine gratiæ ornatam præparant ad participationem diuinæ naturæ. Et ſicut animi natura in vitales illius actus influit, interuentu facultatum, quas etiam continet ac ſuſtentat, ita & gratia in omnium infuſarum virtutum actus influit. Denique gratia tantam præbet animæ dignitatem, támque eminentem decorem, vt ei omnium virtutum chorus, quodam acceſſionis iure debeatur. Id cùm in charitatem non cadat, non fruſtra gratia in animæ natura intima reſidet, etiam præſente charitate. IV. *Vbi ea reſideat.* *Ei debetur omnium virtutum comitatus.*

Nunc inſpiciamus vbi ſe Deus animæ per gratiam, nouo ac ſingulari modo coniungat. Nouum enim ac ſingularem modum illa Seruatoris verba demonſtrant, *Si quis*, inquit, *diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Aliter igitur prius aderant, quàm mox erant adfuturi. Idipſum affirmat de Spiritu ſancto, quem Spiritum veritatis vocat, negátque à mundo accipi poſſe, venturum autem ad diſcipulos; *quia apud vos manebit*, inquit, *& in vobis erit. Saluos nos fecit*, inquit Paulus, *per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Et rurſum alibi, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Itaque omnes diuinæ perſonæ nouum in anima domicilium capiunt, alióq; ei modo, quàm cum reliquis rebus creatis vniuntur, licet alioqui eas totas ſuæ eſſentiæ immenſitate peruadant. Denique idem Apoſtolus ait Deum in anima, quaſi in templo ſuo reſidere. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* V. *Per eã Deus nouo modo eſt in anima.* Ioan. 14. 23. Tit. 3. 5. Rom. 5. 5. 1. Cor. 3. 16.

Vos, inquit, non intellectus veſter aut voluntas, quæ ſunt ipſius animæ facultates, ſed vos ipſi, intima ſcilicet animæ vis & natura, in qua vti diximus, gratia reſidet, quæ Dei cum anima vinculum eſt, & nexus amborum: qua gratia Deus vtitur vt animæ naturam erigat, eámque reddat idoneam, in qua diuina maieſtas, tanquam in throno ſuo magnificè inſideat, adeóque diuinam illi naturam communicet; non quidem ita, vt diuinam naturam, eiúſve partem aliquam acquirat, ſed vt quod Deo quo- VI. *Eiúſque eſſentiæ vnitur.*

dammodo congenitum intelligimus, & tanquam proprietatem ab eius naturali bonitate profectam, ei amicè communicetur. Itaque diuinam illam cogitamus naturam, quæ diuinam & supernaturalem qualitatem profundat, quæ animam, in quam infusa fuerit, ad statum euehat supernaturalem & diuinum, eámq; Deo simul coniungat & copulet; & sicut homo cum sciẽtia fit homo doctus, & cum eximia virtute nobilis, & cum regis consensu dux aut comes, ita & animus cum diuina gratia fit diuinus.

VII. *Hæc vnio magnum est amoris incitamentum.*

Hæc vnio animæ cum Deo singulare est amoris incitamentum. Nam si coniunctio animi cum corpore magnum prouocat ac mutuum amorem vtriusque, quod essentiæ, & naturæ vtriusque iungantur, quamuis multum inter se differant spiritalis corporeáque natura, necesse profectò est Dei per gratiam cum intima animi natura coniunctionem, & quasi quoddam spiritale matrimonium, magnam esse sanctissimi ac nobilissimi amoris illecebram. Si animus suis omnibus naturæ dotibus præditus, ante corpus conditus esset à Deo, eique liberum esset corpori copulari; videret autem corpus ipsum per sese in singula pene momenta corrumpi; itaque commiseratione motus, ei se ad omnia cum eo vitæ opera exercenda coniungeret, quo illum amore corpus, agnito tanto beneficio, prosequeretur? Priusquam Deus se animo nostro, interuentu gratiæ suæ tradat, potest eum pro arbitratu in statu peccati, mortísque deserere; ei tamen se, pro singulari sua clementia & bonitate, addicit, vt is gratiæ suæ ope ac præsidio, vitæ æternæ functiones exerceat. Animus igitur, qui tantum in se Dei beneficium agnoscit, nónne iustissimo in illum amore exardescet?

Declaratur à simili.

VIII. *Alia similitudo à coniugio petita.*

Sed quoniam in matrimonij mentionem incidimus, suggerit ea cogitatio similitudinem non improbandam. Sit nobili loco nata mulier, non admodum firma valetudine corporis, eadémque neque opibus, neque ætate florens. Cui nihilominus, offert se in coniugium vir eximia nobilitate, forma egregia, viribus corporis, opibus, atque ætate commendatus, insigni denique virtute præstans; minimè profectò illa cunctaretur in matrimonium præbere consensum. Confecto negotio, si mulier & amari se à viro, & peramanter tractari cerneret, nónne in illum sinus omnes amoris effunderet? Anima rationis particeps instar est feminæ nobilis, habet quippe parentem Deum, eadem multis est defectibus & spiritalibus morbis obnoxia. Est autem ita inops, vt præter suum nihil, nihil habeat quod dicere possit suum. Hanc amauit cœli princeps vnigenitus Dei, & exquisiuit à iuuentute sua, & quæsiuit sponsam sibi eam assumere; illa in baptismo, interuentu parentum ac necessariorum suorum, consensit in matrimonium; quo igitur amore in illum ferri debet, cùm tam potenti ac beato principi se nuptui traditam videt, de cuius amore hoc ipso dubitare non potest, quòd se ad tantam agnoscit dignitatem euectam, & quotidiana singularis beneuolentiæ experitur argumenta. Num adduci posset vt illum vel leuiter offenderet?

Sap. 8. 2.

vt diuortium per facinus lethale meditaretur, vna cum amicitiæ, gratiæque iactura? Proh quanta ſuppetit nobis pudoris, & exprobrationis ſeges, ſi vitæ noſtræ rationes attentiùs conſideremus?

In hominum coniugiis, ſi vir dux eſt aut comes, vxor & nomen participat & dignitatem; neque ſanè mirum communicari titulos, in communione corporum ac bonorum. Sed in hoc ſpiritali matrimonio latiùs patet communicatio. Cùm enim ſponſus iuſtitia & ſanctitate præſtet, non ſolùm iuſtitiæ nomen ſponſa obtinet, per adſcriptitiam quandam ſanctitatem, ſed germanam inhærentémque iuſtitiam. Sponſus pulcherrimus eſt, patrique longè gratiſſimus, hæc gratia ſponſam pulcherrimam ac Deo gratioſiſſimam facit: ſponſus filius Dei eſt, ſponſa euadit in filiam Dei. *Videte*, ait Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Sponſus vt Deus ſpiritus eſt, illa ſpiritalis fit, imo vnus cum eo ſpiritus, *Qui adhæret Domino*, ait Paulus, *vnus ſpiritus eſt.* Denique immortalis eſt ſponſus, & corpore animóque beatus, ſponſa, quæ conſtanter in eius gratia perſeuerat, immortali beatitate perfruetur. IX. *Communicatio bonorum in ſpiritali connubio.* 1. Ioan. 3. 1. 1. Cor. 6. 17.

Eſt ergo hoc ſpiritale coniugium, ô amantiſſime Seruator, & quidem, ipſi ſponſæ optimæ, atque ambitioſiſſimæ conditionis; ſed illa tam inconſulta eſt, támque infelix, vt luctuoſum cum eo diuortium faciat per peccatum, factíſque ipſis, ſi non verbis, dicat, Ego Dominum meum non curo, nihil mihi cum ipſo negotij eſt, ſuas ſibi res habeat, mihi certũ eſt cum capitali eius hoſte Satana conſueſcere, eius imitari mores, participare calamitatem, ſupplicia non reformidare. Tu autem ô ſponſe admirabilis, eam iteratò requiris, ſollicitus de inſtaurando coniugio cum ſtulta iſta atque improuida muliere, & ad ſe, téque redeuntem, non alia beneuolẽtia & charitate complecteris, quàm ſi nihil diſſidij inter vos interueniſſet. O magne ſacerdos! ô ſumme pontifex æternorũ bonorũ, ecquid meminiſti legis quondã tuæ, quæ vetat Pontificem vxorem ducere meretricem ac ſordidam, imo etiam viduam aut repudiatam? tu autem non dubitas ſponſam accipere, non ſolùm viduam, atque à bonis omnibus imparatam, ſed mulierem, à qua non ſemel libellum repudij accepiſti, peccatis ſordidam, carni, mundo, dæmoni proſtitutam. O lenitatem, atque indulgentiam ſingularem! vt penè in damnum ac dedecus tuum, tuis te legibus ſolutum velis. X. *Cuius diuortium fit per peccatum.* *Et à Deo amantiſſimè reparatur* Leuit. 21. 13. 14.

Cùm ergo te aduerſus homines tam indulgenter geras, geſſeriſque perpetuò, quî fieri poteſt vt in amorem tuum illi non cor totum viréſque profundant? quomodo vſque adeo ſtupidi ſunt ac vecordes, vt non animaduertant quantam tibi iniuriam inferant, quantum ſibi damnum creent? O amantiſſime Ieſu, vnicum gaudium cordis mei, nolo te ratione mei excludi poſtulatis à patre, cùm pridie quàm dirum pro hominibus ſupplicium crucis adires, eum rogaſti, vt amici tui in te, & in patre tuo vnum eſſent. O ſponſe ſuauiſſime atq; dulciſſime, quomodo non XI. *Oratio ſuper eare.* Io an. 17. 21

execrabimur illud infame diuortium, quod in gratiæ tuæ iactura consistit, supra bonorum omnium, parentum, amicorum, opum, dignitatúmque iacturam? supra omnium morborum, suppliciorum, probrorum, morbiúmque molestias, vt gloriosissimæ desponsationis tuæ coniunctione ad mortem vsque retenta, æternæ gloriæ connubio in cœlis aliquando perfruamur.

CAPVT XVI.

Suprema Dei cum amicis suis in æterna fœlicitate coniunctio.

I. *Suprema vnio reseruata cœlo.* SVPEREST nobis altera, eadémque suprema Dei cum anima rationali coniunctio, ad quam diuinus amor, qui in vtroque amante est, continenter aspirat, & tum demum continget, cùm anima, peracto tempore peregrinationis, & stadio vitæ feliciter decurso, beatæ patriæ limen attinget, nouúmque ingredietur stadium, ad cuius nunquam peruenietur metas; *constituit* enim Dominus *terminos eius, qui præteriri non poterunt.* (Iob.14.5.) Ibi animus gratia, virtutibus, meritísque locupletatus, sentiet diuinam essentiam in penetralia cordis sui miro modo influentem, & interuentu huius gratiæ suis omnibus numeris absolutæ, & luminis illius gloriosi, quod in eius intellectum infundetur, sentiet eleuari se, illustrari, roborari, præparari denique, vt quid vnum cum Deo fieri possit; intellectus enim, vt aiunt philosophi, intelligendo fit omnia; sentiet voluntatem suam diuina charitate inardescere, animaduersa familiaritate, ac suauitate, qua tantus princeps ipsum complectetur, & implebit illud, *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, & osculabitur me osculo oris sui.* (Cant.2.6.)

II. *Summè optabilis.* Hæc est optatissima illa coniunctio, ad quam tanquam ad finem vltimum, & centrum desideriorum nostrorum incredibili pondere, & ingenito conatu ferimur, quæ beatos efficit, dum claram ipsius Dei cognitionem secum inuehit, sine imagine, sine vmbra, sine caligine, & omnino sicuti est in seipso; & quidem cum certa & secura possessione & fruitione ipsius, omniúmque bonorum eius, quæ amitti aut imminui nunquam possit. *Et inseparabilis.* Tunc nimirum exclamabit præ gaudio sponsa illa fœlicissima, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam;* (Cant.3.4.) inseparabili quippe diuinæ charitatis nodo adstricta est ista coniunctio, nec est vltra mutationi creatæ voluntatis obnoxia. Hòc autem erit ibi absolutior atque perfectior illa vnio, quò fuerit charitas in hac vita præstantior, & quemadmodum Deus ipse pro amore in nos suo, ibi nostros in amplexus ruet, ita nos vult hoc loco, pro nostro in ipsum amore, felicissimam illam promereri coniunctionem.

Sed quis oratione assequatur, quo fiat modo clarus ille Dei manifestúsque conspectus, gloriosa illa consociatio Dei cum anima, & animæ vicissim cum Deo, à quo cum omnibus facultatibus suis, tanquam ab immensa voragine absorbetur, tanquam ab infinito deliciarum oceano, tanquam ab hortis amœnissimis castissimarum voluptatum; vbi diuturna illa desideriorum, expectationum, & contentionum, pro Dei gloria & animarum salute, exaturatur fames: quando omnes animæ vires ita euigilant, vt nihilominus placidissimè sopiantur, ita sitiunt, vt simul torrente voluptatis potentur, ita sobriæ sunt, vt præ ebrietate spiritus non sint compotes sui. Quis, inquam, oratione consequatur diuinum huius vnionis modum; quando Apostolus ipse experientia doctus negauit, aut à se satis explicari, aut à mortalibus capi posse. Certè vt satis intelligi possent atque explicari, quis conetur Paulo esse disertior, qui ait audisse se *arcana verba, quæ non licet homini loqui?* III. *Adeóque ineffabilis.* 2.Cor.12.4.

Itaque si quid de arcanis istis cælestibus, præter oracula scripturarum, loquimur, ex probabili eorum coniectura loquimur, quæ hic sub humanam experientiam cadunt. Coniiciamus ergo nos quoque si videtur, augusta mysteria diuinæ illius vnionis cum beatis, ex ea quàm mysticæ Theologiæ scriptores tradunt lectissimis animabus, Deóque familiarissimis, in hac ipsa vita aliquando contingere, in quibus, vt magnum illum mittamus Dionysium, cæterorum secundum Deum magistrum, in quibus, inquam, S. Bernardus, Richardus à S. Victore, S. Bonauentura, Laurentius Iustinianus, S. Teresia, Thomas à Iesu, Ioannes à Iesu Maria, aliique non pauci, quos meritò credimus, vt superiùs in simili argumento dicebamus, ex propria experientia esse locutos, ideóque singularem verbis eorum esse adhibendam fidem. Res est parum vulgò nota, cognitione tamen dignissima, & vel in eam rem vtilis, vt magnos Dei amicos admirari discamus, & ignauiam nostram ac tenuitatem lugere. IV. *Quomodo illa coniici possit.* Lib.11.c.12. n.1.&c. AMOR.

Non potes nunc quidem, inquam, maiorem à me inire gratiam, quam si hæc nobis, quamuis nondum initiatis, accuratius exponas. Imo, inquit ille, delibabo singula duntaxat, quantum susceptum exigit argumentum. AVTOR.

CAPVT XVII.

Coniectura diuinæ in cælo vnionis, ex ea, quæ lectissimis Dei amicis in hac vita contingit.

TRADIT ergo mystica Theologia, eos qui diuinarum rerum meditationi incumbunt, (quæ admodum fructuosa est cum Deo negotiatio, si rectè exerceatur) vbi eam studiosius tanto tempore pertra- I. *A meditatione fit,*

ctarint, quanto diuinæ ſapientiæ ac bonitati viſum fuerit expedire, ex hoc quaſi tyrocinio ſuauiter educi ſolere, atque ad contemplationem ab eo euocari, qui eum cupit accipere lautiùs, quàm ſolet vulgares conuiuas; itaque illud ei ad cordis aurem inſuſurrat, *Amice aſcende ſuperius.* (Luc. 14. 10.) Sicque meditatio, quæ res diuinas laborioſè perſequitur, eáſque omnem in partem mente agitat, ſi quo modo diuini amoris exardeſcat ignis, ſternit contemplationi viam; à qua differt, vt ab aurora meridies, vt laborioſus nauigationis curſus, placidæ portus tranquillitati. (Marc. 6. 48. Matt. 14. 24. Ioan. 6. 17.) Videns enim Ieſus diſcipulos ſuos laborantes in remigando, & ſtrenuè tentationum, aberrationum, triſtitiæ, ac derelictionis fluctibus ventiſque reſiſtere, venit ad eos, & vndarum calcato tumultu, impoſitóque ventis ſilentio, omnique tempeſtate ſedata, eos ad portum, & quietem contemplationis deducit.

II. *Quæ eſt quædam mentis quies, cum ſuſpenſione ſenſuum.*

Eſt enim quies quædam iſta contemplatio. Cùm primùm enim mentis agitatio in perſequenda veritate, quam ſtudioſè quærebat, conquieuit, intellectus cum admiratione ſubſiſtit, ſimúlque contemplationem inceptat, & quaſi ſtupore quodam ſuſpenſus tenetur, ſpiritu Dei, qui eſt ſpiritus ſapientiæ, illum illuminante, & ad ſe rapiente, vnde reſilit in voluntatem ſociam dulcedinis quidam ſapor, excellentiæ contemplationis congruens. (Theol. myſt. p. 87.) Negant porrò propriè contemplationem dicendam eſſe, niſi ſuſpendatur intellectus, & coram auguſtiſſimis ſpectaculis obſtupeſcat. (*Vnde iſta ſuſpenſio.*) Oriri autem aiunt ſuſpenſionem hanc ex rerum magnitudine ac nouitate, ſupra omnem præteritam cognitionem. Contuens enim intellectus tam eximia bona, miratur, & ex admiratione augetur attentio, ex attentione fit cognitio clarior & iucundior, vnde oritur ſuſpenſio, quæ in mortali corpore nequit eſſe diuturna, animam terrena inhabitatione degrauante, & ad functiones ſenſuum reuocante.

III. *An & quomodo à raptu diſtet, & extaſi.*

Hæc ſuſpenſio parum diſtat à Raptu, vel Extaſi, ſed eiuſdem rei videntur eſſe diuerſa vocabula, ex diuerſis proprietatibus contemplationis petita. Quia enim externorum ſenſuum functiones intermittuntur, & ſuſpenſæ detinentur, ſuſpenſio dicitur; & quia in iſta aberratione ſenſuum, animus tantiſper liber exit à ſe, vt in rem amatam menti obiectam tranſeat, eadem contemplatio extaſis dicitur, ſiue exceſſus. Raptus autem prædictis vim quandam adiungit atque violentiam; quæ licet in voluntatem non cadat, præſertim cùm vltro feratur in bonum cognitum; eo tamen modo intelligitur vim pati, quo lapis cùm vibratur in centrum, in quod celeriùs etiam fertur, quàm eius natura exigit. (p. 123. 124.) Eodémque modo, licet mens & voluntas ſuopte nutu, per hæc quæ in ſenſus cadunt, ferantur in Deum, celeriùs tamen ac vehementiùs in ipſum per contemplationem rapiuntur, quàm conſuetus naturæ modus ferat.

IV. In variis autem iſtarum mentis aberrationum modis, qui in diuini

amoris vnionem, oscula, amplexúsque terminantur, primùm occurrit is, qui ab externis sensibus vacationem inducit, vt vacetur internis; illius videlicet obiecti contemplationis, quod in phantasia repræsentatur, Deo animam excitante, vt se in Deum erigat, ad ineundam cum eo amoris vnionem. Postquam enim animus studuit cor suum in Deum multa nauitate erigere, accurrit suauissimus Dominus, & fesso cordi blanditur, adeò vt mira illud voluptate permulceat, & superno lumine illustret. Id Dei donum mox vt homo adipiscitur, imperiosè despicit quæ antè cupiebat, & quæ prius oderat, Dei amore complectitur. In hoc porrò modo licet cesset ratiocinatio, & si eruperit, suaúiter intercidatur, intellectus tamen rem obiectam cum quiete contemplatur. *Suspensio ad Vnionem disponens.* p. 126. 127. &c.

Contingit etiam alius aberrationis modus, quem iidem mystici Theologi Ebrietatem spiritalem vocant, propter geminam cum ebrietate similitudinem. Aliquando enim vini copia foras erumpens insolitis se motibus, sonisque prodit. Ita Deo in cor hominis illabente, tanto voluptatis torrente perfunditur, vt se continere non possit, sed motibus gestibúsque insolitis, ingentem interioris voluptatis vim prodere cogatur. Cor enim, in ista præuia vnione cum Deo, tam acri stimulo diuini amoris, & desiderio diuinæ fruitionis inflammatur, & apertis poris, velut ad capiendum Deum, adeò distenditur, vt pectus ei nimis arctum videatur: ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate tanquam oleo nutritur & inualescit, foras violenter erumpit, musti ebullientis more, quo nouæ lagunculæ dirumpuntur. Quòd olim Apostolis die Pentecostes videtur accidisse, cùm Iudæi musto madere putabant, quos spiritus repleuerat. Hinc illa Cantica, gemitus, informésque soni; plausus etiam, saltus, cursúsque, quos de quibusdam sanctis, beati Francisci discipulis legimus; qui motus spiritui diuino agitanti potiùs, quàm naturali animanti tribui debent. V. *Ebrietas spiritalis gemina, prior.* p. 131. &seq. Luc. 5. 37. Massæo & Bernardo.

E contrario autem vini copia sensus ita obruit, vt somni quietem conciliet; sic & in spiritali ebrietate, sicut prior præ magnitudine lætitiæ quietem ferre non potest, ita hæc præ dulcedinis copia somnum & quietem spiritalem inducit, quam S. Teresia orationem quietis videtur appellasse, quòd in ea omnes animi facultates quiescant: in eáque animam ait miro quodam modo intelligere Deum iam sibi propinquum, & quasi contiguum esse, ita vt leui conatu possit ad diuinam vnionem pertingere. Sequitur tertius quidam siue raptus siue mentis aberrantis modus, absolutior vtroque prædicto atque perfectior, in quo Deus cor allicit, trahitque mulcendo ad altiorem quendam & puriorem amoris amplexum. Et sicut hic cognitio subtilior, ita & affectio nobilior viget, quæ non adhæret delectationibus diuinis, sed iis omnibus animosè præteritis, optat in nudis Dei brachiis conquiescere. VI. *Posterior spiritus ebrietas.* *Proxima ad vnionem cũ Deo dispositio.*

VII. *Dilatatio cordis, ac læsio.*

Hic præ magnitudine voluptatis cor dilatatur, & quodammodo patefactis poris dehiscit, ac læditur: solétque aliquando hæc læsio ita ingrauescere, & amoris impetus ita augeri, vt tantis incrementis cor humanum par esse non possit, sed ei morte felicissima succumbat; quod mortis genus aiunt beatissimæ Deiparæ, S. Teresiæ, aliisque nonnullis contigisse. Clementissimus autem sponsus animam sic affectam crebro inuisit, & ad supremum vnionis modum inuitat, quem sitiens anima ad eam se vnionem cupidissimè erigit, quam dum non adipiscitur, defectio & languor existit, qui sine alio externo labore hominem extenuat & conficit, dum omni ope connititur, vt ad se trahat dilectum suum, eique optatissima vnione iungatur. Quòd si ei pro voto contingat, castissima Spiritus increati cum creato coniunctio celebratur, quæ dicitur Vnio, per mutuam inhæsionem ac fruitionem, quæ quantum Domino visum fuerit, perseuerat.

Defectio & languor.

Vnio.

VIII. *Quomodo fiat ex parte Dei.*

Thoma à Iesu l. 4. de orat. diuina c. 11. & seq. & c. 10. §. 5.

Illapsus in intellectum, & voluntatem.

Serm. 31. in Cant.

ex S. Bernardo.

Quoniam verò ad hanc felicissimam vnionem, quæcunque dicta sũt hactenus, referuntur, eam paulo diligentiùs ex iisdem Theologis explicemus. Exigit in primis hæc arcana & diuina vnio, vt Deus animæ potentiis illabatur, atque intimè præsens fiat, se illis communicet, ostendat, & in ratione obiecti immediatè coniungat. Hæc manifestatio Illapsus dicitur. Et ab intellectu quidem non clarè & distinctè cognoscitur, id enim beatitudini reseruatur, cernitur tamen sub ratione immensæ lucis. A voluntate autem perfectissimè attingitur, & arcano nexu apprehenditur: ea enim vltra intellectum progressa, immediatius vnitur Deo; non enim amat eum, prout apparet intellectui, sed prout est in seipso. Quod significat S. Bernardus, cùm ait sponsam Dei amore flagrantem non contentam esse aliis manifestationibus, aut reuelationibus, *Nisi & speciali prærogatiua intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat, habeátque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum, non apparentem, sed efficientem.* Et mox, *Non tamen adhuc illum dixerim apparere, sicuti est, quamuis omnino non aliud hoc modo exhibeat, quàm quod est.* Vbi vides haud obscurè distingui, quo modo se sponsus gerat tam cum intellectu, quàm cum voluntate animæ dilectæ.

IX. *Et Richardo Victorino, Intellectus Deum clarè non videt.*

De grad. Char. violentæ.

Th. l. 4. c. 11. sub fi. p. 444

Sed apertè Richardus à S. Victore, *Sæpe sub hoc statu,* inquit, *Dominus descendit de cœlis, sæpe visitat sedentem in tenebris, & vmbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis: sic tamen præsentiam suam exhibet, vt faciem suam minimè ostendat, dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit, infundit suauitatem, sed non ostendit claritatem,* &c. fusiùs; & rectè quidem; si enim Deus illaberetur intellectui, clarè & distinctè cognosceretur, sicut in gloria. Nam Illapsus iste diuinus nihil aliud est quàm Deum secundum essentiam suam fieri præsentem facultati cognoscenti, in ratione obiecti. Si ergo ita vniretur intellectui, intellectus illum perciperet, eiúsque essentiam clarè intueretur. Fit itaque

que illapſus ille in voluntate duntaxat, cui in hac arcana vnione immediatè, ſecundum ſuam eſſentiam coniungitur, ita vt voluntas eius contactum & amplexum percipiat, ſub ratione omnis boni, eique intimè & immediatè vniatur, ſicut in gloria.

Quemadmodum autem ex parte Dei iſta vnio eſt intima coniunctio ipſius Dei cum intellectu, in ratione ſummæ lucis, quantum in hac vita permittitur; tunc enim mirabili à Deo luce perfunditur intellectus & eleuatur, vt ipſum voluntati præſentem, & altiſſimo modo vnitum, quamuis non intuendo, cognoſcat: & altiorem de Deo cognitionem aſſequatur, quàm per præcedentes omnes viſiones ac reuelationes. Eſt etiam coniunctio cum voluntate in ratione ſummi boni, ſummique delectabilis. Sic etiam ex parte animæ, vnio hæc eſt vitalis perceptio, & experientia quædam omnium ſenſuum internorum ipſius ſummi boni, eiúſque gratiæ & donorum; aut ſi placet, mutuus amplexus ipſius Dei ſibi intimè præſentis. Eſt igitur hæc vnio ſumma & altiſſima mentis humanæ perfectio, quia mens Deo, infra diuinæ eſſentiæ claram viſionem, perfectiſſimè tam intellectui quàm voluntati vnitur. Nam ipſum Deum perfectiſſimè contemplatur; ſentit præterea, ſuauiſſiméque deguſtat ipſum Deum cui coniungitur, & ipſam actionem, qua Deo iungitur, eóque fruitur, gratiam denique & charitatem, quæ ſunt principia huius perfectiſſimæ actionis. X. *Vnio cum Deo ex parte animæ.* p. 447. & 454.

In hac porrò feliciſſima vnione duplex gradus diſtinguitur, quorum prior deſponſatio ſpiritalis appellatur, poſterior ſpiritale matrimonium. Vtrumque S. Tereſia cæteris videtur accuratius explicaſſe, diuturna edocta experientia. Quando, inquit, diuina bonitas compatiens laborum & afflictionum, quas animæ ſibi ſpiritali deſponſatione coniunctæ, pro eius amore perpeſſæ ſunt, antequam eas ſpiritali matrimonio ſibi coniungat (quamuis in hac vita non tam perfectè hoc ſpiritale matrimonium Deum inter & animam celebretur, quin poſsit aliquando anima à Deo ſeparari) ad propriam manſionem, id eſt ad centrum animæ eas introducit, ibique cum eis vnitur, quòd non ſolet in ſpiritali deſponſatione contingere. Nam ibi ſponſa non tam ad centrum, quàm ad ſuperiorem animæ partem à Deo vocari videtur. Hæc ergo prima eſt à locis petita diſtinctio, quòd deſponſatio mentis apice, matrimonium in centro ſeu fundo animę fieri intelligatur. XI. *Spiritalis deſponſatio, & connubiũ vt differãt.* Manſio 7. c. 1. & 2. & Thomas à Ieſu l. 4. de orat. p. 460.

Alterum diſcrimen eſt quod in vnione ſpiritualis deſponſationis, ſaltem quo illa tẽpore celebratur, omnes facultatum functiones ita abſorbentur, vt nulla ratione anima ſentire poſsit aut intelligere, quale & quantum ſit bonum quo fruitur. In matrimonio verò ſpiritali Deus abſorptas ac ligatas animæ facultates ſoluit, & quaſi ſquamis oculorum deterſis, permittit vt anima percipiat, atque intelligat aliquid, de immenſis bonis quibus fruitur. *Quòd quidem*, inquit, XII. *Alterũ diſcrimen.*

Manifestatio S. Trinitatis. *mirabili modo contingit: nam animæ in illo centro manenti visione intellectuali mysterium sanctissimæ Trinitatis, omnésque tres personæ manifestantur: præcedit tamen hanc manifestationem suauissima quædam spiritus inflammatio, instar lucidissimæ cuiusdam nubis, ibique notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres personæ sint vna substantia, vna potentia, vna sapientia, & vnus Deus; ita vt quòd fide tenemus anima quodammodo intuitiuè cognoscat.*

XIII. *Tertium & quartũ discrimen.* p. 456. & 478. Tertium discrimen est, quod in priore vnione anima omnia Dei dona & gratias mediis facultatibus sensibúsve recipit; in hac autem posteriore, quæ in intima animæ essentia, centróve contingit, Deus se illi sine vllo medio manifestum reddit, nobilissima visione. Quod enim omnes facultates absorberi dicuntur, intelligendum est intellectum tanta admiratione suspendi, vt non possit tunc discernere se aliquid intelligere, neque vti cognitione reflexa. Postremò in spiritali matrimonio arctior est animæ cum Deo coniunctio, ac veluti indissolubile vinculum. Est enim Deus deinceps animæ fere continenter præsens, quamuis non semper tam clarè atque apertè, sicut eo tempore quo diuinum hoc matrimonium contractum fuit, vt possit anima aliis quoque rebus attendere; quoties tamen se introrsum colligit, hanc diuinam societatem experitur; in sponsatione verò spiritali, anima frequenter à Deo separatur, neque diuina præsentia continenter gaudet.

XIV. *Fructus vnionis huius.* Thom. à Iesu l. 4. de orat. c. 13. p. 455. Hæc ex sanctissima illa Teresia, de cuius filiis vnus in hunc modum exclamat. O ter quatérque beata anima, cui adhuc in hac peregrinatione degenti, felicissima æternitatis pignora, ac summam beatorum gloriam prælibare contingit. Quid autem hæc Dei manifestatio & amplexus in anima operetur, quę lingua explicare sufficiat? Ex illo enim fonte, qui in secreto animæ fundo latet, & qui quasi torrens voluptatis totam animæ regionem percurrens eam irrigat, fœcundat, exhilarat, mirabiles
1. illi in totum animæ regnum fructus emanant. Primò incredibilis animæ cum Deo vnitæ gratia & pulchritudo, quam sponsus ipse totis Canticis
2. Canticorum deprædicat. Secundò sublimis & perfecta diuinorum mysteriorum cognitio, ipsiúsque Dei, illustris, quamuis in caligine, vt ait (p 551. & seq.) S. Dionysius, contemplatio, proximè accedens ad claram & aspectabilem beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud Esaiæ. (Isa 58. 10.) *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam*, &c.

XV. *Tertius fructus siue effectus huius vnionis.* Cant. 2. 14. 3. Tertius effectus est ardor amoris, quo in diuina fornace inardescens animus liquescit, ac transformatur in Deum, cui arctissimo complexu, & spiritali matrimonio sociatur: vnde oritur immensum in anima desiderium videndi faciem desideratissimam sponsi sui, vnde illæ voces: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Neque tamen turbulentus est hic amor, aut valde feruidus, vt sub conuersionis initia, sed planè serenus ac quie-

tus. Quartus eſt ineffabilis ſuauitas, & quædam quaſi beatifica fruitio, 4.
qua feliciter abſorbetur animus in quandam inſcientiam ſui, in qua experitur æternæ dulcedinis ſaporem, & ſummo bono intimè coniuncta, experientia ipſa cognoſcit, *quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et ſicut animæ Pſal.33.9. iuſtorum gaudent in cœlis, ita & in terris animæ perfectorum, quia vtriſque feliciſſima cum Deo vnio, transformatióque contingit.

Quintus eſt animi ſingularis tranquillitas, & ſempiterna illa requies, XVI. quam promittit Eſaias, & pax quæ exuperat omnem ſenſum, quam celebrat Apoſtolus, & Dauid cùm ſperat fore vt *in pace in idipſum dormiat & requieſcat.* *Quintus effectus.* Sextus eſt copioſus omnium virtutum ornatus, & perfectiſſimarum affluentia gratiarum, quibus magnificentiſſimus ſponſus 6. c.58. dilectiſſimam ſponſam, quaſi exquiſitiſſimis monilibus ornat atque locupletat; & quidem in gradu quodam heroico, ſúntque virtutes, vt ait Phil.4.7. Pſal.4.9. Doctor Angelicus, hominum iam aſſequentium diuinam ſimilitudinem; & ob eam cauſam vocantur virtutes animi iam purgati. 1.2.q.61.a.5 Septimus eſt Abſolutiſſima Chriſti imitatio, præſertim in rerum aduerſarum 7. perpeſſione; itaque illi in ferenda cruce, tormentis & ſumma ignominia cumulata, conformari curant, & illam triſtitiam animæ vſque ad mortem, illam agoniam, illum ſanguineum ſudorem, illam deſolationem filij, ac derelictionem patris ſtudioſiſſimè ambiunt atque affectant, eámque omnem moleſtiarum acerbitatem, ſingulari Dei benignitate, aliquando participant.

Huic affinis eſt octauus, qui in contemptu rerum humanarum poſitus eſt, iuxta illud Eſaiæ, *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ.* XVII. *Octauus fructus.* c.58.14. Facile enim eſt terrena bona contemnere cœleſtibus abundanti, & illius aduerſa, tanto exemplo mitigata, tantóque melle temperata tolerare. Vide Greg. l.31. Mor.c. 34. Hi cùm intus circa ea quæ Dei ſunt, quem ſecum circunferunt, iugiter occupentur, Deóque adhæreant, foris videndo pene cœci, audiendo ſurdi, & loquendo videntur elingues; & cùm Angelicam in terris vitam degant, terreſtres Angeli vocari poſſunt. No- 9.
nò, mire obedientes ſunt Dei, Eccleſiæ, omniúmque ſuperiorum præceptis ac nutibus, quamuis legem digito Dei in cordibus ſuis exaratam ferant, & lex, vt ait Apoſtolus, non ſit poſita iuſtis, ſed peccatoribus & 1.Tim.1.9. iniuſtis. Denique miris ſæpe modis ipſum corpus afficitur, animo diui- 10.
na patiente; & nominatim inſtar ipſius ſpiritus, aliquando mira ſurſum agilitate ſubleuatur: quod plerumque viris ſanctis Franciſco, Ignatio, Mariæ Magdalenæ, & Tereſiæ, contigiſſe conſtat. *Alterationes corporea.* De Daniele autem legimus eum, poſt inſignem quandam viſionem, corruiſſe in terram, & Dan.10.8. viribus deſtitutum, faciéque immutata emarcuiſſe.

Hæc, atque his ſimilia de ſanctis viris legimus; apud ſanctos viros, de his contemplationum, ſuſpenſionum, raptuum, diuinæque vnionis XVIII. myſteriis, quæ à Deo ipſo in terris cum chariſsimis animabus, ſponſiſque fideliſſimis celebrantur; quæ vel tacente me deinceps apertiſſimè *Applicantur hæc vnio glorioſa.*

docent, qualis sit in cœlo beatorum contemplatio, reuelato fidei vmbraculo, omnique caligine atque obscuritate detersa, contemplatio, inquam, multo potentior ad cohibendas, retinendásque omnes animæ vires, quas hic degrauat humana mortalitas, quàm huius vitæ obiecta omnia, quàm omnia diuinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatísque miracula, quamdiu Deus sicuti est clarè non cernitur, quæ beatæ illius regionis prærogatiua est; præsertim cùm hic nobilissima illa vnio exigui temporis sit, ista autem cælestis duratione beatissimam exæquet æternitatem.

XIX. *Visio beata & infusa.* Quis animo capiet illas extases, illas omnium animi facultatum inuectiones in Deum, per amorem, quem extaticum vocant, sine vlla contentione aut labore, dum interea externi sensus sacrosanctam Christi Domini humanitatem, absolutissimum humanæ pulchritudinis exemplar, cum inæstimabili delectatione contemplabuntur: corpus quoque beatissimæ Virginis, omniúmque Sanctorum, cum ipsorum mansionibus, & tota cælesti regia sub eandem contemplationem cadent. *Ebrietas metaphorica* Quid de illa coniici ebrietate potest, quam Dauid ipse prædicat, *Inebriabuntur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, & quam sponsus ipse ad eam inuitando promittit, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Ebrietate, quæ sine vllo indecoro, aut turbulento motu beatos impellet ad festas choreas cum Angelorum choris, ad concentus mirabiles, ad diuina Cantica, ad hymnos mellifluos, ad immortales gratiarum actiones: vbi nunc *tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, nunc tanquam vino, nectare & ambrosia præstantiore, altissimo contemplationis somno sopiti conquiescent.

Psal 35.9. Cant.5.1. Sap.3.7.

XX. *Aberunt omnia, quæ sunt infirmitatis, aut laboris.* Ibi erit Amor, sed sine vulnere, & languore, sine virium defectione aut deliquio; hæc enim omnia transierunt, quæ erant Amoris decertantis in terra, non regnantis in cœlo; cui conuenit absolutissima virium, formæ, sanitatis animæ corporísque perfectio. Ibi erit amor, sed sine lachrymis, atque suspiriis; at non sine delectatione, quæ meritissimò longissimæ vitæ lacrymis gemitibúsque redimatur. Ibi diuinus humanúsque spiritus non vltra arcano complexu, sed publico ac patente iungentur, atque inseparabiliter vnientur, vt duo in vno aëre lumina, duæ in eadem fornace flammæ, duo in vno flumine riuuli, aut omnia potius in vno Oceano flumina; ita enim omnibus vnietur, ac si vnicus esset in cœlo beatus. Nulla ibi amoris luctatio, nulla contentio, ad maiores in gratia diuina faciendos progressus, sicut neque incrementa meritorum, sed erit in summo amore quies, in summa quiete summus amor, gratia & meritis huius vitæ, vt legitimis terminis definitus: & magnitudo messis manipulorum copiæ respondebit.

XXI. *Conclusio.* Tota eorum oratio vnionis erit & quietis, toti à nutu ac beneplacito diuinæ voluntatis pendebunt, nihil vt desiderare possint, aut postulare, quod è re propria aut aliena sit, nisi quod in beato illo speculo viderint æterno Numini acceptum esse. Sed quid ego ista pluribus eloquor, quæ

omnem vincunt loquēdi facultateē? Quid in media huius vitæ caligine, de illuſtri illa gloria, tanquam cœcus de coloribus, diſputo? *acquiri poteſt*, ait Auguſtinus, *æſtimari non poteſt*. Non modico cum damno ſummæ res modicè commendantur; auditor quippe de rebus ex auditione, non ex rei parum cognitæ merito iudicium ferre ſolet; Itaque ingenuè fateamur nos huius myſterij magnitudine, huius beatæ vnionis præſtantiſſima gloria, quod caput eſt omnium operum diuini Amoris vnientis, infinitè ſuperari. Aut id certè dicamus, nihil minùs expectari debuiſſe ab eo, qui Deus eſt, quique ex operum ſuorum nobilitate atque præſtantia, ſapientiam ſuam, potentiam, bonitatem, diuinitatem denique ſuam ab Angelis & hominibus tota æternitate agnoſci cupit, atque prædicari.

Vndecimi Libri finis.



LIBER DVODECIMVS.

De Actione Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio octaui filij Charitatis, cui nomen Amor Actuosus, siue Laboriosus.

AVTOR. I. *Transitus ad nouam disputationem.* Luc. 10. 38.



NGRESSVS aliquando Christus Dominus in quoddam castellum, de rebus diuinis sapientissimè, suauissiméque disserebat, quæ Maria Magdalena ad eius pedes abiecta, diuini amoris telo saucia, summo cum desiderio, sensúque voluptatis audiebat. Itaque tota eius oratio non solùm dulcis & sapiens, sed breuior etiam opinione atque expectatione sua, illi esse videbatur. Vice autem versa fieri potest vt Marthæ longiores viderentur, quæ *satagebat circa frequens ministerium*, & auxilium sororis ambiebat; idcóque illam maturius à Domino dimitti cupiebat, itáque cupiebat, vt à vulgata illa querela non abstineret, *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare?*

II. *Amor Actioni addictus & contemplationi.*

Pia ac religiosa Magdalena Amoris quietis & vnientis vicem obtinet, cui, qui contemplationi addicti sunt, famulantur. At Martha negotiosa rei domesticæ curatrix, Actuosum nobis Amorem ac laboriosum egregiè repræsentat, qui variis perpetuo negotiis distinetur. Amor Vniens, qui proximè finem dicendi fecit, crediderit fortasse orationem suam fuisse breuiorem, quòd res multas, magnásque, in pauca quædam quasi argumentorum puncta, contraxerit, aut certe quòd, præ sui in Deum amoris magnitudine, neque ab eo separari potest, neque de eo disserendo, facilè ad exitum peruenire. Visus tamen fuerit prolixior huic alteri germano eius, cui Amoris Actuosi dedimus nomen, ac de finiendo fortassis innuerit, dixeritque in corde suo, verbis facta præstare: cùm tamen de Amoris actione copiosa oratio esse possit; philosophi enim omnia propriæ actionis causa esse testantur.

Nobilis hic adolescens vultu erat negotioso, & animum industrium, & ad opus intentum prodebat. Statura erat mediocri, viribus integris, quas labor ipse nutriebat, colore grato ac rubicundo, aut ex multo potiùs itu redituque fuscato, promissa cæsarie, sed quæ sponte ac sine arte in cincinnos desinebat, sudoris in fronte nonnihil, oculus acer ac vibrans. Veste solebat vti breuiore eadémq; succincta ad renes, ne sinuosa & defluens ad pedes, vel itineri esset impedimento, vel labori, quàm nihilominus ab imo reducebat, cùm manus erat operi admouenda. Fasciam ferebat transuersariam ex multitio serico, cinericij coloris, in qua acu picta erat illa vox, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Dextra ferebat sceptrum, quod iustitiæ manum vocant, actionis vtique symbolum, quod nihil sit actuosius manu, quæ instrumentum dicitur instrumentorum. Eadémque manus digitis retinebat scriptum hoc elogium, *Negotiamini dum venio.* III. *Descriptio Amoris actuosi.* Ioan. 5. 17. Lucæ 19. 13.

Superest vt ei faciamus audientiam, breuitatem pollicetur, quam negotia communis Domini & parentis exigunt: quæ tamen ipsa negotia non minus exequetur docendis nobis, & excitandis, vt studiosum Deo famulatum exhibeamus, neque labori nostro, in eius gloria & honore promouendo, aliquando parcamus. Propositum habet, quantum licet ex ratione agendi fratrum ipsius coniicere, docere esse se filium Charitatis, diuinum Amorem actuosum esse; id quotidie Dei famulos, atque amicos reipsa comprobare. Quin etiam Dei ipsius ac Christi Domini amorem actuosum esse, vt ex illo fasciæ pectoralis scripto intelligi potest. Prius tamen non inuitè feret, vt spero, nos quasi in thesi prolusione vtentes, docere, Amorem natura sua actionis, & laboris amantem esse. IV. *Propositio dicendorum.*

CAPVT II.

Amorem vniuersè sumptum Actuosum esse, & laboriosum.

FIERI nequit vt qui diligit aliquid, non continenter, aut certè perquam frequenter, sit in eo acquirendo, fruendóve occupatus. Cùm enim adest ac præsens est bonum, ad id contemplandum oculi se primùm, cæterique externi sensus accommodant, quos deinde interni, ménsque ipsa consequitur, & omnes quantam maximam possunt eius cognitionem hauriunt, móxque voluntas, omnésque illius affectus in eo complectendo fruendóque occupantur, cum ea fere delectatione, quæ obiecti bonitati, suauitatique respondeat. Cùm autem abest amoris obiectum, exilit illico desiderium, omnésque sollicitè scrutatur vias, quibus illud sibi sistat, eóque præsente potiatur; id autem quid aliud est quàm actuosum esse, & quietis expertem? Vtriusque rei exempla sug- I. *Obiectum amabile tam præsens quã absens excitat actionẽ.* *Id docet parabola prodigi.*

gerunt parabolæ Seruatoris, à communi hominum vſu & conſuetudine
Luc. 15. 20. petitæ. Adoleſcens ille prodigus repetit domeſticos lares, videt eum à longè pater, ſtatímque exiſtit in eius viſceribus commiſerationis motus, & moræ impatiens it obuiam, imo accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum; laceros pannos honeſta veſte commutauit, cum eo, totáque familia epulis celebrauit feſtum diem, quod filium ſaluum recepiſſet. Vides hîc Amorem actuoſum in præſentia obiecti ſui?

II. *Drachma & ouis perdita* Luc. 15. 8. Mulier quæ amiſſam drachmam reperire cupiebat, non ſe dat quieti; ſed accendit lucernam, euerrit domum, & quærit diligenter, & cùm inuenerit non ſedet fatigata, ſed conuocat amicas & vicinas, vt eas gaudij ſui participes efficiat, *Congratulamini*, inquit, *mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.* Bonus paſtor amiſſa vna ouicula, non ſomnum capit ex incuria, neque illa ſe cogitatione conſolatur, quod ei plurimæ aliæ ſuperſint, ſed reliquo grege famulis commendato, hac illácque deſertis in locis oberrat, ſicubi fortè oui erranti occurrat, & inuentam humeris imponit cum gaudio, quod reuerſus cum amicis viciníſque communicat. Hic quoque amor laborioſum ſe prodit, tam in abſentia rei amatæ, quàm in eiuſdem præſentia. Ita & Angeli Dei elaborare ſolent, in peccatoribus reducendis in rectam viam, eorúmque paſtori reſtituendis, quod vbi fuerint conſecuti, collætantur inter ſe, & congratulantur Deo.

III. *Amor honoris actuoſus;* In Piſ. de L. Craſſo C. Cotta, &c. 4. Tuſc. Romanus Orator ſcriptum reliquit pleroſque in Repub. Romana principes viros, imperatorios & conſulares triumphi cupiditate incitatos, cùm eis quietis Romæ viuere liceret, imo totius Italiæ, & Europæ, Aſiæque deuictæ deliciis frui, ſpiculis propemodum ſcrutatos eſſe Alpes, vt vbi hoſtis deerat, ibi aliquã triumphi materiam inuenirent. Et alibi ait Themiſtoclem, egregium in primis Imperatorem, inſomnem noctu per vrbem inambulaſſe, Melciadis trophæis è ſomnis excitatum; ibidem Demoſthenis refert, commendátque diligentiam, qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet diligentia. Illius amor gloriæ, & huius amor eloquentiæ efficiebant, vt iſte quieſcere nollet, ille non poſſet: & vterque omnes animi neruos corporíſque intenderent, vt quod ſequebantur aſſequerentur.

IV. *Sicut & lucri. Et voluptatis.* Vides vt amor lucri reddat impigros mercatores, & ad extremos vſq; Indos currere compellat; alios negotioſos reddat & inquietos? Quantus quámque indefeſſus erat nobilium puellarum regis Aſſueri labor, toto ſe anno variis pigmentis vexantium, priuſquam ad regis conſpectum admitterentur, vt ei placere poſſent, & intra numerum concubinarum admitti? Quid memorem Iacobum patriarcham? Certè Scriptura teſtatur
Gen. 29. 20. &c. ca. 31. 40. eum Rachelis amore, ſeptennio Labano ſocero noctes diéſque ita ſeruiſſe, vt æſtu vreretur & gelu, fugerétque ſomnus ab oculis eius: & tamen viſi ſunt ei dies pauci præ amoris magnitudine. Quin etiam mox à ſocero illuſus, geminauit alterum laboris pro eadem Rachele ſeptennium, quod etiam non malè collocatum putauit.

Gemina porro est hominum actio, geminúsque labor, corporis vnus, alter animi, quem vtrumque Amor actuosum, & pene operarium facit. Neque enim rusticanæ plebis opinioni acquiescendum est, quæ desides illos atq; otiosos putat, qui cæmẽtariam operam, aut fabrilem non exercent, aut agriculturam, aliámve artem plurimi sudoris ac pulueris. Seruiat si placet huic insulsæ opinioni Platonis illa fabula, qua fertur olim homines quaternis brachiis, quaternisq; pedibus fuisse compactos, postmodum autem diuisos, Amorem autem priorem coniunctionem restituere voluisse, vt eorum videlicet duplicaretur labor. Eòdem pertinẽt illi tituli & nomina, quæ idem philosophus amori tribuit, vocat enim σκληρὸν, αὐχμηρὸν, ἀνυπόδητον, ἄοικον, χαμαιπετῆ, καὶ ἄστρωτον, ἐπὶ θύραις, καὶ ἐν ὁδοῖς ὑπαιθρίοις κοιμώμενον. id est asperum atque agrestem, squalidum, qui nudis pedibus incedat, tecto ac strato carens humi iaceat, ad ianuas in viis sub dio dormiat, vt agricolæ ac baiuli solent, duris in laboribus educati.

V. *Amoris labor rusticanus.*

In Sympos. p. 189.

P. 203.

Itaque si istos audias inertes atque otiosi censendi sint omnes viri literati, inertes etiam fortasse dicunt oculos suos & aures, maximéque, vt est in veteri fabula, ventrem, quòd manuum instar ac pedum non laborent; nec animi, quo modicè omnino, aut tanquam muta pecora vtuntur, laborem ac studium æstimare possunt. Quibus, vt à sua opinione deducantur, optare liceat illam pœnam, lite vt aliqua implicati, omnium adeant fortunarum discrimen, breuique vt tempore, præ cura & sollicitudine, incanescant. Suus est ergo animis labor, sicut & corporibus; etsi animus in corpore sine corpore non laborat, & aliquando intentiùs, remissiùs aliâs operi vacat. Cúmque corporis functiones sint nobiscum brutis fere communes, in cæteris, ipsis beatis mentibus communicamus, & Deo. Nisi forte ad puppim gubernator sedens nihil agere dicendus est, cùm alij malos scandant, alij sentinam exhauriant, ille autem clauum tenans sedeat quietus. Archimedes certè summa animi contentione laborabat, cùm in geometrico puluere ludere videretur, tanta attentione, vt patriæ captæ tumultum non sentiret.

VI. *Et ingeniosus.*

De senect.

CAPVT III.

Diuinum Amorem actioni deditum esse ac labori.

AMOR ACTVOSVS.

VIAM mihi perquam expeditam strauisti, ait Amor Actuosus, ad eam rem quam paro, itáque posita est à te vniuersa quæstio, quæ natura particularem antegreditur, vt hæc facilem habeat consecutio-

I. *Diuinus amor addictus operi.*

nem. Neque enim hoc loco naturalis & diuinus amor admodum differunt, nisi quod hîc Deum ipsum intuetur, & quæcunque ad eius honorem cultúmque pertinent; ille autem repit humi, terrenáque meditatur & quærit. Veritatis huius locupletissimus testis est magnus Gregorius. *Ad vosmetipsos*, inquit, *fratres charissimi introrsus redite, si Deum verè amatis exquirite; nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus, sine operis attestatione, responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & vita requirantur: nunquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est.* sed fictum diuini amoris simulachrum,

Hom. 30. in Euang.

II. *Idque necessariò, ex Gregorio magno.*

Rursum alibi Præsul idem Amoris actionem cum contemplatione componens, hanc in libertate nostra positam esse ait, illam autem necessariò in hac vita vsurpandam. *Et cum vtraque vita*, inquit, *ex dono sit gratiæ, quandiu tamen inter proximos viuimus, vna bonis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad eius regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplatiua ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine actiua autem intrare non possunt, si negligunt bona operari, quæ possunt.* Sic magnus ille Pontifex, alludens ad illam Seruatoris vocem, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Nec Paulo Apostolo satis est fides, nisi per dilectionem operetur; illam enim inutilem ac mortuam esse Iacobus accurata oratione confirmat, nedum idoneam acquirendæ æternæ vitæ.

Mat. 19. 17. Gal. 5. 6. Ca. 2. 14. &c.

III. *Dei Amor igneus, ideóque actuosus.*

Diuinus Amor actionis est amans, ideóque igni confertur, quo nullum elementorum est actuosius, neque calidius; atque adeo fons est caloris, quo tanquam primario instrumento natura vtitur ad procreationem, & conseruationem vitæ omnium plantarum atque animantium. Ita & charitas ignis est, cuius calor vitam animabus impertitur atque conseruat, éstque principium functionum omnium, quæ gratæ sunt Deo, quocunque tandem loco fiant; & sine ea mortuæ sunt omnes, & plerumque mortiferæ. Ignem quoque eam vocat Seruator, cùm se ait venisse, vt ignem spargeret in terram, neque aliud velle se, quàm vt vehementer accendatur. Salomon in Canticis de eadem loquens, *Lampades*, inquit, *eius, lampades ignis atque flammarum*, vel vt est in Hebræo, prunæ eius, prunæ ignis, flammæ vehementissimæ. Et Spiritus Domini in Apocal. hunc amorem vocat *aurum ignitum*, quo facilè homines ditescere possint; tepore enim reiecto, feruidos efficit, & alacres ad laborem.

Luc. 12. 49. Ca. 8. 6. Ca. 3. 18.

IV. *Etiam in Angelis.* Ca. 28. 14.

Cùm de lucifero loquitur Ezechiel, eique illa exprobrat gratiæ decora, atque ornamenta, quibus eum Dominus locupletarat, eum ait fuisse cherubinum extentum in monte sancto Dei, & *in medio lapidum ignitorum*, ambulasse, id est inter angelos, qui, propter nobilitatem & excellentiam suam, instar sunt pretiosorum lapidum, & ignitorum,

propter charitatem, ignis actioni, motionique persimilem. Itaque rectè Apostolus eos vocat Administratorios spiritus, *in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capient salutis*; milleni quoque adstant diuino tribunali, partim diuinis laudibus deprædicandis occupati, partim ad Dei mandata exhaurienda expediti. Nam etiam Seraphinos legimus, aliósque primarios in curia cœlesti principes, huc ad legationes amandatos, atque adeo illum ipsum cœlestis militiæ principem Michaëlem, vt ex Daniele constare potest.

Qui administratorĳ sunt. Hebr. 1. 14. Dan. 7. 10. & 8. 16. Isa. 6. 6. Tob. 12. 15. Luc. 1. 19. 26. Dan. 10. 13. 21.

CAPVT IV.

Dei amicos, & nominatim custodes Angelos, ad agendum ex Dei amore propensos.

SED quoniam in hunc de beatis Angelis sermonem incidimus, rem paulò, si placet, latiùs explicemus, & aliquos Dei famulos, angelicarum occupationum æmulos, in medium adducamus. Exempla enim verbis potiora sunt ad faciendam fidem, & imitationem incitandam; quod enim factum est, quin fieri possit dubitare non licet. Hic ego, nihil ne placet de his ipsis Angelis in hunc inferre sermonem? Nihil admodum occurrit, inquit ille, quod iis, quæ iamdudum dicta sunt in simili argumento, videatur addendum. Et alioqui nihil certius quàm eorum gubernationem, custodiam, defensionem ab inimicis, potentibus præsertim atque improbis, sine actionis diligentia esse non posse; quæ tamen actio molestia vacat ac labore, nec eorum beatitudinem tantillum minuit, aut interpellat. Nam, vt Seruator ipse testatur, Angeli paruulorum, qui in ipsum credunt, Patris cœlestis faciem perpetuò contemplantur. Neque tamen significat grandiores natu his defensoribus carere, sed à communi beneficio ne paruulos quidem excludi. I.

Amor Angelorum actuosus, præsertim custodum. AVTOR. L. 2. ca. 7. AMOR. Mat. 18. 10.

Hoc ergo protectoris ac custodis officium requirit. Qui enim ad arcis alicuius præsidium & custodiam in regni finibus, aut in seditiosa quapiam ciuitate à rege destinatus est, noctes diésque oculos in arcem illam intentos habet, ab ea ne tantillum quidem digreditur, sed in ea, quasi in custodia, hæret affixus; Eam intus & foris diligenter lustrat atque circunspicit, omnes adit portarum aditus, fossas, aggeres, pontes, vallum, turres, cryptas murales, propugnacula; ne speculas quidem excubitorum relinquit inuisas. Nunc arma explorat, quibus peti hostis possit, nunc quibus tegatur miles suus; modò cibariorum, modò missilium, ac tormentorum apparatum. Inspicit quid miles gerat, quid dicat auscultat, quid moliatur attendit; nemo literas ipso inscio, aut mittit aut recipit, nemo iniussu eius aut in arcem admittitur, II.

Simili declaratur.

aut exit foras; in suorum socios, in colloquia, in congressiones inquirit. In vrbe, in campis, in hostico, in amico solo, fidos habet atque astutos exploratores, & vbique clandestina commercia.

III. *Et exemplo Raphaëlis.* C. 5. 11. 13. 15. 20. Ca. 6. 2. 3.

Vnus Tobiæ sacer libellus cumulatè docet quot quantisque officiis, Custos Angelus, erga commissum sibi hominem, eiúsque amicos ac necessarios, perfungatur. Viden, vt Raphaël seniorem Tobiam amicè consoletur, & propinquam spondeat curationem, vt iunioris curam in se recipiat, vt eum ab immani ac voraci pisce seruet incolumem, & ipsius Dei more, quod in pupilli sui pestem imminebat, in vtilitatem vertat? Nam voratorem illum morti dedit, eius viscera in medicinam, carnes in cibarium viaticum vsurpauit. Eundem mox erudit institutione salutari, honesto atque opulento iungit matrimonio, & vxorem eius ab Asmodæo cruento cacodæmone liberat, qui septem eius maritos continenter interfecerat. Quid multa? ne caduca quidem ista vitæ humanæ commoda negligit. Ad Gabelum proficiscitur solus, creditam illi pecuniam cum fide recipit, reportátque. Ipsum iuuenem reducit ad parentes, cum incredibili vtrorumque voluptate, magnisque opibus. Et quod caput est, de singulari Dei in ipsos prouidentia & bonitate docet, déque sua pro ipsis apud Deum sollicitudine, in precibus, boníque operibus eorum illi offerendis.

IV. *Et Angeli S. Onuphrij.* Ca. 12. 15.

Quis ergo Raphaëlem, vnum de septem qui astant ante Dominum, in gratiam Tobiæ, tam sedulum, támque diligentem reddidit operarium? nónne Dei amor actuosus, & cupidus illi famulandi, in persona amicorum eius? Neque vero hoc vnicum extat laboriosi amoris, in beatis illis hominum tutoribus, exemplum. Sancti patres, qui vastas illas Ægypti, Arabiæ, Syriæque solitudines, incredibili animi fortitudine ac patientia frequentarunt, angelos erga se, nominatimque custodes perquam officiosos experti sunt, quæ consignata reperiuntur in eorum historiis, ac probatæ fidei monimentis, de quibus vnum atque alterum duntaxat seligere placet exemplum. Sanctum Onuphrium Custos Angelus deduxit in solitudinem, eique affuit annos ipsos sexaginta, diebus singulis panem illi & aquam subministrans; diebus autem Dominicis sacrosanctam Eucharistiam, instar sacerdotis ei porrigens: quæ gratia cæteris quoque vastæ illius atque terrificæ solitudinis cultoribus, à suis quæque angelis, vt par est credere, concedebatur. Ille idem angelus sub extremum Onuphrij diem, sanctum Paphnutium ad eum deduxit, vt eum vita functum terræ mandaret, eiúsque vitam religiosissimam mandaret literis. Ille idem alumni sui defuncti corpus magno lumine circunfudit, animámque transtulit in cœlum, comitatu, conuentúque angelico cohonestatam.

L. 1. de vit. pat.

V. *Et alterius Heremitæ.*

Nec minus mirabilis fuit, Angeli vtique Custodis, diligentia in quendam heremitam, cuius non est proditum nomen; cuius cella duodecim passuum millibus ab aqua distabat; itaque magno cum labore de aqua

ſibi prouidebat ſenex; cùmque aliquando fatigatus dixiſſet, quid ego me inutili labore vexo? propius mihi ad aquam cellam conſtruam. Quæ cùm diceret, ſenſit pone ſequentem virum, & illius paſſus numerantem. Conuerſus ad eum, rogat quis eſſet: ille ſe fatetur Dei Angelum à Deo miſſum, vt laborioſi eius itineris paſſus omnes numeraret, quod ſingulis ſua merces reſponderet apud Deum. Quòd cùm à ſene fuiſſet auditum, bene animatus ad laborem, longiùs etiam cellam ſuam abduxit ab aquis. Vt labore multiplicato augeretur & præmium, Angelo Domini commodis eius, vtilitatique ſeruiente. Neque ſanè mirum numerari ab Angelo paſſus hominis, cum etiam capilli ab Angelorum Domino numerentur? l.5.libel.7. n.31. de vita patrum.

Sed dabit hic nobis Angelus, ſi placet attendere, non inutile documentum. Nam ſi is omnes huius Heremitæ paſſus ſtudioſè numerabat, num putas Angelum tuæ cuſtodiæ deſtinatum, eorum numerum neglecturum, quos non in aqua longius petenda confeceris, ſed vt adires ad ſacroſanctum miſſæ ſacrificium, profeſſurus te diuinæ maieſtatis clientem? aut vt eius addiſceres, audienda concione, voluntatem? Annon dinumerabit paſſus illos, quos adeundis carceribus, aut noſocomiis ambularis, vt Chriſtum Dominum, in vinctorum aut ægrorum perſona, inuiſeres, aut eundem ad altare maius in propria? Quantò ſtudioſiùs etiam numeraturum arbitraris, quoties te proſtratus in terram abieceris, vt Deum ſupremo latriæ cultu, cœlites debito honore proſequerere, & nominatim quoties Angelorum reginam iteranda ſalutatione Angelica perſalutaris? Annon ſollicitè numerabit, quoties, dolore de peccatis incitante, aut pugnis in pectus, aut flagris in terga ſæuieris, terram ex animi demiſſione deoſculatus ſis, & quot lacrymas in dolorum Seruatoris tui commiſeratione profuderis? Noli ergo in frequentandis bonis operibus defatigari, non deerit muneri ſuo diligens procurator, nec relator beneuolus iudicandæ cauſæ, apud omnium iudicem Deum. VI. *Documentū inde elicitū.*

CAPVT V.

Laborioſi amoris exempla ex veteri teſtamento petita.

OMITTAMVS porrò nunc laborioſum cœlitum amorem, quando non ignoramus eis dictum eſſe *vt requieſcant à laboribus ſuis*, conſideremus potius viros, quorum virtus nunquam debilitari, quorum animi robur nunquam fatigari, nedum frangi, vlla corporis animiue contentione, potuit. Talem meritò dixerimus Abrahamum patriarcham, cuius ex diuino imperio continentes fuere peregrinationes; à ſe- I. *Abrahami laborioſus amor.* Apoc. 14. 13.

ptuagesimo ætatis anno, quo anno mandatum diuinitus accepit exeundi de terra sua, & de domo patris sui, vsque in diem mortis suæ, qui fuit annus vitæ eius centesimus septuagesimus quintus. Ergo curriculum peregrinationum eius centum & quinque annorum fuit, quo toto tempore nusquam substitit, aut habitauit in suo. Assectemur si placet, ducibus sacris codicibus, vestigia tanti viri, in vsu diuinæ obedientiæ perpetuò desudantis.

II. *Perpetuáque peregrinatio.* Ab Hura Chaldææ profectus, venit in Harã Mesopotamiæ, vbi quinquennium in conductitia domo commoratus, adiit in Syria Damascum, vnde digressus venit Sichimam in Chananitide, indéque ad Vallem illustrem, magnitudine cladis Pentapolitanæ, quam soli bonitate illustriorem. Postmodum abiit in Bethel, indéque vrgente fame in Ægyptum descendit, vbi tribus mensibus demoratus, Bethelem repetiit, vnde breui Hebronem, in valle Mambre positam profectus est: ex qua mox post deflagrationem Sodomorum transiit in Gerara Palæstinorum, neque eo hospitio diutiùs occupato, Hebronem remigrat, vbi & Saram tradit sepulturæ: vbi apud Hethæos aduenam se profitetur atque peregrinum. Inde cum Isaaco filio venit Bersabæam, eóque ibi relicto Hebronem repetiit, locum mortis eius ac sepulturæ, vbi aliquando tandem Patriarcha ex longa, ac perpetua peregrinatione quieuit.

III. *Isaaci quoq; ac Iacobi.* In hunc ipsum peregrinorum indicem eiusdem filium ac nepotem referre licet, Isaacum, inquam, & Iacobum, ambos toto vitæ decursu peregrinos, multisque casibus vbique exercitos; sed res ipsa ex iis quæ de Abrahamo dicta sunt satis aperta est. Cuius etiam laboriosus amor ex bello, in gratiam nepotis sui suscepto, felicitérque confecto satis intelligitur. Nec obscura est eius, in docendis Ægyptiis, ac Palæstinis, opera & labor: docendis, inquam, de plerisque rebus, quas in Chaldæa dudũ à parente, auis, proauisque didicerat; quæ illi per manus ab ipso Noëmo, adeóque ab Adamo acceperant, quæ Deus ipse incredibili multarum rerum infusa cognitione locupletarat; & insuper nongentorum ac triginta annorum experientia comprehenderat, & obseruatione naturæ. *Abrahami hospitalitas.* Quid cæterorum misericordiæ operum vsum eiusdem Patriarchæ recẽseam? officiosissimam præsertim hospitalitatem, cui vsque adeò addictus fuit, vt non solùm prætereuntes inuitaret ad amicas epulas, sed obuiam etiam accurreret, suppléxque rogaret, vt ad se diuerterent, quasi non daturus esset beneficium, sed accepturus.

IV. *Mosis amor laboriosus.* Hic ipse laboriosus amor Moysem perpulit, vt diuino de Ægyptiaca legatione mandato acquiesceret, onúsque susciperet gubernandi populi Hebraici, eiúsque expediendæ libertatis: nec susciperet modò, sed per vastissimas Arabiæ solitudines, ipsos quadraginta annos, laboriosissimè perferret, populi præsertim & numero maximi, & moribus seditiosi atque turbulenti, & ad omnem improbitatem, ipsámque idolorum seruitutem propensi. Itaque cùm succumberet oneri, ad illam compulsus est

querelam, quam haberet filius ad parentem. *Cur*, inquit, *afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi. Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes, Da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Sic ipse, nec frustra. Dati enim sunt ei adiutores; sed ipse nihilominus grauissimam semper oneris partem tulit. Num. 11. 11.

V. *Dauidis quoque.*

Dauidem possumus Mosi in eiusdem populi laboriosissima gubernatione componere, præsertim cùm is Dauidis tempore in longè maiorē multitudinem excreuisset, adeò vt Salomon eum vocet *innumerabilem sicut puluerem terræ*, & grauissimis insuper bellorum negotiis, cum circumfusis vndique populis, distineretur, Syris, Ammonitis, Moabitis, Arabibus & Palæstinis, vt bella ciuilia missa faciamus. Sed multò erant difficiliora atque operosiora eius certamina cum rege Saüle: cùm is subditi sui Dauidis pestem atque perniciem animo destinauit, ac suscepit; & ad iniustissimum facinus conficiendum, omnes ingenij regnique vires contulit. Interim Dauid, rerum inops atque consilij, aliam ex alia vrbem, prouinciam, speluncam, solitudinem profugus commutabat, in rupes *solis ibicibus peruias* adrepebat, Moabitis, ac Philisthæis, quamuis antiquis Hebraici nominis hostibus, permittebat sese, dum Dominus susciperet causam eius, & eum *ab homine iniquo & doloso erueret*, cui, cùm vitam eius haberet in potestate, semel iterúmque pepercerat: & vitam, tot tantisque periculis ac laboribus exercitam, pacifici regni adeptioni, excelso animo, & virtutibus exaggerato prætulerat. 2. Par. 1. 9. 1. Reg. 24. 3. Psal. 42. 1. Reg. 24. 5. & 26. 5.

VI. *Mathathiæ, ac Machabæorum.*

Iam verò laboriosissimæ fortitudini Mathatiæ ducis ac Pontificis Hebræorum, difficillimis illis Reipub. temporibus, quæ par esse possit oratio? cùm enim Antiochi regis nomine, regia illi amicitia, magna vis auri & argenti, cum multis muneribus, vitæ iucunditate, & quiete offerrentur, si deserta lege patria, regis acquiesceret voluntati, maluit grauissimas cum potentissimo principe suscipere inimicitias, & præsentissimum mortis adire discrimen; maluit nobilissimos filios, fratres, cognatos, necessarios, in medium rerum omnium certamen coniicere; maluit fortunarum omnium, & vitæ commodorum iacturam facere, & per montana desertáque loca, vagus omniúmque rerum egens oberrare, densa syluarum latibula, & rupium cauernas peruadere, quàm profanæ ac sacrilegæ quieti, indulgere, Dei legem, patriáque instituta deserere, & impiis barbarisque commutare. 1. Mach. 2. 18.

CAPVT VI.

Alia eiusdem laboriosi amoris exempla, quæ tempore legis gratiæ contigerunt.

I. *Comparatio sanctorum vtriusque testamenti.* SI quam placet instituere contentionem periculorum ac laborum, quæ Dei amici in eius famulatu, in vtroque testamento susceperunt atque exantlarunt, qui ad noui testamenti gratiam pertinent, vtique palmam ferent. A copiosiore enim fonte abundantiores riui proficiscuntur, & quo maius est incendium, hoc latiùs diffunditur calor. Quoniam ergo Euangelica gratia, longè maior est, quàm quæ olim in lege Mosaica ex communi vsu contingebat, vt alio quoque loco disputatum est, nihil sanè mirum diuini amoris opera in lege gratiæ plura etiam, & præstantiora extitisse. Ex communi, inquam, ac perpetuò vsu. Nonnullæ enim virtutum actiones in lege veteri dignæ sunt noua, sed eæ raræ admodum sunt, atque infrequentes. In iis, Abrahami obedientia, Iobi patientia, Mosis Dauidisque mansuetudo, Danielis constantia in leonum ergastulo, & sociorum eius in Babylonica fornace, Eleazari & septem adolescentum, cum ipsorum matre fortitudo, in horrenda suppliciorum carnificina, aliáque exempla pene singularia. At in Euangelio centena penè singulis opponi possunt: nonnulla pro instituto seligam.

II. *Antiquos à nouis superatos.* Quoniam ergo Amor actuosus in ipsis operibus cernitur Charitas quoque in operibus charitatis ipsa se prodit, iisque maximè, quæ sunt cum corporis labore, vel animi contentione coniuncta; quales sunt longinquæ, difficileśque peregrinationes, pro Dei honore & animarum bono susceptæ, famulatus in nosocomiis, aut pestilentia infectis locis, consolatio miserorum, visitatio redemptióque vinctorum; puerorum ac rudium institutio de doctrina Christiana, vt omittam varia opera patientiæ, fortitudinis, liberalitatis, aliarúmque virtutum, quæ iam dudũ explicata sunt, & à charitate imperantur, quæ me longiùs abducerent ab instituto. Comparentur ergo nunc Patriarcharum peregrinationes, & ipsis connexi labores, & vtilitas quæ ex iisdem in Dei gloriam redundauit, cum Apostolorum, & virorum Apostolicorum peregrinationibus, laboribus & ærumnis, animarum lucris, & diuinæ gloriæ incrementis, tanta erit inter vtrosque distantia, quantum inter vtrumque polum interceptum est interuallum.

III. *Peregrinationes Apostolorum.* Abrahami, Iacobi, Mosisque peregrinationes, multorum quidem annorum extiterunt, sed earum longissimas licet paucorum dierum spatio definire, cuiusmodi est Chaldææ in Iudæam, & à Iudæa in Ægyptum distantia. At Apostolis demandata est peregrinatio in vniuersum orbem

terrarum,

terrarum, & Euangelij prædicatio omnibus gentibus, quas continenti motu sol ille perlustrat; quod illi mandatum studiosè sunt executi. *Illi* enim, vt ait Marcus, *profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Cùm Petrus Apostolus Iudæam omnem prædicando peragrasset, Antiochenam Ecclesiam stabilisset, eásque deinceps constituisset, quæ in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithyniáque floruerunt; ad quas etiam Catholicas Epistolas destinauit. *Jam populos*, inquit S. Leo, *qui ex circuncisione crediderant, erudieras; iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras; iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, cùm trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas.*

S. Petri. 1. Pet. 1. v. 1. Serm. 1. de App.

IV. *Sine humanis præsidiis.* Act. 3. 6.

Quibus autem subsidiis nixus omnes hasce prouincias percursabat? Facilè est id ex eo coniicere, quod idem Apostolus dixit aliquando claudo, quem in Christi nomine mirabiliter erexit, *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Sic nimirum obseruabat illud diuini præceptoris mandatum. *Euntes*, inquit, *prædicate dicentes, Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, aliáque id genus, quibus fiduciam in paterna cœlestis Domini prouidentia stabiliebat; quæ feruidam primorum Christianorum in magistros suos charitatem accendebat, nulla vt re illos egere paterentur.

Matt. 10. 7. 8.

V. *S. Pauli labores.* Act. 9. 15. Rom. 15. 19.

Quid in hoc genere memorem Paulum Apostolum? Expleuit is cumulatè factis ipsis, quæ Christus Dominus in ipsius conuersione prædixerat, *Vas electionis*, inquit, *est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.* Sed multa fortasse cum quiete, mediisque in deliciis. Imò verò, *Ego*, inquit, *ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Testis certè est ipse idem Apostolus, *se in virtute signorũ & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ab Hierusalem per circuitũ vsque ad Illyricum*, loca omnia Euangelij prædicatione repleuisse. Quod iter quadruplo maius est eo, quod emẽsus est Abraham à Mesopotamia in Iudæam; cúmque ille Patriarcha per singula loca transiret duntaxat, Apostolus in singulis laboriosas trahebat prædicando moras. Quid eius industriã ad hos labores acuebat? nónne diuinus Amor? *Charitas*, inquit, *Christi vrget nos*, atque exstimulat, neq; languere in opere pro vestra salute suscepto patitur, aut dormitare. Vt eum locum explicat Chrysostomus.

2. Cor. 5. 14.

VI. *Ex S. Chrysostomo.* Apud Metaph.

Sed eum placet audire in vtriusque Apostoli laudibus, atque laboribus exultantem. *Quasnam vobis, ô beati Apostoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laborastis? Memini tui Petre & obstupesco: recordor tui Paule, & excedens mente opprimor lachrymis. Quid enim dicam, aut quid*

loquar vestras contemplans afflictiones, nescio. Quot carceres sanctificastis? quot catenas decorastis? quot tormenta sustinuistis? quot maledicta tolerastis? quomodo Christum portastis? quomodo prædicatione Ecclesias lætificastis? Sunt benedicta linguæ vestræ instrumenta, sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos Christum imitati estis in omnibus; in omnem terram exiit sonus vester, & verba vestra in fines orbis terræ. Sic magnus ille Præsul. Hic ipse amor salutis animarum magnos illos anachoretas solitudinum incolas, aliósque viros, eximia sanctitate, atque eruditione præstantes à deliciis consolationum abductos, in media periculorum discrimina pertrahebat, vt periclitantibus proximis opem ferrent, & incendium ab hæreticis, cæterisque infidelibus excitatum, aqua salutaris doctrinæ, constantiæque restinguerent.

CAPVT VII.

Alia quædam in viris Apostolicis laboriosi amoris exempla, & primùm in S. Vincentio Ferrerio.

I. *Laboriosus amor S. Vincentij Ferrerij.*

SED placet nonnullos ab hac clarorum & Apostolicorum virorum turba secernere, qui seculis hisce nouissimis Apostolorum vestigia, atque institutum proximè persecuti, Dei adiutores fuerunt, ad innumerabilium messem animarum. In quibus S. Vincentius Ferrerius, ex S. Dominici ordine prædicatorio, mirabiliter effulsit. Cùm enim illũ Deus elegisset in Euangelicam tubã, ex qua sua ipse verba profunderet, nobilissimum hoc fructuosissimúmque officiũ multos annos exercuit, non solùm tota Hispania, ex qua erat oriundus, vbi supra viginti quinque Iudæorum millia, decem & octo millia Maurorum ad Iesu Christi fidem conuertit, magnámque hæreticorum, qui illis temporibus grassabantur, aliorúmque criminosorum hominum vim ad Christianæ fidei integritatem, moréſque reduxit. Sed plurimis quoq; aliis in regnis atque prouinciis, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, regionibus subalpinis, magnæque parti Italiæ: cùm nihil interea de religiosi ordinis instituto remitteret.

Eiúsque fructus.

II. *Miracula concionum eius.*

Deus faustus aderat operibus eius, itáque illa amica benedictione prosequebatur, vt mundum vniuersum à vitiis purgatum sanctiori vitæ formæ restitueret, peccata publica exterminaret, principum virorũ, & rerũ publicarũ contentiones, priuatorum quoque controuersias insigni sanctitatis opinione tolleret, & Deo per confessionis & Pœnitentiæ Sacramenta reconciliatos, inter se conciliaret. Deus in os eius certos aliquãdo sermones immittebat, vt alia omnia, quam quæ præparauerat, loqueretur; cordium item secreta, résq; futuras illi non raro patefaciebat; quæ mox instinctu inflatúque diuino prænunciabat. Tanta vi peccatorũ corda inuadebat, vt vim lacrymarum effunderent, & verum animi dolorẽ publica pœnitentia testarentur. Cùm in amplissimis plateis aut latissi-

mis camporum ſpaciis conciones haberet, neque enim templis quantũuis capacibus confluentium populorum multitudo capiebatur, ab infinita ſexus omnis, ætatis ac conditionis turba exaudiebatur, ſiue propius ab eo, ſiue lõgius abfuiſſet. Quin illud etiam contigit, vt cùm aliqui eius amici eum de ſuperiore loco dicentem audire diſcuperent, nec adeſſe poſſent, eum ex loco in quo erant, tribus fere paſſuum millibus diſſito, audirent: cúmque hiſpanicè loqueretur apud alias nationes, quæ proprium tantùm idioma callebant, ita animo capiebant auditores, quæ ille dicebat, quaſi propria ipſorum lingua locutus fuiſſet, Dei dono ſingulari, ac verè Apoſtolico.

Diuinus amor eum vſque adeò reddiderat actionis & laboris amantẽ, in munere concionandi, quod illi fuerat diuinitus impoſitum, totis vt 18. annis, nunquam niſi quindecim dies à concionibus ceſſarit. Cúmq; maximè concionaretur, viſi ſunt Angeli humana ſpecie ſuper caput eius, ſiue vt maiorem orationi eius autoritatem conciliarent, ſiue vt maius verbis eius pondus & efficacitatem afferrent. Ergo luſtra, ganeáſque & alia id genus loca nequitiæ deſtinata, publicæque offenſionis, in loca pia, religioſáque conuertebat, & crebris prodigiis animas è Satanæ vnguibus aperto marte rapiebat. Secundiſſimo quippe Dei auxilio fruebatur, adeò vt Petrus Roſanus, vir ex eadem religioſa familia, qui iuſſu Præpoſiti Generalis eiuſdem ordinis S. Vincentij vitam conſcripſit, referat, facta inquiſitione legitima miraculorum eius Auenione, Toloſæ, Nannetibus, & Neapoli geſtorum, omiſſis iis, quæ aliis locis patrauerat, numerum ad octingenta & ſexaginta perueniſſe, quorum pleraque diplomate Pontificio, quo relatus eſt in ſanctorum Album, continentur. Quã multis laudatiſſimis actionibus ac laboribus ordinem ſuum, totámque Dei Eccleſiam nobilitauit hic ſanctus, qui in quatuor ciuitatibus duntaxat, tantam vim prodigiorum ediderit?

III. *Aliáque paſſim.*

Miraculorũ vis ingens.

CAPVT VIII.

Laborioſus Dei Amor S. Ignatij Loyolæi, fundatoris Societatis Ieſu.

REvs ſim ingrati facinoris, ſi miſſos fecero duos admirabiles viros, qui non ita pridem Sanctorum catalogo adſcripti ſunt, ſanctum dico Ignatium, & ſanctum Franciſcum Xauerium, in quibus Christus Dominus perſpicuè patefecit quàm laborioſus, atque operæ plenus ſit amor, quem ipſe hominum pectoribus inſerit, ad gloriam ſuam, & animarum ſalutem promouendam. Cùm enim ſanctum Ignatium ſingulari prouidentia deſtinaſſet fundatorem ordinis, qui procurandæ hominum ſaluti, per continentes animi corporiſque labores

I. *Labores à S. Ignatio ſuſcepti.*

& contentiones, totus esset addictus, ab initio conuersionis eius, hac eum charitate repleuit, quæ ingenti proximos iuuandi cupiditate flagraret; & si non ignoraret quantis id studium curis, laboribus, periculisque constaret. Ergo Amor hic noster ita pectus eius insedit, vt valere iussa expectatione omni, quam natalis familiæ splendor pollicebatur, omissis quoque spiritalibus Minoressæ deliciis, Hierosolymitanam peregrinationem susciperet, non solùm vt sancta loca, Christi Domini, & sanctissimæ eius Matris & Apostolorum, aliorúmque Sanctorum vestigiis nobilitata, religiosè lustraret, ibique diuinis contemplandis placidè acquiesceret, sed vt peregrinos, eorúmque locorum incolas, quo eos cumque modo posset, adiuuaret.

II. *Peregrinatio Hierosolymitana.* Sic igitur animatus, ab omnibus peregrinationis præsidiis, præterquàm ab animo fortissimo, imparatus, se dat in viam, & Caietam gratuita peruectus oneraria cùm appulisset, Italia vehementi pestilentia laborans optatam ærumnarum segetem Ignatio ministrauit, & quidem supra rigidæ paupertatis, quam studiosissimè colebat, incommoda, & voluntarias, quas à se ipse subinde pœnas exigebat; quibus ita erat debilitatus, itáque luridus & exanguis, vt quasi pestilentia laboraret, non ab vrbibus modò, sed à pagis etiã excluderetur. Ergo & itineris labore, & famis necessitate fractus, subinde cadens ac resurgens ibi subsistere cogebatur, vbi eum nox oppressisset. Ibique sine cibo, sine lecto, sine lumine, sine vllo humano subsidio noctem transigebat; cùm tamen interea diuinis visitationibus, ac consolationibus abundaret. Itaque corporis malis, animique bonis vicissim sibi succedentibus, Romam aliquando peruenit. Vbi pietatis officiis religiosè perfunctus, & Adriani Pontificis benedictione percepta, non minoribus ærumnis, quàm Romam Caieta venerat, Patauium adiit Venetiásque, móxque in Oriẽtem vela faciens, inuitis nautis, quorum publica scelera seuera obiurgatione castigabat, quique propterea eum in desertam insulam eiicere moliebantur, Ierosolymam attigit 4. Septembris anni 1523.

III. *Studiorum labores primùm exãtlati in Hispania.* natus 1481. conuersus 1521. studet 1524. Ibi cùm diutius ei subsistere non licuisset, Deo famulũ suum ad maiora certamina, atque vtiliora reseruante, hic idem laboriosus Amor eum per multa pericula laborésque prioribus suppares, in Italiã, Hispaniámque reducit, & studia literarum suscipere persuadet, ipsáque Grammaticæ rudimenta deuorare, hominem secundum iam & trigesimum vitæ annum prætergressum. Hic præter eum, quem res ipsa suggerebat laborem, etiam cum Satanæ artibus luctandum fuit, qui eius animum literarum desiderio incensum, spiritalium deliciarum copia extinguere conabatur, magnam sibi cladem aliquando ex eius viri doctrina reformidans, qui & Dei spiritu plenus, & præclaris naturæ præsidiis instructus esset, & desiderio salutis animarum mirabiliter æstuaret; sed patefactis dissipatisque mali dæmonis fraudibus, Barcinone primùm, tum Compluti, deinde Salmanticæ, per summas difficultates, quæ illi tũ ex

inopia voluntaria, tum ex proximi iuuandi cupiditate, tum ex dæmonis inuidia nascebantur, diligentem quidem, sed perturbatam literis operam dedit. Eodem quippe tempore Dialecticæ, Physicæ & Theologiæ studiis occupabatur, & Christianam doctrinam rudioribus explicabat.

Cùm hæc studia nimium festinata Ignatium in Hispania triennium fere tenuissent, non sine instinctu cælesti Lutetiam cogitare cœpit, siue vt ibi studia renouaret, digereret, atque perficeret, siue vt in florentissima Academia iuuenes aliquot virtute doctrináque præstantes, eiusdem instituti socios, Domino suauiter ad perfectiora euocante, sibi aggregaret; vtrumque in summa rerum inopia, incredibili labore, constantiáque perfecit. Nouem quippe sibi allegit socios, quibuscum Deo se, operámque omnem suam in procuranda hominum salute, edito paupertatis & castimoniæ voto consecrauit, sed & Hierosolymitanæ peregrinationis votum adiecit; aut si intra annum id non liceret, spondebant omnes se in summi Pontificis potestate futuros, vt ipsis ad animarum auxilium, vbiuis gentium, sine vlla temporis exceptione vteretur. Interim autem dum socij inchoata Theologiæ studia perficiunt, & ex condicto Venetias petunt, ipse in Hispaniam eorum negotia expediturus excurrit: iisque feliciter confectis, vtrique se dant in viam, quam per grauissimos labores, frigidissima tempestate, bellis hæresibúsque sæuientibus, fraterna charitate molestias omnes, & pericula condiente, confecerunt.

IV. *Et Parisiis reintegrati.*

Sociique collecti.

Prior ipse Venetias attigit; sed diuinus Amor, qui eum præclarè multis iam annis in Gallia, Hispaniáque occupauerat, otiosè in Italia viuere non est passus; nec dæmon ipse, qui eum capitalem ducebat hostem. Dum enim Venetiis lucris animarum intentus, nouos etiam sibi socios aggregat, fœdis impetitur calumniis, quas Apostolicus nuncius lata sententia damnauit falsitatis. Interim socij Venetias incolumes appellunt, & Hierosolymitanæ profectionis consilia renouant; mox eos idem Amor, ne vacarent, in duo nosocomia partitur, vbi mirabilia virtutum exempla ediderunt, & inde Romam per ieiunium quadragesimale deduxit, sic vt, præter laborem itineris, & mendicatò viuerent, & diebus singulis ieiunarent. Ibi Pontificis benedictione percepta, grex modicus, Hierosolymitanæ peregrinationis candidatus, Venetias eodem quo abierat modo repetit, dúmque votiuus annus circumagitur, per ciuitates Venetæ dominationis sparsi, egregiam animabus operam nauãt, in templis, in xenodochiis, in nosocomiis, in circulis & plateis, ab omnibus pene humanæ vitæ subsidiis inopes; quod ex ipso Ignatio, quem cæteri parentis loco habebant intelligi potest, qui totos 40. dies in deserta quadam domuncula, ventis omnibus imbribúsque peruia traduxit prope Vicentiam: vbi perbreues somnos in modico stramine humi carpebat, corpus crebra verberatione castigabat, & emendicato pane aqua macerato victitabat: quæ fuit quoque cæterorum sociorum vitæ

V. *In Italia multa patitur cũ suis.*

ratio, in illo colligendi sui causa secessu. Quod si huiusmodi fuit in quiete vita, qualis fuit in labore?

VI. *In Europa variè occupantur.* Annus abiit Hierosolymitanæ nauigationi imperuius, Deo manipulum hunc suum aliis locis tota in Europa, atque adeo reliquo toto terrarum orbe destinante, vbi per immēsas nauigationum & terrestrium itinerum ærumnas atque pericula, aditum ad continentes ærumnas, grauioráque pericula inter barbaras gentes, aut hæretica peste infectas inuenirent. Ignatius autem Romæ remansit, vt ibi grauissimas exciperet tempestates, & Christo iuxta ipsius oraculum bene propitio frangeret, quæ nascentem in Ecclesia Dei ordinem oppressuræ videbantur, vt inde fratrum longè positorum onera literis monitisque subleuaret. Nam nouo vitæ religiosæ instituto à Sede Apostolica probato & confirmato, ab omnibus sociis in Præpositum electus, familiam suám suis apud Deum precibus sustentabat, regebat prudentia, augebat virtutum maximarum exemplis, fortitudine tutabatur, totóque orbe laboriosissimè disseminabat, adeo vt anno vertente Societas in Italia, Gallia, Germania, Hispania, Lusitania, Hibernia, occiduisque Indiis, pro Dei gloria & animarum salute, animosè vtilitérque decertaret.

VII. *Singulares Ignatij labores, præter Ordinis sui gubernationem.* Parum erat huic heroicæ virtutis viro, cuius pectus diuino flagrabat incendio, & iuxta nomen suum, igne cuius perpetua est actio, plenus erat, parum, inquam, erat illi viro, totam hanc, quæ mirabilia quotidie incrementa capiebat, stabilire tot locis, ac gubernare rempublicam, etsi solent initia multis vbique difficultatibus vrgeri, Romæ alios ex aliis labores, pro animarum bono studiosissimè complexus est, & domino cooperante perduxit ad exitum. Huc pertinet catechumenorum instituta domus, quo se reciperent Iudæi & Saraceni baptismatis candidati: huc & ædes geminæ pueris puellisque orbatis parentibus educandis atq; instituendis destinatæ, quæ Ignatij legibus, sicut & catechumenorū domus regebantur. Huc cœnobium S. Catharinæ, quod à funariis nomen habet, quod miserabilium puellarum necessitati tam corporum quàm animorum, multo Ignatij labore fundatum atque instructum est. Huc sanctæ Marthæ domicilium, quod vulgò malè nuptarum appellatur. Huc denique nobilissimum collegium Germaniæ saluti destinatum, aliáque opera pia, quæ illum tot occupationibus distinuerunt, tot difficultatibus implicarunt, tot tantisque aduersariis commiserunt, vt cuiusuis alterius magnitudinem animi debilitare, planéque frangere potuisse videantur: nisi eum laboriosus Dei amor singulari auxilio roborasset; & bene cœptis rebus felicem exitum attulisset.

VIII. *Quem totū laboriosa vita addixit.* Verùm vt hæc quæ percurrimus, aliáque multa, quæ breuitatis causa silentio præterimus, actuosum Ignatij amorem diuinum cumulatè probent, nullum tamen locupletius argumentum reperiri posse arbitror institutione religiosi ordinis, qui, vt dicere cœperam, totus ex proprio instituto in actionem, hominum salute procuranda, nullis diffi-

cultatibus periculisque deterritus, continenter incumbit, nunc ex superiore loco in concionibus ad populum, nunc ex æquo in catechismis ad rudiorem plebem; nunc in collegiis instituenda iuuentute, à primis Grammaticæ cunabulis, ad summum Theologiæ verticem; nunc in sacro pœnitentiæ tribunali peccatoribus Deo conciliandis; hîc vinctis in ergastulo, illic ægris in nosocomio inuisendis, consolandis, omníque ope iuuandis. Hîc infidelibus ad Christum adducendis, illic hæreticis atque schismaticis ad veram fidem, verúmque pastorem reducendis. Hæreticis in primis verbo, scriptóque reuincendis, qui eo nomine totum hunc ordinem, vt phrenetici medicos, pessimè oderunt, refugiunt, diuexant ac persequuntur, quasi natum ad interitum suum: cùm is nihil nisi eius errores & vitia persequatur, personas omni studio iuuare cupiat, atque demereri.

Excessit è viuis vir ille sanctissimus, & in Christi palæstra laboriosissimus athleta, vitæ suæ anno quinto supra sexagesimum, conuersionis autem à mundi vanitate trigesimo quinto, quos totos diuinus hic noster Amor exigere compulit non repugnantem, in summa rerum omnium inopia, in grauissima diuexatione corporis, in diuturnis, ac laboriosis peregrinationibus, in contentioso atque improbo labore discendi, alieno planè tempore, ac non suo, in vexatione improborum, in calumniis & maledictis, in carceribus & catenis, in fatigationibus & ærumnis, & omnis generis rebus aduersis; quas tanta vi animi suscepit, exhausit, exantlauit, nullo vt vnquam laboris tædio in Christi famulatu afficeretur: sed ad eos labores propagandos, vitæ huius incerta, certæ felicitati ad tempus commutari nollet. Tantum ille diuinæ bonitati confidebat, tanto ei seruiendi desiderio tenebatur. Quod illi Dominus sine vlla dubitatione concessit, quando primario eius labore, industria, prouidentia factum est, vt moriens societatem relinqueret in duodecim prouincias distributam: & in centum domiciliis collocatam, in quorum singulis Actuosus Dei amor assiduè resideret.

IX. *Conclusio laborum Ignatij.*

CAPVT IX.

Laboriosus Dei amor S. Francisci Xauerij, noui Indiarum Apostoli.

I. *Labores S. Xauerij.*

CVM hoc ingenio, atque his, quos dixi moribus fuerit Pater ille sanctissimus, quales credimus spiritales eius filios, atque hunc maximè, quem habemus in manibus, omnium profectò minimè degenerem, extitisse? Fuerunt enim omnes, (atque hic in primis, quem Ignatius ad maiora quædam natum, destinatúmque diuinitus haud obscurè præsentiebat) paterna institutione, atque exemplo ita educati,

nunquam vt laboribus, quos secum inuehit animorum procuratio, animis frangerentur. Hic autem præ cæteris ingenti fulgore resplenduit, diffuditque lucem suam ab ipsa Lutetia, natali spiritus sui, vsq; in Italiam, ab Italia in Lusitaniam, à Lusitania vsq; ad Indiam, ab India in Iaponiam, ab Iaponia ad Sinas, vnde ad superos, ad ingentia laborum præmia demigrauit, titulo noui Indiarum Apostoli, communi omnium suffragio decoratus; quem cùm Deus eximia benignitate mundo dederit, non in multorum hominum duntaxat, sed populorum etiam ac prouinciarum salutem, quanta eum virtute, quanto Dei & proximi amore obarmasse putamus, vt fieret idoneum instrumentum tot mirabilium Dei operum, & tot tantisque laboribus par esse posset?

II. *Peregrinatio laboriosissima Lutetia in Italiam.*

Aliqua igitur laboriosi huius amoris exempla proferamus. Cum Xauerio peregrè, cum sociis Lutetia Venetias proficiscendum esset, in eóque itinere bona pars Galliæ, Lotharingiæ, Germaniæ, Italiæ peragranda, superandæ Alpes niuibus obsitæ atque obsessæ, totáque peregrinatio peditibus per bellorum tumultus, per militum stationes ac præsidia, excursionésque conficienda; ipsáque in hyeme niues & pluuiæ subeundæ, traiicienda pedibus loca cœnosa atque torrentia, ferendis interim cuique suis in humeris sarcinulis, cæterísque pauperum peregrinorum incommodis: non sufficiebant ista Xauerio explendæ fami ac siti laborum, atque ærumnarum pro Christi nomine ferendarum. Itaque cùm lacertos & coxendices cruciando corpori, arctè funiculis colligasset, eos tanto támque impedito itinere suscipiendo, amouere neglexit, donec corporis agitatione, caro ita supra infráque intumuit, vt demersi in ea nodi atque funiculi nusquam apparerent; qui & tantum ei paulatim intulere cruciatum, vt omnino subsistere cogeretur, & sociis mali sui causam aperire. Cúmque aduocatus chirurgus curam sine incisionum cruciatu, & temporis mora desperaret, socij ad preces vna conuersi, repentinam comiti, à Deo exorauere sanitatem; sic vt æger proxima nocte fractos senserit excidisse funiculos, coaluisse carnem, morbum penitus abscessisse, séque ad susceptum iter prosequendum cum cæteris expeditum.

III. *Alij in Italia eius labores.*

Hac perquàm laboriosa peregrinatione absoluta, Amor quietis impatiens labores eius in Nosocomio insanabilium strenuè instaurauit; indéque in profectione Romana, pontificiæ benedictionis, & Hierosolymitanæ nauigationis causa suscepta. Incidit enim iter in quadragesimale ieiunium, & perincommodam à pluuia tempestatem, cùm nihilominus & pedibus iter omne conficeret, & mendicatò viueret, & quotidianum ieiunium religiosè obseruaret. Quid ille prope Patauiũ, ad montem celsum malorum pertulit, cum eò præparandi primi sui sacrificij causa secessisset? in misera & lacera sub dio casula, imbribus ventisque peruia, vbi ipsos quadraginta dies humi modico in stramine somnum capiebat, victum aqua & panis ostiatim emendicatus præbebant. Interim

rim quotidiana erat corpusculi diuerberatio, cilicium nusquam deponebatur, perpetuæ & contextæ preces Deo cœlitibúsque fundebantur. Deinde Bononiæ hyemem transegit, vbi tantum laborum hausit atque ærumnarum, animis corporibúsque miserorum curandis, vt in quartanam incideret, quæ ita vires eius ac natiuum calorem exhausit, vt mortuum potiùs corpus, quàm viuum circunferre videretur. Nec tamen propterea à concionibus in templis, à catechismo in plateis, ab opera impertienda pauperibus in carceribus & nosocomiis, à dando petentibus consilio, à præbendis auribus peccata fatentibus abstinebat.

Hæc erant præludia, hi apparatus magnæ illius, ad extremos vsque Indos, peregrinationis, & pretiosæ animarum mercaturæ, quam illi Dominus destinarat; quò ille tanto cum feruore proficiscebatur & gaudio, vt vertente die omnia illi ad profectionem infiniti itineris essent præparata. Nihil autem illi deliberatius erat ac certius, quàm incommoda illa atque ærumnas subire, amplectique, quas ipsius capiti imminere Dominus per visum significarat, quæ adeo non expauescebat, vt eas etiam atque etiam augeri, atque exaggerari postularet. Et si quando res illi ex voluntate fluerent, si populi plausu exciperetur, id videlicet crucis amatorem angebat, quod nullis insectationibus exerceretur, quibus si diu careret, negabat videri sibi, Deo se satis fideliter militare. Ea tamen spe, in expectatione Indicæ nauigationis, se ipse solabatur, quod crederet fore aliquando, vt quam crucem in Lusitania frustra quæreret, eam in illis regionibus copiosissimè reperiret. IV. *Et Indici præmonstrati.* Hist. Soc. l. 3. n. 43.

Cùm Mascareniam Lusitaniæ regis Legatum Romæ ad Dominum suum proficiscentem comitaretur, omnium vel corpore vel animo malè habentium perfugium erat Franciscus, ac certa consolatio: non interdiu cuiquam, non noctu deerat, in campis, in hospitiis, in stabulis ipsis. In laboriosis operibus primum occupabat locum, in animi remissione postremum; postremus cubitum ibat, surgebat primus. Mascareniæ secretarium in præaltam niuium voraginem delapsum, ac de vita periclitantem extraxit incolumem. Equitem ex eadem legati familia, in transitu fluuij, vadi tentandi cupidum, amnis rapiebat in præceps. Tollunt omnes vocem in tanto discrimine, statimque ad preces vertuntur, Xauerius in primis. Nec fuerunt irritæ preces; cùm amplius tria stadia eques à fluctibus fuisset abreptus, sublimis semper in aquis comitum precibus tanquam manu sustentatus, ad ripam haud dubio miraculo appulsus est. Alterum quoque socium lapsum cum equo præcipitem, equo ex ruina mortuo, seruauit incolumem. V. *Eius iter in Lusitaniam.*

Sed obiter ista prodigia. Placet S. viri cursum Olyssipone, per infinita Oceani spatia Goam vsque cursim assectari. Cùm Olyssipone solueret, oblatum à regiis ministris famulum constantissimè recusauit, certus vilissima quæque obire ipse per sese tota nauigatione ministeria. In admittendis autem, quæ sibi suisque necessaria essent ad hoc iter, VI. *Et Goana nauigatio.* Hist. Soc. l. 3. n. 42.

tam parcus fuit, vt Indicæ classi instruendæ præpositus crebris sermonibus vsurparet, sibi non minus cum Xauerio vt plus acciperet, quàm cum aliis ne plus exigerent, fuisse certamen. Toto autem cursu, quis eum spiritus ferret in Indiam, satis ostendit, vsque adeo magna atque illustria dedit sanctitatis, contemptus rerum humanarum, suique ipsius exempla, & quod hîc quærimus, suæ charitatis in proximum, qui eadem classe vehebatur, & laboriosi amoris argumenta. Animosè ac feliciter in eam curam incubuit, vt ex prætoria qua vehebatur, & in qua maximè vitæ licentia inter primarios viros irrepit, ganeæ, iuramenta, odia, contentiones, obtrectationes facesserent; sedabat rixas, conciliabat dissidentes, Christianæ doctrinæ rudimenta famulis, mancipiis, rudibúsque tradebat: vitia verò tanta suauitate & autoritate arguebat, multi vt emendarentur, offenderetur nemo.

VII. *Et incredibiles in ea labores.* Cùm morbi in diuturna nauigatione vulgarentur, multósque absumerent, cùm sibi singuli parcerent periculi metu, vnus omnium malis subiecit humeros, omnium formidinem supplebat ac præstabat vnus, perinde ac si vires corporis, eius charitatem, animique magnitudinem exæquare possent. Nemo cum morte luctabatur, quin ad eius ceruical adesset Pater, nemo euocabat quin statim accurreret, confitentibus præbebat aures, formidolosos animabat, cibum languentibus propria manu ministrabat, sternebat lectulos, omnia parentum erga filiolos munera suauiter explebat ac fortiter. Sic enim perseuerauit in languida illa nauigatione sub Æquatore; sic ad tropica frigora, & insanas ad caput bonæ spei tempestates, Mozambicum vsque perdurauit, vbi hyemem in Nosocomio, ægris, quorum erat ingens turba, inseruiens, transegit, vbi & præsens adiit ipsemet ex morbo vitæ discrimen. Inde Melindam sub æquatore positam vela fecit, Zocotoram pertransiit, Goam denique tenuit 6. Maij, anni quadragesimi secundi supra millesimum & quingentesimum, decimo tertio mense ex quo Olyssippone soluerat.

CAPVT X.

Eiusdem Xauerij labores in Indiis Orientalibus exantlati.

I. *Goam laboriosè curat.* GOAM vbi peruenit Episcopum Albuquercium, sibi primum officiosa humanitate demeruit, tantóque studio in Goanorum ciuium salutem incubuit, habendis concionibus, tradendo catechismo, ægris inseruiendo in nosocomio, vbi domicilium suum collocauit, omnes iucunda vitæ consuetudine ac beneuolentia sibi adiungendo, aliisque sanctæ ac religiosæ vitæ operibus; támque propitiam Dei expertus

eſt manum, vt vrbem, quæ dudum erat ſentina vitiorum, in terrenum paradiſum breui conuerterit, & quinque omnino menſium ſpatio perfecerit, quod totidem annis fieri non poſſe videbatur. Didicit interea oram Piſcariæ, quæ ad Eoum latus Commorini promontorij, longè in meridiem excurrentis iacet, & à gemmarum piſcatu nomen accepit, Chriſtiana quidem ſacra dudum accepiſſe, ſed cùm incolæ doctoribus, à quibus excolerentur carerent, quòd tota plaga ſolis ardoribus feruida, accenſis arenis torreatur, & pene intolerabilis fiat ad habitandum, nomine tenus erant Chriſtiani: præſertim cùm fidem neceſſitate quadam potiùs, quàm voluntate ſuſcepiſſent.

Cùm enim à Saracenis iniquo dominatu premerentur, iniuriarum ac contumeliarum pertæſi, opem Luſitanorum implorant, ſéque Chriſtianos fore pollicentur, ſi à Prætore in libertatem aſſerantur. Quod cùm factum eſſet, facti ſunt illi quidem Chriſtiani; ſed ſacerdotem à quo fidei elementa docerentur, qui Miſſæ ſacrificium ritè faceret, quique in illa regionis inopia ſolique ſterilitate eorum curam gereret, habebant nominem. Statuit ergo Xauerius deſolatæ prouinciæ opem afferre, & attulit ille quidem, ſed quantis cum laboribus, quanta rerum pene omnium penuria, quoties cum fame, ſiti, calore, nuditate colluctatus, difficile eſt æſtimare. Vt enim ibi lac & oryza non deſit, non carnes & piſces, frumento certè ac vino carent, arborúmque fructibus, & pharmacis tuendæ, aut reparandæ ſanitati. Denique nulla eſt in India regio à calore ſolis aduſtior, aut ab arenis calefactis æſtuoſior, ſeptimo quippe tantùm gradu ab Æquatore diſtat. II. *Et oram piſcariæ.*

Hunc ſibi campum delegit laborioſus amor fortiſſimi athletæ noſtri, aut eum potiùs, quaſi poſſeſſionem caducam & vacuam occupauit, totam regionem quinquaginta leucarum longitudine percurrit, amplius triginta quibus ea conſtat, oppidula, pagóſve pedes ſemper inuiſit atque excoluit; & quidem vt plurimùm excalceatus, nihil moratus aut ſupernè ſolis ardorem violentiſſimum, aut infernè littoris æſtum intolerabilem, aut mobilem & veſtigia fallentem, atque adurentem arenam. Cùm in pagum aliquem ardens calore, & ſudore vndique diffluens perueniſſet, aut impatiens aut immemor quietis, ſacra vnda perfundebat infantulos, grandiores catechiſmo per interpretem, ob ignorationem Malabaricæ linguæ, incredibili labore inſtituebat. Noctu modicum ſomnum humi capiebat, oryza ſua ipſius manu haud probè præparata, victitabat, aut piſce, vel lacte acido, quod neophyti, aut ipſi etiam ethnici vltro dabant. Quæ omnia cùm faceret atque pateretur, omnibus incedebat lætitiis, ſic vt labores ſuos pro nihilo duceret, quòd tantam animarum meſſem Chriſto colligeret. Suis enim ipſe manibus ſupra quadraginta hominum millia baptiſmo luſtrauit: intráque vnum diem oppidi vnius incolas omnes, tanta neruorum contentione baptizauit, vt neque vltra loqui, neque brachia eleuare poſſet. III. *Pari cum fructu, & ærumnis.*

IV. *Oram quoque Trauãcoris.* Cùm hæc apud hoſce Parauas, ſic enim patrio nomine appellantur, peregiſſet, pérque ſtudioſè dediſſet operam, vt iacta fidei Chriſtianæ ſemina ibi per idoneos adminiſtros fouerentur, atque adoleſcerent, in oram Trauancoris, quæ ad Commorini promontorij latus occiduum pertinet, proficiſcitur, vbi mutato loco, neque laborum, neque vitæ rationem mutauit. Cùm enim à rege Barbaro obtinuiſſet, vt eius ſubditi, ſi libitum eſſet, nomina Chriſto darent, totam illam regionem peruolauit, nihilo piſcaria magnitudine aut populis minorem, tanto animorum compendio, vt plus decem hominum millibus ſalutari aqua menſe vertente perfuderit. *Pari conſolatione & labore.* Cuius laboris magnitudinem vnus ipſe propemodum ſuſtinebat, ſed iucunditate animi tanta, quantam ſe ſtylo conſequi poſſe, ſcribens ad S. Ignatium negaret. Illud etiam diuinam cumulabat lætitiam, quod Neophytos cerneret diu cultis idolis in oculos inuolare, deſpuere, diſturbare, diffringere, eorúmque templa ſolo æquare; & viciſſim oratoria vero Deo, ædéſque ad viginti erexiſſe.

V. *Badagarum exercitũ ſua conſtãtia deterret, ac fugat.* *Hiſt. Soc. l. 4. n. 146. & 147.* Non tulit tacitus hæc damna dæmon, ſed odio furens atque inuidia in Chriſtianos, feram atque immanem Badagarum gentem, incitauit, ſuas vt iniurias vlciſceretur. Badagæ igitur nomini Chriſtiano infeſtiſſimi in Neophytos neque multitudine pares, neque armis inſtructos, ex improuiſo irruunt, & viis omnibus occupatis fugæ reddunt impotentes. Ingens videlicet clamor ab incolis repente tollitur, ploratus mulierum, eiulatus infirmioris ætatis. Erat tunc in eo pago Franciſcus, qui re cognita illico procumbit in genua, oculos tollit in cœlum; vnde tantum virium ſubitò hauſit, vt neglecto capite ſuo, ſolus in confertiſſimos ſe hoſtes coniiceret, non ferro, ſed fiducia in Deum, cui laborabat, protectus: ipſiúſque maieſtate vultus, tanquam ſeruos Dominus, ſeuera autoritate conterruit, addidit & herilem increpationem, quod in diuinum Numen infideles, & propriæ ſalutis prodigi, contra innocentes, neque de ſe malè meritos, barbara crudelitate ſæuirent. Illi ergo tantæ conſtantiæ obſtupefacti miraculo, Deo ipſo formidinem in eorum pectora inſtillante, ſine vllo hoſtili facinore, metu ac pudore perfuſi, diffugerunt; dum interim eorum incentor dæmon, qui priorem vlturus iniuriam, nouam accepiſſet, dolore atque inuidia rumperetur, confirmaretur fides, Chriſtique grex tenellus gaudio triumpharet; & ipſe Xauerius, apud ipſos quoque barbaros, magni patris nomen obtineret.

VI. *Alij confertim Patris ſudores.* Neque minus deinceps laboribus ſuis, vigiliiſque pepercit in Manarenſi inſula, in regno Macazario, in Ceilano inſula, in oppido S. Thomæ Meliapora, quo non prius peruenit, quàm in itinere ſine vllo cibo totam traduxiſſet hebdomadam. Ibi menſes aliquot demoratus, ſuum illud ſolenne tenuit, vt dies totos, in procuranda promouendáque mortalium ſalute, magna corporis animique contentione poneret, bonam

autem noctis partem orando vapulandóque transigeret. Cùm enim ad orandum nocte intempesta de more surgeret, in ædem dæmonibus infestam venit, à quibus, ardentes inter preces, truci cum fremitu, horrendisque clamoribus, dirè cæsus, Virginis opem suauiter implorabat. Ita porro à tartareis illis bestiis acceptus est, vt plagarum acerbitate debilitatus, triduo decubuerit; neque tamen ea ipsa nocte, aut insequentibus ab eadem æde, irriso dæmonum furore, abstinuerit. *Et pugna cum dæmonibus.*

Quid referam assuetos, insuetósque Francisci apud Malacenses labores, ciuitate vltra Gangem sita in aurea Chersoneso, quæ vno aut altero gradu à linea æquinoctiali distat, vrbe tum populo, diuitiisq; æquè ac vitiis, vt assolet, abundante. Permisti enim Ethnicis incolæ, eorũ quoque mores ac vitæ licentiã in se transtulerãt; sensimq; eos tantus stupor mentis oppresserat, vt ne vitiorũ quidem turpitudinem sentirent, nedum opportuna medicamenta reciperent. Hanc ergo Xauerius ciuitatem, publicis concionibus ad animorum motus comparatis, suauissima vitæ consuetudine, priuatísque colloquiis, admirandis quoque prodigiis, & suppliciorum denunciatione, quæ ab vltore Deo imminebant, nec multo post consecuta sunt, immutauit vehementer, vt non solùm morborum, animi sensum, sed detestationem quoque induceret, nemo vt fere ex oppidanis iuuentus fuerit, qui non apud eum peccata deponeret; id quantis laboribus sancto viro constiterit, iis qui eos aliquando degustarunt, æstimandum relinquo. VII. *Malacensiũ curatio.*

Quid de Amboino dicam, vbi septem pagos reperit Christianos, sed sacerdotum præsidio funditus destitutos. Ergo paratam materiam Xauerij flamma corripuit, pagos omnes inuisit, ignaros de more docuit, infantes salutari vnda respersit, quorum plerique mox in cœlum feliciter emigrarunt, ægros sanauit, mortuos Christiano ritu sepeliuit, pauperes emendicata ope iuuit, denique bene meritus est de vniuersis. Saracenis quoque ipsis, atque ethnicis, qui cæteros incolunt pagos, Christianæ religioni conciliatis. Quæ dum ille studiosè tractat, & vlteriora certamina cogitat, noua ei seges occupationum exoritur ex Castellana classe, quæ ex noua profecta Hispania, & vehementi tempestate vexata, ægrisque referta appulit Amboinum, quò Xauerium diuina prouidentia paulò antè præmiserat, qui mira charitate, animíque fortitudine, rerum omnium inopia miserabiles ita iuuit, vt omnium animis atque corporibus ingenti solatio auxilióque fuerit. VIII. *Et 7. pagorum Amboini.* *Labores eiusdem circa classem Castellanam.*

Maurica insula magno argumento fuit, primum magnitudinis animi Francisci, quod præter omnium amicorum iudicium ac voluntatem, nullo humano tectus fretusve præsidio, populum adierit crudelem ac barbarum, perfidum ac proditorem, vbi filij & parentes cædibus inter se mutuis, crebro decertant, sacerdotes ipsorum curam gerentes interimunt, nupérque vnum qui supererat sustulerant: terram deinde accessu difficilem, cultu horridam, & omnium pene rerum ad vitæ vsum IX. *Et maximè in Maurica insula.*

necessariarum sterilem atque indigentẽ; in cuius ruinam cœlum pestilentia, terra tremoribus, mare tempestatibus cõiurasse videntur. Quin & ipsi quoque inferi, qui ignes ac cineres euomũt, saxáque flagrantia iaculantur, tanta altitudine, vt arbores celsissimas æquent, tanto fragore vt maiora tormenta displosa videantur. Dedit & argumentum inuicti in proximum amoris atque infatigabilis, qui tribus mensibus illa tum ferarum lustra, 30. fere pagis oppidulisve distincta visitauit, baptizarit infantes, maiores inferorum præsenti imagine perculsos, mansuefecerit, fidei elementa inculcarit, idolorum cultum impedierit. Neophytorum inopiam subleuarit, totam denique insulam tantis laboribus perlustrarit, quantos vix credibile sit corpus humanum ferre posse; fructu autem non priuato solùm diuinarum consolationum, & quidem tanta copia, quantam negaret pectore suo capi posse; sed publico maximè, quando in oppido vno, cui nomen Tolum, ad viginti quinque hominum millia sacro baptismo lustrata referantur.

30. pagis excolendis.

CAPVT XI.

Postremi eiusdem Francisci in Iaponica peregrinatione labores.

I. *Iaponiam suscipit expeditionem.*

TERNATENSES, cæterarúmque Molucensium insularum multiplices ærumnas missas facere necesse est, vt Iaponicam expeditionem, postremáque Francisco contra dæmonem mundúmque certamina, ne prætermittamus. Goa soluit repugnantibus amicis, qui ad rationum momenta, & intentata pericula, quibus Sanctum Patrem à suscepto itinere reuocare conabantur, irritas preces & lacrymas adhibebant. Neque enim ab eo vestigio, in quo Domini athleta institerat, magis dimouere potuerunt, quàm rupem fluctus, qui ad illam crebris ictibus alliduntur. Itaque mille ac trecentarum leucarum aggressus est iter, regionem cogitans, in qua sanctissimum Christi nomen erat penitus inauditum, & ignotæ linguæ populos, atque ingenij turbulenti; vt qui bellis ciuilibus continenter agitentur; regionem spirans formidolosissimo tempestatibus ac naufragiis oceano cinctam vndique atque vallatam, infestissimam piratarum incursionibus ac rapinis.

II. *Malacam tenet, ac Iaponiam.*

Quadragesimo die, ex quo vela facere cœperat, Malacam tenuit. Ibi cùm nullam reperisset nauium Lusitanam, quæ Iaponem peteret, Sinæ cuidam Ethnico nauarcho, se suósque diuina fretus prouidentia, non dubitauit committere; à quo denique, quamuis postea fidem fallere cupiente, inuitis dæmonibus, qui de hac nauigatione subinde consulebantur, & sibi à Xauerio malè metuebant, in Iaponiam perlatus

est, portúmque attigit Cangoximanum, magno incolarum stupore, qui valde mirabãtur Christianos apud se videre sacerdotes, qui ab vltima vsque Europa profecti, non aurum, & argentum, lapidésve pretiosos, per immensos labores atque pericula peterent, non vniones vel aromata, tam longa támque impedita nauigatione, requirerent, sed vt errorum tenebras ex cæcis hominum mentibus dispellerent, eísque diuinæ lumen veritatis offerrent.

Oblatam ergo veritatem lubens amplexa est familia primùm Pauli à Sancta fide viri Iaponij, quem Franciscus habuerat ab vrbe Goana comitem nauigationis ac ducem, mox plerique amici cognatique; inde permulti alij Saxumani regis permissu, & auxilio præpotentis Dei, qui multa per eum prodigia, vsque ad excitationem à mortuis, illic perpetrauit. Cùm autem aliquanto pòst rex idem, adnitentibus idolorum sacerdotibus, Lusitanico etiam commercio destitutus, factam subditis potestatem recipiendæ Christianæ religionis, timidè reuocasset, multis ibi laboribus iniuriisque perfunctus, octingentis Christianis curæ Pauli Iaponij commissis, in regnum Firandense, ad nouam animarum prædam profectus est: vbi paucis diebus centum animas Christo lucratus est, quas Cosmo Turriano socio regendas, eundémque numerum paulatim amplificandum tradidit: Ipse Amangucium profectus, præter consuetos animi corporisque labores, sexcentis iniuriis, contumeliis, & irrisionibus ibi vexatus est, quæ amplissimæ deinde messis sementis fuit. III. *Primarij ex ea fructus.*

Deinde cùm didicisset omnia à Meacensis Imperatoris potestate pendere, si ille prædicandi Euangelij recipiendique faceret potestatem, neminem totius Iaponię regulorum ac dynastarum obstiturum, huius quoque itineris molestias deuorandas suscepit, de quibus eius scriptor historiæ ita fere loquitur, Amangucio Meacum vsque quinquaginta leucæ directo itinere numerantur, sed propter montes asperrimos interiectos transitúsque difficillimos detorquetur iter, & suscipitur longiùs. Quoniam verò perfrigida cœli tempestate iter susceptum, ac bimestri spatio perfectum est, via non modò saxis aspera, & alta niue constrata: verùm etiam bellis, quibus tum tota illa regio flagrabat, & frequentibus latrociniis infesta, quid Xauerio, & linguis & viarum & elegantiæ gentis ignaro, menidco insuper, & vestitu sordido ferendum fuerit, ab natione superba, & externorum contemptrice, quámque splendidam patientiæ coronam in cœlo sibi contexuerit, facilè intelligi potest. IV. *Iter Meacense quàm arduum.* L. II. hist. Tors. n. 100.

Ergo vt viæ ducem aliquem haberet, Meacensi equiti famulum se adiunxit: equitantis impedimentis, vnà cum suis sarcinulis elatis in humerum, citatis gressibus præcurrentem subsequebatur herum, cui non tam peditis alienigenæ commodum propositum erat, quàm vt latronum ipse pericula equi velocitate vitaret. Durissimo, vti diximus, anni V. *Quantis Francisci ærumnis confectum.*

tempore faciebat iter, tempestate perfrigida, & pede nudo àquilonibus exulcerato, cùm crebros amnes & torrentes intercurſantes vado traiiceret, via adeo lubrica & conglaciata frigoribus, vt eam ingredi, præſertim ſub ſarcinis & oneribus, ſine frequenti caſu & prolapſione vix poſſet. Exacto per has ærumnas die, cùm ad diuerſorium veſperi perueniſſet, fame & algore confectus, totúſque imbribus madefactus, ſubſidij ad reficiendum ſe nihil erat, nihil cibi, niſi oriza emendicata, & ſemitoſta.

VI. *Et irrito in ſuper labore.* In pagis autem atque oppidis qua tranſibat, vexabatur omnium conuiciis, ignominiis appetebatur & ſaxis: iiſdémque accipiebatur in naui probris ac contumeliis, cùm tranſmittendi eſſent ſinus maris intercurrentes. Denique quocunque ingrediebatur, homo longinquus & ſui contemptor, exagitabatur vt ſtolidus. Sed hæc ille velut inferiora, multóque minora flagrantiſſima Dei charitate, & animarum ſiti, qua totus ardebat, non modò deuorabat alacriter, ſed etiam numerabat in lucris. Cùm autem Meacum poſt alterum menſem appuliſſet, quantam maximam potuit operam dedit, vt aditum ad regem impetraret, & Chriſtianæ legis promulgandæ poteſtatem; ſed à militari præſidio ſemper eſt reiectus, tanquam homo nihili. Ad ipſum autem populum cùm verba facere cuperet, omnium aures ingruentis belli expectatione ſuſpenſas, obſtructáſq; reperit. Itaq; ne Meaci diutius operam perderet, re diuinæ prouidentiæ ac bonitati commendata, Amangucium, per eaſdem itinerum difficultates remigrauit.

VII. *Redit Amãgucium, vbi fructuosè laborat.* Hiſt.l. 11.n. 102. Amangucium reuerſus, eam primùm curam adhibuit, vt regem ſibi demereretur: vtq; ſe ad hominum captum, qui fere externa ſpecie commouentur, accommodaret, ſtatuit veſtem obſoletam cum ſplendida commutare; addit apparatum aliquem ſociorum ac munerum, quæ ab Indiæ prorege, & Goano antiſtite corrogata, Meacenſi regi fuerant deſtinata. Nec irrita ſpes fuit. His enim rebus rex magnopere delectatus, & Xauerio poteſtatem fecit Euangelij in ſua ditione prædicandi, & popularibus ſuis Chriſtianam doctrinam amplectendi. Ergo cùm ad Xauerium, ſtudio cognoſcendæ nouæ religionis concurſus maximi fierent, bis quotidie dicebat ad populum, perorationem excipiebat bene longum de religione certamen. Itaque perpetuò aut habendis pro concione ſermonibus, aut profligandis curioſorum quæſtionibus ad multam noctem diſtinebatur, vix vt curando corpori ſpatium aliquod supereſſet. Nec tamen tot laborum fructus aliquis apparebat, donec Ioannis Fernandij æquanimitas & patientia, dum tacitus ſputum in faciem coniectum abſterſit, conuerſioni trium millium animarum intra vnum fere annum, aditum patefecit.

VIII. *Et in regno Bungenſi.* Quot deinde moleſtias exhauſit & curas in regno Bungenſi, tam à poplaribus ethnicis, quàm ab eorum ſacrificulis Bonziis, bipedum nequiſſimis? Quid poſtmodùm in reuerſione Goana, quam Chinenſis legationis

legationis adornandæ gratia suscepit, in tanta marium immensitate, & crebritate turbulentissimarum tempestatum? Sed nihil eum afflixit vehementiùs, nihil atrocius perculit, quàm Malacensis gubernatoris importunissima peruicacia, atque obstinatissima mentis impotentia, cuius scelere factum est, vt tam sapienter támque operosè suscepta, tam feliciter inchoata legatio, in nihilum recideret. Nec leuis est suspicio tantum animo dolorem à Francisco fuisse conceptum, quòd videret tantam animorum messem, ab eo maximè impeditam, à quo oportuerat omni studio promoueri, vi is dolor ei mortem accelerarit. Sed Deus hominis illius auaritia, superbiáque vsus est, ad immensos serui sui labores terminandos: & mox eos conatus, quibus idem laboriosissimus, atque infatigabilis Dei famulus, aliquem sibi aditum ad Chinas molitus est. Itaque sanctissimum virum in deserta insula & omni humano præsidio destituta præmatura mors oppressit, & labores, in quorum se initiis versari arbitrabatur, nullis enim regionibus, aut annorum spaciis eos definiebat, secundo ac quinquagesimo ætatis anno, felici exitu terminauit.

Irritus Frãcisci labor pro legatione Sinensi.

Eiusq; mors

IX. *Conclusio de virorum Apostolicorum laboribus.*

Hæc Apostolorum, ac virorum apostolicorum vita fuit, qui animo destinarant non decurrere, sed debellare, & sub Christi iugum mittere, quidquid terrarum ac marium cœli ambitu continetur; & incredibili fortitudine fortis armati prædam rapere, fortiores, legitimóque Principi ac Seruatori eam restituere. Ecquid fragile corpus tanta vi roborabat ac sustentabat, vt tot tantisque viarum & nauigationum ærumnis, tot tempestatibus ac procellis, tot terrarum mariúmque periculis, tot nocturnis vexationibus, ac diurnis, quas homines dæmonésque continenter ingerebant, minimè frangeretur, nisi laboriosus Dei & proximi amor, & antegressum Seruatoris exemplum? Hic ipse amor est, qui multorum Dei famulorum industriam quotidie exacuit, virésque subministrat, vt doceant, vt concionentur, vt scribant; lectis, cryptisque detentos inuisant, ægris pauperibúsque famulentur, non insanabiles, non lue correptos respuant, non terrestres maritimásque peregrinationes, fideles inter atque infideles reformident, non laudes aut calumnias, non abundantiam aut penuriam morentur, non equuleos distentionésque membrorum, non cruces aut gladios, non denique lenta incendia perhorrescant. Vnde inter mala tam atrocia, tam horribilia, tam inimica naturæ patientia, contemptus, exultatio? nónne ab illa ipsa charitate proficiscebantur, qua Paulus vrgebatur cùm diceret, *Charitas Christi vrget nos*, acuit, exstimulat, & omnibus ærumnis pares, atque adeo superiores facit.

Opera laboriosi Dei amoris.

2. Cor. 5. 14.

CAPVT XII.

Diuinum amorem ipsum quoque Deum reddere actuosum.

I. *An laboriosus amor in Deum cadat.* CONSTAT itaq; ex iis, quę à nobis dicta, atq; enarrata sunt hactenus, & quæ in quotidianam experientiam cadunt, diuinum amorem actionis esse plenissimum, & charitatem inertem, languidam, otiosam esse non posse, nunquam planè feriatam ac laxatam curis, sed implicatam negotiis, distentam occupationibus, laboribus abundantem. Quomodo igitur, inquam, ostensurus es nobis laboriosum hunc ac negotiosum amorem in Deo quoque reperiri, cùm fateantur omnes cum Apostolo Paulo, Dei pacem tantam esse, vt exuperet omnem sensum, quietem immutabilem, sicut & omnium cum ipso beatorum; quorum est illa apud Dauidem vox, *In pace in idipsum, dormiam & requiescam*: nec ignoremus ipsam Dei beatitudinem in altissima, & perfectissima contemplationis tranquillitate consistere, qua suas ipse perfectiones, immensásque diuitias immoto mentis oculo intuetur. Quod cùm antiqui aliqui Philosophi non caperent, Epicuro negotium facessebant. Sed quæ illi contra beatam Dei quietem afferebant, spicula erant iuncea, *telúmque imbelle sine ictu*.

AVTOR. Psal. 4. 9.

II. *Deus actus purissimus.* AMOR. Respondebimus, inquit actuosus Amor, semotis hisce terrestribus, ac malè materiatis Philosophis, qui actionem à labore secernere non potuerunt. Nam intelligentissimi quique diuinæ naturæ scrutatores, Theologi, atque Philosophi, etiam non Christiani, vno omnes ore confitentur Deum Actum esse simplicissimum, atq; purissimum; actum autem ab agendo duci nemo ignorat, vt intelligamus actionem Deo maximè conuenire, ipsúmque agere perpetuò, prout mentis nostræ imbecillitas supremum illud esse Dei capere potest, quod idem est cum ipsa Dei actione; quoniam omnia quæ in Deo sunt, sunt ipsemet Deus. Agit ergo perpetuò, cùm contemplatio, quæ actio quædam est, & quidem nobilissima, nunquam interrumpatur. Diuini Verbi paterna generatio actio est, sicut & productio Spiritus sancti, patre & filio reciproco se amore prosequentibus. Delectatio diuinarum personarum actio quædam est, aut certè, nisi per modum actionis, à nobis intelligi nequit. Non apparent quidem foris actiones illæ, ideóque appellantur immanentes, nec tamen desinunt esse actiones.

Agitque perpetuò.

III. *Sed absque labore, & cur.* Quòd si Dei actionem, quæ foras prodit, considerare placet, Mundi productio, conseruatio, atque gubernatio, haud obscurè docent qualis sit amor, quæ hanc rerum molitionem persuasit Deo, actuosus videlicet, & operis amans; sed molestiæ omnis expers ac laboris, infinitæ quippe illius potestati nihil est quod resistat, omnia obsequun-

tur vltro. Cætera verò agentia, quorum sæpè virtus exiguis finibus circumscripta est, laboriosè agunt, quòd multa sæpe occurrunt, quæ agentibus obsistant, & quasi consertis manibus obluctentur. Itaque ignis in viridi ligno quodammodo laborat, & operarius in onere grauiore. Quin & ipsi Angeli habent qui sibi resistant, itáque necesse est vt ad alienum auxilium confugiant. Docet enim Daniel Hebræorum protectorem Angelum, Persarum gubernatorem habuisse aduersarium, & Michaëlem, vnum de principibus primis, Hebræorum custodi opem tulisse; singulis quippe Deus terminos posuit, qui præteriri non poterũt. Actio ergo in Deo est, sed quæ omni penitus labore vacet. C 10.13.

IV. *Amor Deo persuasit mundi productionem.*

Magnus igitur hic mundi opifex ac molitor Deus, cùm posset in infinita illa sui contemplatione acquiescere, & immenso illo perfrui gaudio, quod inde proficiscitur, neque vllam præterea actionem requirere, voluit nihilominus extra se agere, actuoso amore ipsum inuitante, non cuiuspiam emolumenti cupiditate; quid enim acquirat, qui iam ab initio possidet omnia? voluit se ipse communicare, & sibi similia producere, homines videlicet & Angelos, ex quibus beatissimam illam ciuitatem, illam visionem suauissimæ pacis in cœlo conderet, quæ nunquam à Dei laudibus, gratiarum actione, & iucundissima contemplatione cessaret. Amor itaque actuosum fecit hunc architectum, qui potest omnia, qui noscit omnia, à quo facta sunt omnia: qui causa est causarum omnium, in omnem causam influens, & omnibus agentibus quodammodo collaborans. Mirabilem planè architectum, neque subiecta materia, neque loco, neque tempore indigentem, nullo auxilio, nullo instrumento, nullo apparatu. Sap. 9.10.

V. *Quale sit hoc opus.*

Mirabiliorem etiam, si mentis oculos in magnitudinem operis coniiciamus. Tam enim magnum est opus, quanta est huius vniuersitatis amplitudo, quæ omnia sola terrarum, cultarum atque desertarum, tot perpetuorum, atque inaccessorum montium, ac rupium vastitatem, tantam oceani, & cæterorum marium immensitatem, tot insulas, regna, prouincias amplectitur; opus infinita sapientia atque artificio plenissimum, in cuius contemplatione summi artifices atque exercitatissimi obstupescunt, animisque linquuntur. Opus absolutissimum atque pulcherrimum, vt ipsum eius vocabulum docet, opus superbissimum, ac magnificentissimum, verbo vno dixerim omnia, dignum Deo. Quot igitur actionibus respondet, quot adæquari potest hæc vna productio? Quòd si ab hac ipsa mũdi molitione, ab omni opere Deo cessare placuisset, satis argumentorum dederat Actuosi amoris sui, & quidem in vsum mortalium duntaxat occupati. In eius quippe rei argumentum non priùs hominem condidit, & tanquam Dominum vsufructuarium in mundum introduxit, quàm domum hanc regiam cumulatè rebus omnibus instruxisset.

VI.

Ipsa quoq; mundi conseruatio, & omniũ quæ eius cõplexu cõtinentur,

Conservatio est continuata productio.

clarissima est Actuosi amoris probatio. Nihil enim est ipsa Dei conseruatio, quàm semel creatæ rei, animæ videlicet aut stellæ, continuata productio. Itaque si Deus puncto temporis à continuanda actione, qua produxit angelum, cessaret, suámque efficientiam intermitteret, eodem ille esse desineret, & in antiquum suum nihilum recideret. Sic in illuminando mundo non satis est solem semel radios per obscura aëris spatia diffudisse, sed diffundere eos perpetuo, & quasi sustentare in subiecto idoneo necesse est; quod si is lucere desierit, tota illico lux euanescit, eiúsque locum è vestigio tenebræ occupant. Si lapis in altum sublatus sit aërem, non diutius ibi consistet, quàm cum illic vis impressa retinebit. Sigillum in aqua impressum non diuturniore illam tempore figurabit, quam in aqua remanserit; & imago quæ apparet in speculo, à præsentia vultus tui dependet, nec magis in centesimo momento, quàm in primo.

VII. *Etiam in rebus permanentibus.* Vide Lessiũ l.10. de perf. di. c.3. & 4. Hebr. 1.3. Colos. 1.17.

Eadem veritas non in rebus solùm fluentibus, sed in permanentibus etiam valet, puta in Angelis, cœlis, elementis. Paulus enim Apostolus vniuersè loquens, docet Deum per filium produxisse mundum, *per quem fecit & secula*, additque eumdem *portare omnia verbo virtutis suæ.* Portat omnia, inquit Anselmus, id est sursum tenet ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerant: & sustentat ea, non labore, & difficultate, sed imperio suæ potentiæ. Et magnus Chrysostomus in illud eiusdem Apostoli, *omnia in ipso constant.* Non solùm ipse, inquit, ea ex nihilo vt essent produxit, sed & idem ipse nunc quoque ea conseruat & tuetur, ita vt si ipsius cura destituerentur, mox perirent & corrumperentur. Sed hæc pluribus Sancti patres, aliique Theologi. Agit igitur conseruando, quo modo & creando, & quàm semel vitam, naturam, accidentia, facultates homini dedit, dare pergit, & cum subiectis agentibus secũdísque causis ita agit, vt effectus & actio, magis primæ causæ, quàm secundæ debeatur. Ita & characteres, eorúmque perfectio scribæ magis est quàm pueri, cuius ille ducit ac dirigit manum, imò pueri solius est, quidquid in scriptura illa rude, & inchoatum est.

VIII. *Agit Deus gubernando mundum.* Sap. 6 8. Cap. 12. 13.

Nam diuina illa functio gubernationis mundi, clarissimis nititur diuinæ Scripturæ monimentis. Sapiens enim ait Deum suam erga omnes exercere prouidentiam, illíque *æqualem esse de omnibus curam, nec cuiusquam magnitudinem vereri, quoniam pusillum & magnum ipse fecit.* Et alibi. *Non est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus.* Et rursum, *Tua autem, Pater, prouidentia gubernat*, omnium scilicet rerum vniuersitatem, & eius, vt nauclerus nauigij, gubernacula manu tenet atque moderatur. Agnouit olim Ioseph patriarcha, Deum malitia fratrum, in eorum bonum, totiúsque Israëliticæ familiæ, vsum esse; quod opus est prouidentiæ singularis. Et Dauid elata voce profitetur se à Domino regi, ac propterea nihil sibi defuturum: id enim vel maximè fuerat expertus, cùm Rex Saül in eius perniciem

Psal. 22.

regnum armaret vniuersum; donec eiusdem regni ipsemet factus est princeps. Sed ne vnum aliquem moremur hominem. Quid exploratius aut admirabilius fingi potest illa prouidentia, ac quotidiana cura, quæ Hebræorum populum vniuersum in desertis Arabiæ locis quadraginta ipsos annos prosecuta est, quibus certos de familia sua principes destinauit, qui viæ duces, qui hospitiorum metatores agerent, qui iudices & magistros, ac prope dixerim pistores, quoniam *panem Angelorum manducauit homo*, vt ait Propheta regius. Psal. 77. 25

IX. *Et res in eo perexignas.* Matt. 6. 26. & c. 10. 29. Luc. 12. 24.

Sed mirabilius etiam aliquid Seruator mundo patefecit, de diuina ista prouidentia, quæ vsque eo videtur abiecisse maiestatem suam, vt auicularum huc illúcque temerè volitantium, nullámque sementis aut messis curam habentium curam gerat, eáque sedulo nutriat, neque in terram temerè cadere patiatur. Lilia quoque agri tanto decore vestiat, vt ne gloria quidem Salomonis, auro gemmísque coruscantis illa exæquet. Quid quod capillos capitis seruorum suorum numerasse dicitur, vt ne vnus quidem, præter eius consensum, perire possit? vt minus mirum sit eos in vlnis ipsius gestari, alarum vmbra protegi, tanquam pupillam oculi custodiri. Denique ita curam suorum gerit, vt ne inimicos quidem communibus beneficiis priuet. *Solem* enim *suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos* temporibus opportunis. Quid horum non actuosum amorem prodit? Matt. 5. 45.

X. *Deus vt ignis actuosus.* Deut. 4. 14. Hebr. 12. 29

Deus se igni confert, non illi in sphæra sua quiescenti, sed huic nostro sibi adiuncta consumenti. *Dominus Deus tuus*, ait Moses, *ignis consumens est*, & eum Christus Dominus detulit in terras, vt arderet. Quin & species gloriæ Domini erat quasi ignis ardens super verticem montis; & in fœdere cum Abrahamo inito, *Apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones*, non quiescit in igne Dominus, sed transit. Spiritus sanctus descendit in Apostolos, sub specie linguarum ignearũ. Si perpetua est actio flammarum, linguæ mirum in modum mobiles sunt, nullum vt membrum in humano corpore tot támque variis motibus cieatur. Procedit in curru igneo, & quasi turbo quadrigæ eius: ambulat etiam super pennas ventorum, & facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam vrentem. Denique ignitum eloquium eius vehementer. Quæ omnia cùm ab ipsius Dei in homines amore proficiscantur, qualis sit eius amor satis intelligitur, & qualem vigere velit in amicis suis: non mollem & languidum, & modica rei difficultate fatiscentem, sed ad laborem omnem, quo eius honos augeatur, alacrem atque erectum. Esa. 66. 15. 16. Psal. 103. 4. & 118. Deut. 33. 2.

CAPVT XIII.

Christi Domini vita priuata, laboriosum eius amorem patefecit.

I. *Filius Dei laborãdi causa venit in terram.*

SI Patris æterni amor in continenti actione versatur, ac ne nunc quidem operationem intermittit, quid de filio dicendum est, qui laborandi causa venit in mundum? Si diuinus Amor, ne in cœlo quidem potuit esse otiosus, quomodo otiabitur in terris, cùm cœlum locus otij, terra negotij videatur? cùm terræ actio, cœlo contemplatio debeatur, hîc vela ventis dentur, ibi anchoræ iaciantur; hîc peregrinatio in alieno solo, illic quieta patria; hîc pugnæ fit locus, illic triumphi; hîc denique decurratur in stadio, illic manibus palmæ, coronæ capitibus imponantur.

Primum filij Dei opus, quod tamen illi cum Patre ac Spiritu sancto commune est, fuit ipsa humanæ naturæ cum Verbo coniunctio, qua factum est vt filius, qui Deus tantum erat, Deus simul & homo fieret, opere admirabili ac planè diuino, quod minorem Deo autorem habere non potuit, opus diuinorum operum longè maximum, cùm in cæteris Deus rem aliquam producat & creet, in hac res creata fiat Deus.

II. *Ab ipsa incarnatione actus virtutum exercet. Obedientiæ. Religionis. Humilitatis* Philip. 2. 7. *Charitatis.* Ioan. 17. 19.

Ab ipso porro puncto Incarnationis suæ filius Dei labori se dedit, colligendo infinito meritorum thesauro, locupletandis omnibus filiis suis, nobilissimis virtutum actionibus exercendis. Cùm primùm enim Pater illum in orbem terrarum introduxit, præceptum redemptionis humanæ, per supplicium crucis, singulari obedientia complexus est. Nobilissimum quoque actum religionis exercuit, se ipse offerens in sacrificium cruentum, ad honorandum patrem, eiúsque iniuriis digna satisfactione abolendis. Exercuit & demissionis animi, quando *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, quamuis rex esset hominum & angelorum. Charitatis quoque, cùm hæc omnia destinauit animo, parentis sui, & fratrum, ac filiorum suorum amore incitatus: iámque internis actionibus implebat, quod tantò pòst, in sua ad patrem oratione, fassus est. *Pro ipsis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate*, interiore videlicet, non externa & legali sanctitate.

III. *Et deinceps.*

Deinceps quoque in iisdem perseuerauit actibus, eo toto tempore, quo in vtero virgineo permansit inclusus. Ea nos aliáque id genus ab eo discere possumus, si libet, interrogare. Res ei grata erit ac iucunda, vt qui simplici meditantium sermocinatione delectatur. Age verò, inquam, quo maximè lubebit modo. Ego rogantis, si placet tu ipsius

AVTOR. AMOR.

Christi respondentis partes sustinebis. Vtique placet, inquit Amor,

ſuggeret ipſe, vti ſpero, vtrique, tibi quid aptè interroges, mihi quid reſpondeam congruenter. Dic ergo nobis, niſi moleſtum eſt, ô nobiliſſime fili Dei, qui *operatus eſt ſalutem in medio terræ*, ſanctæ vteri virginalis, quid ibi ageret Verbum Patris, cùm illi eloqui nondum liceret? Quid ibi agebas, ô diuine artifex, cùm nondum manus haberes ad opus expeditas, nec tamen Amor otioſum eſſe pateretur. AVTOR.

IV. AMOR. *Déque ipſis cum Chriſto ſermocinatio*

Docebam, inquit, præmaturè eos, qui actiones meas contemplari, & vitam imitari cuperent, vt in ſuum ſe nihilum, vnde educti ſunt, quàm altiſſimè demitterent, quando cernerent me diuinitatem meam in carne abdidiſſe, & quaſi in nihilum, vt ait Apoſtolus, redegiſſe. Docebam maiorum præceptis, quamuis difficilibus, promptè, hilaritérque obtemperare, & diuinam voluntatem, quæ eorum ore profertur, rebus omnibus anteferre. Erudiebam eos, qui propiùs veſtigia mea erant ſecuturi, qua ratione externa iſta commoda Deo eſſent paupertatis voto ſacrificaturi, ſenſuum oblectamenta caſtitate, propriam voluntatem ac iudicium obedientia mactaturi, qui hæc ipſa partim iam tum deſtinabam animo, partim reipſa iam exequebar. Iam inde amoris flammas mittebam in terras, vt corda hominum illius amore ſuauiter arderent, qui talia iam amoris in illos ſui argumenta dediſſet; eiúſque famulatui citò ſe addicerent, qui ab ipſo momento incarnationis ſuæ, talibus ſe pro ipſis laboribus eum cernerent addixiſſe.

V. *Animo electos complectitur, reprobos auerſatur.* Ioan. 17. 6. *Tui erant, & mihi eos dediſti.* *Adit Elizabetham.*

Ibidem, ſingulari cum gaudio, & gratulatione, conieci mentis oculos in eos omnes, quos Pater elegerat, qui certiſſimè participes fierent meritorum meorum, vt membra myſtici corporis mei. Ibi legitimum deſtinatæ beatitudinis tempus anteuertens, totis eos animi viribus amplectebar: reliquos verò non ſine gemitu auerſabar, quos ſua malitia infeliciter reprobabat, quibus omnes labores mei inutiles futuri erant atque irriti, atque adeo, propter ipſorum ingratam voluntatem, noxij. Ibi quamprimum ſanctiſſimæ genitrici meæ mentem inieci, vt cognatam Elizabetham præcurſoris mei matrem inuiſeret, quod illi totique familiæ, præſens ſanctimoniam copioſè impertiri cuperem. Ibi commoui infantulum, vt agnita ex vtero materno præſentia mea gaudio exiliret, & officio præcurrendi, ac manifeſtandi me hominibus maturè præluderet: vtrumque autem parentem ſanctitatis ac prophetiæ dono repleui. Ibi patrem reddita voce, matrem agnitione diuini myſterij, vtrumque expectatiſſimi pueri fruitione exhilaraui, tantáque affeci lætitia, vt in omnes amicos, cognatos, & montanæ regionis incolas latè redundaret.

VI. *Actiones natiuitatis.*

Appetente optatiſſimæ natiuitatis meæ tempore, ſicut matrem ab omni corruptionis labe in mea conceptione exemeram, & in ferendo vtero moleſtia, ita & in pauperio omnem excuſſi dolorem, & illibatum virginitatis florem non minui effuſus in lucem, ſed ſacraui. Et manus quidem ac pedes meos faſciis atque panniculis de more alligarunt, ne

vſquam me commouere poſſem, totóque corpore in præſepi iacerem quietus: oculis tamen permiſſæ ſunt lacrymæ, vt maturè peccata veſtra deplorarem, & fletu abluerem meo. Permiſſus & ori vagitus, qui in-

Mat. 18. 3. 4. telligentibus verba illa inſonaret, *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ibi iam tum paupertatis onus animosè ferre cœpi, & ne mihi vacuum vllum tempus abiret, quò minus corpore poteram, hoc magis animo laborabam, actúſque interiores ſubinde eliciebam virtutum maximarum.

VII. *Et tenerioris ætatis.*

Aliquanto poſt tempore factus grandiuſculus, vtrique ſubditus parenti ſub feſta Paſchalia Ieroſolymam religioſè cum illis peregrinus adibam, ibique duodennis, admouere cœpi manus, ad negotij, quod acceperam à patre, procurationem. Domi autem vtrique ſtudioſius obſequebar, & ſubinde me vltro ad famulatum offerebam, verrebam domi, ignem à vicinis petebam, & publico ex fonte aquam. Si quando ex vſu erat, vt ad vicinos, cognatóſve perferrem nuncia, vel referrem, nuncium agebam perlibenter; aut matrem ſi quando foras prodibat promptulus comitabar, nunc ignem ad caminum fouebam, nunc menſam mappa ſternebam ad prandium, & eandem mox à prandio tollebam, & in deſtinatum referebam locum. Quæ omnia miniſteria ideo illi faciles permittebant, quòd illorum me viderent appetentem, & in iis ſingulari cum delectatione verſantem. Nam neque ipſo corpore otio torpere poteram, & maiore cum voluptate famulatum parẽtibus deferebam, quàm miniſterium acciperem Angelorum.

VIII. *Eius cum Ioſepho labores.*

Deinde cùm vires ætas ipſa & dies maiores attuliſſet, laboris S. Ioſephi in officina conſors eram; trabes cordula, creta aut rubrica tincta, deſignabamus, ſerra diffindebamus, tigna dolabamus, quæ modò acuebamus in cardines inſititios, modò excauabamus incaſtraturis; nunc iugis conficiendis dabamus operam, nunc aratris; vnde poſtea ſimilitudines in concionibus vſurpabam, huic menſam illi ſcamnum fabricabamus: & dum intentæ erant operi manus, mens nihilominus continenter rapiebatur in Deum.

IX. AVTOR. *Angelis admirabiles.*

Atenim, amantiſſime Ieſu, tu interim diſſimulas quoties beati Angeli ſuum tibi obtulere famulatum. Et certè difficile eſt æſtimatu, quanti gratiam illam facturi fuerant, ſi poſtulatis aſſenſum præbuiſſes. Sed iam tum opinor illud vſurpabas, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Dum interim illi ſtupore defixi nouum hunc Salomonem contemplabantur, non ex aureo ſolio edicta pronunciantem, aut ſapientibus mundum legibus gubernantem, ſed vile aliquod è ligno ſedile fabricantem, domeſtica vaſa, veſtéſque purgantem, aliáque id genus ſeruilia miniſteria obeuntem; maiúſque Angelis admirationis argumentum præbentem, quàm olim Salomon Reginæ Sabæ præbuiſſet. Egregiam nimirum operoſæ imitationis materiam Apoſtolis, cæteriſque viris Apoſtolicis præparabas, qui tuo ſpiritu, qui cum mundano planè pugnat,

afflati,

afflati, mirificè recreantur ac reficiuntur animis, dum in nosocomiis vilissima quæq; propter Deum ministeria obeunt, in pauperibus teipsum eximia fide agnoscentes, memores illius pulcherrimæ vocis, *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Mat. 25.40.

CAPVT XIV.

Publica, & communis Christi Domini vita, laboriosum eius amorem prodit.

I. AMOR LAB. *Laboriosum tempus prædicationum.*

TRANSEO ad tempus illud, quo Mundi Seruator publicam populorum saluti operam dabat: cuius à Baptismate Ioannis ductum est initium, vbi ille Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, in conferta Iudæorum multitudine demonstrauit, & cœlestis ipse Pater dignitatem eius atque autoritatem clarissimo testimonio patefecit, & Spiritus sanctus, sub columbæ specie, in ipsum insedit. Indéque ipse mox omnem Iudæorum regionem peruagatus, Messiam mundo, cœlesti doctrina prodidit, & prodigiis ingentibus demonstrauit. Totum id tempus, quod ferme quatuor annorum fuit, perpetuus labor fuit, in quo eum diuinus Amor continenter exercuit, sine vlla pene intermissione peregrinantem, multisque sæpe hominum millibus mediis in campis concionantem.

II. *Per totam Iudæam.*

Et ne singula enucleatius persequamur, repete memoria Hierosolymitanas eius peregrinationes, cæterásque Iudææ ciuitates, oppida, pagósque aditos, ad ipsos vsque Sidoniorum ac Tyriorum fines; cogita itinera per montes ac deserta loca, per lacus & flumina, per fidelium atque infidelium, amicorum & inimicorum terras, hyeme cum infesto frigore, æstate cum multo æstu, noctu diúque, sereno ac pluuioso cœlo decursa, sine vllo iumenti cuiuspiam aut vehiculi subsidio, tunc demum intelliges quàm laboriosus fuerit amor tolerantissimi Seruatoris; dicerem infatigabilem, nisi apud dilectum eius discipulum, ac socium peregrinationum legerem. *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Ioan. 4. 6. Sed fatigato corpore, animus perpetuò vegetus, atque infatigabilis persistebat, & cum Apostolo Paulo dicere poterat, *cùm infirmor tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 10.

III. *Inter improborum persecutiones.*

Quid molestiæ pertulit ac laboris, dum attentatum præcipitium, ac lapidationem deuitat, è templo negotiatores semel iterúmque pellit, non obiurgationi parcit, non flagello: nummulariorum effundit æs, mensas euertit, cathedras vendentium columbas disiicit, nec permittit vt quisquam vas aliquod, in vsum profanum, per templum transferat? Matt. 21. 12. Quid cùm, post gloriosissimam Lazari quatriduani suscitationem, Pon-

tificum ac Pharisæorum inueteratæ inuidiæ paulisper cedens, in Ephrem prope desertum secessit, ibique cum discipulis suis aliquandiu moratus, Hierosolymam triumphali ritu repetiit, vltimúmque Pascha celebrauit, ac finem peregrinationibus suis imposuit. Quis autem omnium itinerum, concionum, occupationum, contentionúmque molestias æstimare possit, quas ipse cum discipulis suis continentes ferebat? Testis
Marc. 6.31. paterna illa ad eos, ex animarum messe reuertentes, oratio. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant,*
Luc. 6.12. *& redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.* At ipse ne dormiendi quidem; quippe qui, post diurnos labores, pernoctabat in oratione Dei.

CAPVT XV.

Actuosus Christi amor in vsu operum misericordiæ.

I. *Christi labores, opera misericordiæ.*

NON solùm peregrinationes, ac cœterorum operum labores ostendunt, quàm fuerit laborum amans ac patiens Christi amor, sed multo magis ipsorum operum causa & incitamentum: quo fiebat vt in opera misericordiæ transirent, & diuinæ charitatis in proximum, cuius spiritali aut corporeæ miseriæ succurrebatur. Suscipiebantur enim hæ laborum molestiæ, primùm ad instituendos ignaros, atque informādos, sed ea scientia, quæ cœlo delapsa, in disciplinas omnes teneret imperium, non dignitate magis, quàm necessitate. Deinde castigandis peccatoribus, eorúmque oculis aperiendis, vt propriam superbiam, inuidiam, simulationem, cæterósque animorum morbos agnoscerent, & verum illorum medicum amplecterentur; Tertiò vt mœrentibus, & aliqua calamitate prostratis, consolationem adhiberet, & sustentaret
Mat. 11.28. labantes. Quo pertinet illa tam suauis, támque amica vox, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Aliáque deinceps longè suauissima, vt auderent peccatores ad eum recurrere confidenter, interiori motione inuitati; itáque eos factitasse, docet illa im-
Luc. 15.2. proborum atque inuidentium querela. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

II. *Præsertim spiritalia.*

Suscipiebantur præterea hi labores, ad aperiendum aditum consiliis Euangelicis, & legem Mosaicam ad maiorem absolutionem euehendā, ad persuadendam mundi vanitatem, contemptum, & fugam; ad cohonestandam titulo meritóq; beatitudinis voluntariam paupertatem, demissionem animi, mansuetudinem, obedientiam, cordis corporisq; munditiam: ad instillandum amorem pœnitentiæ & lacrymarum, patientiæ & ærumnarum, imo & beneuolentiæ ac magnificentiæ aduersus inimicos; ad ingenerandam animis commiserationem in pauperes, & ad tan-

tum odium contentionum & litium, vt iuuet potiùs de iure suo plurimùm cedere, quàm litigare. Eodem labore ferebat homines, ad collacrymandum miseris, & publica vel priuata calamitate prostratis; ad Dei offensiones, & peccatorum cæcitatem, ac peruicaciam deplorandam, eisque multa animi contentione, ac precibus spiritum à Deo germanissimi doloris & contritionis obtinendum: spiritum timoris Domini, & odij peccati, & vitæ laxioris in melius immutandæ: quò maximè Christi Domini conciones, & laboriosæ peregrinationes, nocturnæ diuinæque preces referebantur.

III. *Nec deest corporeis.*

Neque tamen defuit aliis misericordiæ operibus pientissimus Seruator, quantum suscepta vitæ ratio, paupertásque voluntaria permittebant. Nam semel iterúmque multis personarum millibus de cibo prouidit in desertis locis: operámque nauauit, non tam inuisendis ac consolandis ægris, aut vinctis, quàm illis mirabiliter verbo, tactúque persanandis: & istis, quos ante multos annos fortassis Satanas alligauerat, à vinculis, quæ sub aspectum non cadunt, expediendis, ipsómet Satana in turpem fugã coniecto, si quando is cum ipsis animis, etiã corpora habebat in potestate. Non ponebat operam in mortuis sepulturæ mandandis, sed in eisdem ex inferis pro potestate suscitandis; non pauperum ære alieno præsente pecunia dissoluendo, sed proprio sanguine, vitáque diuina creditori Deo sacrificij nomine offerẽda: vt qui agnus Dei erat, & æterno sacrificio & sacerdotio destinatus: non nudis tela pannóve operiendis, sed tegendis, atq; abstergendis corã Deo peccatis, & peccatore, non æterno solùm pudore liberando, sed gratiæ quoq; & gloriæ splendissimo amictu vestiẽdo. Psal. 109.

IV. *Quippe totus ipse misericors.*

Sed quid mirum mundi Seruatorem misericordiæ opera in terris tam egregiè præstitisse? cùm ipsamet eum misericordia deduxisset in terras, quas miseriis vndique redundare cernebat. Id nimirum gratulabundus in cantico suo Zacharias prædicabat, *Per viscera*, inquit, *misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Dedit & scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum eorum: non nescius homines non esse soluendo, siue debitores essent quinquaginta denariorũ, siue quingentorum. Hac igitur indulgentia & liberalitate vsus est, per viscera misericordiæ suæ. Quæ sunt ista viscera, nisi mitissimum cor Emmanuelis nostri, fratrum suorum amore inflammatum? nisi diuini pulmones, qui nihil respirant aliud, nihil suspirant, aut inspirant, nisi quod humanam salutem promouere possit: nisi diuinum iecur quod sanguinem fingit ac figurat, quem claui & lancea, quem spinæ, & flagella, ab omnibus corporis educta partibus, sparsura erant peccatis abluendis. Luc. 1. 78.

V.

Hæc erant ad miserationem tam propensa viscera; quæ ingemiscebant, quæ coarctabantur, quæ amarissimum calicem perpessionum, & mortis acerbissimæ sitiebant, & baptismo grauissimorum dolorum baptizari cupiebant, qui sunt illi diuinæ iustitiæ fluctus, de quibus Dauid, *Super me*, inquit, *confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos indu-* Psal. 87. 8.

Ion. 2. 4. *xisti super me*: quod Ionas quoque de ventre balenæ clamans repræsentabat. Hæc erant illa viscera, quæ ad viduæ lacrymas vnigeniti mortem deplorantis concussa sunt: sicut & ad sororum fletus in fratris funere lamentantium; ad conspectum denique Hierosolymitanæ ciuitatis, cui suprema calamitas imminebat. Sed multo maximè, in contemplanda totius generis humani ruina, commota sunt illa viscera, quæ criminosis non atrox debitúmque supplicium, sed laboriosissimum misericordiæ opus exhibuerunt.

CAPVT XVI.

Misericordiæ opera, quæ corporibus impenduntur, in sacrosancta Eucharistia à Christo Domino vsurpata.

I. *Eucharistia opus misericordiæ.* ETSI maximè cupio propositam ac promissam à principio seruare breuitatem, res tamen ipsa nos ducit ad cœleste Christi conuiuium, opus misericordiæ planè singulare, quod tacitum prætererire sit nefas. Conuiuium miseris, ac fame laborantibus exhibitum ab amantissimo

Luc. 14. 20. instructore conuiuij. Quod ipsemet haud obscurè significauit, in illa parabola hominis cuiusdam, qui fecit cœnam magnam, & inuitatis multa tergiuersatione vtentibus, iussit seruos obire vicos ac plateas ciuitatis, foras etiam exire, vias & sepes obambulare, & pauperes ac de-

Ver. 21. biles, cæcos & claudos in domum suam introducere, vt præparato conuiuio perfruerentur: consentaneè iis, quæ ipse paulo antè suaserat diuitibus conuiuia celebrantibus. Videtur autem Dominus in hac cœna magna, non solùm opera misericordiæ exercere voluisse, sed is etiam ipsemet fieri, in quem opera misericordiæ exerceri possent, vt & ipse ex misericordi amore ageret, & fieret alienæ charitatis obiectum.

II. *Et destinata humana miseria subleuanda.* Omnes homines, si bene se norunt, inopes sunt in hac vita, tantáque simul imbecillitate premuntur, nihil vt facere possint, ipsi per sese, si eius auxilio destituantur, qui verissimè pronunciauit, *Sine me nihil potestis facere.* Nihil locutione facilius, nemo tamen potest dicere IESVS

2. Cor. 3. 5. sine Spiritu sancto. Non potest quis non cogitare aliquid. Negat Paulus nihilominus posse nos cogitare aliquid ex nobis, sed omnem efficacitatem à Deo proficisci. Si ergo tanta infirmitate atque inopia nihil miserius fingi potest, nónne iis subleuandis opera misericordiæ rectè conferentur? Quod si fortè nos diuites credimus, tanto maiore opprimimur egestate, qui iudicio quoque, ad penuriam nostram agnoscendam, destituti sumus. Audi enim Spiritum Dei in Apocalypsi loquentem aduersus

Ca. 3 17. eum, qui se diuitem dicebat & locupletatum, & nullius egentem. *Et nescis,* inquit, *quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Homo pauper est ac mendicus, nec erubescit quotidie illam iterare vocem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, etsi ad illum acquirendum quotidiano sudore madet. Israëlitæ Moysi in deserto fame suadente obstrepabant, quibus nihilominus manna largitus est Dominus, in figuram diuinæ Eucharistiæ, quæ panis vitæ, & cibus immortalitatis appellatur; quippe *qui manducat hunc panem*, ait Dominus, *viuet in æternum.* Hebræi panis nomine cibum omnem intelligere solent; manna proborum palato omnem ministrabat saporem: Eucharistia, omnem gratiarum copiam, ac deliciarum spiritalium religiosè sumentibus communicat, & implet illud Virginis oraculum, *Esurientes impleuit bonis.* Quin etiam aliquos Sanctorum legimus, perquam diu sola Eucharistia victitasse, & nominatim S. Catharinam Senensem, quæ illius fame cruciabatur, vt cæteri esurie communium ciborum.

III. Famelicis nutriendis.

Ioan. 6. 59.

Iam verò alterum misericordiæ opus de pauperibus potu reficiendis, Deus olim vsurpauit in deserto, nunc aquarum amarore abstergendo, nunc eas eliciendo ex saxo durissimo, omnémque in regionem, & locum deducendo, quem cœlestis ille hospitiorum designator, sistenda nubis columna, notasset. Nimirum in Eucharistia maximè impletur liberalis illa Domini promissio, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ibi amaræ rerum aduersarum aquæ dulcescunt: ibi immoderata diuitiarum, honorum, ac voluptatum sedatur sitis; quæ in fontem mutatur aquarum viuentium, quæ hominem in huius vitæ peregrinatione comitantur, dum cum eo resiliant in vitam æternam. vbi implebitur illud, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*, quæ est ipsa gloria, quæ huius diuini sacramenti gratiæ succedit.

IV. Restinguendæ siti.

Ioan. 4. 15.

Psal. 35. 4.

Vice quoque versa Dominus hospitalitatem erga se exerceri cupit. Est enim ipse beatorum illorum princeps & caput, de quibus scriptum est, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Esurit quippe iustitiam ac perfectionem nostram, esurit charitatem, eáque reipsa nutriri cupit, cum hospitio à nobis accipitur, non verbis aut promissis, quibus fames aut sitis satiari non possunt. Eius amor actione delectatur, talem quoque nostrum esse desiderat. *Ecce sto ad ostium*, inquit, *& pulso*, vltro ipse se offert ad hospitium, dum homines etiam inuitati, varias excusationes prætexunt, ne iura hospitalitatis, & auitæ amicitiæ violasse videantur, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, ego ero ipse cibus & potus, & ipse mihi; & mutua vterque delectatione perfruemur in hoc conuiuio, sed ipsius vnius erit vtilitas, ipse enim mutabitur in me, imitatione iustitiæ meæ, amoris & sanctitatis.

V. Ibi ipse quoque accipitur hospitio.

Matth. 5. 6.

Apoc. 3. 20.

Hospites in hoc mundo sumus atque peregrini, in eóque tanquam hospites & peregrinos viuere iubemur, & rectà in patriam cælestem tendere. Proficiscentes hospitio & conuiuio accipit tanquam alter Abraham, vrgétque vehementer ne oblatum beneficium repudiemus, sed

VI. Et accipit peregrinos.

1. Pet. 2. 11.

vituli potiùs ſaginati participes ſimus; ipſe nobis viaticum eſt, ipſe idem
Pſal.30.4.& 22.4. dux & comes. Idipſum ſperabat Dauid, cùm diceret, *propter nomen tuū deduces me, et enutries me.* Et alibi, vmbrā mortis & præſentiſſima pericula prouocat ad certamen, ſi dominum ſocium habuerit & adiutorem, & baculo ſuo tanquam peregrinus nitatur, & de menſa eius cibum ſu-
Pſal.22.4. mat, *Nam & ſi ambulauero*, inquit, *in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Ser-
Fitque ipſemet peregrinus. uator quoque eſt in hoc ſacramento peregrinus, non lumine amictus ſicut veſtimento, vt in regia ſua, ſed albo & rubro ſpecierum colore, vt qui in hac vita peregrinantur. Hoſpitio eum accipimus, & cibo paſcimus, quo maximè delectatur, nimirum obedientia, de qua dicebat olim,
Ioan.4.34. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Damus & in potum lacrymas, quas animi dolor & deuotio exprimunt; quietem quoque illi præbemus in medio cordis noſtri, vbi molle ac mundum cubile inueniat, quod ei puritas & manſuetudo ſtrauerunt. Nequaquam illic commoratur gratis, ſed ſymbolam ſoluit ſanè luculentam.

VII. *Nudos induit, & induitur.* Induit quoque Dominus in hoc ſacramento nudos, cùm homines puſillo animo induit fortitudine; Eſt enim Dei virtus, vt teſtatur Apoſtolus; ideóque iubebat Apoſtolos Hieroſolymis non diſcedere, donec induerentur virtute ex alto: eadem enim eſt filij & Spiritus ſancti virtus. Et
1. Cor.1.24. S. Chryſoſtomus aiebat Chriſtianos à diuina menſa ſurgere tanquam leones flammas ore iaculantes, ad inſultandum tyrannis, & martyrium ſubeundum. Hic eſt nouus homo quem iubet Apoſtolus induere, Induimini, inquit, Dominum Ieſum Chriſtum, & cum eo omnium virtutum armamenta. Homines quoque hic Seruatorem induunt ſacramentalibus typis, quorum opera in corde noſtro animæ locum tenet, quam corpore noſtro tanquam indumento veſtimus: iuxta illud Apoſtoli, & habitu inuentus vt homo. Et rurſum illud de mortali corpore dictum eſt,
2. Cor.5.4. *nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri*, gloria immortalitatis, ſi quo modo fieri poſſet.

VIII. *Ægros inuiſit ac ſanat.* Ægri ſumus, & magna corporis animíque infirmitate laboramus, ex eáque ſępè delinquimus, perturbationes animorum non rarò nos in peccata præcipitant. Seruator mundi medicus eſt, vt ipſe de ſe confeſſus eſt
Luc.5.31. iis, qui eius cùm peccatoribus conſuetudinem improbabant: *Non egent*, inquit, *qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.* Inuiſit ergo medicus ægros, eiſque dat pharmacum, quo non vires modò, ſed ipſa quoque vita renouatur. Eſt enim hic cibus fortium, quo roboratur animus ad peruincendos omnes aduerſariorum, quamuis acres ac violentos incurſus, nec permittit nos eorum ſeruile iugum ex ignauia noſtra ſubire, adeò vt ne mortem quidem reformidemus, ſed optemus potiùs, & cum Paulo
Pſal.119.5. dicamus, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Et cum Dauide, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.*

Seruator quoque in hoc Sacramento, quamuis gloriosus alioqui & immortalis, iniuriis aëris, hominum, dæmonum, bestiarum obnoxius vltro effectus est. Ergo magna inuisendus est cura, ne quid in eum indignum tanta maiestate perpetretur: quandoquidem eam ipse subiit imbecillitatem, vt fieret hominum cibus. Parentes, qui filium ediderunt in lucem, eum peculiari ratione inuisere, ac fouere tenentur, si quo modo eorum ope indigeat. Itaque sacerdotum est, qui esse sacramentale Seruatori dederunt, illum in sacra pixide subinde inuisere; ibi enim quasi in lecto iacet, vt æger ab amore animarum sanctarum; illum ergo ipsæ quoque, in signum mutui amoris inuisant, & nunc ab eo peramanter inquirant, num qua in re opera ipsarum indigeat, nunc suas illi ægritudines aperiant, dicántque cum sororibus illis, *Ecce quem amas, infirmatur*, aut suum cum Petro illi amorem fateantur, petántque nulla vt vnquam tentatione violetur. IX.

Ibidem infirmus ipse visitari cupit.

Clausi tenemur in huius corporis ergastulo, malorum habituum constricti vinculis, & pondere peccatorum oppressi, vt dicere liceat cum Dauide, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Ipsum quoque *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Filius Dei inuisit nos in nostro carcere, habitu ementito, vt liceat nobis in illam gratiarum actionis vocem erumpere, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ingressus est autem in hunc humanitatis nostræ carcerem, vt peccatorum onus à nostris humeris transferret in suos: *peccata enim nostra ipse portauit*, vt ait Esaias. Eámque charitatem, pro pignore esse voluit, vt persuasum esset hominibus, reformaturum ipsum *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, vt eandem cum ipso gloriam aliquando, immortalésque dotes participet. X.

Vinctos inuisit ac soluit.

Psal. 37. 5.
Sap. 9. 15.
Psal. 115. 17.
Cap. 53. 11.
Phil. 3. 21.

Sed apparet quoque ipsum Dei filium, vt nos è carcere educeret, in ipsum vltrò carcerem penetrasse, vt ille posteà miles, quem S. Ambrosius vehementer commendat, qui cùm esset adolescentior, & pudori Antiochenæ virginis, quæ in magno discrimine versabatur, consultum vellet, carcerem adiit, virgini vestium commutationem persuasit; cum quibus illa euadit, iste comprehenditur, & martyrio coronatur. Apparet, inquam, Christum in capsis argenteis, quasi in carcere contineri, cùm ibi & in tenebris sit, & in sacro tabernaculo clauibus obserato teneatur. Huc illum coniecit diuinus amor suus in homines, & studium dissoluendi eorum æris alieni, cuius causa se constituit vadem. Ergo, quod Sapiens admonet, gratiam fideiussoris nostri ne obliuiscamur, dedit enim pro nobis animam suam. Quòd minimum est, illum à nobis in carcere suo visitari par est, illi ibidem agendæ sedulo, habendæque gratiæ; pergratum illi erit, pérque iucundum id officij genus, quamuis tot tantísque nominibus debitum. Sed & illum mihi recorda- XI.

Séque ipse carceri mancipat.

L. 2. de virg. sub finem.
Eccl. 29. 20.

re carcerem humani pectoris tot sordibus inquinati, in quem detruditur filius Dei nobilissimus atque pulcherrimus; & vide vt ne commiseratione tangare si potes.

XII. *Sepelit mortuos, ac sepelitur.* Rom. 6.4. Colos. 2.12. & cap. 3.3.

Scribit Apostolus Christianos per baptismum cum Christo esse sepultos; quidni & per diuinam Eucharistiam, qua religiosæ animæ mundo moriuntur improbisque cupiditatibus, quorum vita in Christo abscondita est, qui huiusmodi sepelit appetitus, nec malè pullulare finit, efficitq; vt præclara initia felici exitu terminetur. Mortui quoq; & sepulti in Christo dici possunt, qui extra se in Cõmunione fiunt, quòd plerisque Sanctorum non raro vsuuenit, cùm sponsi deliciis atque amplexibus pares esse non possent. Nónne idem Seruator in hoc sacramento se gerit instar mortui, qui nullum vitæ indicium ad ipsum accedentibus præbeat, qui in humano stomacho sepeliatur, dum reddat aliquando gloriosum sepulchrum suum. Idem ipse est frumentum electorum, quod in bonam terram proiectum moritur, & reuiuiscit, & conciliat humanis corporibus iteratam vitam.

CAPVT XVII.

Spiritalia misericordiæ opera à Christo in eodem Sacramento exercita.

I. *Philosophos arcana multa docet.* Vide Less. de Perf. di. l. 12. c. 16.

SED spiritalia quæ dicuntur opera consideremus, Principiò numeratur Ignorantium eruditio; Quàm multa Philosophi Christiani mirabilia in hoc sacramento, posita fide, didicerunt, quæ ethnicos Philosophos omnino latent, & in iis quæ fieri non possunt numerantur? Itaque fieri posse discunt vt rei alicuius, putà panis, materia, forma, existentia penitus esse desinat, non secùs ac si huiusmodi substantia in nihilum redigeretur, & consumptis accidentibus nouam produci materiam, quæ illis substernatur. Discunt accidentia nouum acquirere subsistendi modum, sine vllius substantiæ adminiculo, & posse recipere in sese, quod ipsa substantia reciperet, si præsens adesset. Discunt fieri posse vt corpus animatum locali distentione ac commensuratione careat, vt eodem puncto temporis sit in pluribus locis, totidem videlicet quot tot orbe Christiano Eucharistia reperitur. Discunt nihil cum rerum natura pugnare, vt id corpus quod vno in loco, puta cœlo, vita fruatur & gloria, iterùm verborum diuinorum mirabili efficacitate producatur, perinde ac si nullibi-iam existeret.

II. *Et effectus diuinorum attributorũ.*

Discunt & alia complura, quæ breuitatis causa missa facio, & à Theologis, qui in hoc argumento versantur, peti possunt, vt alia attingam, quæ ad vitæ institutionem moréſque pertinent. Neque enim vnquam in hominum aut angelorum mentem venire potuisset, Dei misericordiam, bonitatem,

bonitatem, liberalitatem, potentiam tantam esse posse, vt sese diuinum corpus in cibum potúmque informaret. Ibi plurimi difficillimis de rebus obscurísque edocentur, & ex lubrico & ancipiti loco, traducuntur in certum. Cùm enim ibi Dauidicum illud piè iterarent, *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*; saluberrimum religiosæ vocationis consilium agnouerunt, séque diuino famulatui penitus consecrarunt, seculi vanitate contempta. Ab eodem quippe cibo vires acceperunt, vt facinus tam heroïcum susciperent, exequerentur, & ad vltimam vsque absolutionem deducerent. Eodem epulo cõtinenter recreati, perseuerantiæ donum obtinuerunt, quo ad æternas epulas feliciter deducti sunt.

Viri misericordes consolantur eos, qui rebus vrgentur aduersis. Eucharistia vnicum est perfugium religiosis mentibus omnibus perturbationibus, quæ illis à cacodæmone, aut ab improborum cœtu, aut à propria infirmitate contingunt; ibi anxias cordis sui curas in amantissimi sponsi manus exonerant, eiúsque suauissimæ prouidentiæ committunt. Ibi vel maximè panis ille cœlestis cor hominis confirmat, quod & vinum lætificat, tam abundanter, vt delectationis copiam corporis imbecillitas ferre, aut angustiæ satis capere non possint; ibique verè dictum agnoscunt, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Contra verò, ex huius cibi priuatione plurimùm oritur, vt animus aridus, & solatij expers fiat. Testis regius ille vates, *Percussus sum*, inquit, *vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*.

III. *Consolatur afflictos.*

Psal. 103.15.

Psal. 93.19.

Psal. 101.5.

Quoniam verò in misericordiæ operibus ipsa peccatorum castigatio numeratur, certè Paulus ipse testatur plerosque Corinthi morbis fuisse mortibúsque tentatos, propter indignam Dominici corporis sumptionem; significátque nihilominus pœnam hac vita circunscriptam fuisse, neque ad æterna supplicia, Deo miserante progressam. Quin hæc ipsa misericordia animabus alia quadam ratione monstratur: quæ cùm Dei timore non careant, idoneam tamen ad hoc conuiuium præparationem non afferunt; itaque solitum illis delectationis sensum adimit; quoniam huiusmodi negligentia, aliisque id genus peccatis, feruor charitatis intepescit. Neque tamen, frigidæ eiusmodi actionis meritum pius ac liberalis conuiuij instructor eripit. Cibus quippe fructuosus, ab ægri palato in stomachum sine delectatione traiicitur, sed stomacho comprehensus vires exerit suas, & naturæ imbecillitati nouum robur impertit.

IV. *Peccata castigat.*

1. Cor. 11. 10.

Quòd si misericordia etiam in veniæ facilitate cernitur, eam quoque in Eucharistia Seruator exercet. Cùm enim etiam peccata lethalia bona fide ignorata illic obliterẽtur, quamuis id veri doloris animi sit propriũ, quid de cæteris minoribus, quibus venia facilè tribuitur, æstimari potest? Hoc diuinũ sacrificium impetrat à Deo atq; exorat spiritũ contritionis.

V. *Peccata delet, próque iisdem satisfacit.*

Trid. seß. 22. cap. 2. Deus enim hac sacrosancta oblatione placatus, pœnitentiæ donum concedit, & simul grauia etiam peccata remittit. Ergo & sacrificium propitiationis est, & nouæ legis hostia pro peccatis. Maximè autem in pœnæ satisfactionem valet, quæ substituitur æternæ, quæ lethifero peccato debetur. Nam Christi Domini satisfactio applicatur in eorum gratiam, pro quibus offertur, siue viuentibus, siue vita functis, ea quam dominus definiuit æstimatione. Atque ita Seruator admirabili patientia multas ineptias, atque iniurias in hoc sacramento patitur; pro quibus ipsummet deinde satisfacere, non minùs admirabili benignitate necesse est. Sicque id quod vulgò dicitur contingit, vt qui iniuriam accepit, etiam mulctam luat. Eodem planè modo, quo adolescentes inuitis parentibus multa peccant, quos tamen filiorum noxæ denique satisfacere necesse est.

VI. Conclusio Amoris Actuosi. O singularem, atque omni prædicatione dignissimam misericordiam tuam, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, ne permitte obsecro, vt in vllius operis labore, pro tua gloria suscepto, aliquando defatigemur, quando laboriosæ istæ exercitationes tuæ in totam mortalem hanc vitã, vltimámq; ipsam posteritatem propagandæ sunt. Nolo ita desipere, vt ad laborẽ aliquem corporis animíve sustinendum vocatus, si illum subterfugiã, strenui amatoris nomẽ retinere me posse putem. Nolo ea lege ac cõditione in discipulis tuis censeri, vt hîc in triũphali solio sedeam, siue ad dexteram, siue ad sinistram tuam. Absit à me vt albo amicorum tuorum me dignum putem, si opella nescio qua tui gratia confecta, quam primùm labore infractus langueam, si præsentis aut præteriti oneris grauitatem vel detrectem, vel querar: cùm hoc ipsum potiùs in magnis beneficiis tuis numerare debeam, quòd tui gratia multùm laborare licuerit, multis distineri occupationibus, multam promereri in cœlo mercedem.

VII. Et ad Deum oratio. Nostri omnes labores, totidem beneficia tua sunt Deus meus: & quotquot extiterunt labores tui, totidem nomina sunt, quibus tibi ad grauissima quæque opera obligati, atque obstricti sumus; totidem quoque argumenta laboriosi amoris tui, qui nullum imponet labori finem, donec illic amicos suos collocarit, vbi finem accipit omnis labor O anima religiosa, quam tot negligentiarum in Dei famulatu, conscium pectus exasperat, accusatque iniustissimæ parcitatis, in exequenda diuina voluntate, absolutissimáque & irreuocabili deditione cordis tui, recordare Actuosum esse amorem diuinum, sempérque in corde tuo inquietum fore, donec, singulari præueniente atque obsecundante Dei gratia, totam te in illius sinum profuderis, vt cum eo nobilissimi illius Amoris opera exerceas, qui nunquam otiosus esse aut vult, aut potest.



LIBER DECIMVS-TERTIVS.

De diligentia Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio noni filij Charitatis, cui nomen Amor feruidus, promptus ac diligens.



VLIVS Cæsar qui princeps Romanum fundauit imperium, cùm significare vellet quàm celeri, quámque expedita diligentia prouinciam Ponti subegisset, scribi iussit in tabula, quæ in summo curru triumphali affixa erat, *Veni, vidi, vici.* Rectiùs vtique & victoriam & eius celeritatem summo Numini, exercituum ac victoriarum Deo, si eum rectè nosceret, attributurus. Quæ causa fuit maximo ac religiosissimo Imperatori Carolo quinto, cùm breuissimo tempore Germaniam subegisset vniuersam, omnésque illius dynastas, ac principes sibi reddidisset obsequentes, vt ad summum Pontificem Romam scribens, ita Cæsarem illum imitaretur, vt Christianè corrigeret, dicerétque, veni, vidi, Deus vicit: religiosè agnoscens ac prædicans tantum opus, tantáque celeritate confectum, illi vni tribuendam, *qui facit mirabilia magna solus.* Quod sic extulit Propheta regius, quòd præclare nosset permodicam esse in huiusmodi facinoribus hominum operam, si cùm primæ causæ, quæ omnia mouet, digerit, componit, & ad optatum deducit exitum, actione componatur.

I. *Diligentia vniuersè laudabilis est.* AVTOR. Psal. 135. 4.

Hæc porro velox atque expedita diligentia, quæ in Dei gloriam, hominúmque redundat, effectus quidam est amoris illius, quo Deus illum prosequitur, quem statuit efficere gloriosum; cuius opera atque interuentu vtitur, ad mirabilia opera sua perpetranda. Est & illius amoris effectus, qui hominem ducit atque instigat ad gloriam, & quasi admotis calcaribus magnis itineribus properare iubet, imò currere ac volare, vt

II. *Et amoris effectus.*

Amor actuosus & promptus vt differant. id quod studiosè sequitur assequatur; quod consequens oratio facilè demonstrabit, quam habebit nonus filius Reginæ Charitatis. Et cæterorum quidem, qui hactenus prodiere, germanus est, Actuoso verò, qui proximè antecessit, germanissimus, nec tamen idem. Potest enim aliquis nunquam ab opere desistere, quòd tamen languidè semper atque negligenter gerat, nunquam in ambulando gressum acceleret, aut in agendo manum. Potest & quis alioqui cessator, dum in opere est agere diligenter, & priorem cunctationem, posteriore celeritate compensare.

III. *Descriptio prompti Amoris.* Erit igitur hic nobis Charitatis filius ordine nonus, cui ab Amore diligenti ac feruido inditum est nomen, ætate florida iuuenis, qui vultu ipso, atque incessu, totáque externa specie vegetum quid feruidúmque demonstrat. Rutila erat cæsaries, oculus hilaris ac viuidus, totus faciei, reliquique corporis color, album inter & fuscum. Alas gestat in humeris ac pedibus, adeóq; ipsis in manibus, cum hoc elogio *Amor addidit alas*. Tunica succinctus est breui ac volatili, in qua apparebant alæ, & flammulæ, opere plumario in quincuncem acupictæ. Globum cælestem manu sinistra gerit, diligentiæ ac celeritatis argumentum, quòd orbes illi incredibili pernicitate cieantur. Telū fert dextera hoc elogio circunductum. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.*

IV. *Propositio dicendum.* Propositum habet in vestigio fratrum pedem ponere, doceréque se germanam esse charitatis sobolem; diuinum amorem promptum esse ac feruidum; talem sanctorum virorum amorem in Deum ac proximum, cùm res tulit, semper extitisse; Dei ipsius in mortales amorem, in primisque Christi Domini minimè lentum esse, sed flammeum totum, atque flagrantem. Sed priùs de more ostendemus, hanc proprietatem incitatæ actionis, Amori vniuersè sumpto conuenire; quod simul ad illustrandum propositum diuini Amoris, atque institutum valebit.

CAPVT II.

Amorem vniuersè sumptum promptum esse, diligentem ac feruidum.

I. *Promptitudo & diligentia Amoris effectus.* NISI aperta ratio, atq; experientia huius assertionis, omnium oculis esset mētibúsque proposita, multum operæ fortasse ponendum esset ad docendum, amorem rei alicuius causam esse studij, promptæque diligentiæ ad illam obtinendam: id tamen demonstrandum est paucis, vt cùm ad ipsius rei lumen, hoc alterū orationis lumen accesserit, iis quoq; res illustris fiat, qui vel affectionis huius vim ac naturā parum considerarunt, vel mentem suam, ad ipsius experientiæ contemplationem, non reflexerunt. Nulli certè dubium esse potest, quin amoris affectio

præsenti bono cum iucunditate iungatur, & si id abesse contigerit, illud appetat, & ad eo fruendum quàm promptissimè licebit, desiderio feratur: cùm in eo positum sit amoris bonum, quod ægerrimè patitur vel tantillum differri. Hæc mens erat ac sensus S. Bernardi. Cùm præsto est, inquit, quod amatur viget amor, languet cùm abest. Quod, non est aliud quàm tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quod amat, dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem.

Amor ignis est, hoc ei nomen sacræ literæ tribuunt & prophanæ. *Lampades eius*, ait Salomon, *lampades ignis atque flammarum*; & alibi Sapiens alius ait concupiscentiam quasi ignem exardescere. II. *Igni similis celeritate.* Cant. 8. 6. Eccli. 9. 9. 11.

Ebrietas & amor, ait Poëta quidam, *ignis in igne furunt*,

Et alius, *Incendit Reginam, atque ossibus implicat ignem.*

At notum est ignem calidum esse, ac mobilem, rapidum, volucrem, concitatum, & breuissimo tempore magna locorum interualla decurrere ac peruolare; domos, segetes, totásque syluas vento obsecundante depasci. Vides quanta celeritate fulgura, ab ortu ad occasum vsque decurrant; & quanto impetu fulmen atris ex nubibus erumpens, inuadat in terras, obuiáque momento concutiat, dilaceret, ac disturbet? Vides vt subterraneis inclusa flamma cuniculis, ingentes turres, ac propugnacula immensæ molis, imis eruta fundamentis in cœlum excutiat, tanta celeritate, quantam vix oculi consequantur. *Vt vidi, vt perij*, ait ille. Et sicut ignis non solùm feruorem habet in sese, sed aliis quoque dissimilis admodum naturæ communicat; candet enim ferrum, & aqua efferuescit; sic & amoris affectus etiam frigentibus calorem, & tardis insuetam atque ignotam celeritatem impertit.

Residet amor in cordis natura sua calidissimi, penetralibus, vnde vitalis omnis calor in membra omnia proficiscitur ac dimanat. Si quando ergo affectus hic in adyta illa penetrauerit, si quem ferri instar frigentem tardúmque repererit, aut admodum glaciei concretum, breui ebulliet illa glacies, breui incandescet id ferrum. Idem quoque valet in amore diuino, licet is spiritalis sit, & in voluntate resideat; sine corpore enim suis muneribus fungi non potest, & eius calore ita iuuatur, vt quendam inde vigorem accipiat. S. Xistus Martyr ac Pontifex dicebat S. Laurentio, validam ac vegetam iuuentutem eius gloriosiore martyrio coronatum iri, se vt senem leuiore pugna morte defungi. Eodem quoque referri potest illud Catonis, qui gratias agebat senectuti, quòd voluptatum vinculis solutus esset. III. *Amoris celeritas ex subiecto petita.*

Huic quoque diligentiæ fauet ac famulatur timor. Qui enim aliquem vehementer amat, nihil æquè timet, atque opinionem amici sui, qua is se parum amari suspicetur; lenta verò & languida officia, non leuia sunt exigui placendi studij, & amoris argumenta. Hinc ergo existit ille feruor, de quo agimus, & prompta diligentia; quæ viceuersa magnitudi- IV. *Cui famulatur timor.*

nem amoris prodit, quando is ita colitur, vt id vnum agi, curari, cogitari videatur. Hunc amantis diligentiā elegāter expressit Poëta hoc carmine:

Iussus adesse foro, iussa maturius hora
Fac semper venias, nec nisi serus abi.
Occurras aliquò tibi dixerit, omnia differ,
Curre, nec inceptum turba moretur iter.
Rure erit, & dicet, venias, amor odit inertes,
Si rota defuerit, tu pede carpe viam.
Nec graue te tempus, sitiensue canicula tardet,
Nec via per lapsas candida facta niues.

Et alibi.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Qui non vult fieri desidiosus, amet.

V. *An otium ab amore sit.* At enim, dicet aliquis, malè sibi constat hic Poëta, qui alibi dixerit,

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Hunc enim illa fouent atque sustentant.

Et rursum, ----- *Finem qui quæris amori,*
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

E. 16. 49. Et ne quis profanos causetur autores, Ezechiel propheta inter causas improbitatis, ac ruinæ Sodomorum, otium numerare non dubitat. Ignauos reddere atque inertes, docet ille pastor, qui hoc se nomine accusat. *Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.*

Accusatur & Dido, quæ isto affectu capta, omnia ciuitatis regiæ munimenta, bellácique rudimenta missa faciebat.

Æneid. 4. *Non cœptæ*, inquit Poëta, *assurgunt turres, non arma iuuentus*
Exercet, portusue, aut propugnacula bello,
Tuta parant; pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquatáque machina cœlo.

VI. *Et quatenus.* Verùm vt hæc omnia vltro fateamur, nihil tamen hæc instituto nostro aduersantur. Neque enim asserimus Amorem reddere homines ad omnia promptos atque expeditos, sed ad ea duntaxat, quæ huic affectui fouendo, aut quærendo seruiunt. Nam pastor ille,

Tantum inter densas vmbrosa cacumina fagos
Assiduè veniebat, ibique incondita solus
Montibus & syluis studio iactabat inani.

Et Regina illa in peculiari causa sua,

Sæuit inops animi, totámque incensa per vrbem
Bacchatur.

Eiúsque imperio Anna soror sæpius ad Æneam ventitat, offértque iteratas preces. Cæterorum autem negotiorum atque operum studium, aut languet aut iacet. Nam non solùm,

Pluribus intentus minor est ad singula sensus,

sed si quando vni cuipiam rei penitus incubuerit, ad cætera parum aut nihil potest.

Eadem ratio eſt, ait Promptus Amor, Diuini amoris, atq; mũdani; quo VII.
enim plus minúſve hominẽ alteruter occuparit, hoc facilius aut res diui- PROM-
nas negliget, aut rerum mundanarũ obliuiſcetur. Dicam etiam amplius. PTVS
Nam qui ſe ex Dei amore diuinæ contemplationi impenſius dedidere, AMOR.
minus facilè ad vſum, exercitationémque deſcendunt; & vice verſa, qui *Vt amor ſa-*
in actione intentius occupantur, minus ad contemplandum valent, in re- *cer ac profa-*
bus æquè naturalibus ac diuinis. Huc illud Gilberti apud S. Bernardum *nus prõptus ſit aut lẽtus.*
pertinet, qui de Amore contemplationi dedito loquens, *Amor*, inquit, In Cant.
occupationum externarum impatiens eſt, ſuis ſatis habens inſeruire negotijs. ſerm. II.
Otio gaudet, quiete fouetur, ad internam delectationem libera habere tempora volens. Annon hoc ipſum tibi videtur ſponſa innuere, dilectum ſuum ad cubiculi ſecretum trahens. Nouit illa dilectum ſuum non poſſe foris ſecurè poſſideri, nec integrè quidem. Et quàm durum eſt amanti animum dimidiare cum Chriſto, & mundo? quàm durum eſt, inquam, in dilectionis iura peregrinas admittere curas, & cœleſte ſecretum ſecularibus infeſtare turbellis?

Addam & illud propoſitæ diſputationi tuæ, eum qui aliquid vehe- VIII.
menti amore proſequitur, eam rem habere pro fine, cætera ſunt illi ra- *Res amata*
tiones & viæ, & quaſi inſtrumenta vt finem illum aſſequatur: modúm- *finis.*
que ab illo, ac bonitatem accipiunt, & præ illo negliguntur. Quæ cauſa eſt vt veri Dei amatores, & perfectionis candidati cætera omnia miſſa faciant, ac valere iubeant, vt Chriſtum ſequantur; perſuaſi illa ad eum finem obeſſe potiùs quàm prodeſſe. Contra verò inanis ac caducæ pulchritudinis ſtultus amator, eius potiundæ cauſa, prodigit opes & copias, famam, ſanitatem, vitam ipſam, ac ſalutem æternam. His enim tanquam mediis abutitur ad illum finem. Age porro nunc ſi videtur, & Prompti
Amoris experientiam doce in rebus hiſce, quæ vulgò expetuntur, ada- AVTOR.
mandis, gloria, vtilitate, iucunditate. Res in promptu eſt, inquam.

Et primùm iure dixerim agendi celeritatem ad gloriam pertinere: eſt IX.
enim teſtis ingenij, ſolertiæ, atque expeditæ induſtriæ, quæ in humanis *Amor gloriæ*
bonis principatum tenent. Quod ſi glorioſum eſt, egregium aliquod ar- *promptus.*
tis opus, longo licet tempore perficere, quanto erit glorioſius illud ipſum, paucis diebus aut horis, reddere omnibus numeris abſolutum? Iſocrates eximius dicendi artifex non dubitauit publicè profiteri, ſe decem ipſos annos in ſcribendo panegyrico ſuo poſuiſſe, adeóque neque ipſum tam diuturni temporis pœnitere: quanto ſibi ad gloriam putaſſet illuſtrius, idem opus totidem diebus confeciſſe? Si quando in egregia quædam opera pictorum, ſculptorum, aurificum incidimus, miramur id quidem ac diligimus, nec de tempore inquirimus, multóne aut modico abſolutionem illam acceperit; conſtat nihilominus temporis breuitatem, operis gloriam atque admirabilitatem vehementer augere.

Eſt enim difficilius & rarius, & induſtriæ exquiſitioris, præclarum X.
opus promptè conficere, tardius autem, pene vulgare ac plebeium. Dat *Eius rei*
enim tempus perpoliendi operis facultatem, quod diu fortaſſe rude fue- *cauſa.*

De clar. Orat. rat, & inchoatum. Itaque negat Romanus Orator quidquam inuentum simul ac perfectum esse; id enim humanam superat industriam, ad diuinam accedit, quæ vt se ferè ad hominum captum ac modum accommodet, nullam tamen natura sua moram, cunctationémve desiderat. Si ergo, vt cætera sint paria, honorificentius est ad gloriam celerius agere quàm lentius, apparet amorem gloriæ in diligentiæ causis esse numerandam; & vniuersè amorem rei cuiusque, quantum quidem res ipsa ferat, promptum esse, atque diligentem; vt quamprimum bono potiatur, quod concupiuit.

XI. *Id docetur exemplis Pompeij.* Itaque Romani Imperatores magnum in eo momentum gloriæ militaris positum esse duxerunt, verè vt illud vsurpare possent, *veni, vidi, vici.* Quanto audientium plausu, quanta magni Pompeij gloria auditum est illud Oratoris elogium. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuisum atque dispersum, quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore confici posse?* Et paulo inferiùs, *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.* Sic ille piraticum bellum celebrat, quod toti Mediterraneo mari, quàm longè latéque patet, protendebatur.

XII. *Iulij Cæsaris.* Quid Iulius Cæsar, qui tot bella, toto pene Romano imperio, confecit, tot præliis, cum tot tantísque gentibus dimicauit, tot victorias consecutus est? nónne scriptores omnes in eo consentiunt, agendi celeritatem eas illi conciliasse, ac contulisse? Vna nocte ingentes exercitus ex vna prouincia in alteram transportabat, vnúmque locum priùs cum legionibus obsederat, quàm eò venturus esse crederetur: adeo vt cum ipsa fama, qua nihil est magis volucre ac repentinum, de celeritate certaret. Quanta velocitate pontes construebat, rapidísque ac latis fluminibus imponebat? Oppida vallo, fossa, aggeribúsque cingebat? hostem commeatu, omnibúsque auxiliis excludebat? Propheta Daniel de Alexandro magno verba faciens, déque ea celeritate, qua Græciam, Asiámque pene subegit vniuersam, & regna regnis victoriarum cursibus coaceruauit, ait illum ita faciem totius terræ peruolasse, vt *eam non tangeret*, significans illum tanta celeritate fuisse vsum, vt volare potiùs quàm ambulare, & præire auibus, non legionibus ad pugnam proficiscentibus videretur.

Alexandri.

Ca. 8. 5.

XIII. *Amor lucri diligens.* Quid necesse est illam eloqui celeritatem, quam diuitiarum amor mercatoribus suppeditat? Olim illud vulgo iactabatur,

Impiger extremos currit mercator ad Indos,

Cùm nondum ignota ad meridiem & occasum maria patefacta essent, quæ nunc ita classibus decurruntur, vt tota vastissimi oceani longitudo, qua patent omnia sola terrarum, breui tempore mensuretur: adeantúrq;

quotidie

quotidie fortunatæ illæ insulæ, quas vltimos mundi terminos statuebat antiquitas, adeantur & illæ aromatibus beatæ, sed & montes illi non frugibus, sed auro argentóque fœti, & littora gemmarum piscatu celebrata, nec iam vltima Thule, sed vltima Iaponia numeretur. Hic idem lucri amor studia literarum ita accelerat, vt ad doctrinæ apicem peruenisse tabulis obsignatis vulgò demonstrentur, qui eas vix à primo limine salutarunt; & qui tyrones adhuc sunt, in triariis censeantur.

Libertatis amor & voluptatis, homines trans maria instar piscium natatione transuexit, & transformauit in volucres, quasi naues currusve deessent, vel equi aut dromedarij malè sanum celeritatis desiderium æquare non possent. Ecquid est quod tam stupendam tygridi pernicitatem confert, quantam legere vel audire sine admiratione non possumus, præter ardentem catulorum amorem? Tygrin, inquit Plinius, Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, & maximè cognitæ dum capitur. Totus enim fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur, equo maximè pernici, atque in recentem subinde transfertur. At vbi vacuum cubile reperit, fœtu (maribus enim cura non est sobolis) fertur præceps, odore vestigans. Raptor appropinquante fremitu abiicit vnum è catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterúmque consequitur ac subinde, donec in nauem regresso, irrita feritas sæuit in littore.

VIV. Sicut & cæterorum.

Li. 8. c. 18. Tygris celeritas.

CAPVT III.

Diuinum Amorem mundanum diligentia, feruore, celeritate vincere.

PROMPTVS AMOR

IACTA sunt à te diligenter, ait Promptus Amor, fundamenta disputationis huius, quibus facile est inædificare, quæ de diuini amoris diligentia ac feruore dicenda sunt nobis, quæque illi potiori iure quàm humano, mundanóve conueniunt. Nam, quod tute superius attigisti, humani amoris, sicut & reliquarum affectionum, sedes est cor humanum; cùm diuinus amor, quæ est ipsa charitas virtutum nobilissima, ac regina, sedem habeat in voluntate, quæ est rationalis animæ facultas, illi cum angelis, ipsóque Deo communis, & hoc ipso spiritalis ac diuina. Si ergo voluntas, hoc ipso quod spiritalis est, promptior est atque expeditior ad agendum humano corde, quod reipsa terrenum est, & terreno pondere degrauatur, profectò fatendum est diuinum amorem, diligentia & celeritate humanum longè multúmque superare.

I. Probationes huius assertionis. Ca. 2. n. 3.

Quòd si placet vtriusque amoris originem contemplari, constat hu-

II. Ex origine vtriusque.

Gen. 22. 3. operi, ac ne lucis quidem exortum expectat, quippe *de nocte consurgit*, sternit asinum suum, socios itineris parat, & vix albescente cœlo se dat itineri, versus eum montem, in quo iugulaturus erat Isaacum suum. Nec testudineo, quod aiunt, gradu molitur iter, si forte interea, exiliat è cœlo nuncius, qui à Rege gratiam faciat innocenti.

III. AVTOR. *In hospitalitate.* AMOR. Gen. 18. 2. 6. Quanti ergo tu quæso istam diligentiam, in re tanta, támque difficili faciendam putas? Vicisti, mi Amor, vicisti. sed alia nihilominus exempla desidero. Possum, ait Promptus Amor, illam quoque eiusdem patriarchæ cōmemorare diligentiam, qua iam centenarius, iuit obuiam, imo, vt Scriptura loquitur, *cucurrit de ostio tabernaculi sui, in occursum trium virorum*, in ipso feruore diei peregrinorum specie prætereuntium; in iisque aliquid supra humanum modum agnoscens, procidit ad eorum pedes, exoraturus vt ad se prandij gratia venire ne grauarentur. Statimque voti campos, pari sua & Saræ diligentia eos conuiuio accepit. *Festinauit* enim *Abraham*, vt ait textus sacer, *in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, Accelera, tria sata similæ commisce*, &c. *Ipse verò ad armentum cucurrit & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit eum.* Audis festinationem iteratam, accelerationem, cursum, quasi beneficium non collaturus esset ipse alteri, sed accepturus. Et quod illustrius requiramus prompti Amoris argumentum?

IV. *In bello contra quatuor reges.* Gen. 14. Sed placet hanc diuini Abrahæ amoris celeritatem, in illustriori vulgò materia contemplari. Cùm enim accepisset Abraham regem Codorlahomorem, cum tribus aliis regibus, vallis illustris regionem latè populatos esse, post fusas fugatásque quinque regum copias, abductum Lotum nepotem, cum omnibus eius fortunis, ac cæterorum omnium, quos euerterat, ac perculerat belli clades. Apparebat rectè facturum Patriarcham, si alienam cladem ipse quoque tacitè ac patienter ferret; nec victorum regum exercitus, cum exiguo famulorum domesticorum manipulo, & modica fœderatorum manu, animosè magis quàm prudenter inuaderet. Tam difficilem tamen atque arduam expeditionem, diuino inflatu, animi plenus atque feruoris, promptissimè suscipit: illum manipulum 318. famulorum, & istam modicam fœderatorum manum armis instruit, cum iis victorem persequitur exercitum, eúmque paucis diebus assecutus, priusquam inuadat, prudentiam fortitudini sociat, omnémque ad victoriam incitat industriam.

V. *Eiusdē prudentia diligens.* Principio copiolas diuidit, pérque omnes aditus dispertit, ne hosti vllus sit fugæ aut auxilio locus; deinde vt pluribus simul ex locis impressione facta, perturbatus, nihil consilio agat, sed temerè omnia, vt sors tulerit, & improuisus persuaserit metus. Noctem quoque elegit ad pugnam, tum vt somno vinóque sepultos faciliùs opprimeret, tum vt ne illi copiolas illas, à quibus iniqua conditione inuadebantur, per lucem agnoscerent, animósque reciperent, Ergo simul ad arma vndique conclamatur atque concurritur, trepidatio, perturbatio,

cædes occupat omnia; nonnullis tenebræ commodam præbuerunt fugam, quos postridie Abrahamus celeriter consecutus confecit, ad prælii que locum reuersus, spolia copiosa collegit, nepotem saluum cum fortunis omnibus recepit, incolumémque reduxit. Eccui obsecro victoriam hanc, nisi Diuino Amori prompto ac feruido tribuamus? cui profana historia ægrè afferat vllam parem.

VI. *Gedeonis diligentia cōtra Madianitas.* Iud. 7. 13. &c.

Quid clarissimum illum Imperatorem Gedeonem referam? Is diuino instinctu visus est in somnis, sub figura subcinericij panis ordeacei, qui præceps in Madianitarum castra voluebatur, & tabernacula militaria percussit, atque subuertit, & terræ funditùs coæquauit. Omen id erat celeritatis, qua Gedeon innumerabiles Madianitarum copias erat profligaturus: in quas per nocturnas tenebras irruit tripartito, & clamore simul, ac lumine, & confractione lagenarum ita perterruit, vt castra omnia turbarentur, & milites partim vociferantes, vlulantésque diffugerent, partim mutua se cæde truncarent, Gedeone interea cum suis hostem summa diligentia persequente, & ad eandem reliquos Israëlitas incitante: adeò vt intra paucos dies, quatuor Madianitarum reges, & regni & vitæ extorres occumberent, Hebræi libertatem, post septem annorum durissimam seruitutem, recuperarent.

VII. *Et Iosue cōtra Amalecitas, & Amorrhæos.* Exod. 17. 9. 13. Iosue 10.

Iosue primus à Moyse Iudæorum Imperator, ipsóque etiam viuo Mose Chananæorum debellator, instituto nostro meritò seruiat, non solùm quando intra vnum diem numerosum Amalecitarum exercitum, Mose interim Deum deprecante, profligauit ac perdidit, ne vno quidem suorum amisso: sed tum maximè, cùm à Gabaonitis fœderatis præmonitus, de coniuratione quinque regum Amorrhæorum in perniciem populi Dei, quàm primùm coëgit, armauitque ipsum exercitus sui florem ac robur, tota nocte in hostem, Gabaonem arcta obsidione prementem, ducit, atque in eum irruit improuisus; Deo interim ex alto infestam eiaculante grandinem; inopinatóque malo perturbat Amorrhæos, cædit, fundit, fugat, persequitur, tanto animi corporisque feruore, vt cùm diem defuturum cerneret exterminandis Chananæis, solem medio in cursu iuberet subsistere. Substititque illico Sol in medio cœli, & spatio vnius diei non festinauit occumbere, obediente Domino voci hominis, & pro Israële pugnante.

VIII. *Cæterarum victoriarum celeritas.*

Dum ergo Dominus tam nouo, támque inopinato auxilio summam Iosue diligentiam promouet, pergit ille hostes populi Dei infestior persequi, cædere, internecione delere; adeò vt quinque ipsorum reges comprehensos & eductos ex spelunca, in quam se abdiderant, suorum pedibus proculcaret, interfectósque super stipites quinque suspenderet. Tanta porrò celeritate totam latè regionem præliis victoriisque peragrauit, vt intra breue tempus vnum & triginta reges, siue dynastas interficeret, & vniuersas Chananæorum, Amorrhæorum, Iebusæorum, Heuæorum, Pheresæorum, aliorúmque populorum terras pugnando

Vid. Iud. 3. 1. 2. & annum Iosue 6. n. 6. & 7.

occuparet, perpaucis exceptis, quos Deus de industria reseruauit, vt iis domandis populum suum probaret deinceps atque exerceret, & delinquentem, ac turpiter à se deficientem castigaret.

IX. *Samsonis feruor, ac promptitudo* Longior forem si animosum Samsonis feruorem, studiosius referre cuperem, non in lacerando duntaxat leone, sine vllo armorum, præterquam diuini spiritu præsidio, sed in millenis Dei hostibus cum asini mādibula vno impetu concidendis, in vrbis permunitæ portis in custodum oculis conuellendis, & in montem illico deportandis, in templi columnis mirabili brachiorum concussione disturbandis, aliisque id genus facinoribus inusitatam fortitudinem, animique æstum attestantibus. *Dauidis.* Quem Dauid quoque adhuc adolescens, cum vrsis leonibúsque congressus, victórque effectus repræsentauit: indéque etiam cùm vnius secundum Deum fundæ præsidio, carneam turrim lapidis ictu deiecit, *Machabæorum.* suóque ipsius gladio capite truncauit. Occurrit & Mathathiæ, & quinque filiorum eius, pro Dei gloria, legibúsque patriis, animus promptus, animosus ac feruidus; in primisque Iudæ Machabæi, cùm Antiochus Epiphanes, omnem Iudæorum regionem immensis cladibus attereret; qui primo magistratus sui anno, præter alias excursiones in regios duces, contra quinque eorum in acie stetit, ac victoriam, iis partim cæsis partim fugatis, reportauit. Altero demum anno felicitate mirabili contra ipsum Antiochi proregem Lysiam expeditione suscepta sexaginta peditum millia, equitum quinque millia profligauit, celeritérque victoria vsus, euersa Hierosolymis idololatria, Dei cultum magnificè instaurauit.

CAPVT V.

Promptus Amor ac feruidus sanctorum Euangelicæ legis, & primùm beatissimæ Virginis.

I. *Promptus Amor Virginis.* EXPECTAS nunc opinor, vt aliqua ex Euangelio suggeram prompti ac feruidi amoris exempla, quamuis à strepitu bellico aliena. Vt ergo nunc quidem Sanctum Sanctorum seponam, ipsa Dei mater haud obscura dedit prompti huius amoris exempla; & si hæc in agendo celeritas timore femineo, aut pudore tardetur, potiùs quàm virili. Si enim *Et Præcursoris.* ex materno vtero acceleratus est ei rationis vsus, sicut de sanctissimo præcursore satis constat, eáque prærogatiua non minus Dei matrem, quàm Dei famulum decet, & vterque cùm propriæ cognitionis concursu sanctitatem accepit, quàm promptus fuit hic amor, qui etiam natiuitatem anteuertit? Ecqua maior diligentia reperiri potest consecrandi

se Deo, quàm primùm ipsum instans cognitionis eius? Qua ipsa in re Virgo primas tulit, quæ ipso propriæ conceptionis articulo sanctificata est, sexto autem post mense à conceptu suo, Præcursor.

Quòd si ad anteriora tempora cogitationem referre placet, etiam ante conceptionem oblata ac consecrata est Deo, sed hæc promptitudo non Virginis, sed vtriusque parentis fuit; qui in remedium sterilitatis suæ, voto sese obligarant consecrandi Deo prolem, quam Dei benignitate accepissent, vt olim Anna Samuelis mater. Quæ causa vtrique Annæ fuit promptioris oblationis. Nam Samuel tertio anno ablactatus, & oblatus est Deo, & relictus in Silo, vt ibi præmaturè assuesceret diuino famulatui. Virgo quoque tertio ab ortu anno oblata est Deo, & in sacris templi gynæciis educata & custodita. Quòd si acceleratus ille rationis vsus perseuerauit in Virgine, vt ratio postulat, quando, vt aiunt, dona Dei sunt sine pœnitentia, quoties illa se ante natiuitatem obtulit Deo, aliisque virtutum actibus prolusit secuturis? & tribus illis ab ortu annis continenti vtique præparatione prouidit, vt dignum Deo sacrificium corporis animique sui, virginitatis voto nuncupando, offerret. Neque enim verò simile est dilatum vlterius id votum, vt deinceps quos virtutum actus eliceret, maioris essent meriti, atque dignitatis.

II. *Quàm citò Deo consecrata.* Vide an. m. 2903. n. 4 & 4041. n. 1 & seqq. *Eiusdem Præsentatio.* *Et votum virginitatis*

Si autem, cum communi Doctorum consensu fatendum est, nullam virginis actionem fuisse aliquando quapiam imperfectione maculatam, sed omni potiùs absolutione cohonestatam, ne illud quidem in dubium reuocari potest, singulas eius actiones ea promptitudine, feruore, diligentia fuisse decoratas, quas res ipsa postulabat. Quàm promptus fuit eius in mysterium diuinæ Incarnationis consensus, vbi primùm edocta est, id, absque deuotæ Deo virginitatis detrimento, perfectum ire? Idem de ipsius acceptione S. Iosephi in verum ac legitimum coniugem dici potest, vbi eum didicit custodem fore, non vsurpatorem thesauri Deo consecrati: atque à Deo sapientissimè destinatum, qui purissimæ virginis integritati & honori coram Deo hominibúsque consuleret, fierétque diuinæ huius œconomiæ fidelissimus dispensator.

III. *Promptus eius ad incarnationem consensus.* *& desponsationem.*

Aliam quoque Virginis diligentiam illico suggerit S. Lucas, circa Elisabethæ cognatæ visitationem. Cùm enim illam sextum iam mensem vterum ferre didicisset, cum sponsi consensu *in montana Iudææ cum festinatione* profecta est, quantam & conditio sexus ferebat, & virgineus pudor; sat magnis tamen itineribus, vt iis vsu venit, qui in locum aliquem cum festinatione contendunt. Nullibi moras interposuit, nisi ad Dominum Hierosolymis ex itinere adorandum, & ad diurnum cibum, & nocturnam quietem. Argumento diuinæ flammæ quam gestabat in vtero, simúlque documento lentitudinem in diuino famulatu Deo minimè gratam esse. Si quis fortè fuerit in mundi obsequio negligentior, tolerabilis culpa est, de seruis enim suis ille vt plurimùm malè meretur. At Deus seruos suos muneratur, supra spem omnem atque meritum.

IV. *Visitationis diligentia.* ca. 1. 39.

Præterquam quod digniſſimus eſt, cui cùm gaudio, feruore, ac diligentia, quam largitur ipſemet, ſeruiatur.

V. *Et in nuptiis in Cana.* Miſſas facio delicias ſpiritales vtriuſque cognatæ & infantuli vtriuſque, vt aliam quandam Virginis diligentiam breuiter perſtringam, quam in nuptiis in Cana Galilææ prodidit. Charitas enim in proximum illam excitauit, vt præmature imminenti neceſſitati prouideret, ne noui coniuges, in vini defectu, pudore ac dedecore vulgò afficerentur. Itaque nullius incitata vel exorata precibus, filio rem ita indicauit, vt ſimul tacitum impetrandi beneficij patrocinium adhiberet. Eam diligentiam haud obſcurè indicat illa Chriſti reſponſio, *nondum venit hora mea*. Quid non faciet illa mater pro filiis ſuis, crebris præſertim ac feruidioribus inuitata precibus, & de rebus ad æternam ſalutem ſpectantibus, quæ pro conuiuis ſuis ſponte ſua, in re non magni momenti, nobiliſſimum miraculum à filio impetrauit? præſertim cùm profana hæreticorum, contra beatorum patrocinia garrientium, ora fuerint obſtruenda.

CAPVT VI.

Alia prompti ac feruidi amoris exempla ex Euangelio petita.

I. *Promptum ac feruidum obſequium Petri & Andreæ. Ioannis & Iacobi.* DIVINVM Principis Apoſtolorum Amorem promptum ac feruidum nemo ignorat; neque tamen propterea eius commemoratio negligenda eſt. Iure enim celebrandum eſt promptum illud obſequium Petri & Andreæ, & filiorum Zebedæi ad primam Chriſti vocem, ad ſequendum ſe inuitantis, id eſt ad rerum omnium derelictionem & contemptum euocantis: idque ſine vlla temporum definitione vel locorum, ſine vllius pactione mercedis. Quod hoc fuit in Petro admirabilius, quòd is erat iam paterfamilias, & habebat apud ſe vxoris matrem: quod de Andrea quoque natu maiore veriſimile eſt. Iacobus autem & Ioannes erant filij familias, patre & matre etiam tum ſuperſtite, quos eodem ipſo temporis puncto reliquerunt. Facinore tam nouo ac ſtupendo, vt infidelibus aut ſtultum viſum fuerit, aut indignum fide; quod de impio *Mathæi, &c.* Porphyrio refert Hieronymus, ſicut & de Apoſtata Iuliano, qui parem Mathæi promptitudinem in telonio relinquendo aut deridebat, aut illi abrogabat fidem. At nos etiam de reliquis Apoſtolis eandem celeritatem, etſi ſcripto tradita non eſt, meritò ſuſpicemur.

II. *Petri maximè ambulãtis ſuper aquas. Mat., 14.28* Sed Petrus proprium planéque ſingularem feruorem ac diligentiam oſtendit; cùm exorato Domino de inceſſu ſuper aquas, ad eum illicò properauit, quaſi ventorum aut remorum tarditatem incuſans, qui eius gaudia morarentur, *Feruentiſſima*, ait Theophylactus, *Petri erga Chriſtum*

ſtum charitas erat: deſiderabat enim ſtatim prope illum eſſe, & præ aliis. Vide, ait Chryſoſtomus, *vt amor Petri feruenter ardebat, quámque excellens erat eius fides. Nemo Ieſum æquè diligebat.* Cùm enim certo crederet Dominum non ſolùm ambulare poſſe ſuper aquas, ſed eandem aliis quoque prærogatiuam poſſe concedere, id poſtulare non dubitauit, vt tanto citiùs apud eum eſſet. Rurſum autem à reſurrectione Domini: non tulit feruor eius, vt naui deueheretur ad ripam cum cæteris, ſed in aquas inſiluit, & vel natatu, vel profundo vado ſe permittens, fortè etiam ſupra aquas excurrens, vt aliqui ſuſpicantur, quamprimùm venit ad magiſtrum ſuum. Ioan. 21. & ibi Chryſ. & Theoph.

III. *Armatam cohortem repellentis.* Nónne Petri vnius fuit animoſus ille feruor, cum aduerſus turbam ingentem hominum armatorum tam Iudæorum, quàm Romani præſidij, quod quingentorum fuiſſe dicitur, ferrum arripuit, primúmque obuium inuaſit, ferróque proſtrauit? Non diſſimilis feruor in diſſimili genere ſe prodidit, cùm Domino de morte ſua & cruciatibus, inducente ſermonem, non dubitauit Petrus illum aſſumere & increpare: & eidem rurſus conſtanter reſiſtere, & repugnare pedes lauaturo: & fortaſſe non ceſſiſſet, niſi intonuiſſet illa vox, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Petrus erat, qui ad primulum de Domini reſurrectione nuncium, ad Caluariæ montem cum Ioanne cucurrit, & in vacuum ſepulchrum ingreſſus eſt prior; quique de ſuo in Chriſtum amore tertiùm interrogatus contriſtatus, ingemuit, veritus ne amor ſuus reuocaretur in dubium. Quis denique Apoſtolorum maiorem in morte ſua amorem patefecit Petro, eiúſque germano Andrea; vtroque feruidam ac fidelem amicitiam in Dominum conſeruante vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ioan. 18. 3. Matt. 16. 22. Ioan. 13. 8. Ioan. 20. 4. *& morientis.*

IV. *Pauli feruor.* Petrus ſecum Paulum perpetuò ducit, quaſi indiuiduum in Apoſtolica functione collegam, & omnium ſollicitudine Eccleſiarum; feruentiſſimi quoque amoris, & ingentium laborum ad mortem vſque ſocium. Feruidum ille quidem & æſtuoſum amorem in ſynagogam oſtendit, cùm veram Chriſti Eccleſiam perſequeretur ignorans; ſed clementiſſimus Dominus feruoris huius mutauit obiecta; ſic vt poſteà plura pro Chriſti Eccleſia toleraret vnus, quàm Chriſtiani omnes, eo pro ſynagoga pugnante, pertulerant, à S. nimirum Stephani cæde, vſque ad tempus illud, quo illum Damaſcum proficiſcentem Dominus aſſecutus, comprehendit, atque proſtrauit. Poſt mortem enim protomartyris magna Hieroſolymis tempeſtas excitata eſt in Chriſti diſcipulos, adeò vt omnes, exceptis Apoſtolis, tota prouincia diſpergerentur. Quòd ſi vexationis huius fontem inquiramus & caput, reſpondebit Lucas. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* Act. 8. 3.

V. *In perſequẽ-* Quin Paulus ipſe ſcribens ad Galatas luculentum feruoris huius, ne dicam furoris dedit teſtimonium. *Audiſtis*, inquit, *conuerſationem meam*

dis Christianis. *aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, continuo non acquieui carni & sanguini;* sed videlicet abieci me in eius brachia, exclamans, *Domine quid me vis facere?* vt ait Lucas. Qui addit Paulum cùm dies aliquot fuisset Damasci cum discipulis, continuò ingressum in synagogas prædicasse Iesum esse filium Dei, mirabilique feruore conualescentem Damascenos Iudæos confudisse: quem animi sensum vbique gentium ad mortem vsque retinuit. Hoc enim calore plenæ sunt omnes eius epistolæ; siue oret, siue exhortetur, siue arguat, siue contestetur, siue sua, siue aliena commemoret, omnia feruido isto amore incalescunt.

Act.9.20.

CAPVT VII.

Feruidus amor diuinus Mariæ Magdalenæ.

I. *Feruor conuersionis eius.* NON committam vt tantùm officio desim meo, Mariæ vt Magdalenæ religiosissimum feruorem, & diligentissimum erga Christum amorem missum faciam, qui ab ipso statim suæ conuersionis exordio tantus fuit, vt in reliquam omnem vitam redundaret, ac magna etiam caperet incrementa. Cùm primùm enim Dei spiritus attigit cor eius, quod hactenus mundi deliciis obsessum ac stipatum iacuerat, mutata est in mulierem alteram. Admodum autē credibile est eam cuipiam Christi Domini concioni interfuisse, in qua peccatores ad pœnitentiam inuitabat, illis fere verbis, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugū enim meum suaue est, & onus meum leue.* Hac spe, hac inuitatione, his promissis excitata mulier, quæ onerata peccatis sub grauissimo mundi iugo æstuabat, quæ molesto sui tædio plena, nullam quietis partem in corporis deliciis animo capiebat, sed quotidie intimo conscientiæ tortore vapulabat, statuit quamprimùm iugo mundi confracto, disruptisque loris, Domini iugo humile summittere ceruicem.

Matt.11.28.

II. *Adit conuiuij domum.* Luc 7.37. Concione igitur vix absoluta, dolore animi percita mulier, discit Seruatorem apud Simonem Pharisæum cibum sumere, eò statuit inferre se, nihil hominum voculas reuerita, quæ Dei cuncta tuentis ora contempserat; intulitque reuera coram omni cōuiuarum cœtu, à quo apprimè nota erat, vtpote *quæ erat in ciuitate peccatrix.* Intulit autem, nemine conscio, nemine salutato, nemine inuitante, excepta interiore illius

vocatione, à quo vitale in corde vulnus acceperat: & retro ad eum progressa, abiecit se ad illius pedes, quos duobus lacrymarum riuulis perfudit, copioséque ablutos, capillis capitis sui absterſit, ac ſiccauit; tum iiſdem crebra ingerit, atque ingeminat oſcula, denique pretioſum vnguentum, quod habebat in alabaſtro, vanitati nuper dicatum, vanæ pertæſa iacturæ, in eoſdem Domini pedes effudit.

Sed quis verbis effari, aut animo capere ſatis queat, quid hæc peccatrix, in hoc ætatis mentiſque feruore, ſenſerit apud ſe, dixeritque? Nemo facilè intelligat, niſi cuius animum Deus ſemel ſerio ad ſe conuerterit. Nemo, inquam, facilè capiat, quid illa ſecretius ingreſſa conclaue dixerit, priuſquam ad domum Phariſæi penetraret, cùm primùm imo corde exæſtuans, permiſit habenas lacrymis ſuis. *Quis dabit capiti meo aquam*, inquiebat illa cum Ieremia Propheta, *& oculis meis fontem lacrymarum*, vt cum intimo cordis mœrore abluam turpitudinem meam! heu me miſeram, heu me infelicem, qualis ego fui olim, & qualis modò facta ſum. Dei filia eram, & ei facta ſum perduellis: cùm Dei gratiam comitem habebam, eram dæmonum terror, quæ facta ſum eorum triobolare mancipium. Eram familiæ noſtræ decus, nunc fabula & probrum. Ius habebam ad cœleſtem hæreditatem, quæ nunc obnoxia ſum ſuppliciis ſempiternis. Sed quibus ſuppliciis, infœlix? quæ enim ſupplicia debentur peccatis meis, propter quæ plerique æternùm ardebunt?

III. *Quid illa prius apud ſe ſenſerit.*

cap. 9. 1.

Quid ego tum dicam, cùm plerique inſurgent in me, & Deum vltorem depoſcent turpitudinis meæ, quæ ad eorum ruinam certiſſimum fui, ac præſentiſſimum dæmonum, inſtrumentúmne dicam, an venenum? Quid ego commerui, niſi vt, ſempiternæ flammæ, luxuriæ flammis, quibus exarſi vltro, ſuccedant? Heu quàm multi in baratro ardent, magniſque vocibus vlulant, qui ortui ſuo vitæque malè precantur, quorum ſunt leuiores culpæ, quàm meæ. Perierunt nihilominus, & ego ſum ſuperſtes. Deus illis eam gratiam non eſt elargitus, vt legitimum de peccatis dolorem conciperent, & iuſtis pœnis expiare vellent, quam mihi non negat, ſed vltro ad ſe vocat, & officio certat prior. O quanta eſt Dei miſericordia, quanta miſeria mea! Quid igitur agam? Non exurgam, vt Prophetam illum adeam, qui me tam ſuauiter ad ſe, atque ad pœnitentiam vocat? At qua ego me fronte ſiſtam ad illud innocentiæ ſpeculum, quæ turpiſſimis ſordibus ſupero cacabos ac lebetes? Quo vultu ſplendidum illud virtutum lumen intuebor, quæ perpetuis damnanda ſum tenebris, ne quis me videat deinceps, quando, prô dolor, tam multi me viderunt, magno ſuo damno, atque meo.

IV. *Dixeritve deliberans.*

Satius eſt nihilominus vt exurgam (in genua enim procubuerat, &, vultus humi adhærebat, geſtúſque omnis erat huiuſmodi, vt ſeipſam ad verum animi dolorem, & Deum ipſum ad commiſerationem incitaret) ſatius eſt adire me medicum meum: pudor qui obruet

V. *Venit, obtinétque veniam.*

vultum meum, lacrymæ quas profundam ex oculis, cum ad peccatricis commiserationem excitabunt. Quòd si cordis acerbus dolor officium linguæ præpediat, lacrymæ ipsæ loquentur, & mihi misericordiam implorabunt. Ibo igitur, & corde dicam, si ore non potero, *Pater peccaui in cœlum, & coram te*, & coram omni populo Dei; digna quæ torris fiam sempiterno incendio destinatus. Digna quæ in fœtenti illo stagno ignis & sulphuris voluter, quæ sordibus meis aërem imbui, terrámque fœtore, supra cœnum omne atque sentinam. Tali accensa feruore Dominum adiit, eóque se modo gessit, quem diximus, & aduersarium ac iudicem in patronum conuertit, ab eóque generali peccatorum acceptilatione recepta, anima ipsius diuina gratia, & cor cœlesti gaudio repletum est.

VI. *Eius in bonis operibus feruor.* Ioan. 11.

Inde illa se bonorum operum studio, ingenti cum feruore ita dedidit, vt cæteras inter matronas, quæ Dominum sequebantur, eique & Apostolis eius de suis facultatibus ministrabāt, facilè emineret. Ipsa est quæ, fratre Lazaro graui morbo decumbente, cum sorore Martha perquam modestam ad Dominum legationem misit; eóque cunctante donec æger oppressus morbo interiret, sepultúsque quartum iam diem iaceret exanimis, ipsa nihilominus, quamuis sero Domini aduentu audito, nequaquam indignans moras rependit mora, sed illicò surrexit, & honoratorum virorum turba derelicta, festinat ad Dominum, & ad eius pedes statim se abiicit, & plorans, *Domine*, inquit, *si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus*. Quid multa? iisdem lacrymis quibus veniam peccatorum suorum, & vitam animæ obtinuerat, corpori demortui fratris vitam mirabili prodigio impetrauit.

VII. *Adest morienti magistro.*

Ipsa denique, singulari feruore Charitatis, non sibi dedecori vertit, aut pudori, mediam inter satellitum ac ministrorum turbam, tristissimam comitari matrem, & filio eius magistro suo adesse, ipso illo tempore, quo agebatur in crucem, dum pendebat doloribus confectus, dum latrones alloquebatur aut parentem, dum omni solatio destitutus gemebat ad patrem, & spiritum ei abeuntem ex corpore commendabat. Quin & funeri in primis adesse voluit, & ad amantissimi magistri corpus emortuum lacrymas iterare, ad pedes maximè manúsque perfossas clauibus, & latus lancea patefactum; ad frontem spinis cum reliquo capite transfixum, denique ad pulcherrimam dudum faciem sputorum fœditate, alapis, & concreto sanguine deformatam. *ac sepulto.* Cúmque his perfuncta officiis nondum amori suo ac feruori satisfecisset, statim à transacto sabbato, illo ipso vespere, cum sociis aromatum ingentem vim emit, vt magistri corpus oblineret, liberaliúsque condiret.

VIII. *Eiusdem ad sepulchrum feruor singularis.* cap. 20. 1.

Ergo summo mane, vixdum albescente cœlo, atque adeò, vt Ioannes affirmat, *cùm adhuc tenebræ essent, Maria Magdalene venit ad monumentum*, nihil vel custodiam morata militarem, neque noctis

tenebras, nec Scribarum & Pharisæorum malitiam nondum exsaturatam. Sexum quoque oblita femineum, & ingens saxum ad monumenti ostium aduolutum. Sed hoc eius fuit facinus singulare, vt cùm monumentum manu angelica reseratum vidisset, socias relinqueret, sola adiret Apostolos, & sublatum Domini corpus apud eos anxia quereretur, sola rursum iter ad monumentum, pari diligentia, feruoréque repeteret. Interim Angeli cæteris matronis resurrectionem nunciant, & lætum discipulis nuncium afferre iubent. Illæ abeunt, Maria reuersa mox adest, & suam implacabilibus lacrymis orbitatem deplorat, neque angelorum consolationi acquiescit, donec medias inter lacrymas ac querelas, prima obtinuit magistrum videre rediuiuum.

CAPVT VIII.

Sanctorum aliquot confessorum nonnulla feruidæ charitatis exempla, & nominatim Simeonis Stylitæ.

AMOR FERVIDVS.

SI memoriam & cogitationem ad ea tempora transferam, quæ deinceps sunt consecuta, & mirabilem feruorem quorundam sanctorum confessorum, heremitarum, & religiosorum inspiciam, vt à grauissimis scriptoribus Hieronymo, Ruffino, Ioanne Climacho, Cassiano, Theodoreto, Palladio, Ioãne Moscho vel Sophronio, Ephremo & Damasceno, Seuero Sulpitio, & Gregorio Turonensi, Gregorio Papa, & Eusebio Cæsariensi referuntur, obmutesco planè, animaduersis tot támque egregiis sanctorum virorum facinoribus, fateórque nullam orationem parem eorum meritis afferri posse: qui religiosis hominibus sunt ad imitandum propositi; vt qui maximarum virtutum, in primísque feruidæ charitatis signa sustulerunt; in quæ intuentes plerosque pudeat desidiæ suæ, atque languoris. Quis enim non suffundatur rubore, si res suas cum iis adduxerit in contentionem, quæ laboriosissimi illi virtutum athletæ in desertis Ægypti ac Palæstinæ locis perpetrarunt? qui calcata seculi vanitate, ipsos quoque dæmones oppressere, itáque propria corpora domuerunt, vt lapidum instar sensu carere viderentur. *I. Monachorũ atque eremitarũ feruor.*

Vnum, vitandæ prolixitatis causa, de turba seducam, S. Simeonem Stylitem, eiúsque nonnulla prodigia seligam ex ea historia, quam Antonius eius discipulus, & Theodoretus Episcopus Cyrensis ediderunt. Vixit is Imperatoribus Valente & Theodosio iuniore, cúmque decimo tertio vitæ anno paternas seruaret oues, ingressus Ecclesiam, quasi Dominum audisset se nominatim euocantem, statuit rebus omnibus abdicatis, crucem Domini ferre. Ergo S. Timothei cœnobium adit, ad eiús- *II. Præsertim Simeonis Stylitæ.*

que se portam abiicit, ibi quinque ipsos dies ieiunus noctésque permansit, expectans dum Abbas eius misereretur. Is quinto die Simeonem alloquitur, eúmque paratum inuenit ad religiosis omnibus seruiendum; quibus Abbas eum in disciplina religiosa erudiendum tradit. Quatuor menses posuit in domestico omnium famulatu, quibus quotidie fiebat diuinæ mensæ particeps, humanæ autem Dominico tantùm die.

Eius feruida initia.

III. *Progressúsque.*

Interea verò dum tam seuero ieiunio interius carpebatur, externum etiam addidit cruciatum; corpore à renibus ad collum fune arctè constricto. Ex quo factum est vt caro putrescens grauem emitteret fœtorem, & ebulliret in vermes, qui de ipsius corpore defluebant, quibus & lectulus eius scatebat. Abbas re cognita, funem amouere illum iubet, cum multa carne putrefacta, ac sanatum dimisit. Simeon veterem quandam adit cisternam, aqua vacuam, sed dæmonum ludibriis infestam. Eum ibi latitantem Abbas diuinitus admonitus adit, cum quinque religiosis, eúmque inde educit, restituitque monasterio suo. Ibi annum ferè commoratus, exiguum sibi locum iuxta monasterium congestu lapidum, sine cœmento construxit, vbi triennium egit. Deinde columnam quatuor cubitis altam excitauit, supra quam quatuor annis erectus stetit: cùmque eius fama sanctitatis incresceret, populus ei alteram duodecim cubitos altam erexit, in qua duodecim annos constitit. Aliam ei rursum excitauit viginti cubitorum, supra quam alios duodecim annos perdurauit. Aliam denique illi columnam 30. cubitorum extruxerunt, iuxtáque duas ædiculas; in qua postremò annos quatuor transegit.

Prima eius columna, aliaque deinceps.

IV. *Eiúsque in illis feruor mirabilis.*

Ibi porro innumeris morbis sanitatem attulit, multos idolorum cultores ad fidem conuertit, dæmones expulit, qui eum vicissim in fraudem inducere conati sunt. Vnus enim eorum assumpta specie angeli lucis eum adiit, affirmans se missum diuinitus, vt eum sicut olim Heliam, curru igneo in cœlum eueheret. Bonus Simeon tibiam protulit imprudens, vt in apparentem currum ingrederetur, sed cùm simul dexteram extulisset ad muniendum se signo crucis, totum illico spectrum euanuit. Hic senex ad tibiam. *Non ego te*, inquit, *ad me retrabam, vsque ad diem mortis meæ.* Cùm ergo crus perfrigido tempore ita emineret, dæmon ei coxendicem vulnerauit, quæ mox putrescens scaturiebat vermibus, qui inde in columnam, ex eáque decidebant in terram. Ibi annum vnum, altero nixus pede constitit, curabátque sibi reddi vermes, qui deciderant, & in vlcus suum restituebat.

V. *Miracula, & ieiunia inaudita.*

Rex quidam Saracenorum, auditis huius viri prodigiis, ad eum spectandi causa profectus est: móxque de sancti corpore vermis vnus in terram decidit, quem cùm rex cum fide ac reuerentia collegisset, oculísque suis apponeret, in manu eius in vnionem conuersus est. Ex quo suspicari potuit, qui suam propter Deum putredinem diligebat, quantam illi Deus mercedem præpararet. Ita se porro Simeon ieiunio assue-

fecit, vt quadragesimale ieiunium vicies & octies sine vllo cibo potúve transegerit. Panem tamen apud se, & aquam habebat quibus vteretur, si vitam sentiret in discrimen adduci. A cimicibus arrodi se patiebatur, qui receptaculum sibi in eius carne effoderant, vt ita se ad asperiora perpetuò assuefaceret: cui tamen ne mors quibus ipsa molestiorem morsum afferre potuisset.

VI. *Eius oratio & mors.* Ita porro stabat erectus, vt sæpius se ita incuruaret ad adorandum Deum, vt capite summos pedum articulos pene contingeret: quidam huiuscemodi inclinationes mille ducentas & quadraginta quatuor, vno die numerando percensuit. Id erat illi non difficile, aut Theodoretus ei æqualis, qui semel tantùm in hebdomada cibum, eúmque permodicum sumeret. Additque totas illum transegisse noctes, erecto corpore toto, & manibus in cœlum protensis, inuictum à somno ac lassitudine. Denique cum feruore mirabili, atque incredibili constantia æstatis ardores, atque hyemis frigora, ventos, pluuias, tempestates, & naturæ humanæ imbecillitatem peruicisset, cùm triduum totum in oratione posuisset, animam Deo reddidit, erecto de more corpore, suauissimum odorem efflante, & innumeris prodigiis coruscante; quæ totidem erant testimonia, Deo gratum esse feruorem seruorum suorum, qui regatur obedientia, quæ à dæmonum fraudibus intactos, incolumésque seruabit.

CAPVT IX.

Recentiora quædam feruidi amoris exempla.

VII. *Natura propria multorum opinione fortior.* STYLITES iste mirabilis admirationis potiùs suggerit, quàm imitationis exempla, tanta est nunc humanæ naturæ imbecillitas, aut tam extraordinarius olim fuit cum aliquibus gratiæ diuinæ concursus. Nisi placet hanc imbecillitatem corporis animique, magna ex parte tribuere insolentiæ, desuetudinique disciplinæ seuerioris. Nam carnis & sensuum sæpius vsurpata vexatio, plerosque docuit naturam ordinario ac præsenti gratiæ auxilio roboratam, sua ipsius opinione fortiorem esse, ac valentiorem, quàm ipsi persuaserat amor sui; cùm paulatim patiendo, fiat ad patiendum promptior atque vegetior. Inedia pinguioribus purgationis loco est, cæteros fere docet naturam paucis esse contentam: & incussa corpori verbera, membrorum exercitationi seruiunt: Lectus mollior corpus delicatius reddit & mollius; stratum durius atque neglectius, membrorum vigori lacertisque seruit: ferreus thorax, & pondus armorum, itinera longiora, & cibarius panis aut nauticus, militem non opprimunt, sed efficiunt

robuſtiorem. Cur igitur hæc eadem Dei famulum conficiant? cur non potiùs is ita labore obdureſcat, vt quò paulatim grauiora pertulerit, hoc animo fiat, corporéque fortior ad ferendum?

II. *Feruor S. Vincētij Ferrerij, & vitæ duricies.*

Sanctus Vincentius Ferrerius quinquageſimum annum in religioſa diſciplina tranſegit, nunquam carnem, niſi in ſumma neceſſitate, ad cibum adhibuit: quadraginta ferme annos quotidianum ieiunium, exceptis Dominicis duntaxat diebus conſtanter obſeruauit. Veſtes non deponebat ad ſomnum: quem ſupra vitiarios faſces carpebat: aut ſi morbus accidiſſet, ſupra vilem è lana culcitram. Ab adoleſcentia, ſi quidem valeret, ſingulis ſe noctibus verberibus accipiebat, ſin eſſet infirmior, aliquem de ſociis ad hoc officij genus ſeriò fungendum exorabat. Itinera perpetuò conficiebat pedes, donec ex tibia laborans, aſelli opera vti coactus eſt; nec minus tamen ſeptuageſimum quintum, aut octauum annum viuendo prætergreſſus eſt. Et ſicut corpus alterum alteri communicat calorem ſuum, ſic & ipſe feruorem ſuum iis, qui eum de ſuperiore loco verba facientem audiebant. Hi enim cateruatim ſupplicationes inſtituebant, & oppida cum cruenta diuerberatione ſubibant, veniam à Deo, de admiſſis criminibus, poſtulantes, Chriſtique Domini cruciatus imitatione venerantes. Tanta porro erat multitudo in ſua terga ſæuientiũ, vt totæ officinæ flagellis refertæ vacuarentur: eóque ſpectaculo plerique ad imitationem, perquam multi ad vitæ emendationem adducerentur.

Et populi ex eius imitatione.

III. *Feruor S. Franciſci à Paula.*

Sanctus quoque Franciſcus à Paula annum agens decimum tertium in eremum receſſit, ibique ſex circiter annos adoleſcentiam magno cum feruore traduxit, dies ieiuniis, noctes precibus ac meditatione conſumens. Deinde cùm pleroſque admiſiſſet, qui ſub eius auſpiciis Deo militare cuperent, egregia illis duriſſimæ vitæ exempla præbebat. Nudis enim pedibus perpetuo iter faciebat, nihil aut niues, aut frigora, glaciéſve reformidans; quin ne confragoſa quidem loca, aut vepribus ac ſpinis obſita morabatur: ac Deo protegente nihil inde lædebatur. Humi ſomnum in rudi veſte lanea, qua erat indutus, accepta diuerberatione capiebat. Cibus illi erat fruſtũ panis & cyathus aquæ, quibus non niſi poſt ſolis occaſum veſcebatur: niſi dum vires nimium flacceſcere ſentiret; tunc enim ad panem herbas adhibebat aut legumina, aliáve id genus cibaria, quibus ius fáſque eſt, in ſolenni verni temporis ieiunio populo Chriſtiano vti. Quam vitæ rationem ad annum vitæ primum ac nonageſimum, quo mortuus eſt, obſeruauit, conſtantérque retinuit.

IV. *Et S. Romualdi.*

Quæ fuit vitæ ratio S. Romualdi? Erat is nobili ortus familia, deliciis & vitæ licentiæ ad vigeſimum vſque vitæ annum innutritus; ſed quanta ſeueritate, quanta aſperitate & inclementia centum ipſos vitæ annos tranſegit? præter atroces pugnas, quas illi homines, dæmonéſque ſuſcitarunt, quibus ei triumphi gloriam, ſibi ignominiam pepererunt. Quindecim totos annos ieiunium, præter Dominicos dies ita obſeruauit, vt ad

panem

panem legumina tantùm, herbásque adiungeret, quam ieiunij formam ne senex quidem, fractúsque laboribus mitigandam putauit. Septem annos seruauit in spelunca silentium, cum Deo vno angelísque colloquens. Triplici vtebatur cilicio, quæ singulis mensibus, ne nimias contraherent sordes, commutabat; hæc erat myrrha, quæ corpus eius à corruptione reddebat immunem. In eius enim vita scriptum est mortuum illum esse 19. Iunij, anno Christi millesimo & vigesimo septimo, sepultúmque in suo vallis castrensis monasterio. Cùm autem anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo extumulatus fuisset, id est quadringentis & quadraginta post mortem annis, integrum plane atque illibatum inuentum est corpus eius, cilicio sub habitu religioso conuestitum: serena etiam tum facie, atque venerabili. *Corpus eius incorruptum 440. annis.*

V. *Rigida S. Cælestini vita.*

Durior quoque fuit ac rigidior vitæ ratio Petri Cælestini, qui vigesimo anno paterna egressus domo, dies decem in deserto seorsim loco delituit: indéque diuino instinctu in speluncam in montis vertice excauatã, quæ eum vix totum caperet abdidit sese, ibique triennium mirabili abstinentia & vitæ asperitate vixit, qualem quinque præterea annos in Murone monte transegit. Catenula ferrea cingebatur, aspero insuper cilicio conuestitus. Magnam anni partem seruabat ieiunium, pane sæpenumero & aqua contentus, cum reliquo etiam tempore præparcè victitaret. Humo vtebatur ad lectum, & ligneo ceruicali, nec alio stragulo, quàm detrita lacerna. Socios allegit sibi cognomento Cœlestinos, qui in summa paupertate corporis, ad summam animi perfectionem nitebantur. Cúmque ipse admodum esset ætate prouectus, fiebat quotidie animi feruore robustior, & vitæ seueritatem augebat, quasi æneum corpus haberet, non carneum. Cùm autem in summum fuisset Pontificatum electus, ligneam sibi cellulam construxit: in quam recipiebat se quantum per necessarias occupationes tanti officij licebat. Mox summo illo rerum fastigio abdicato, decem menses egit in carcere, quem dilectam cellulam appellabat, receptisq; sacramentis humi se moriturum abiecit, & in substrato assere beatã efflauit animã, primo & octogesimo ætatis anno.

VI. *Et S. Nicolai Tolẽtinatis.*

S. Nicolaus Tolentinas in omni virtutum genere ita excellebat, vt religiosis, vt sacerdotibus & concionatoribus speculum quoddam esset, ac virtutum exemplar. Eius tamen feruor ac religiosæ disciplinæ seueritas illustrius eminebat, & intuentium oculos perstringebat. Triginta vixit annos in monasterio Tolentinate, quibus non carnes attigit, non oua, non pisces, ac ne poma quidem, aut æger aut sanus, vt necessarium fuerit obedientiæ mandatum, ad carnes in aduersa valetudine, atque adeo lethali morbo degustandas. Cùm primùm autem paululum esset à morbo recreatus, illico à Superiore impetrabat, vt ad pristinam vitæ seueritatem rediret. Quater enim quot hebdomadis, pane & aqua semel in die sumptis sustentabat se: cùm ab anno vitæ septimo, S. Nicolaum Mirensem Episcopum imitatus, ter singulis hebdomadis ieiunium obseruasset.

VII. *Alia eius feruida certamina.* Addebat ad ieiunium, nocturnam cum catena ferrea, diuerberationem: inde humi contrucidatum corpusculum proiiciebat ad somnum, in veste centonibus reconcinnata. Quamquam bonam noctis partem in precibus, sanctisque meditationibus traducebat in Ecclesia, inuitissimo cacodæmone, à quo Dei permissu grauissimis sæpè multatus est plagis, ac semiuiuus relictus; adeo vt tota reliqua vita claudicarit; vt ad singulos gressus, suæ de hoste infestissimo victoriæ meminisse posset. *Et cœlestis cõsolationis.* Nec tamen propterea inuictum spiritum ab oratione laxabat. Deus autem non contentus ei corporis animique vires in certamine ministrare, voluit eum insigni, planéque singulari consolatione permulcere. Sex enim ipsis ante obitum mensibus, singulis noctibus mirificum exaudiuit angelorum concentum: súbque ipsum ex hac vita transitum, Seruator ipse non alienum duxit à maiestate sua inuisere seruulum suum, comitante sanctissima Virgine, & glorioso patre eius Augustino: quo viso mirificè recreatus, ad inchoata gaudia, cum eisdem in cœlo continuanda pertransiit.

VIII. *Feruida S. Ignatij exordia.* Num exiguus fuit ille S. Ignatij à Loyola feruor, quo is non solùm promptè omnia præsentis vitæ commoda, miniméque dubias expectationes abiecit, vt in omnium contemptu sordidáque mendicitate viueret; sed ab illo ipso die, quo à paterna domo abripuit sese, cœpit singulis noctibus in se diuerberatione sæuire, perseuerauitque dum per valetudinem licuit. Itaque ad Montem Serratum venit, vti preciosis vestibus pauperi clam erogatis, cannabinam induit tunicam ad talos promissam, quam fune præcinxit, ex quo cucurbita peregrina pendebat; cannabinus calceus obtegebat pedes, viatorius baculus armabat dexteram: quo in cultu corporis ac vestitu, etiam Ierosolymam cogitabat. Manresæ primum in hospitalem se domum recepit S. Luciæ, & cum reliqua pauperum turba habitauit, & stipem mendicare cœpit, vt studium pristinæ vanitatis præsenti paupertate, contemptúque castigaret.

IX. *Et pœnitentia vigor.* Ex vita recens edita ca. 3. Manresæ ad latus montis, quem fluuius alluebat, spelunca erat alta atque obscura, & difficili, propter vepres tribulósque aditu. Eò se subinde recipiebat Ignatius, tam orandi, quàm edomandi corporis causa. Quotidie mendicato pane & aqua contentus victitabat; nec nisi Dominica die, qua sacramenta recipiebat, soluebat ieiunium: quod biduum sæpe triduúmque continuum obseruauit, solis pastus è cœlo deliciis. Ex ea porrò inedia tantam aliquando contraxit imbecillitatem: vt diu à piis hominibus Manresæ quæsitus, in exiguo denique sacello, sine sensu humi stratus reperiretur, ita viribus destitutus, vt ne ingesto quidem delicatiore cibo ad se redire posset, & vires ad surgendum necessarias recuperare. Cúmque eum amici orarent, valdéque illi autores essent vt hisce cruciatibus adhiberet modum: Ille contra, permittite, obsecro, vt modicis hisce afflictationibus, negotium salutis meæ in tuto ponam.

Ægris in nosocomio seruiebat feruore mirabili, eique officia omnium vilissima ac despicatissima maximè arridebant. Si quando pus ex vlceribus defluens stomachum mouebat Ignatio, illud exugebat animosè, & oscula vlceribus ingerebat; stipem in commune quæritabat, eáque collecta, vt quidque optimum erat tradebat aliis, sibi deteriora reseruabat, eúmque modum constanter vbique retinuit, quod diceret optima quæque Christi pauperibus esse largienda: ergo ea tanto animi sensu distribuebat, vt à lacrymis non abstineret. Singulis noctibus septem horas in oratione ponebat. Nec difficile erat ad orationem surgere cùm iaceret humi in stupea lacerna. Cúmque asperrimum interdiu indueretur cilicium, & illud ferrea zona ad carnem apprimeret, ter tamen quotidie ferream diuerberationem subibat. Interim planè negligens sui corporis, & veteres castigans delicias, non cæsariem, non barbam, ac ne ipsos quidem resecabat vngues, capite & tibiis, & altero pede dies noctésque nudis. Ad quæ etiam Dominus adiecit auctarium modestissimum scrupulorum, quibus tam grauiter vexabatur, vt præ istis aculeis ac spinis, omnem illam cruciatuum acerbitatem numeraret in rosis. Ergo ad omnia illa supplicia, orationes, ac lacrymas, adiecit continentem septem dierum inediam, porro etiam progressurus, dum fieret in eius conscientia cœlo imperante tranquillitas, nisi à confessario cibum sumere iussus, obtemperasset; eáque obedientia pacem obtinuisset animi sui, quam tot cruciatibus & ærumnis non potuerat obtinere.

X. *Aliáque difficillima virtutum exẽpla.*

Possumus in tam austera vitæ ratione Ignatij socium adiungere Xauerium, sed ea sufficere possunt quæ superius dicta sunt, dum de laboriosa vita ipsius ageretur. Itaque eius loco sufficiam Beatum Franciscum Borgiam, contumacium animi corporisque motuum singulare coërcitionis exemplar. Qui decimo vitæ anno ad impetrandam matri sanitatem, tenerrimum corpus diu flagris accipere non dubitauit: qui in aula regia, non nisi aspero indutus cilicio, fœminas nobiles officij causa inuisebat; qui prorex in Cossetania, potuit ita prouinciæ illius dispensare negotia, vt nihilominus quinque aut sex horas altissimæ contemplationi daret, qui ab eo tempore ita se addixit ieiunio, vt bis vernum ieiunium totum transegerit, quotidiana pisorum & panis offa contentus, & vnico aquæ haustu. Quam victus rationem cùm sibi salutarem comperisset, ad annum vnum produxit: cùm lautè nihilominus viros nobiles acciperet, qui ipsum officij causa inuisebant.

XI. *Feruor S. Xauerij, & B. Borgiæ.*

Huic tantæ victus seueritati, alia etiam feruoris argumenta non parum acerba iungebat, vigilias, cilicia, diuerberationes, rigidum ac pertinax in corporis affectiones imperium, indictum gustatui bellum, vt qui medicinales pilulas amarissimas dentibus per otium commoleret, potiones item medicas, quasi iusculum calidum lente sor-

XII. *Etiam in seculari vita.*

beret. Quid quod acriter inquirebat in ſeſe, & noxas quamuis leues tam ſeuerè puniebat, ſeueræ vt religionis nouitius potiùs, quàm iuuenis dynaſta iunctus matrimonio, & prouinciæ gubernator deliciis olim addictus, videri poſſet. Quid abſtinentiam dicam coniugalem, quam annis aliquot cum vxoris conſenſu ſeruauit, eo mirabiliorem, quod moriente duciſſa coniuge, ipſe ſextum duntaxat ac trigeſimum agebat annum, cùm tamen iam ante vitæ religioſæ votum emiſiſſet, ſi vxori ea ætate ſuperaſſet, quæ eſſet idonea illi vitæ. Quod ſingulari cum admiratione mortalium executus eſt, atque vtilitate ſpiritali plurimorum, qui eius exempla ſecuti, & concionibus feruentiſſimis perſuaſi, mundo vale dixerunt. Sic enim in religioſa domo perpetuo vixit, & feruentiſſimis nouitiis pudori eſſet. Quin etiam negabat ſe cum animi pace victurum, ſi noſſet ſe quopiam die moriturum, in quo nulla ſeſe coërcitio ne viciſſet.

CAPVT X.

Aliquarum ſanctarum feruor Charitatis inſignis.

I. *Feruor in fœmina mirabilior.* IN fœmineo ſexu feruor mirabilior profectò eſt, quàm in virili; eſt enim natura infirmior ſexus ille atque frigidior. Nihilominus ſicut inueniuntur nonnulli muliebri imbecillitate viri, ita viciſſim reperire eſt non paucas virili fortitudine ac feruore mulieres. Nec eſt vllum virtutum genus, quamuis aſperum atque horrificum, in quo non reperiantur à mulieribus edita præſtantiſſimarum exempla virtutum; vt mulierum virtus, ſi tamen mulieres dicendæ ſunt, & non fortiſſimæ potiùs heroinæ vel Amazones Chriſtianæ, non in equuleum ſolùm, tenera tredecim aut quatuordecim annorum ætate conſcenderint, ſed alacriter etiam ſubierint atrociſſima quæque genera tormentorum. Cui enim non decantatæ ſunt Agnetes, Priſcæ, Luciæ, Cæciliæ, Margaretæ atque Catharinæ, aliæque priſci ac recentis æui, quæ feruore mirabili promptas ſeſe ad ſupplicia præbuerunt? ſed eas in mitiore potiùs virtutum exercitatione conſideremus.

II. *Iuditha & Heſteris.* Iuditham legimus ſumma conſtantia, animique magnitudine mulierem, vt iuuenilem viduitatem puram intaminatámque ſeruaret, corpus ſuum non ab illis ſolùm ſemouiſſe deliciis, quæ ſunt illi ætati ſexui, ópibúſque ſolennes; ſed in ſuperioribus domus ſuæ ſecretum ſibi cubiculum ſepoſuiſſe, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur; (*C. 8. 5. 6.*) nec ea ſolitudine contenta, lumbos ſuos cilicio aſperabat, prætérque feſtos dies, omnibus diebus vitæ ſuæ ieiunans, corporis formam atque elegantiam, carniſque petulantiam deterebat. Heſter regiam

pompam ex animo aspernabatur; eúmque contemptum feruidis hisce apud Deum vocibus testabatur. *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.* Cùm scilicet prodeundum non erat in publicum, neque regia magnificentia ostentanda. Et rursum, *Nosti Domine quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.* Quid gulæ delicias? *Et quod non comederim*, inquit, *in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum*, quæ scilicet oblata fuerant idolis. Cùm ergo constanter omnia ista carnis oblectamenta respueret, num omnis expers lætitiæ mœrore tabescebat? minimè gentium. *Tu nosti*, inquit, *quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.*

Esth. 14.16.

Ibid.

III. *Ad propitiandum Deum populo suo.*

Cùm autem oportuit ipsam à populo suo imminentẽ auertere calamitatem, omnes feruoris, omnes carnis & sensuum vexationis portas aperuit, *Deposuit* enim *vestes regias, fletibus ac luctui apta indumẽta suscepit, & pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suũ humiliauit ieiuniis, omniáque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit.* Sic Scriptura; quæ etiam addit illam vniuerso populo Iudæorum continentem orationem, & ieiunium indixisse. *Vade*, inquit illa Mardochæo, *& congrega omnes Iudæos, quos in Susam repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem.* Quid amplius feruoris in delicata muliere, quæ præ nimia teneritudine corpus suum vix sustineret, atque adeò in regina potentissima desiderari posset? vt minimè mirum sit eam voti compotem factam esse. Sed recentiora videamus.

cap. 14. 2.

cap. 4. 16.

IV. *Feruor S. Catharinæ Senensis ab infantia.*

Duo mihi exempla satis erunt ad institutum, Virginis vnum, alterum coniugatæ. Tantus fuit diuini amoris feruor in S. Catharina Senensi, vt cùm sextum vixdum annum ageret, socias apud se diuerberationis causa cogeret, & sua quæque in terga sæuiret: móxque, sanctos eremitas imitandi gratia, in speluncam extra vrbem, ad veteres parietinas repertam, se abderet. Septimo anno Deo virginitatem suam consecraret, sibique, cum bona matris sanctissimæ venia, Iesum eius filium sponsum eligeret. Inde porrò tam incensis ad vitam religiosam desideriis ferebatur; vt vti religiosi viri vestigia posuissent, præsertim qui in salutem animarum incumberent, ibi oscula singulari cũ veneratione defigeret. Maximè autem S. Dominici vitam æmulari cupiebat; quod desiderium ex eo maximè tempore amplificatum est, quo ille se Catharinæ videndum præbuit, spopondítque fore, vt habitum sororum pœnitentiæ obtineret.

V.

Dum autem expectabat vt voti compos fieret, mirabilem instituit vi-

Et dum ambit cœnobium. tæ rationem. Cubiculum sibi elegit à domesticis turbis, quam potuit secretissimum, in quo duris pœnitentiæ operibus vacaret, vtque spem omnem parentibus connubij præscinderet, pulcherrimam sibi cæsariem ad cutem vsque detotondit. Esu carnium, etsi permodicè adhuc vsurpato, prorsus deinceps abstinuit, solam ad potum aquam adhibuit, res coctas, præter panem, non attingebat, cui cruda olera iungebat: cúmque vigesimum attigisset annum, etiam pane abstinuit. Lectus ei erant asseres duo, ceruical solidi trunci caudex: ferream etiam catenulam aculeatam ita apprimebat ad carnem, vt illi adhæresceret: atque ita didicit pugnare cum somno, vt vix dormitaret. Exemplo S. Dominici tertiò quotidie diuerberationem, cum ferrea catenula prolixè iterabat, sic vt corpus largo cruore cruentaret.

VI. *Et mox in monialium cœnobio.* Sumpto porrò monialium habitu, tantam vitæ asperitatem auxit potiùs, quàm laxauit. A Deo quippe monita, vt dulce amarum duceret, & amarum dulce reputaret; id autem erat à deliciis, & consolationibus abhorrere; acerba verò & inimica naturæ habere in deliciis, facinus aggressa est feruoris admirabilis. *Mirabile feruidæ Charitatis exēplum.* Anus quædam erat, quæ diro in vbere carcinomate laborabat, eóque tam fœtido ac purulento, vt omnes à se morbi fœtore, ac fœditate repelleret. Non repulit tamen Catharinam, quæ hanc exercendæ Charitatis & patientiæ occasionem libenter arripuit, séque ei famulam ac ministram vlceri curando dedit. Mulier autem tam insigniter ingrata fuit, primò vt famulatum beneuolentissimum fastidiret; deinde virginem maledictis appeteret; postremò violati etiam pudoris accusaret, & calumniam fœdissimam impudenter confirmaret. Catharina verò dæmoni, per os vetulæ loquenti, & maledicenti non cessit, sed animosius etiam huic corpore atque animo ægræ seruire institit, adeò vt saniem è carcinomate manantem, appresso ore exugere non dubitaret. Quis vnquam tantam alicuius de se ipso victoriam accepit auribus, donec postea tam nobile facinus Ignatius atque Xauerius imitati sunt?

VII. *S. Francisca Romana feruor.* S. Francisca Romana, etsi erat ab infantia percupida religiosæ vitæ, ad coniugium tamen pene inuita compulsa est; sed in eo nihilominus religiosam duxit vitam, & à mundi vanitate abhorrentem. Tam expeditam marito reuerentiam atque obedientiam detulit, eam sollicitudinem in regenda familia, curámque continenter adhibuit, vt ipsos quadraginta annos, sine vlla apud coniugem offensione transegerit. Et orationi vehementer incumbebat illa quidem, si tamen interea euocaretur, obsequendi studio, quamuis diuinis deliciis abundantem interpellabat orationem; quod sibi pergratum esse pérque iucundum Dominus mirabiliter comprobauit. Cùm enim aliquando statas Virgini preces persolueret, versum vnum quater euocata interrupit, quem etiam mox, à custode Angelo aureis exaratum literis, reuersa ad orationem inuenit. Ita porrò corpus suum cilicio ac verberi-

bus edomabat, vt satis ostenderet se appetitus sensuum habere in potestate.

Semel duntaxat quotidie sumebat cibum: vino abstinebat & piscibus, nec carnes nisi summa compellente morbi necessitate attingebat. A cupediis, saccaro, cæterisque condimentis atque lautitiis abhorrebat, leguminibus in cibum herbisque contenta, quæ sale sine oleo condiebat. Arborum fructus sine gustu degustabat; sic enim gustatum abstinendo corruperat, vt dulcia ipsi planè insipida, atque amara viderentur. Cùm maritus aberat, permodico in lectulo nocte quiescebat, sedens potiùs quàm iacens, ad vnam atque alteram duntaxat horam; interdiu autem, præter patrium morem, ne tantillum quidem. Ac ne vestem quidem deponebat ad somnum, neque ad mortem vsque deposuit, etsi ea laneo ac rudiore panno constabat, nam linteis ne in morbo quidem vtebatur. Illud etiam habebat in more positum, vt sub cilicio, asperiorem ex equina iuba zonam gestaret. Flagello vtebatur senis instructo funiculis, quorum singuli in stellulam ferream desinebãt, séque dira diuerberatione cruentabat. Addebat & cingulum ferreum tam arctum, vt sub eo caro putresceret. Verùm confessarij monitu, & circulum illum deposuit, & armatum ferro flagellum: quæ nunc quoque in eius monasterio Romæ visuntur, vbi feliciter sancta mulier diem clausit extremum.

VIII. *Victus eius, & somnus.*

CAPVT XI.

Diuinum Amorem ipsum quoque Seruatorem promptum ac feruidum reddidisse.

ET hactenus quidem promptissimus Charitatis feruor Sanctorum, Sanctarúmque Dei famularum dictus sit nobis, credo de ipsius quoque Domini feruido amore, non ingratum, aut inutilem fore sermonem. Imò verò, inquam, longè gratissimum; quamuis hæc ipsa exempla vtilissima sint ad iniiciendum ignauiæ nostræ pudorem, eámque ad feruidum Dei cultum extimulandam. Idipsum, ait Promptus Amor, ipsius Domini exemplum potentius perficiet. Ipsius enim personæ dignitas, omnes Amoris eius actiones vehementius extollit, & potentius prouocat ad æmulationem. Neque enim sunt opera diuinitatis, ad quæ fas non sit aspirare, sed ipsius humanitatis exempla, quæ omnibus liceat imitatione vel exprimere, vel adumbrare. Admodum porrò indecorum est languere in agendo famulum, aut militem, vbi Centurio ipse aut Tribunus stricto ferro animosus irruit in ipsos enses, nec vllum periculi genus reformidat.

I. *Transitio ad Christi exempla.*

AVTOR. AMOR.

II. *Promptus Seruatoris animus ex Dauide.* Istam Seruator ipse promptitudinem amoris sui, mille amplius & septuaginta annis antè patefecit, quàm eam exerceret in terris; quando Dauidi, qui in eius progenitoribus futurus erat, illam eius cum Sole similitudinem suggessit; qui in cœlo tetendit tabernaculum suum, & procedit quasi sponsus de thalamo suo, indutus lumine tanquam aureo vestimento: qui exultat vt gigas ad currendam viam, à summo cœlorum cardine, ad alterum illi cardinem definitam: aëre ita luce imbuto & calore, vt nemo se ab alterutro pene possit abscondere. Sic est in meditullio Ecclesiæ suæ Seruator, omnes homines fide mysteriorum suorum illuminans, legibus suis gubernans, charitate viuificans. Exit è sinu patris æterni, & matris sanctissimæ thalamo nuptiali, supra filios hominum gratia & virtutum splendore decorus, vt cum amicis, qui eum iampridem ardenter expectabant, iucundissima vitæ consuetudine frueretur.

III. *In suo ad homines aduentu.* Cæterùm ad rem nostram facit in primis Solis illa celeritas, quando gigantæo gradu curriculum init, tantáque celeritate conficit, vt à primo puncto orientis ex quo exilit, tota cœli immensitate horis quatuor & viginti decursa, ad idem pene punctum recurrat. Sic venit Seruator erectus & alacer, vt diem suum mortalibus demonstraret, certus gigantem indomitum, aut infestissimum potiùs tyrannum expugnare, & populum suum restituere libertati: ictus zelo diuinæ gloriæ, & salutis subiectarum animarum. Hanc ipsemet signabat viam cùm diceret, *Exiui à patre, & veni in mundum*, & confecto negotio salutis humanæ, *iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Sol idem hieroglyphicum est feruidæ Christi Domini Charitatis. Sicut enim viuificus illius planetæ calor intima peruadit viscera marium atque terrarum, quæcumque quinque zonis subiacent, aut alterutro polo, ita & feruidus Seruatoris amor, & calor meritorum eius, omnibus se gentibus, populisque communicat, qui eo frui velint: nec est qui de thesauris eius vtilitatem capere non possit.

Ioan.16.28.

Seruator Soli collatus.

IV. *Venit saliens in montibus, &c.* Hanc quoque celeritatem beneficam atque salutarem, non obscurè notat Salomon, cùm de dilecto, inquit, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum.* Quasi Ecclesia de sponso suo diceret, venisse eum ad se non accelerato gressu cursúve, sed saltu potiùs vtentem, aut volatu. Quid enim est ex altis montibus subiectos transilire colles, quàm volare? Deus & homo inter naturas intelligentes extrema tenent, medij sunt Angeli, qui excelsa possident naturalium perfectionum, quibus transgressis, per mysterium Incarnationis, saltu peruenit ad hominem, non Angelica natura, sed Abrahæ semine apprehenso. *Vultis*, ait Magnus Gregorius, *saltus eius agnoscere? De cœlo venit in vterum, de vtero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum. Ecce vt nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit.*

Heb.2.16. Hom.29.in Euang.

Obseruat

Obſeruat quoque S. Bernardus ſingularem ſponſi diligentiam, qui Angelum quidem ad Virginem miſit, ſed aduentũ Angeli Dominus ipſe anteuertit. Id enim haud obſcurè ſignificat Angelus, cùm eam ſalutando, iam Dominum cum ea eſſe fatetur. Is autem vſque adeò deſiderio ſanctificationis noſtræ vrgebatur, vt primo ſtatim momento incarnationis ſuæ, primáque ſui ipſius oblatione homines ſanctificarit vniuerſos, eis promerendo gratiam & charitatem, qua ſanctificarentur. O diligentiſſimum amatorem, qui tam citò amare cœperit dilectos ſuos, vt ne ad natiuitatem quidem ſuam expectare potuerit, aut differre argumenta beneficentiſſimi amoris ſui. Cùm primùm autem editus eſt in lucem, illicò ſigna edidit feruentiſſimi amoris: ſtatim faſciæ & panni viles, ſtatim ignominioſum ſtabuli hoſpitium, & cunæ præſepis: quàm primùm cruenta circuncíſio, & fuga in Ægyptum, vt præproperam vitet à tyranno mortem. Itaque in ſignum diligentiſſimi amoris tui, ô feruide amator, ipſo primo puncto incarnationis tuæ, obtuliſti te patri pro amicis tuis; ipſa prima hora natiuitatis tuæ pro eis paupertatis incommoda ferre cœpiſti: ipſo primo anni die, iiſdem primitias dediſti ſanguinis tui, nec vltra diſtuliſti: quin hæc ipſa mora, quamuis breuis, viſa eſt fortaſſe longior prompto & feruido amori tuo. V. *Eadem ſponſi celeritas ex Bernardo.* *Quam citò ſe hominibus impenderit.*

In ipſo deinde vitæ decurſu inæſtimabili deſiderio ferebatur ad mortem, vti ceruus volucri ſagitta à venatore percuſſus, & canum tergo pene inhærentium præcipiti curſu fatigatus, fertur ad fontes, telo quippe amoris ſalutis noſtræ ictus, ſitim illam ſedare cupiebat, qua eius viſcera torrebantur, cùm diceret, *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Et rurſum, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Coarctabatur vtique; nam hinc quidem ſciebat definitum tempus à Patre morti ac cruciatibus ſuis: inde autem flagrabat deſiderio perficiendæ redemptionis humanæ. Itaque tanquam in torculari premebatur; & hinc à paterna obedientia ac decreto retinebatur; vt diceret, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: inde ab illa Charitate vrgebatur, quæ apud Eſaiam dicebat, *Velociter ſpolia detrahe, feſtina prædari*: abducito quam primùm captiuam illam captiuitatem, tot iam ſeculis expectantem aduentum tuum. VI. *Feruens eius moriendi deſiderium.* cap. 8. 1.

Infirma erat caro, erat quippe caro, & mirum in modum triſtis & anxia dicebat, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte,* feruebat autem ſpiritus, & dicebat, *veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Vnde tam prompta in re tanta propriæ abdicatio voluntatis? nónne ex flagrantiſſimo, & plus quàm ſeraphico in Deum & proximum amore, eóque tam ſublimi, vt ne ſenis quidem alis Seraphini ad eius altitudinem peruolare poſſent. Fecit hic amor vt in virilis ætatis flore, non ad ſenium deuexa moreretur; etſi pro egregia conſtitutione corporis ad centeſimum annum vitam propagare poſſet, VII. *Et in oliueto lucta.* *& morte præpropera.*

Aug.l.5.cōtra Iul. c.9. & l.3. de fide or.c.20. Damaſ.& Anſel.l.1. cur Deus homo.c.10. & l.2.c.10. & ſeqq.

& pro innocentiæ ſtatu quo fruebatur, & dignitate perſonæ quæ ſuſtentabat humanitatem, nunquam mori, tali præſertim morte debuiſſet. Vt ſancti Doctores vnanimi conſenſu tradidere. Auguſtinus, Damaſcenus, Anſelmus.

VIII. *Rei omnium criminum conditionem accepit.*

Hic ipſe amor magno feruore Seruatorem perpulit, vt rei conditionem acciperet, & quidem rei innumerabilium ac fœdiſſimarum noxarum capitalium, quæcumque ab rerum exortu, vſque ad eius aduentum, primum, poſtremúmque perpetrandæ erant, vt pro iis omnibus diuinæ iuſtitiæ cumulatè ſatisfaceret. Ergo diuinæ ſe maieſtati obtulit, tam fœda cloaca, tam horrenda ſentina ſordidatus, eámque vniuersè, ac ſingillatim pernoſcebat. Quòd ſi aliquando criminis vnius fœditas innocenti animæ ſummum incutit horrorem, quantum quæſo diuina illa anima concepit horrorem, cùm ſe tot támque execrandis criminibus coopertam, ac pene obrutam vidit? Quanto cum pudore proſtrauit ſe coram Deo, quaſi omnia illa ſcelera perpetraſſet? Ea enim quaſi propria aſcribebat ſibi, ſuáque appellabat, iuxta illud, quod pridem à fratribus vſurpatum memini, *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum:* peccata ſcilicet quæ mihi aſſumpſi, prohibent ne liberari poſſim, & veniam exorare.

Pſal.21.

IX. *Eius rei figura ex Zacharia.* c.3.3.4.

Sic nimirum impletum eſt Zachariæ illud oraculum, ac figura, qui Ieſum ſacerdotem magnum vidit coram Angelo Dei, ſordidis indutum veſtibus: cúmque iuſſiſſet Angelus auferri ab eo veſtimenta ſordida, ſubiecit. *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Elegantibus nimirum veſtibus ac pretioſis. Refert hic Angelus perſonam Dei, qui videt Ieſum veriſſimum Pontificem, quamuis innocentia & ſanctitate incomparabili, coopertum foris fœdiſſimo peccatorum amictu, & voluntario pro iis dolore afflictum, cuius etiam ſatisfactionem libens accipit, & illius gratia omnia peccata delere ſtatuit, & ſumma gloria induere ſanctum Pontificem. *Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Hæc ipſa humanitas ſacroſancta confert ſe tabernaculis Cedarenorum, quæ foris obtecta pellibus, quas ſoles ac pluuiæ deformarunt, intus plena ſunt mercibus precioſis. Et inſtar eſt Moſaici tabernaculi, quod cilicinæ veſtes operiebant, interiora verò auro puriſſimo rutilabant.

Phil.2.9. Cant.1.5.

X. *Sudor ſanguineus feruoris apertus index.*

Apparuit etiam vehementius iſte feruor, admittendis internis externiſque doloribus, quibuſcum Seruator omnibus illis criminibus erat facturus ſatis; qui palam in oliuetano horto ſudore ſanguineo, ſupremáque animi lucta ſe prodidit. Quanquam ſi rem penitius inſpiciamus, videtur Seruatoris innocentia magis cum fœdo peccatorum onere pugnare, quàm cum omnibus doloris ac triſtitiæ fluctibus; his enim tum erat animo & corpore obnoxius, propriis autem peccatis obnoxius nunquam fuit. Vtraque tamen complexus eſt feruore mirabili, ex quo vigor quidam in cor illud oppreſſum malis redundabat. Mortem ani-

mo propositam ab ipso vitæ exordio, & quidem immensis doloribus, probrisque cumulatam, distinctissimè cognoscebat, & vehementer reformidabat; nec minus distinctè singula cognoscebat, quàm cum oculis ipsis obiecta fuerunt, & cruciatum animo corporique intulerunt. Cùm in hominibus futurorum malorum reformidatio infirma sit ac confusa, qualis est contemplatio rerum ex longinquo; quo fit vt vitæ futuræ mala non satis, neque pro merito ab hominibus timeantur.

XI. *Quomodo contigisse videatur.*

Natura igitur sibi permissa, totis viribus ab illa crudeli ac probrosa satisfactione abhorrebat, & semel, iterum, tertiò in preces effusa Deum rogabat, ne tam amarum calicem ebiberet; cùm cor ipsum, pauore ac tristitia languescens, sanguinem vndique attrahebat ad sese, vt vires reciperet. Sed feruida charitas Seruatoris, & Patri addictum obsequium contra nitebantur, magnáque vi humanam repellebant infirmitatem, & sanguinem ad externa membra remittebant. Hoc nimirum intimum certamen, luctáque vehementior in sanguineum sudorem euasit, in certum deuictæ naturæ argumentum, & illis virtutibus succumbentis: quæ illico habenas intimo de peccatis dolori laxarunt, qui tantus fuit, quantum illa Prophetæ verba significant, *magna est velut mare contritio tua.* Et rursum, *Impleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Et erat vtique satis potens iste dolor ad eripiendam corpori vitam, si animus, qui in latissimo tristitiæ oceano iactabatur, totum illum dolorem in corpus ægrum passus esset effundi. Quòd si animus ex dolore posset occumbere, vtique sæpius occidisset, siue eo tempore quo fassus est tristem esse animam suam vsque ad mortem; siue illo quo se à patre derelictum lamentabatur. Interea nihilominus Charitas eius ita feruebat; vt non vnam modò crucem subire, sed sexcentas paratus esset, si id fuisset ex Dei gloria & salute mortalium. O ardorem Charitatis immensum, quanto amplius opinione nostra tibi obligati sumus, ô Seruator. Sed

Christi dolor de peccatis. Thr. 2. 13. & 3. 15. Les. l. 12. n. 133.

XII. *Prompta eiusdem resurrectio feruoris nota.*

Libet aliud quoque addere prompti ac feruidi amoris tui argumentum. Hæc diuina anima à corpore suo fuerat dolorum acerbitate seiuncta; neque enim corpus lethiferum vllum vulnus acceperat. Oportebat autem, partim ad ea quæ de Christo figurata fuerant factis exprimenda, & implenda oracula Prophetarum, ipsámque adeò Seruatoris promissionē; partim etiam ad veritatem mortis confirmandam, eum tribus diebus, totidémq; noctibus in corde terræ sepultū iacere; sed feruidus eius amor, & desiderium quamprimùm educendi de carcere Sanctorū animas, & cura familiæ suæ inuisendæ atque colligendæ, eam morā ferre non potuit, sed tres illos dies atque noctes ita contraxit, vt vnius diei finis & alterius initium pro duobus solidis diebus numerarentur, vnúsque tantùm esset dies integer cum nocte sua; & omnino duæ ac septuaginta horæ, in sex aut octo supra triginta mutarentur. Longum ei

erat afflictæ ac desolatæ matris, vniuersæque familiæ suæ tribus totis diebus ac noctibus visitationem, ac consolationem differre; itaque quamprimùm gloriæ suæ radiis sanctissima matris nubila tristitiæ discussit, & gregem dissipatum, ac nutantem collegit, firmauitque; adeóque properè omnia, vt ipso resurrectionis die, minimùm sexies inuiseret suos.

XIII. *Conclusio, cum petitione feruidi amoris.* Habent itaque mortales in Christo Domino promptum amicum ac feruidum, quando ipse famulos suos, vltro amicos vocat; itaque feruidum eorum amorem promeretur, vt hæ amicitiæ aliqua sibi similitudine respondeant. Non est rationi consentaneum, ipse vt nos vnicè diligat, nos eum vulgari ac plebeio amore prosequamur. Indignum est eum in salutis nostræ negotio sanguineo sudore diffluere, nos in eius gloria & hominum salute procuranda languere. Nónne nos grauissimo pudore suffundi necesse est, qui videamus Dominum naturalem mortis horrorem, probrorum ac cruciatuum formidinem generoso animo superare, seruulum modicæ difficultati, quæ in famulatu eius occurrit, fœdè succumbere? O bone Iesu, feruentissime amator animarum, largire nobis hunc erga te feruorem spiritus, promptum, diligentem, studiosum amorem tui, qui tanto es nobis amabilior, quàm nos tibi. Et quia magnitudo feruoris, ex copia flammarum dependet, maiorem in nobis ignem Charitatis accende, qui frigus omne, teporem omnem, ac laxitatem naturæ corruptæ, sua efficacitate consumat.

XIV. *De humano tepore querela.* Deus meus, quæ est ista peruersitas? oporteret profectò rumpi dolore cor nostrum, in vitæ nostræ ad exitum properantis, ignauia contemplanda. Mutæ animantes appropinquante fine laboris sui, vehementius conituntur, vt illum expleant; vt in equo notare licet sub finem diurni itineris, nocte præsertim propinquante. Et oues, cùm se in stabulum reducendas sentiunt, gramen properantius depascuntur, natura quodammodo innuente, reliqui diei negligentiam præsenti diligentia compensandam. *Apoc.12.12* Dæmon quoque tam in fine vitæ cuiusque hominis, quàm sub extrema tempora totius humani generis, tanto aget res suas diligentiùs, quanto sibi minus temporis intelliget superesse ad agendum. Nobis autem singulis horis ad mortem properantibus, & ad ipsius quasi suburbia iam progressis, maiore in dies socordia opprimimur, maiore in horas ignauia languemus; nec studemus anteactæ vitæ negligentiam, præsenti feruore compensare.

XV. *Non obstantibus feruoris exemplis.* Hoccine Seruator, præbuisti hominibus exemplum, cum doloribus, cruciatibúsque confectus, ageres in cruce animam? hoccine præbuerunt optimi quique seruorum atque ancillarum tuarum, quos ad tantum feruorem pœnitentiæ perpulit amor tuus? Quid? qui sunt in tuo famulatu nouitij, quò minorem tui adhuc cognitionem habent, hòc esse deberent in amore tuo lentiores, & tamen factis ipsis exprobrant

veteranis veternum iſtum atque ſocordiam. Verum quidem eſt nouitatem operis quandam ſecum ferre alacritatem, & feruorem corporis etiam animi prodeſſe feruori; res tamen ipſa in tuam maximè benignitatem referenda eſt, quæ recentes plantas rigat ſtudioſiùs, ne ſi amaræ duntaxat aquæ peregrinantibus occurrant in huius vitæ deſerto, conſilium capiant de Ægypto repetenda. Age cum veteranis quaſi cum tyronibus, ô humaniſſime Seruator; Nam etſi non ſunt nouitij ſicut ipſi, non minore tamen fortaſſis infirmitate laborant. Dilata cor eorum, vt alacriter viam mandatorum, & conſiliorum tuorum decurrant, & immortale præmium, quod feruidis amatoribus tuis præparaſti, pro dignitate ac meritis æſtimare poſſint.

Nouitiorum feruor.

Pſal. 118. 32.

CAPVT XII.

Diuinum amorem in Deo ipſo feruidum ac promptum eſſe.

I. AVTOR. *Tranſitio ad Dei ipſius feruorem.*

ITA feruidus Amor finem imponebat orationi ſuæ, cùm ego occurrens, Apparet ſanè, inquam, ô feruide Amor, te propoſitam terminaſſe diſputationem, cum iuſtiſſima ignauiæ noſtræ reprehenſione; neque tamen mihi adhuc, cum bona tua venia dixerim, factum eſt ſatis. Studeo enim, mi Amor, ex te audire, poſſimus ne aliquam in Dei erga nos amore notare promptitudinem aut feruorem, cum is potiùs vniuſmodi ſemper, atque immutabilis eſſe videatur. Certum quidem eſt, ait Promptus Amor, eum qui in Deo eſt amorem, immutabilem eſſe, vt ipſum Deum: & eum plus minúſve res à ſe creatas diligere, prout ſe maiori, vel minori amore dignas reddunt: & in rebus, quæ paulatim perficiuntur, non in Deo, qui nulla fieri poteſt acceſſione maior aut perfectior, mutationem reperiri. Si tamen placet humano more diuinas actiones contemplari, aliquam in eis diligentiæ ac promptitudinis imaginem notare licebit, quam, quia ita placet, breuiter aperiam.

PROMPTVS AMOR.

II. *Tres actus diligentiæ.*

Videtur porro diligentia hominis pro amico laborantis, tribus in rebus eſſe poſita. Primùm, vt operi ſe quamprimum accingat, mora omni non neceſſaria, aut cunctatione ſemota. Alterum, vt negotium quanta fieri poterit celeritate conficiat. Tertium vt in eo perpoliendo ac perficiendo, nec induſtriæ parcat nec labori. Vide autem quàm cito Deus homines amare cœperit. Subditi quidem multis fere magniſque obſequiis principum ſuorum beneuolentiam promerentur, neq; eam ſemper obtinent. Habent enim reges multa millia ſubditorum, multas famulorũ ac domeſticorum centurias, familiarium autem aut neceſſariorum, quos ſingulari amore proſequantur, fere ſingulos. At diuinus amor in omnes ſubditos ſuos famulóſque fertur, qui ei placere cupiant aut famulari. *Vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* 1. Tim. 2. 4.

quod est singularis cuiusdam beneuolentiæ argumentum, qua dilecturos anteuertit: neque enim id vnquam, nisi Deo gratis eos præueniente potuissent, qui autem dat gratis aliquid, diligit eum cui confert donum: habet enim amor rationem primi doni. Itaque rectissimè dilectus discipulus. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

L. 4. 19.

III. *Deus cito diligere cœpit.* Matth. 25.

Sed quanto tempore prior? vtique à constitutione mundi, vt docuit Seruator ipse, cùm denunciat se in supremo iudicio dicturum electis suis, *Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi*: quando conditum est empyreum illud cœlum, quod esset absolutissimæ pulchritudinis theatrum, in quo Deus explicaret amicis suis diuitias gloriæ suæ, & ipsemet reuelata facie cerneretur, mutuis constringeretur amplexibus, perpetua charitate diligeretur, æterna fruitione possideretur. Sed antiquior etiam est hic amor. Quod enim tum fecit, eodem amore suadente, id ab omni retro æternitate facere statuerat, & ab eo ipso primo æternitatis momento, quo statuit bonitatem suam extra se communicare; quæ voluntas æqualis, & coæua est ipsi Deo: etsi posterius suo tempore facta est executio. Ab illo ergo instanti coniecit oculos, in corpus & animam, quam nobis erat largiturus, in parentes, ex quibus nos erat procreaturus, in mysticum illud corpus, in quod erat inserturus, & in omnes rationes & vias, quibus nos erat ad æternam beatitudinem euecturus, quæ sunt totidem beneficia, quæ ab eius liberalitate eramus, suis quæque temporibus accepturi, iuxta sanctissimas diuinæ prouidentiæ rationes.

IV. *Retinet constanter amorem.*

Hæc est amoris huius antiquitas; cuius, nisi per nos steterit, nullus erit vnquam terminus, nullus finis. Nunquam ille diuellit amorem prior; quin studet potiùs, per se pérque angelos suos, quos habet semper ad manum, pérque alios prouidentiæ suæ administros, amicitiam suam illibatam fouere ac tueri, quasi suo quopiam cum emolumento diligeretur à nobis. Et si quando contingit, & proh dolor! nimium sæpe contingit, vt aliqua eum afficiamus iniuria, præcepta violemus, & creatam rem aliquam, Creatore ipso antiquiorem ducamus, prior ipse reconciliationem gratiæ quærit, stat ad cordis ianuā & pulsat, vt amicitiam quamprimùm redintegremus: ídque non semel aut iterum, sed centies ac millies; quæ bonitas est admirabilis, ac prorsus digna Deo.

V. *Diuinarum actionum celeritas.* Prou. 3. 28.

Diligens amator, expeditè conficit negotia amici sui, diceres eum ignem in pectore, alas manibus pedibúsque gestare, memor illius Salomonici moniti. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi; cùm statim possis dare.* Nec ignorat illud quoque verè dictum, *Bis dat, qui cito dat. carè* enim *emitur, quod precibus emptum est.* Itaque opera quæ ab vno Deo pendent, mirabili ab eo celeritate conficiuntur, quòd nihil sit, quod eius infinitæ potestati resistat, & quacunque re creata omnem in partem vti possit, quoniam omnia seruiunt ei. Ergo vniuersam hanc

mundi machinam puncto temporis eduxit ex nihilo, nec diuturniore opera innumerabiles illos exercitus angelorum, singulisque diebus mortalium animas infinitas, producit, & quantum est in se sanctificat; quæ enim mora interuenit, ex incommodo atque importuno personæ statu contingit. Quid Dei filius? nónne humanum corpus, sine vlla temporis mora figurauit, atque assumpsit: omnium corporum resurrectio, postremúmque iudicium incredibili celeritate perficientur. Vnicum enim habebunt autorem Deum. Baptismi gratiam, cæterorúmque sacramentorum semper habet paratam, sempérque confert, nisi quis gratiæ obicem ponat; Quod autem gloriam tardius plerisque confert, ideo cunctatur, vt illis gloriam conferat ampliorem.

CAPVT XIII.

Tertius diligentis amoris actus, in diuinorum operum perfectione maximè cernitur.

SI quis in gratiam amici sui in re aliqua elaboret, omnem dat operam vt opus id accurato studio ac diligentia perfectum sit; scit enim huiusmodi opera in pretio esse apud homines, vehementiúsque placere. Qui autem negligenter ac defunctoriè in re nostra versatur, non magni nos facere videtur. In amore enim vel odio, æstimatione aut contemptu, persona ipsa, & quæ ad eam pertinent, pro eodem habentur. Deus & proximus eadem charitate diliguntur, Rex & imago eius eundem honorem, dedecúsque participant: vnde consequens est eum, qui in Dei operibus negligenter versatur, negligere ipsum Deum; vt non mirum sit à Propheta dici, *Maledictus qui facit opus Dei negligenter, aut fraudulenter*, sibi videlicet dissimulanter parcens, neque eam quam posset industriam operi eius, vel contentionem adhibens. Si ergo Deum orare opus Dei est, si concionari, exhortari, administrare sacramenta, diuina sunt opera, nónne hæc perfunctoriè agenti verendum est, ne maledictionem pro benedictione acquirat?

I. *Tertius diligẽtia actus.* — Ierem. 48. 10. apud. 70

Pictor egregius, insignis aurifex, opifex aulæorum, aut phrygiarum vestium, aut quis alius nobiliorum artium operúmque artifex, qui opus aliquod eruditis oculis visendum pollicitus est, optátque gloria clarus euadere, inquirit omnia, ac perscrutatur, nullam eius particulam omittit quam accurata diligentia non persequatur. Vide igitur quanta diligentia Dominus in opere suo elaborauit, in homine ipso dico, & rebus omnibus, quæ in hoc aspectabili mundo ad eum pertinent; nihil inueniri, aut animo fingi potest, quod ad naturæ, cuius est autor Deus, perfectionem accedat, vt homo intelligeret amari se à Deo, atque adeo magnifieri. Cœlum serena, stellantique nocte intuere, vide claritatem, figu-

II. *Perfectio diuinorum operum.*

ram, magnitudinem, motum, influxum, durationem, pulchritudinem, reliquámque omnem tam cœli quàm ſtellarum abſolutionem, quæ vnius hominis cauſa facta eſſe nemo ignorat: & diuini artificis operiſq; diligentiam admirare. At ne quis cauſetur proferre nos teſtes, quos propiùs examinare non liceat, fabricam humani corporis in ſuo genere perfecti conſideremus, à capite ad calcem membra omnia interna externáq; contemplemur; magnus partium, membrorum, articulorúmque numerus occurret, quorum ne minimum quidem loco, figura, magnitudine mutare poſſis, quin eius vſum multiplicem, pulchritudinémque corrumpas. Non placet ſingula perſequi, infinitum eſt enim iter ad omnia; ſatis erit vnum atque alterum exemplum proferre.

Index amoris eius in homines.

III. *Id in humano capite oſtéditur, eiúſque*

Deut. 32. 4.

Figura.

Rectiſſimè olim Moſes prædicabat, *Dei præfecta eſſe opera.* Nihil excipit, ſed nos niſi de corporatis, certum & accuratum iudicium ferre non poſſumus, in quibus homo ſine controuerſia principem locum tenet. Contemplemur ergo ſi placet hominis caput, ſed huiuſmodi, quod propter perfectionem ſuam exemplar cæterorum eſſe poſſit. Quanto ergo ſtudio videtur Dominus architectatus hoc caput? Principiò rotundam illi figuram dedit, quæ cæteras capacitate, firmitate, & pulchritudine vincit. Neceſſarium erat eſſe capax, quoniam intra eius ambitum, omnia internorum atque externorum ſenſuum organa collocanda erãt. Cætera membra vno duntaxat ſenſu tactus potiuntur. Caput videt, audit, odoratur, tangit, guſtat, loquitur, præter ea quæ functionibus ſeruiunt memoriæ, intelligentiæ, voluntatis. Oportebat caput robore ac firmitate præditum eſſe, vt facilius aëris incommoda ferre poſſet, & ſi quando res ferret, vim externam à molliſſimo cerebro tutaretur; itaque hoc ipſo quod rotundum eſt, totum eſt angulare, inſupérque totum pene oſſibus conueſtitum.

Firmitate.

IV. *Pulchritudine.*

Decebat eam partem corporis, quæ omnibus eminet, & quaſi ſpectaculo propoſita eſt, grata pulchritudine commendari: hinc ergo pulchra cæſarie eleganter conueſtitur, ne nudum cranium parum decorè appareat: inde facies aperitur, animi ianua, & ædis Deo ſacræ propylæum; eius tanta ſæpenumero eſt pulchritudo, vt quo tecúmque oculis & cogitatione conuerteris, nihil in terris elegantius reperire poſſis, vel varietate & elegantia partium ſingularum, vel mutua omnium conuenientia, vel luce & colore, vel gratia & concinnitate. Abſolutiſſima deniq; integritate conſtat, nihil omnino vt deſit, aut redundet, ſed omnia inter ſe præclara conſenſione ita reſpondeant, vt ſi quid loco moueris, aut mutaris, venuſtatem violes, vſúmque corrumpas. Nolo ad ſingulas faciei partes, quæ ſunt totidem pene miracula, oratione decurrere, oculos præſertim & linguam, eorúmque mirabiles, muſculorum & neruorum opera, omnem in partem motus, ne iuſti voluminis materiam, vnam in periodum coniiciam. Inſpiciamus obiter duntaxat vt cœpimus hominis manum.

Abſolutione.

Inſpiciamus,

Inſpiciamus, inquam, manum, & in ea perquam accuratam artificis diligentiam ex eo ſuſpicemur, quod ſi vnum aliquem digitorum ſuſtuleris, ſi quem tenuiorem feceris aut craſſiorem, ſi breuiorem vel longiorem, quàm inſtituta ab autore naturæ proportio requirat, ſi pollicem in media manu aut extrema collocaris, illico turpitudinem agnoſces, & vſus commoditatem ſenties impeditam. Ita ad vnguem accurata ſunt omnia, vt ne vnum quidem vnguiculum ex vllo digito, ſine damno tollere ac deformitate poſſis. Si caſu aliquo digitus vnus læſus fuerit, ſic vt conſuetum miniſterium præſtare non poſſit, facilè experieris quàm eſſet tibi neceſſarius. Demus eorum aliquem cum cæteris aut inflecti aut diduci non poſſe; aut aliorſum flecti quàm vſus poſtulet, tum demum apparebit quantum afferat vel incommodi vel fœditatis. Fiat ſimilis in quouis cæterorum membrorum periclitatio, & intelligetur profectò quantum ſtudij adhibuerit diuina ſapientia, vt hominem ſolenne quodammodo ſpecimen ederet ſuæ facultatis. Adhibuit enim ipſemet artificioſiſſimam illam manum, cùm diceret, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Voluit hominem peculiaris in ſe amoris diligentiam agnoſcere, quando diuina erga ſe beneficia contemplaretur. V. *Oſtenditur & in manu.* Gen. 1. 26.

Verùm has ipſas diuinæ diligentiæ proprietates ad vſum noſtrum, ſi placet, vtilitatémque referamus. Deus enim argumenta dedit diligentis amoris erga nos ſui, dum ab initio apud ſe conſtituit de hominibus benè mereri. Quid ergo iſti excuſationis inuenient, quam obtendent cauſam ignauiæ ſuæ, cùm Deum accuſantem audient, quod primos præcipuóſque ætatis annos mundo, carni, Satanæ, hoſtibus eius infeſtiſſimis dederint, Deo poſtremos, deterioréſque reſeruarint? Eos ille ex animo dilexit, cùm nemo ipſorum officio certaſſet prior; Ipſi autem poſt totidem accepta beneficia, quot creatæ res infra ſupráque cœleſtes illos orbes reperiuntur, hærebunt tamen ambigui, an eum vnum toto ex corde ſint dilecturi. Qui homines à mundi conſtitutione dilexit, cùm cœlum illud empyreum produxit ex nihilo, & regnum eis beatæ immortalitatis præparauit, nónne promeritus eſt, vt à primo ipſo rationis vſu, ei nos penitus conſecremus, eiúſque nos amori ac famulatui addicamus. VI. *Hæc perfectio applicatur ad mores.*

Sempiternum illud numen, cuius prima in illa infinita æternitate cogitatio, primáque voluntas, ſi placet diuina ad humanum captum accommodare, poſt diuinarum perſonarum productionem, fuit illud animi decretum, quo ſtatuit homines habere in terra filios, in cœlis hæredes, & ab infernis illis ſuppliciis expeditos, nónne dignum eſt vt quotidie ad ipſum primæ noſtræ cogitationes euigilent, de ipſo ſint, ipſique intimis ſenſibus offerantur? Nónne ius habet poſtulandi, vt primus quotidie voluntatis noſtræ actus, ſit diuini amoris, & gratiarum actionis? Nihil omnino iuſtius, nihil æquius, aut lingua dici, aut animo fingi poteſt. Sin autem id officij tam iuſti támque debiti VII. *Æquum eſt vt Deo quã primum.*

persolutionem neglexerimus, nihil profectò nobis iniustius sub cœlo, nihil ingratius, aut inhumanius reperietur.

VIII. *Constantérque seruiatur.* Cæterùm non cœpit duntaxat Deus quamprimum diligere nos, sed in eo amore quantum in se est, constanter perseuerat, nec quantiscumque appetitus iniuriis, aut indignissimè desertus penitus deserit, sed vrget dum viuunt, instátque filiis prodigis, instinctu inflatúque diuino, vt inimicitias dissoluant, gratiámque redintegrent. Instaurandæ amicitiæ homines angelósque adhibet administros, prosperis vtitur & aduersis, minas ingeminat & promissa, non parcit blandiciis, aut querelis. Ecquid ergo mortalibus ita insanire placet, ita contra propriam coniurare salutem, vt non antiquius ducant millies vita defungi, quàm tam nobilem támque fructuosam amicitiam vlla ratione violare? Velint potiùs in ea perseuerare, dum ipsis vitæ huius mutabilitate expeditis, diuinus amor in eorum animis æternùm firmetur, atque immutabilis perseueret. Qui venit ad homines saliens in montibus, collésque transiliens, num gratum habebit, si ad eum testudineo gradu proficiscare?

IX. *Et maxima cum perfectione.* Denique si diuinus amor tantam adhibuit curam atque diligentiam, in elaborando, vt quæcumque in nobis, aut nostri causa perfecit, totidem exquisitæ artis atque industriæ experimenta videantur, ex quibus vsum ipsi voluptatémque capiamus; quomodo ferre potest, vt in eius famulatu defunctoriè seruiamus? Ecquid nihil nos pudet talia opera illi oculo tam perspicaci, illi sapientiæ tam exquisitæ audacter offerre? Ne blandiamur nobis cum Dauide dicentes, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; Ita sanè, sed non etiam approbarunt. Cùm Hiram rex Tyri vidisset oppida, quæ illi dederat Salomon, ea parum probauit, dixitque, *hæcine sunt ciuitates, quas dedisti mihi, frater? & appellauit eas Terram chabul*, id est lutosam ac tenacem, aut arenosam siue sterilem. Quid dicet cœli Rex, qui nobis regiam illam ac planè diuinam ciuitatem ita construxit, nihil vt possit ad summam diligentiam desiderari, cùm viderit operum, quibus eam promereri cupimus, incuriam & inscitiam? operum rudimenta potiùs, quàm absolutiones, opera frigida, languida, intermortua, semiuiua. Hæccine, inquiet, opera dedisti mihi, fili? nec placebunt ei. Recipies ea nihilominus si placet; tibi enim deuota sunt ac consecrata, sed emendata, ac perpolita, ex abundantissima ac supereffluente perfectione operum diuini Seruatoris; cum quibus, vt tibi accepta sint, libentissimè offeruntur.

Psal. 138. 16.

3. Reg. 9. 13.

Imperfectio nostrorum operum.

Finis Libri decimi-tertij.



LIBER DECIMVSQVARTVS.

Amor Dei Zelotes.

CAPVT I.

Descriptio decimi filij Charitatis, cui nomen Amor Zelotes.

AVTOR.



HVNC imposuit finem Feruidus Amor orationi suæ, cui licuit etiam zeli nomen accommodare, si solius notationis nominis rationem habere libuisset: ex qua liquet zelũ idem esse cum feruore; sed eas voces vsus ipse discriminat. Feruor enim latiùs videtur patere quàm zelus, quæ forma quædam est feruoris. Neque enim zelus ad eos omnes pertinet, qui feruorem in aliquo negotio, vel diligentiam adhibent. Et zelus aliquid fere habet tristitiæ, & æmulationis, quæ in quolibet feruore non reperitur. Petrus Apostolus feruidus vbique demonstratur in diuino famulatu, Elias autem, quod ipsemet fatetur, zelator. Sanctissimus ille martyr Ignatius feruore mirabili ferebatur in mortem, vt ipsas quoque bestias in suam perniciem prouocare non dubitaret. At Paulus zelo plenus erat, & æmulatione pro traditionibus patriis, ne fortè Ecclesiæ Synagoga succumberet. Huc quoque zelotypia pertinet, quæ ferre non potest vt alius re à se dilecta fruatur.

I. Ratio nominis, & quid zelus à feruore distet.

3. Reg. 19. 10.

Quod igitur attinet ad hunc decimum Charitatis filium, cùm is se in apertiorem conspectum dedisset, perquam similis visus est duobus ipsius fratribus, Amori Feruido & Actuoso, qui proximè dixerunt: subalbidus tamen erat eius color, ob natiuam quandam tristitiam. Lutei coloris erat vestis eius, siue rutili dilutioris, vt obscurè significetur zelotypia aduersus animam, Dei sponsi sui amori aliud quippiam perfidiosè præferentem. Super eam opere plumario depictus erat Elias, qui è spelunca in monte Horeb dimidiatus apparebat, dextro cubito incubans, & tristi cogitatione defixus. In limbo vestis acu picta erat illa querela, *Me dere-*

II. Descriptio Amoris Zelotis.

3. Reg. 19. 9.

liquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Baculum gestabat manu, cum hoc elogio, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Vultúque ipso totóque corporis habitu significabat habere se quæ de hominibus pro Domino quereretur.

III. *Præcipua capita futuræ disputationis.* Et apparet sanè ipsum eandem fere cum fratribus viam initurum in disputatione sua, docturúmque principio germanum se filium Charitatis; diuinum amorem natura sua zelo abundare, eúmque subinde variis occasionibus patefecisse Dei famulos. Quin etiam hunc ipsum zelum in Christo Domino dum versaretur in terris prodidisse se, in Deóque etiam demonstrari. Docebit quoque, vt spero, quàm sit rationi consentanea ista zelotypia, quantam mortales iniuriam inferant supremo Numini, sibique ipsis, dum amori eius aliquid anteferre non erubescunt. Sed nos quoque de more, prius ostendemus zelum & æmulationem vniuersè amori conuenire, quod ipse mox de diuino declarabit.

CAPVT II.

Vulgarem mundi amorem zelo & æmulatione abundare.

I. *Zelus vt imitatio est.* PRINCIPIO illum obiter attingo zelum, qui mera imitatio est, aut æmulatio, siue desiderium eò perueniendi, quo iam alius peruenerit, iisdem vestigiis insistendo, puta ad scientiam, honorem, eloquentiam, famam, virtutem, diuitias, sanctitatem acquirendam; eius studium & industriam imitando, quem sibi cupit esse prototypum. Ita
2. Mach. 4. 15. 16. scriptum est Iudæos, qui Machabæorum tempore à patriis legibus deficiebant, ethnicorum instituta æmulatos esse, eorum probra sibi gloriæ vertisse, illisque quam simillimos euadere voluisse, adeo vt ad circun-
1. Mach. c. 1. 16. cisionem antiquandam, facerent sibi præputia. Sic Scribæ & Pharisæi, magisterij honore prurientes, circuibant mare & aridam, vt discipulos sibi colligerent, quos duplo se nequiores reddebant, & gehennæ filios.
1. Cor. 3. 3. Zelus quoque in sacris literis, spiritum contentiosum significat, & factiosum, qualem Paulus notat in Corinthiis, inter quos zelus & conten-
Iac. 3. 14. 16 tio grassabantur; qualem arguit & Iacobus. *Quòd si zelum amarum habetis,* inquit, *& contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari.* & infra: *Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.*

II. *Zelus amoris proprietas.* *D. Tho. 1. 2. q. 28. a. 4. Arist. 2. Rhet. ca. 10. & 11. Itē D. Tho. 2. 2. q. 36. a. 2* Vt autem de zelo propriè, atque vniuersè loquamur, is ex Amore, tanquam proprietas quædam, efflorescit. Cùm enim amor in bonum dilectum feratur, si quis fortè obex occurrerit, connititur animus, atque obluctatur aduersus impedimentum, vt illud amoliatur, & arceat, qui animi conatus appellatur zelus: qui tanto maior est, quanto maior est amor, & vehementior ad id bonum acquirendum conatus. Et habet quidem zelus aliquid inuidiæ simile, cùm ambo tristitia quadā afficiantur propter

desideratum bonum, putà diuitias, amicos, dignitates, & alia id genus: plurimum autem in fine differunt. Qui enim zelo præditus est, in obtinendis iis bonis elaborat, dolétque se ea non habere, quæ cæteri, qui pari secum conditione sunt, obtinent. Inuidus autem non vult alium id bonum obtinere, déque eo ab illo obtento contrahitur animo, ac contristatur. Itaque Philosophus zelum & æmulationem numerat in bonis, & bonorum esse tradit. Inuidiam autem in malis, & malorum propriam esse fatetur. Zelus enim incitat homines ad id bonum, quo se dignos arbitrantur, quod æquum est. Inuidia verò ad impediendum ne alius eo bono potiatur, quod iniustum est. *Quî distet ab inuidia.*

III. *Declaratur exemplo Mosis & Iosue.*

Vtriusque exemplum illustre in scriptura reperitur. Cùm enim Moses apud Dominum familiariter questus esset de magnitudine oneris sui, vellétque illud Dominus communicare cum pluribus, etiam spiritũ quo Moses abundabat, impertitus est septuaginta viris. Hic Iosue cernens Mosem tanta Prophetarum turba cinctum, veritúsque ne deinceps minoris ipse fieret in tanta copia, magistrum rogat vt eos prohibeat. Apparet sanè illum inuidentia tactum fuisse, qui cuperet nouos hosce Prophetas diuina illa gratia spoliari, vel eam habere inutilem. Itaque eum Moses meritò arguit, verúmque docens zelum, *Quid æmularis*, inquit, *pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Hic nimirum erat verus animarum zelus, quo spiritum Domini toti populo communicatum esse cupiebat; probè intelligens hæc spiritalia dona non minui communicatione plurimorum. Num. 11.29

IV. *Geminus, ex gemino amore zelus.*

Cæterùm zeli naturam accuratius illustrabimus, si dixerimus, sicut geminus est amor, cupiditatis vnus, alter beneuolentiæ, ita suum ex vtroque zelum oriri. Amor ille bonum sibi desiderat in quod fertur, honores, diuitias, voluptates; zelus autem ad eorum adeptionem incumbit, studétque obuias perrumpere difficultates. Hic autem amor beneuolentiæ, studiosus est commodorum amici, zelus autem omnem lapidem mouet vt ea ille consequatur. Itaque zelus media respicit, amor finem. hic bono fruitur, ille sternit iter ad bonum. Huiusmodi est zelus hominis bellatoris, qui ad acquirendam gloriam equis fertur & quadrigis: quod significat Esaias, cùm Dominum confert istiusmodi bellatori. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, super inimicos suos confortabitur.* Clamor ille militaris vt militis audaciam significat, ita terrendo seruit aduersario, & victoriæ facilitatem accersit. c.42.13.

V. *Zelus vltor iniuria.*

Eodem pertinet illud Sapientis, *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, vt scilicet debitum sibi honorem, ex eorum manibus vendicet, qui in illum iniustissimè inuaserunt. Hic fuit zelus Simeonis & Leui Patriarcharum, sororis Dinæ probrum in Sichimitas vlciscentium, etsi is violentus fuit, ac præceps. Sap.5.38.

Gen.34. Iudith. 9.3. Gen.49.7. 2.Reg.13. 2.Reg.21.2. an.m.3013. n 4.

Ideóque quem Iuditha vocauit zelum, Iacobus Patriarcha furorem & indignationem appellauit. Persimilis huic fuit Absalonis zelus, Thamarem sororem contra Amnonem fratrem vlciscentis, & graue scelus grauiore vindicantis. Eiusdem generis fuit Saülis contra Gabaonitas zelus, qui eos crudeliter & inconsultè morti dedit. Quæ causa fuit vt Dominus illius domum sanguinariam vocet, septémque de eius liberis agi præcipiat in crucem. Superbia & auaritia plenus erat hic zelu: miseros enim homines, quasi ab Israëlitarum gente alienos, spernebat, eorúmque bona direpta cupiebat.

VI. *Eóque pertinet zelotypia.* Pro.6.34. *Quæ furor quidam est.* De Virg.

Amor prætereа cupiditatis alterius est zeli parens, qui est mariti coniugem de incontinentia suspectam habentis, aut vxoris mariti intemperantiam suspicantis, aut indignè ferentis. Quæ est, in viro præsertim, tam violenta perturbatio, vt in furorem vertatur. Quod Salomon non obscurè significat, quando de adultero loquens, *Zelus*, inquit, *& furor viri non parcet, in die vindictæ*, cùm scilicet occasio se dederit vltionis. Chrysostomus quoque furorem appellat, & infelicem zelotypum, non furioso tantùm, sed homini à dæmone insesso exæquat. *Cùm verò*, inquit, *eo furore corripitur, nihilo melius afficitur, quàm qui à dæmonibus agitantur, aut mente capiuntur, adeò continenter effertur.* Istiusmodi morbus ex cerebri sæpe infirmitate nascitur, quam quidam non inconcinnè deridet hoc carmine.

Si muscam videat circumuolitare puellam,
Æstuat, & quærit fœmina másne siet.

Aliquando pusilli animi id vitium est, conscij tenuitatis suæ, & vitij cuiuspiam, ideóque formidantis ne putetur idoneus, cui in re vxoria illudatur?

VII. *Morbúsque grauissimus* Num. 5.12. 13.

Ipsa Mosaica lex morbi huius magnitudinem, ex illius curationis acerbitate facilè demonstrauit: mulierem quamuis innocentem obligans ad potum aquarum amarissimarum, in quas horrendum maledictorum carmen esset effusum. Eadémque opera Dominus, qui hanc instituerat zelotypiæ medicinam, obligabat sese ad edendum miraculum in fauorem innocentiæ, vel criminis pœnam. Politicæ verò leges, maritum, qui vxorem in adulterio deprehensam interfecerit, non puniunt, quòd talem atrocis iræ vindictam, aut iustam, aut venia dignam putent. Vult nimirum coniux in possessione ac fruitione boni singulariter sibi debiti singularis esse, eóque priuari intolerãtissimè fert. Quin etiam huius iniuriæ probabilitas, aut suspicio hominem proiicit extra rationis metas, ob insignem contemptum, & dedecus vehementer exprobrandum. Itaque edidit hic zelus facinora seculis omnibus tragicis decantata theatris.

VIII. *Tragici eius effectus.*

Nam Macedonum rex Philippus Alexandri magni parens, suadente zelotypia Olympiadem repudiauit vxorem: sed eam mulier pœnam indignissimè ferens, marito mortem immisso percussore procurauit, ip-

ſumque ſicarium morti ſtudioſè eripuit. Et vice verſa Cleopatram alteram Philippi vxorem, vnà cum filio ex rege ſuſcepto, in æneo vaſe concluſit, & lento igne toſtos exuſſit. Quanta effuſæ licentiæ facinora, aut furoris potiùs edidit Medea, cùm ſe à Iaſone marito contemptam, atque abiectam vidit; ſiue in liberos quos ex illo ſuſceperat, ſiue in Glaucam, alij Creuſam vocant, quæ in eius locum ſucceſſerat, ſiue in eiuſdem parentem Creontem: omnia flammis horrendiſque cædibus repleuit, ipſúmque ſui deſertorem Iaſonem compulit ad inferendas ſibi manus; atque ita peramplam theatris tragicis terroris materiam ſuppeditauit. Pauſan. l. 8. Iuſti. Diod. vide an. m. 3718. num. 7. 8. 9.

IX. *Alter zelus ex amore amicitiæ.*

Quod attinet ad alteram zeli formam, eo plena ſunt omnia. Quos enim bonos vſquam ſubditos reperias, quos non tangat honos principis ſui? quos filios, niſi fortè nothos, aut qui à naturæ legibus deſciuerint, qui parentum dedecus non intoleranter ferant? Ita coniuges mutuum ſibi honorem & decus ex zelo procurant, ita & amici ex eodem, mutuò amicis honorem ac beneuolentiam conciliant, fouent, amplificant: & bonus diſcipulus præceptoris: idque optimo iure. Gloria enim principis redundat in ſubditos, & parentis in filios, & præceptoris in diſcipulos, atque ita de cæteris. Hæc eſt omnino ſententia ſapientis, *Gloria*, inquit, *hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore.* Nec aliud ſenſit Salomon cùm diceret, *Beatam eſſe terram cuius rex nobilis eſt.* Ea nimirum excellentia redundat in ſubditos. Eccl. 3. 13. Eccl. 10. 17.

X. *Eiuſque exempla.*

Huiuſmodi fuit zelus Abiſai fratris Ioabi, in gratiam Dauidis regis ſui atque cognati. Cùm enim grauiſſimè ferret iniurias, quas Semei in afflictum principem petulanter effundebat, irruere cupiebat in hominem, atque obtruncare maledicum conuiciatorem, niſi eum mitiſſimus rex ſeuero imperio continuiſſet. Idem fuit Ionathæ zelus, Dauidis innocentiam aduerſus, Saülem etiam cum vitæ diſcrimine protegentis. Eodem concitatus eſt zelo Putiphar in gratiam vxoris ſuæ, aduerſus innocentiſſimum famulum ſuum Ioſephum, quamuis ille zelus cum inconſulta fuit temeritate coniunctus. Eodem Iaphetus & Semus in Noëmi parentis gratiam affecti ſunt, & pudore ſuo Chami fratris impudentiam refutarunt, atque damnarunt: quem mox etiam paternus iuſtitiæ zelus commerita maledictione percuſſit, quæ in totam illius poſteritatem redundaret.

CAPVT III.

Diuinum Amorem nobilioris zeli causam esse, quàm vulgarem; déque variis illius formis.

AMOR ZELOTES.

I. *Zelus diuinus quî humano præstet.* AVTOR. AMOR. SATIS mihi videre, inquam, zelum explicasse vulgarem, in nonnullam prolusionem disputationis tuæ: tuum nunc erit, mi Zelotes, doce-re quis sit diuini Amoris zelus. Tu verò, inquit Amor, vtrumque satis videris exposuisse, solum est discrimen nobilioris obiecti, ad quod fertur diuinus Amor, à quo dignitatem accipit & nobilitatem, multis partibus præstantiorem. Sicut studium hòc præstantius est atque diuinius, quò nobiliori scientiæ, aut virtuti fuerit addictum. Studium enim quod Theologiæ adipiscendæ, aut virtuti Charitatis impenditur, eò longè præstare certum est, quòd Grammaticæ arti, aut virtuti sobrietatis applicatur. Huius enim nostri amoris & zeli obiectum & scopus est Deus, qui vt perfectionem omnem, quamcunque animo fingere possumus, longè multúmque transcendit, ita perfectiorem amorem producit ac zelum, quàm quæcumque hic habentur in bonis, & sunt mundani amoris obiecta. Nihil enim est cur rem conditam cum conditore componamus, inter quæ nulla ratio, nulla proportio esse potest.

II. *An sit etiam potentior.* Quod si idẽ mihi obieceris, quod Amori feruido, de impotentibus quibusdam mundi amatoribus, eandem à me responsionem auferes. Fateor enim ingenuè multo plures esse quos accedit zelus mundanorum bonorum, quam quos deuorat diuini amoris zelus. Multo quippe plures sunt, qui sensibus adhærescant, quàm qui ad spiritalia assurgant; multò quoque hæc abstrusiora, atque ignotiora sunt illis. Quòd si placet in contentionem vocare maximos mundi amatores, & bonorum eius cupiditati deditissimos, cum summis Dei amatoribus, qui diuino zelo accensi omnes difficultatum obices animosè perrumpant, quos capitales illi hominum hostes Dei seruis obiiciunt, clarè profectò intelliges, quãto hi nostri, illis mundi studiosissimis præstantiores sint ac fortiores; quod qui fumo vanitatis ebrij sunt, satis æstimare non possunt.

III. *Diuinus zelus geminus.* Cæterùm geminus est diuini amoris zelus. Possumus enim, & vero etiam debemus omni studio desiderare nobis, ac quærere amorem illum sanctissimum, omnésque infringere difficultates, quæ illius acquisitionem vel incrementum impediant, aut eripere studeant acquisitum. Secundo loco etiam impotentius elaborandum est vt Deus opt. max. ametur, colatur & honoretur, vanique & inanes reddantur omnes co-

natum

ſtatus, quos mundus, caro, dæmon in contrarium attulerint. Vtrumque in optimis Dei famulis amicisque reperitur, quales fuerunt seculis omnibus sancti Martyres, qui omnium fortunarum iacturam facere, quid dico fortunarum? imò vitæ ipsius & sanguinis per exquisitissima tormenta maluerunt, quàm scelus vllum admittere, quo diuina amicitia violaretur. Honores, voluptates, principum virorum amicitias, vitæ commoda, quæ saluo Dei amore ac gloria conseruare, aut acquirere non poterant, neglexerunt; horrorem autem tormentorum, quæ sine Dei offensione vitare non poterant, peruicere, & illæsum atque illibatum Dei amoris monile retinuere. Deinde autem omnia illa damna constanter subiere, vt is, quem singulariter diligebant, verus Deus agnosceretur, & coleretur vt Deus. Dæmon autem, qui debitum illi honorem sacrilegus rapere conatur, animásque illi addictas ad se traducere, pulsus fugatúsque abiret in malam crucem. *In Martyribus agnosci potest.*

CAPVT IV.

Malè credi zelum diuinum, qui scientia vacuus sit, ac prudentia.

MVNDI malè nota vanitas suos amatores inducit in fraudem, qua serò cognita, illud Sapientis vsurpant, *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Eodem modo diuinus Amor & zelus illius parum sæpenumero agnoscuntur, eò quòd sui ipsius Amor, qui verus est probitatis simulator, se pro diuino amore venditat, eiúsque se zelum habere mentitur. Hic ipse amor turpiter Iudæos fefellerat, quibus testimonium perhibet Apostolus, eos æmulationem Dei habere, *sed non secundum scientiam.* Cùm enim singulari studio ferrentur in obseruationem Mosaicæ legis, idque studium putarent esse diuinum, longè fallebantur. Cùm enim Euangelio, & fidei in Christum repugnarent, ipsam Dei legem impugnabant. Amorem porrò proprium hunc zelum incitasse, docet idem Apostolus, cùm ait eos propriam iustitiam stabilire voluisse. I. *Zelus imprudens & imperitus.* Sap. 5. 6. *Qualis Iudæorum fuit.* Rom. 10. 2.

Non dissimilis fuit zelus principis sacerdotum, & Saducæorum, atque adeò Saüli aduersus Apostolos, qui Christum à mortuis excitatum publicè profitebantur, quos comprehensos in vincula coniecerunt. Par fuit ille quoque zelus, qui Antiochiæ Pisidiæ concalefecit Iudæos, ad resistendum Paulo & Barnabæ, qui negabant vi Mosaicæ legis peccata remitti, sed eam gratiam Christo Domino, ac legi Euangelicæ re- II. *Declaratur exemplis.* Act. 5. 17. Act. 13. 14. 38. 45.

seruatam fuisse docebant. Hac ergo illi æmulatione concitati, Christi fidem execrati, dederunt operam vt Apostoli de finibus eorum eijcerentur. Rursum Thessalonicæ Iudæi contra Paulum & Silam eodem impulsore zelo turbas concitarunt, quòd Iesum promissum in lege Messiam esse faterentur; eadem vsi calumnia, qua patres eorum apud Pilatum. Affirmabant enim Apostolos Iesum regem instituere velle, contra decreta Cæsaris. Huncillis zelum Paulus exprobrat scribens ad Thessalonicenses, affirmans improbam hanc gentem, eodem zelo, quo Iesum occiderant, & Prophetas, etiam persequi Apostolos, & impedire ne Christi fidem gentibus annuncient, per quam saluæ fiant, *vt impleant peccata sua semper*, & seipsis perpetuò deteriores euadant. Eorum etiam zelum accusat scribens ad Galatas, quod qui ex gentibus erant, Christianos, vellent à Christo ad Mosem, ab Euangelio ad Iudaicos ritus traducere, vt eos haberent discipulos, atque sectatores.

Act.17.13. 5.7. 1.Thess.2.15.16. c.4.17.

III. *Zelus filiorum Zebedæi.* Luc.9.54.55

Ad zelum scientia & prudentia destitutum, filiorum Zebedæi zelum meritò referre possumus, vt quem scimus à Domino reprehensum. Cùm enim Samaritæ Christum Dominum apud se recipere noluissent, zelo moti pro suo præceptore discipuli, Domine, inquiunt, vis vt ignem de cœlo euocemus, vt consumat eos? Eliæ videlicet recordabantur in non dissimili negotio. At Iesus conuersus increpauit illos dicens, *Nescitis cuiùs spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Eodem referre possumus & Carpi Cretensis zelum, quem refert Dionysius ille Areopagita. Carpus Ethnicum quendam ad Christi fidem, ab idolorum cultu traduxerat. Sed cum mox quidam eius socius ad pristinam reduxerat impietatem. Hic Carpus præter solitum commotus, à Deo contra vtrumque singularem postulabat animaduersionem, quæ similia peccantibus esset exemplo.

& Carpi Cretensis. Ep.8.ad Demophilam.

IV. *Visum eius.*

Sensit illicò totam, in qua tunc erat, quatefactam domum, eámque mox videre sibi visus est bipertitò diffindi, & ingentem flammam cœlitus ad se vsque descendere; vidit quoque Seruatorem cum multa Angelorum in humana forma frequentia. Cúmque deorsum intueretur, vidit apertum Tartarum, & ad eius oram duos illos miseros trepidantes, lapsantes, & in ruinam pronos: multi enim serpentes eorum pedibus implicati erant, multique homines lateribus affixi, qui eos deturbare conabantur. Quæ cùm Carpus libenter aspiceret, eos ipse quoque irrito licet conatu, impellebat ad casum. Tum demum Christum vidit cum Angelis suis, qui protensa ad illos manu, præcipitantes studiosè retinebant. Christus autem ad Carpum conuersus, *Me quoque*, inquit, *percute. Nam etiam nunc paratus sum pro hominibus pati. Vide autem an malles in Tartaro cum serpentibus volutari, an in cœlo, cum Deo sanctisque Angelis versari.* Quasi diceret. Ità

ne diligis proximum tuum, sicut teipsum? In eo debet elaborare zelus tuus, vt peccatores lucrifacias, & cœlo inferas, quo tu quoque libenter venturus es, non vt me prouoces ad sumendas de peccatoribus pœnas. Adiunge operam tuam auxilio, quod ego illis impertior, nec inferorum serpentibus, aut cæterorum improborum studiis, ad interitum peccatorum faue.

Permitte obsecro, inquam, vt à te scisciter, rectúmne esset Carpi huius desiderium. Quid ego, inquit Amor zelotes, probare possum, quod Magnus Areopagita non probat? Ait enim rectiùs fuisse Carpum pro vtriusque conuersione laborare, dum hanc vitam ducebant, quàm debitas peccatis eorum procurare pœnas. Quin & ipse Seruator ostendit, inconsultum fuisse huiusmodi zelum, cùm in contrarium niteretur, illos ipsos tolerans ac sustentans, quos Carpus præcipites agere cupiebat. Simul etiam illi ostendit, Sathanæ, seruorúmque eius conatibus ac studiis ipsum operam dare: quamuis vtriusque consilia diuersa essent. Dæmon enim animas illas cupiebat perditas. Carpus autem Deo factam iniuriam punitam optabat, quod natura sua rectum est, idque peccatores illi promeriti erant: id tamen optare non licet, cùm sciamus Deum, quandiu illos retinet in viuis, nolle eos inferorum suppliciis addici, optare potiùs ac procurare ipsorum salutem. V. *Carpi zelus expenditur.* AVTOR.

Adde quod non ignoramus alterius vitæ pœnas, à præsentibus longo interuallo distare. Hæ siquidem ad emendationem rei, & ad innocentum exemplum, vt plurimum vtiles esse possunt. Supplicium autem inferorum, merum ac summum est peccatoris malum, & immutabile impedimentum summi boni, ad quod dum viuit idoneus esse potest, quódque fortasse reuera consecuturus est, si Deus illum singulari quapiam gratia, ac miseratione præueniat. Quot putamus olim in Ecclesia viros bonos extitisse, qui Saulo, instar lupi rapacis Ecclesiam deuastante, vehementer optabant, vt Deus cœlitus fulmen intorqueret in eius caput, quo & corpus humi, & animus Tartaro affligeretur. At Seruator qui magnam facere iacturam in hac tempestate videbatur, quique alia omnia animo destinarat, idem illis fortasse dicebat, quod pridem filiis Zebedæi, *Nescitis quid petatis*, aut, *Nescitis cuius Spiritus estis vos.* Aut quod postmodum Ananiæ, qui sibi ab hoc lupo metuebat. Alius est hic ab eo, quem tu putas. Elegi quippe ipsum, *vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.* VI. *Zelus primorum Christianorum contra Paulum.*

Inconsultus itaque ac præceps erat ille zelus, & ad illam regulam exigendus, quam suprema veritas, & verbo docuit, & exemplo, *Fiat voluntas tua*, &, *Si fieri potest transeat à me calix iste.* Quæ voluntas nihil propositum habet, quàm peccatorum, dum viuunt, VII. *Quî corrigendus huiusmodi zelus.*

1.Thes.4.3. conuersionem, & dum ad illam, ipso miserante, expectantur. *Hac est*
Ezech.18. *enim voluntas Dei*, inquit Apostolus, *sanctificatio vestra*. Quin & olim
25. toties per Prophetas professus est, nolle se mortem peccatoris, sed velle vt conuertatur & viuat.

VIII. *De zelo inuidiæ simili.* AVTOR. AMOR. Quid si, inquam, scelerati alicuius prosperitas in perniciem multorum proborum redundat, nónne de ea contristari fas est? nónne aliquam illi optare calamitatem? nónne procurare? Certum est, ait Amor zelotes, iuxta ea quæ diximus, alterius vitæ damna illi desiderari non posse, posse autem res aduersas vitæ huius, quæ illum impediant ne alteri damnum, & Deo iniuriam inferre possit, quod illi ipsi peccatori expetendum est. Licet & lætari, vbi talis illi quæpiam calamitas contigerit, fraterna charitate minimè violata. Illi autem procurare perniciem, nisi per magistratus, & leges in Republ. constitutas, minimè licet. Sed placet Magnum audire Gregorium. *Euenire*
l.22. Mor. *plerumque solet, vt non amissa Charitate, & inimici nos ruina lætificet, &*
c.11. *rursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet: cùm & ruente eo quos-*
D.Tho. 2.2 q.36.ar.2. *dam benè erigi credimus, & proficiente illo plerosque iniustè opprimi formidamus.*

CAPVT V.

Exempla diuini zeli ex veteri lege deprompta.

I. *Amor & zelus diuinus concupiscentiæ. differt à naturali.* DIXIMVS diuinum amorem, & ex eo profectum zelum in amore cupiditatis ac beneuolentiæ reperiri posse. Sed quia ille minus notus est, minúsque frequens, & facilè ad aliam aliquam virtutem referri potest, de eo sileamus. Illud tamen non omittamus, amorem istum diuinum, qui in hominibus reperitur, eiúsque zelum, longè ab humano, mundanóve distare. Neque enim sponsa æquo animo ferre potest, aliam quampiam à marito diligi, non ignara fore vt ipsa tantò minus à coniuge diligatur. Dei autem sponsæ vehementer optarent omnes mortalium animas illi esse quàm charissimas, cúmque singulas in oculis ferre. Sciunt enim sponsi sui amorem nullis finibus circunscribi: ideóque non magis decem millium amore quàm vnius exhauriri posse, nullúmque adiri ex multitudine periculum, ne quam fortè negligat, aut obliuiscatur.

II. *Zelus amicitiæ in Mose.* Videamus ergo si placet, quî olim in lege Mosaica viri sancti pro Dei gloria zelo incaluerunt, & in ipso Mose in primis rem contemplemur; id est in eo viro, de quo verè scriptum est. *Erat Moy-*
Num. 12. 3. *ses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Cùm tamen ille de monte descendisset, in quo quadraginta diebus cum

Deo familiariter egerat, viderétque populum à Deo ſuo perfidioſè deſciuiſſe, eiúſque loco vitulum aureum collocaſſe, hoſtias immolaſſe, diuinos ei honores tribuiſſe, tanto pro Dei gloria zelo accenſus eſt, vt primò tabulas legis, Dei digito exaratas, in terram proiectas confringeret, ratus indignum, eum populum Dei leges habere, qui Deum deſeruiſſet: ratus quoque hoc publicum teſtimonium dandum eſſe indigniſſimi facinoris, quo diuina maieſtas fuerat violata, quo modo ſolebant veſtes, in aliqua inſigni Dei iniuria, lacerari. Secundò nouum hunc Deum in ignẽ coniectum, & turpiter deformatum contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & adoratoribus ſuis dedit in potum; denique tria & viginti reorum millia leuitico gladio trucidauit, atque ita Dei zelo incitatus iniuriam Deo factum ab hoc populo, aliquo modo vltus eſt.

Laudat Deus ipſe zelum Phinees filij Eleazari Pontificis, & nepotis Aaronis, propter publicam cædem ex Dei zelo perpetratam, aduerſus vnum de principibus populi nomine Zambri: qui neque Deum reueritus, neque homines, in oculis ipſius Moſis ac populi vniuerſi, ad Madianitidem fuerat imprudenter ingreſſus, & reliquo populo vel exemplo erat ad nequitiam, vel propugnaculo. Qui cæteris fortaſſe præiuerat in profanorum ſacrificiorum eſu, & ne delicias ſuas contriſtaret, in adoratione ſimulachrorum, quibus etiam profani ſeipſos, in cumulum improbitatis, conſecrarant. Tam gratus igitur fuit Domino hic zelus, vt Phinei vindici diuini contemptus, & publicæ offenſionis, ſacerdotium promitteret ſempiternum, eodémque facto ſuam à populo iram auerſam teſtaretur. III. *In Phinee.*

Notiſſimus eſt Dauidis adhuc adoleſcentis contra Goliathum Philiſtæum zelus, in gratiam populi Dei, & exercitus eius, cui profanus ille inſultabat; quod probrum in Dei contumeliam, qui ſe Iſraëlitarum protectorem profitebatur, vtique redundabat. Teſtis illa zelo plena Dauidis oratio. *Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſraël? Quis enim eſt hic Philiſthæus incircunciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Nec irritus fuit hic Dei zelus: dedit enim Dominus Dauidi eam victoriam, quam omnia deinceps ſecula locuta ſunt, & loquentur. IV. *In Dauide.* 1. Reg. 17.

Minus notus eſt Saulis zelus pro Domino, nec minore tamen prædicatione dignus. Cùm enim Dei in populum ſuum iram, ob admiſſam ab eo culpam aliquam, certò cognouiſſet, ſolenni iureiurando ſe obſtrinxit, fore ſe vltorem criminis, illudque, vel ipſum principem Ionatham, capite luiturum, ſi deprehenſus eſſet in culpa. *Videte*, ait Ambroſius, *quanta apud Saülem regem fuerit religionis obſeruantia, qui offenſum Deum optauit etiam parricidio mitigare.* Fuit hic zelus Diuini honoris mirum in modum potens, qui natiuum regis amorem in primogenitum ſuum, iuuenem ætate florentem, regni heredem, eúmque egre- V. *In Saüle volonte occidere Ionathan.* 1. Reg. 14. 37. &c. Fer. 6. de Quadr.

gium bellatorem, ac proximo è prælio victorem, potuit expugnare: neque minus fortasse, Deo gratus, quàm decantatum illud Patriarchæ sacrificium; vterque enim paratus fuit morti tradere filium suum, vnus obedientia, & alter zelo.

VI. *In Iephte filium sacrificante.* Iud. 11. 29. vide a. m. 2850. n. 7. 8. &c.

Facinus tam illustre Saülis, Iephtem mihi reuocat in memoriam, ducem bello fortissimum, octauum Hebræorum Iudicem. Is contra Ammonitas expeditione suscepta, instinctu atque inflatu diuino, Deo vouit, si victoriam de hoste reportaret, se quod primùm domo exiret, sibique cum pace reuertenti occurreret, oblaturum Domino in holocaustum. Voto nuncupato hostem adit, inuadit, expugnat, fundit, fugátque, tanta felicitate, vt illi viginti oppida violentus auferret. Re bene gesta Iephte victor domum reuertitur. Cùm ecce illi filia vnica sorte perquam infelici, cum tympanis occurrit & choris. Hîc videlicet tristissimus Imperator gemit super tam aduerso casu, effusè lamentatur, vestémque dilacerat; quem diuino quoque zelo mota virgo consolatur, atque ad explendam promissionem Deo factam hortatur. Ille iure iurando se obstrictum sentiens, diuinam gloriam zelo feruens suæ antetulit orbitati, dúmque Dei honori velificatur, dilectissimæ, atque innocentissimæ puellæ se parentem esse oblitus est.

VII. *Zelo aliorũ præfertur.*

Quid obsecro dici potest de zelo Eliæ aduersus Pseudoprophetas, vel principis Iehu contra domum regis Achabi, vel fortissimorum Machabæorum contra diuinæ legis perduelles, quod tam heroico Iephte zelo conferri possit? Ecquis enim non facilè gemat cum Elia, super animarum ruina, & diuino cultu antiquato? Quis non facilè à Deo expetat populi castigationem, qua ille aliquando à lethargico peccati somno euigilet? At Deo in sacrificium totam suam consolationem offerre, omnémque spem sobolis, quæ vnica illa filia nitebatur, id verò longè grauissimum est, atque durissimum. Ergo in luctu reliquum vitæ transegit, solus, & viduus: quam vitam apparet ab ista calamitate vehementer fuisse contractam. Quadriẽnio enim duntaxat à filiæ cæde vixit; quod ipsum tamen tempus credibile est non sine diuina consolatione traductum, quam Dominus homini consolationis experti suggerebat, quique Dei cultum toto regno fortiter constantérque sustentabat. Sed redeamus ad Eliam.

VIII. *Zelus Eliæ Prophetæ.*

Hic Propheta magno cum zelo & constantia Deum orans exauditus est, & obtinuit trium annorum cum dimidio terræ siccitatem: quæ pœna populum disposuit ad fidem habendam concionanti Eliæ, qui eum de cœlestium virgarum causa docuit; & ignis cœlitus delapsi prodigio, ad consumendum sacrificium suum, fraudes & simulationes prophetarum Baal patefecit, populúmque ad eos perdendos animauit: eóque piaculo propitiatus est Dominus. Id videlicet Iezabelem egit in furorem, Eliam autem in fugam: qui cùm ipsos quadraginta dies, alia ex aliis deserti loca anxius adiisset, Deum habuit conso-

latorem, cui & fugæ causam patefecit, *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Zelus idem Prophetam incitabat, vt & mortem fugeret, & eam à Domino postularet; fugeret, ne ipso mortuo nemo superesset, qui veri Dei cultum sustentaret; itaque Dominus, quàm primùm ei dedit successorem Eliseum: postularet autem, quia ad zelum pertinet, inundante peccatorum malitia, cui non possis occurrere, mortem optare potiùs, quàm tot iniuriarum in Deum fieri spectatorem. 3. Reg. 19. 10.

IX. *Et Iehu contra Achabi familiam.* 4. Reg. 9. & 10.

Repleuit quoque zelo Dominus Iehu principem exercitus Iorami Regis, eique dedit regnum Israëlis, vt improbissimi Achabi familiam funditùs deleret. Ergo cum sociis aliquot coniuratione facta, exercitum in perniciem Syriæ destinatum, in Ioramum conuertit infestus; quem cùm occupasset cum Ochosia rege, vtrumque sustulit, sed priorem in agrum Nabothi proiici iussit, à volucribus ferisque lacerandum. Impiam Iezabelem è fenestra deiici iussit in præceps, equorum vngulis proculcandam, Achabi filios septuaginta in Samaria præcepit interfici, & eorum capita ad se deferri, quod & factum est. In Iesraël omnes ciuitatis optimates, qui Achabum affinitate aut consanguinitate contingerent, interfecit: móxque duos & quadraginta viros fratres Ochosiæ, qui se in camera pastorum abdiderant, in cisterna iugulari præcepit. Quin & vniuersos Baalis in Samaria sacrificulos, adeóque toto in regno Israëlis, quorum erant vtique multa millia, in templo conclusos militari gladio concîdit, templum, statuásque Baalis euertit, aliáque è re diuina gessit. Quem zelum Deus ipse commendauit, & quatuor regum de stirpe sua successione muneratus est.

X. *Et Machabæorum.*

Possem huc referre zelantem pro lege diuina Mathathiam, omnésque liberos eius, domi militiæque clarissimos; possem & mirabilem illum Eleazarum, non virtute minùs quàm ætate venerabilem, & septem illos iuuenes, qui cum matre sua, in eadem palæstra fortissimè decertarunt, pérque horrendos cruciatus tyrannum vicerunt. Vnus enim fuit zelus diuinæ legis, qui eos compulit ad detrectandum magistratus imperium, & vim tormentorum contemnendam. Sed hæc virtutum exempla nobilissima, iam alia occasione superius libata omittamus, vt zelum aliquorum Dei amicorum in Euangelica lege consideremus.

CAPVT VI.

Exempla diuini zeli ex lege noua deprompta.

I. *Zelus S. Iosephi verè diuinus.* Vide a. m. 405.n.72. &seqq.

AD hunc ordinem zelum, aut zelotypiam S. Iosephi, pro sponsa sua beatissima virgine meritò referre possumus. Ad honorem quippe filij Dei referebatur, cuius sacrosancta conceptio hac ratione illustrata est. Præterquam quod Sanctus iste sponsus longè aliter erat, quàm cæteri coniuges, de sua vxore sollicitus. Nam cæteri sibi vni suxores suas addictas volunt. Ipse autem vni Deo, cui se illa deuouerat, conseruatam cupiebat sponsæ integritatem. Hanc enim vnam ob causam Deus ei Virginem desponsam esse voluerat, vt scriptores omnes Catholici profitentur. Itaq; cum Apostolo Paulo iure dicere poterat, *Æmulor* eam *Dei æmulatione. despondi enim* eam *vni* Deo, *virginem castam exhibere Christo.* Itaque suspicio, & timor ne fortè Deum offendisset, votúmque violasset, non propria ipsius causa eum vehementer angebat, cuius angoris pars maxima in Virginem redundabat.

2.Cor.11.2.

II. *Latius explicatur.*

Tertio enim mense ab incarnatione Verbi, quod tempus S. Virgo in famulatu S. Elizabethæ consobrinæ posuerat, natóque paruulo præcursore, reditum illa parabat ad sponsum, quem, vt credi par est, præmoneri curarat, vt ille quamprimum ad se domum reducendam veniret, haud ignara tempestatis imminentis; quin etiam ex intimo corde ingemiscens, super tentatione, & perturbatione iustissima dilectissimi sponsi sui, & super opinione incontinentiæ illius, quam agnosceret ferre vterum, cùm ipse nihilominus conscius esset continentiæ suæ. Deum ergo rogat impensius, vt de hoc toto negotio ita statuat, vt res ad maiorem ipsius gloriam cedat. Admirans interim diuinam eius prouidentiam, quæ ad eam diem S. Iosephum de diuino Incarnationis mysterio ignarum esse voluerat. Nam Virgo, pro demissione animi sui, ne sponso quidem suo Angelicam annunciationem, cæteráque, quæ fuerat subsecuta, nunciauerat, quòd ea tota res ad singularem eius gloriam redundaret. Ac ne cognatæ quidem se ipsa aperuit, sed res illi à Spiritu sancto patefacta est.

III. *Quàm anxius Iosephi animus.*

Cùm primùm ergo S. Ioseph suspicatus est dilectissimam coniugem vterum ferre, expauit, incertus animi quid diceret, faceret, cogitaret. Hinc enim sanctissimam in coniuge vitam obseruabat, omnia eius verba, motus, actiones singularem spirare modestiam ac sanctitatem, innocentiam, demissionem animi, continentem cum Deo familiaritatem, quæ omnia cum suspicione ista vehementer pugnabant. Inde autem quî fieri posset vt suis ipse oculis non crederet, quibus vxoris grauiditas clarior ac certior fiebat in dies. Dissimulasse tamen illam atque occultasse se exemplo

ſe exemplo Eliſabethæ, probabilitate non caret, partim virgineo pudore ſuadente, partim ne ſuſpicioni coniugis inſultare videretur, qui propter ſuam in illam obſeruantiam ac venerationem, ſermonem prior ea de re non audebat aperire, neque apud vllum queri, aut æſtuantem animum vlla ratione recreare.

Deum immortalem! quàm admirabilis eſt diuina prouidentia, in conſiliis ſuis, ſuper filios hominum, quàm abſtruſa, penitúſque recondita iudicia eius, quæ rectum cenſuit Eliſabethæ reuelare filij ſui in vtero virgineo conceptum, cùm arcanum hoc illi patefieri non magni tum intereſſet, occultare autem Ioſepho, cuius hæc cognitio vehementer intererat, ne ingentem animo caperet moleſtiam, & iniuſto de vxoris integritate imbueretur errore. O ſtupendam Dei ſapientiam! vſque adeo ne placet rebus aduerſis amicorum tuorum exercere patientiam, vt ne à ſanctiſſima quidem filij Dei matre, eiúſque nutritio innocentiſſimo abſtinere velis, etiam in re, quæ in Verbi incarnati dedecus ingens redundaret, ſi natus ex adulterio putaretur? Videbat enim diuina illa ſapientia, nullam tãtam ſanctis coniugibus contingere poſſe calamitatem, quàm illi æquiſſimo animo non ferrent, ſi ſe mutuò, ad id pondus perferendum iuuarent; itaque ſolerter illam excogitauit moleſtiam, quæ alterum ab altero diſtraheret. Nam neque Virgo rei geſtæ ſeriem Ioſepho aperire audebat, ſiue quod ea ad ſuam gloriam plurimùm faceret, ſiue quod dubitaret an id eſſet acceptum Deo; neque Ioſephus talem audebat inferre ſermonem Virgini, cuius ſanctitatem eximia veneratione proſequebatur. III. *Mira Dei hoc in negotio prouidentia.*

Quanto zelo feruebat Apoſtolorum princeps, pro ſibi commiſſa Dei Eccleſia, ne qua in eam auaritia, ſimulatio, ac ſimonia inſinuaret ſeſe? Ananias & Saphira eius coniux ſponte agrum ſuum Domino conſecrarant, cuius precium, recepto tum more, ad pedes Apoſtolorum deferre oportebat. Sed Sathan cor eorum diffidentia pertentauit ac vicit, vt partem aliquam Deo conſecratæ pecuniæ, ſibi in omnem euentum ſeorſim reſeruarent. Res Petro vel diuinitus, vel aliter innotuit: certè Spiritus ſanctus huic iudicio interuenit, qui Petri miniſterio vſus, illico de vtroque ſupplicium capitale ſumpſit. *Anania*, inquit Petrus, *cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit.* Et poſt tres horas Saphira, quæ fuerat peccati particeps, fuit & ſupplicij ſocia. V. *Zelus S. Petri contra Ananiam & Saphiram.* Act. 5.

Valuit hæc pœna in hiſce initiis, ad timorem incutiendum omnibus Chriſtianis, & ianuam auaritiæ ſacrilegióque claudendam. Sed in ea nihilominus oſtiolum mox aperire conatus eſt Simon. Is pridem in Samaria non ſolùm magni viri nomen erat adeptus, ſed magnæ virtutis Dei, aut viri per quem Deus magna opera perpetraret; quæ tamen erant dæmonum præſtigiæ, quæ omnes agebant in ſtuporem, eo quod multo VI. *Et Simonem Magum.* Act. 8. 18.

tempore eos magiis suis dementasset. Sed animaduersis ipsemet veris prodigiis, quæ Dominus S. Philippi & maximè Apostolorum opera patrabat, credidit ac baptizatus est, cupiénsque obtinere potestatem edendi vera miracula, vt iure ac meritò Dei virtus dici ac credi posset, obtulit pecuniam Apostolis, vt manuum suarum impositione, Spiritum sanctum conferre posset. At Petrus motus zelo gloriæ Dei, quem Simon ambitiosè sacrilegus, pecuniæ suæ subiicere cupiebat, acerbè eum à se, cum hac voce amandat, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

VII. *Et S. Pauli contra Galatas.* Gal. 3. 1. 2. &c. Quid memorem Pauli zelum, ad Galatas in Christianæ fidei puritate retinendos, secluso omni Pharisæorum & Iudaicarum ceremoniarum fermento? tota Epistola diuino hoc igne feruet. Testis fulgurans illa eius oratio. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?* & rursum, *An ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa?* Quasi dicat. Vultis ne vobis perire fructum omnium, quæ ab Ethnicis pro fide Christi passi estis, si ea deserta, ad Iudaismum conuolatis? Qui dedit vobis spiritum Dei, & miraculorum potestatem, an eam dedit in gratiam fidei Christianæ, cui nomen dedistis, an Iudaicarum ceremoniarum? Magna pars epistolarum Pauli nobis recitanda esset, si loca omnia recensenda forent, quibus ille mirabilem Dei zelum prodit; præsertim arguendo schismate, & incontinentia Corinthiorum. Satis nobis erit vnum atque alterum zeli diuini eius exemplum in medium proferre.

VIII. *Et incestum Corinthium.* Primum erit incesti illius atque adulteri Corinthij, qui opibus suis atque autoritate nixus, nouercam publicè concubinam habebat. Hîc videlicet Apostoli zelus exarsit, non aduersus reum duntaxat, sed contra cæteros etiam Corinthios, qui in tanto scelere conniuebant, quod grauiore censura fuerat expiandum, & separatione à reliquorum Christianorum cœtu. Quid, inquit, tumetis superbia in varias distracti factiones, quos oportebat humiles in luctu versari, quod tantum crimen etiam impunè reperiatur in vobis. Itaque absens ego corpore, sed spiritu præsens, indicto apud vos conuentu, pro ea potestate, quam dedit mihi Christus Dominus, statuo, vt qui hoc facinus perpetrauit tradatur Sathanæ, vt corpore à dæmone diuexato, animus in diuino iudicio non
2. Cor. 7. 7. 8. pereat. Quod cùm Corinthi, ex Apostoli decreto, perfectum fuisset, magnam attulit illi Ecclesiæ vtilitatem, vt ex posteriore epistola intelligi potest.

IX. *Et Elymam magum.* Act. 13. 6. &c. Alterum exemplum suggerit S. Lucas in Actibus Apostolorum. Refert enim Paulum & Barnabam, cùm reliqua Cypro decursa, Paphum peruenissent, incidisse in quendam præstigiatorem ex Iudæo magum, nomine Bariesu, qui cum Sergio Paulo proconsule viro prudente versabatur. Cùm ergo Procōsul accersitis Apostolis, desideraret audire ver-

bum Dei, resisterétque illis magus, quærens auertere præconsulem à fide, repletus Spiritu sancto Paulus, intuens in eum, verba diuino concalefacta zelo profudit. *O plene omni dolo*, inquit, *& omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas;* Hæc ille peccabat, sed audi supplicium. *Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat cui manum daret.* Profuit ea pœna Sergio, credidit enim, admirans super doctrina Domini, quam zelo ac miraculis potens Apostolus nunciabat.

CAPVT VII.

Diuini amoris in Christo zelus, in tenera primùm eius ætate.

LATIVS omnino diducere liceret hoc argumentum, ait Amor Zelotes, si liberet in varias multorum Dei famulorum actiones, Dei zelo animatas excurrere; sed meipse reuoco atque retineo, ne patientia peritiorum abutar. Itaque satis erit iis, quæ dicta sunt hactenus, pauca quædam de zelo Seruatoris addere, qui Sanctus sanctorum est, & zelo supereminet ac supergreditur vniuersos. Sicut enim omnes in Deum & proximum charitate vincit, ita & zelo, qui magnitudini amoris proportione respondet. Hòc enim est calor ardentior, quò maius fuerit incendium: tanto autem maius esse debet, quanto grauiores habuerit difficultates peruincendas. Seruatoris autem amor omnes debebat complanare difficultates, quæ occurrebant in peccatoribus omnibus Deo reconciliandis, & dæmonis, Mundi huius tyranni, studiis ad nihilum redigendis. Ex quo facilè intelligi potest quantus fuerit in Seruatore diuinæ gloriæ, & salutis animarum zelus. Eius nihilominus singularia quædam exempla, ab eius initiis exorsi proferamus. I. *Magnitudo zeli Christi præ cæteris Sanctis.*

Ab ipsius enim in mundum ingressu, satis ostendit infenso se animo esse aduersus improbissimum illum adulterum, qui animas ab amore & cultu legitimi earum Domini, sponsique amantissimi auertebat, sibique scortorum more mancipabat: quod ipse tot seculis per prophetas suos querebatur. Imo qui animæ oculos exculpebat, ne verum sponsum agnosceret, eiúsque loco ligneum aliquod, aut lapideum simulacrum affabrè factum dementissimè collocaret, aut minore paulo dementia, Solem, Lunam, aliumve aliquem de planetis, aut stellis in firmamento fixis. Ab ipso ergo suo in mundum ingressu, ostendit se ardere zelo aduersus auctorem dololatriæ, quæ totum terrarum orbem flagitiosissimè occuparat. Et quoniam responsa dæmonum, quæ ipsis ex simulachris fundebantur, eam fouebant; illique conciliabant autoritatem, eis Dominus II. *Zelum contra Satanā quàm primū ostendit.* *Eum mutum reddēs.*

ora maturiùs obstruxit, nec loqui sinebat, nisi ad eius existimationem conuellendam. Notum est enim quid Augusto responderit, post hecatomben Apollini, cui templum in palatio suo construxerat, sacrificatam, vt alia occasione dictum est superius.

Niceph. l. 1. c. 17. L. 10. c. 9. n. 3

III. *Euertēs eius simulachra.*

Ac ne ortum quidam suum expectauit, ad bellum illi mœcho inferendum. Necdum enim natus, quasi præludio statuas eius euertebat, altariáque demoliebatur, illo ipso in loco, vbi dæmon altiora iecerat tyrannidis suæ fundamenta. In Capitolio enim, vt scribit Dio, plurimæ statuæ de cœlo ictæ sunt fulmine, ac liquefactæ diffluxerunt; aliæ autem magno numero disturbatæ; & nominatim Iouis simulachrum, quod columnæ insidebat. Illius etiam lupæ, quæ suo Romulum & Remum lacte nutrierat, & vna cum ipsis apotheosim consecuta fuerat, signum disturbatum est. Multa id genus prodigia in diuersis imperij Romani locis contigere, quæ piguit obseruare. Nam, vt autor est Liuius, ipsius ætate nemo vltra obseruare huiusmodi prodigia, aut notare curabat, quod non crederent Deos quidquam sinistrum, aut ominosum præmonstrare velle. Credebant potiùs cum Epicuro, diuinam prouidentiam in rerum humanarum gubernatione dormitare, aut eam curam penitùs abiecisse.

L. 37. a. v. c. 690.

L. 43. à med.

IV. *Subditos ei subtrahens.*

Zelus idem mox ab ortu Seruatoris apparuit, cum stellæ recentis exortu, tres ab Oriente principes, primitias gentium traxit ad se, qui non solùm imperium tenebrarum principis detrectarunt, sed suos etiam subditos, amicos, cognatos, necessarios ad eandem defectionem traxerunt. Neque enim dubitandum est, dato perhonorifico Hierosolymis de noua Iudæorum regis natiuitate testimonio, eóque in oppido Bethleem adorato, vbi diuino Spiritu repleti sunt, quin ad suos reuersi Apostolorum & Euangelistarum officio perfuncti fuerint, aut certè præcursorum ipsorum, ad ruinam idololatriæ, & probrum æmuli diuinæ maiestatis. Nec eo contentus Seruator, iam tum voluit ipsum iusto futurorum timore perterrefacere, facta excursione in Ægyptum, antiquissimam superstitionis speluncam. *Tum autem*, ait Leo Pontifex, *etiam Ægypto Saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem, per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem.*

Ser. 2. de Epiph.

V. *Idola in Ægypto prostrata ex Patribus.*

S. Athanasius in libro de Incarnatione Verbi testatur ad Christi in Ægyptum aduentum idola corruisse: quod ille maximè omnium scire potuit, qui tot annos vixerit Alexandrinus Patriarcha. *Quis*, inquit, *antiquorum iustorum, aut regum in Ægyptum descendit, ad cuius præsentiam idola collapsa fuerint? Eo descendit Abraham, stetit tamen Idololatria; ibi natus est Moses, nec propterea extincta est superstitio, nec sublata fuisset hactenus, nisi Dominus indutus humano corpore, quasi leui nube deuectus eò penetrasset.* Alludit sanctissimus hic Præsul ad illud oraculum Isaiæ.

Ca. 19. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, &*

commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius. Quem locum ita intellexerunt Cyrillus Hierosolymitanus, Eusebius Cæsariensis, Procopius, Anselmus, & Magnus Origenes, qui explicanda iussione Angeli de fuga in Ægyptum, in hanc fore orationem excurrit. Catech. 10. l.6.demonst. c.20.Hom. 3.in diuersos.

VI. *Præsertim Origenes.*

Fuge nunc in Ægyptum, ait. Quare in Ægyptum? propter multitudinem, quæ ibi est idolorum, abominationúmque multarum, vt destruantur manufacta eorum, vt confringantur & pereant idola ipsorum, turbentur dæmones, & regum fabricæ in idolis destruantur; vt fiat in aduentu Domini fugitiuorum seruorum, atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, vt impleas quæ dicta sunt. Ecce Dominus sedet in nube pusilla, &c. Et mox, *Fuge in Ægyptum, vt fugiant de Ægypto qui ibi sunt dæmones, vt appropient ibidem Angeli sancti, qui Deum consequuntur, qui Sanctis iunguntur, vt pro multitudine templorum, atque abominationum multarum multitudo exuberet Ecclesiarum, pro idolorum turbis, turbæ abundent fidelium atque colentium Dominum; pro vitiis & erroribus multis, multa castitas, multáque sanctitas superabundet, multáque virginitas.* Hæc & alia pluribus vir ille magnus, ad futura præludens.

VII. *Alia testimonia de idolorum ruina.*

At Ruffinus & Palladius, quæ facta essent, atque etiam tum fierent, referunt. Scribunt enim vidisse se in Thebaide, virum insignem nomine Apollonium, quingentis religiosis præpositum, iuxta Hermopolin habitantem, de qua per manus proditum est ad posteros, eam esse vrbem, ad quam Seruator cum matre Virgine, ac nutritio patre, iuxta Esaiæ vaticinium venerat. Ibidem se vidisse aiunt templum in quo ferebatur ad ingressum Christi omnia idola corruisse, & contrita esse. Idipsum deinceps passim creditum est, ac confirmatum à præstantibus viris, Anselmo, Antonino, Bonaduentura, & autore historiæ Scholasticæ, qui illud quoque traditum prodit, sicut in egressu filiorum Israël, nulla fuit in Ægypto domus, in qua non iaceret mortuus, ab Angelo percussore interfectus; ita nullum fuisse in Ægypto templum, in quo ad Seruatoris ingressum, idolum aliquod non fuerit à sua sede disturbatum, atque confractum. l.2.c.7. l.8. c. 52. in c.2.Matt. 1.p.t.c. 1.§. 4. in vita Chri.c. 12. Exod,12.30

CAPVT VIII.

Zelus Seruatoris in vitæ ipsius progressu.

I. *Dæmones ex corporibus & animabus pulsi, ab ipso.*

CVM autem deinceps aduenisset tempus illud, quo se mundo concionibus, miraculisque patefecit, suũ in dæmones, eorúmque fautores ac flagitiorum socios zelũ manifestò prodidit, illúdque firmauit oraculum, *Nunc iudicium est mundi, nunc,* id est deinceps, *princeps huius mundi,* quamuis iniustissimo titulo princeps, *eiicietur foras.* Eiicietur autem, & à corporibus, quæ hospes possidebat infestus, & ab animabus, Ioan. 12.31.

quæ remiſſo profligatæ vitæ nuncio, pœnitentiam agebant. Quanta verò cum autoritate, quam imperiosè exigebat? Erat qui ipſi cum laudatione adularetur, quem ille obmuteſcere iuſſit, & exire ab homine, quod dæmon nihil cunctatus, cum omnium admiratione executus eſt. Sed eiecit aliquando millenos, quos in ſua poteſtate ſic habuit, vt ne in porcos quidem, iniuſſu illis ſuo demigrare liceret. Vtque eos afficeret maiore moleſtia, ita energumenis ſanitatem reddebat, vſúmque membrorum, vt maiore ſimul miſericordia, animas peccatis ægras curaret.

Mar. 1. 25. Luc. 4. 34. Mar. 5. 9. 10.

II. *Eiúſque diſcipulis.* c. 10. 17. &c.

Vt autem eis oculi magis dolerent, non contentus illos propria iuſſione exturbare, eandem diſcipulis ſuis poteſtatem dedit. Scribit enim Lucas regreſſos cum gaudio diſcipulos, qui præceptori nunciarent, in eius nomine dæmones expelli. Quam poteſtatem ipſe in hæc verba confirmat. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* A reſurrectione quoque vniuerſam Eccleſiam alloquens, eique poteſtatem miraculorum impertiens, primo ſtatim loco eiiciendorum dæmonum poteſtatem ponit. Quò facto eos vexauit acerbius, quàm ſi omnes miſiſſet in tartarum. Quanta enim indignatione cruciatur eorum ſuperbia, cùm vident puerulum, aut puellam longius eos à ſe fugare, cùm luſtralis aquæ guttula, cum particula ceræ conſecratæ, cum inuocatione Ieſu nominis aut Mariæ, cum ſigno crucis, in aëre, aut in fronte figurato. Quò eos dolore ardere credimus, cùm tantilla particula lipſanorum ſancti alicuius, cùm capillus vnus, cum ſubſcriptum epiſtolæ nomen illos excruciat, abigit, exprimitque propriæ confeſſionem infirmitatis.

Ad maius illius dedecus.

III. *Zelus contra Scribas & Phariſæos.* Matt. 3. 7. & c. 23. v. 33.

Vide præterea zelum Seruatoris in gratiam animarum, aduerſus eos, quos S. Præcurſor & Chriſtus ipſe ſerpentes vocabat, ac genimina viperarum; Scribas, inquam, ac Phariſæos hypocritas, malorum parentum progeniem vitioſiorem, Satanæ imitatores, operáſque mercenarias, qui cœli portas hominibus obſtruebant, ſic vt nec ipſi illuc intrarent, nec reliquos intrare ſinerent; qui vti dicebamus, circumibant mare & aridam, vt diſcipulum aliquem propriis erroribus imbuerent, ac moribus nequiſſimis informatos, duplo redderent gehenna digniores. Quanto ergo zelo in illos inuadit Seruator, in quos, in vno eodémque ſermone, octies fulmen maledictionis intorquet? Qualem ſe præbet in eos, qui ſe paruulis lapides offenſionis præbent, & verbo vel exemplo in peccata præcipitant, æternámque cladem? *Væ*, inquit, *mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit*, longè quippe maius ſupplicium illum manet, quàm ſi alligata ad collum eius mola aſinaria demergeretur in profundũ.

IV. *Et pro Dei templo iteratus.*

Quid illum memorem pro Dei templo zelum, quo ſemel iterúmque eos expulit, qui illud prophanum habebant, & domum orationis in do-

mum negotiationis commutabant: primo quidem ſub initium concionum eius; ſecundò ſub earum finem, ipſo ſui triumphi die, & ſexto ante ſupplicium crucis: facinus vtrumque fuit profectò mirabile. Quid enim admirabilius fingi poteſt, quàm hominem vnum publico ex loco plurimam ementium ac vendentium turbam ignominioſè expellere, æs effundere, menſas euertere, boues & columbas extrudere, turbare omnia & miſcere, nemine vim vi repellente. Sed prior illa expulſio plus videtur habuiſſe prodigij, quod maiore cum ignominia adhibito flagello eiecti ſunt profani iſti mercatores, cùm Dominus nundum concionibus ac miraculis eſſet apud eos autoritatem conſecutus. Is tamen zelus, qui cor eius abſumebat, & in facie rutilabat, omnem illis eripuit, déque manibus excuſſit reſiſtendi facultatem. Illúdque Dauidicum comprobauit, *Zelus domus tuæ comedit me.* O quanto nunc maiore zelo flagrat *Pſal. 68. 10.*
Dominus pro honore ac ſanctitate myſtici templi ſui, quod eſt Eccleſia, pro cuius ſanctitate, fuit ipſemet flagellis crudeliter, atque ignominioſè cæſus, templo ac ciuitate pulſus, & actus in crucem.

CAPVT IX.

Zelus Seruatoris ſub vitæ finem, & nominatim in ſancta Euchariſtia.

ECQVIS non miretur Chriſti Domini zelum pro infelici proditore, I.
vt illum ex dæmonis vnguibus acciperet. Hominem enim admonet, & ſecreto timore percellit, imminenti calamitate denunciata; *Chriſti zelus pro Iuda.*
conuiuio cum reliquis condiſcipulis accipit, non ſecus ac ſi pari cum ipſis innocentia præſtaret: abiicit ſe humiliter ad eius pedes, quos abluit, abſtergit, oſculatur; corporis illi ſanguiniſque ſui ſacramenta communicat. Cúmque maximè proditionem execrandam perficeret, amicum vocat, magnitudinem ſceleris ſuſcepti aperit, neque oſculum ſcelerati oris auerſatur. Verùm tanta fuit obſtinatione mentis infelix, vt neque monitio, neque timor, neque beneficium, neque corporis animique ſummiſſio, neque comitas, neque manifeſti criminis agnitio in ferreum illud pectus penetrare potuerint, aut obfirmati animi mollire duriciem. Vt intelligamus nullam tantam exiſtere poſſe gratiam, quam obſtinata libertas repudiare non poſſit.

Ecquid obſecro primam illam vocem ex pectore Seruatoris è cruce pendentis excuſſit, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Nónne zelus animarum? qui quamprimùm vltricem parentis manum auertit ab vltione, quæ illicò eruptura erat in impiorum caput, aut fulminante cœlo, aut diſcedente terra, eóſque in ſua viſcera protinus abſorbente. Non priùs amicorum ſuorum aut propriorum II.
Et pro crucifigentibus.

etiam dolorum recordatus est, quàm sicariorum istorum, quos præsens scelus vrgebat ad interitum. Dum alio interea zelo incitatus pater, in
Exod.32.10 gratiam huius noui Mosis diceret, *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, vt maiori te genti, meliorique præficiam. Si enim hæc in populum vituli aurei adoratorem dicta sunt, quidni potiori iure, in vnigeniti filij Dei parricidas crudelissimos dicerentur? Et certè deleuit eos de populis, neque enim vltra sunt populus; sed patientis oratio ad annos quadraginta distulit vltionem, intra quos boni atque electi de medio nationis prauæ segregati sunt, quæ natio facta est quasi scopus, in quem diuinæ indignationis iacula torquerentur.

III. *Et pro religiosis amicis.* Sed mittamus improbam istam, atque inuisam Deo nationem, quæ in auita etiam nunc obstinatione, cordisque duricie perseuerat; odiúmque immortale contra suum Messiam infelix exercet; mittamus, inquā, illam, vt de zelo eiusdem Seruatoris in dilectos suos dicamus aliquid, quem in diuinæ Eucharistiæ institutione prodidit. Cur enim factus est quotidianus panis, nisi ex cura & zelo fouendæ conseruandæque amicitiæ electorum suorum, sicut pœnitentiam instituit, ad eam, vbi interrupta fuerit, instaurandam. Illud certè constat nihil æquè amantem time-
Eccl.9.14. rè, quam ne dilectus mutuum amorem obliteret, aut in eo languescat, atque ita æmulo cuipiam aditum aperiat, & contra monitum Sapientis, veterem amicitiam cum noua permutet. Itaque prior ille amicus, qui veterem amicitiam sartam tectam cupit, æmulis aditum obstruit iis rationibus, quas suggerit Ingeniosus amor; beneficia multiplicat, sui memoriam absens literis renouat missitandis, & præsens salutationum munere crebrius obeundo.

IV. *Quem prodidit instituta Eucharistia.* Cùm ergo Seruator probè nosset hominum, quos eximiè constantérque diligebat, leuitatem & inconstantiam, timerétque ne longior absentia, & mora in paterna domo, importunam aliquam in sponsæ animo immutationem afferret, néve blanda & præsens seculi vanitas, suam suppleret absentiam, & cor sibi quàm iustissimè debitum occuparet, ita suam temperauit absentiam, vt nihilominus continenter adesset præsens, & sponsam quotiescunque vellet, inuiseret, tenerè consolaretur, vt se facilè à blandis mundi deliciis ablactari pateretur, quæ perpetuò excubant in insidiis, vt occasione data in cor illud opportunè influant, & diuinum in eo amorem interimant. Et inde fortasse contigit, ô sapien-
Et consolando delinquētes. tissime zelator animorum, vt si quando quis eorum, quorum ipsa ætas diuturnior tuam cum ipsis firmauit amicitiam, in grauiorem aliquam culpam prolabatur, vehementiore simul ac suauiore pœnitudine tangatur, & in receptione diuinæ huius expiationis soluatur in lacrymas, omnia antiqua proposita renouet, & amicitiam solito firmius instauret. Ita se zelus Domini Iesu aduersus istos gerit.

V. Nec minus suauis est eiusdem zelus aduersus eos, qui recens cum
Et qui vitā eo, repudiata mundi vanitate, ineunt amicitiam; qui maiore præsidio indigent,

indigent, vt opes & copias cum paupertate, honorem cum contemptu, carnis illecebras, cum asperiore illius coërcitione, libertatem cum obedientia, relaxationem animi cum duro labore commutent; quique de repetenda Ægypto periclitentur, nisi istarum aquarum amaror, iniecto crucis baculo leniatur, atque dulcescat: aut nisi panis Angelorum Ægyptiam farinam suppleat opportunè. E contrariò nonnunquam, etsi dilectus sponsus ab animo studiosè quæritur, dissimulat tamen amorem suum, nullúmque præbet suæ præsentiæ argumentum, non secus ac si centum millibus inde abesset, vsque adeò frigida ibi sunt omnia, arida, inamœna. An id efficit zelus præteritarum negligentiarum castigator? an studium fidei & patientiæ exercendæ? An ea est tacita monitio, vt syncero Deum amore, non eius dona prosequantur? An denique desiderium maiorum sponsæ meritorum, vtque mox aptior sit ad accipiendum, maiore cum gustu fructúque, inuisentem Deum.

religiosam instituunt.

quos desolatione probat.

VI. *Nec minus diligit.*

Sed quantam putamus lætitiam pertentare pectus Seruatoris, sanctas illas animas eximiè diligentis, cùm eas videt desiderio præsentiæ suæ suspirantes, & de absentia cum amica & spei plena querela lamentantes: timentes etiam ne propter ingrati animi vitium abdicentur: donec ea omni dissimulatione transacta, intimum amorem inter se prodant, & incredibili vterque gaudio perfundatur. O Iesu optime maxime, quæso à te, per zelum illum, quo erga electas multis ex millibus animas afficeris, vt zelo tui honoris accendamur, & pro eius contemptu tanto mœrore conficiamur, vt cum Dauide dicere possimus, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Da, vt immenso quodam desiderio cupiamus toto te orbe terrarum pro merito amari, coli, honorari. Consumat nos zelus tuus, quòd nostrum pro tua gloria, ita languere sentiamus; quem tamen tot tantisque beneficiis quotidie prouocatum, æquum esset vehementer accendi.

Petitio zeli huius.

CAPVT X.

Amorem diuinum etiam in ipso Deo zelo abundare.

I. *Scriptura Dei zelum testatur.*

SI quis zelum diuini Amoris, etiam in Deo ipso vocet in dubium, næ ille in sacris literis valde nouus est, atque peregrinus, cui tonitruum illud, quod Israëlitarum aures in monte Sina, animósque perculit, non sit auditum. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Et alibi. *Noli adorare Deum alienum, Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator. Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succide.* Zelus idem agnosci facilè potest, si quis vim expendat primi illius præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

Exod.20.5. c.34.14.

Deut.6.5. Matt.22.37

tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Nihil enim reliquit homini, quod ad rem aliam diligendam transferre possit extra ipsum; quãdo in ipso, & propter ipsum diligendus est proximus, in quibus dæmones censeri non possunt.

II. *Alia eiusdẽ testimonia.* Matt.4.10. cap.42.8. Huc pertinet Seruatoris illa vox Satanam à se repellentis, dum diuinitati debitam adorationem à se postularet, *Vade Satana*, inquit, *Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Pertinet & illud apud Esaiam, *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Et ne latiùs rem omnibus notam deducamus, plena sunt omnia sacra volumina suppliciis, in eos irrogatis, qui debitum Deo honorem vel ambierunt ipsi, vel aliis tribuerunt; ab illo Lucifero, qui primus vexillum extulit huius improbissimæ defectionis, vsque ad Hebræos, qui toties sceleratos dæmones Dei loco adorauerunt, totiésque sceleris eiusdem pœnas grauissimas Deo dependerunt, in Ægypto, in desertis Arabiæ locis, in Chananitide, Iudicum Regúmque temporibus, donec pars in Assyrios in perpetuam, pars in Chaldæos ad septuagenariam seruitutem sunt abducti. Hic videlicet est magnus ille zelus, & magna indignatio, qua se Dominus zelatum esse dicit aduersus Sionem.

Vltio eundẽ zelum probat. Zach.8.2.

III. *Obiectiones contra hunc zelum.* AVTOR. Hic ego, zelum diuinum, inquam, in Scriptura notissimum minimè ambigo, res autem ipsa fortasse minus clara videatur. Zelotypia enim & æmulatio in vitio esse videtur, ideóque Deo, qui nulli vitio obnoxius est, conuenire non posse. Et vt vitio careret, suprema Dei maiestate es-

1. set indigna. Tenuiorum enim propria est & pusillorum, qui contemni se
2. timent, præstantiore superueniente; quod habere se credant vnde contemnantur. Itaque zelotypia mulierum potiùs est, quàm virorum. At Deus nulla re cuiquam inferior est, aut esse potest, cùm sit summa omnium perfectissimáque natura, cui nihil æquale, nedum superius esse po-
3. test. Denique zelotypia pertinet ad amorem cupiditatis, sibi ipsi bonum aliquod sine riuali appetentis. Et Deus homines vt filios diligit, qui beneuolentiæ amor est, veræque amicitiæ.

IV. *Responsio generalis.* AMOR. ZEL. Respõsio ad hæc tua obiecta, inquit Amor Zelotes, nec difficilis est, nec illi incognita, qui de hoc ipso argumento, paulò antè præclarè philosophatus est; tua tamen obiecta voco, quòd rudiorum personam in percunctando atque obiiciendo sumpseris. Plura mihi tribuis, mi Amor, quàm pro merito meo; ne tamen negligas obsecro istis dubitationibus afferre lucem. Si enim graues sunt non videntur dissimulandæ, si leues tanto facilius eis fiet satis. Dicamus igitur, ait Amor Zelotes, humanos affectus non nisi proportione ac similitudine in Deo reperiri, & ad faciliorem intelligentiam ei tribui, & ab hominibus vsurpari. Cùm enim dicitur irasci Dominus, non ira vel indignatione commoueri credendus est, sed irasci dicitur, quod ea faciat, quæ irati solent, puniat videlicet, quamuis absque ira, sontes, vt & sapientes Iudices, debita animaduersione castiget.

Sed vt attingamus ista distinctiùs; zelotypia quæ iustitia nititur vitiosa non est, nisi fortè ex inani aut temeraria suspicione proficiscatur. Mariti zelotypia iustitiæ fundamentum habet, cùm aduersus adulterium omni ratione pugnat; Ambitiosi autem non item, cùm alium impedit ab eius honoris consecutione, ad quem par ius habet, aut maius; & parem aut maiorem ad eum benè gerendum facultatem. In culpa tamen est mariti zelotypia, cùm sine ratione suspectam habet coniugis pudicitiam, non autem si idoneum habeat suspicionis argumentum, quale habuit sanctus Iosephus in beatissima Virgine: humanitus enim loquendo, nihil erat causæ cur illa non in manifesto crimine deprehensa videretur. Suspicio autem ambitiosi de æmulo, eandem secum dignitatem affectante, nulla culpa nititur; cùm pari sit iure præditus ad illam ambiendam. V. *Zelotypia quando bona, aut mala.*

Iam verò zelotypia, quam in Deo cogitamus aut dicimus, iustitia nititur, supremo enim iure præditus est, summum ac singularem à nobis amorem exigendi. Vnicus enim sponsus est animarum nostrarum, eas ipse condidit in vsum suum, eas ornauit ac decorauit sibi; præterquam quod nemo est qui cum ipso possit de dignitate, bonitate, pulchritudine, diuitiis, amabilitate contendere. Quin & maximum est ipsarum animarum bonum, vt illius vnius sint, illum vnum ament, & in ipso, & in omnibus rebus. In eo enim solo perfectam animi quietem nanciscentur. Suspicio & timor, quæ reddunt maritum zelotypum, in Deo, cui omnia manifesta sunt, esse non potest. Sed suspicio in marito, qui illatam sibi iniuriam certò cognouerit, vertitur in furorem, vt tute superius ex Sapiente referebas; in Deo autem certa cognitio acceptæ iniuriæ vertitur in querelam, quamuis sit sponsus legitimus, & habeat in potestate vindictam. Vsque adeò patiens est, & mitis; sed minæ querelas excipiunt, & vtrasque vindicta. VI. *In Deo iustissima.* *terminatur in querelas.* c.2.n.6.

Sed placet audire querelas, nihil enim eis non solùm iustius, sed mitius etiam & amabilius. *Popule meus*, inquit ille apud Michæam, *quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, responde mihi.* Vt scilicet me deserto coleres alienos Deos. An *quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui.* An quia *misi ante faciem tuam Moysem, & Aaron, & Mariam,* vt essent duces peregrinationis tuæ? An quia Balaami execrationes & diras, in omina fausta conuerti, contra Balachi regis consilium, & pseudoprophetæ mentem? Si hæ iniuriæ sunt, & his malè de te merui, in culpa me esse negare non possum: sin autem beneficia, quæ est ista dementia, quis furor, vt beneficiis quasi malefactis offendaris, & ad defectionem prouoceris? pleraque in eandem sententiam legi possunt apud Ezechielem Prophetam, quæ ne sim longior omitto prudens & sciens. VII. *Vt patet ex Michæa.* c.6.3. cap.16.

Illã tamen zelotypi Domini de populo suo querelam, apud Ieremiam Prophetam, omittere non possum. Sed eam iterum regustare placet. VIII. *Et maximè ex Ieremia.* Sap.I.9.c.10

Non enim minùs in amorem zelotypum, quàm in mansuetum, & placabilem quadrat: éstque eiusmodi, quæ corda mortalium, nisi planè mortua sint, aduersus amantissimum lenissimúmque sponsum ac Dominum commiseratione frangat: quādo iudicium cum populo suo subire non recusat, & ad probandam innocentiam suam, mores suos atque

Ier. 2. 9. 5. anteactæ vitæ rationes subiicit examini rebellium subditorum. *Iudicio*, inquit, *contendam vobiscum, & cum filiis vestris disceptabo. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me?* Grauibus omnino causis compulsos fuisse necesse est, vt amicitiam tam antiquam, tam honorabilem, tam fructuosam, & à me constantissimè cultam diuellerent: ita nihilominus desipuerunt, vt eam sine vlla prorsus causa distraherent.

IX. *Quã plena est affectuũ.* Cùm de me deserendo cogitarent, nónne dicere debuerunt, *Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis & imaginem mortis*, & quidem deliciis ad nauseam vsque abundantes, Angelorum pane, melle de petra, oleóque de saxo durissimo. Cúmque induxissem *vos in terram Carmeli*, terram lacte & melle manantem, *vt comederetis fructus eius, & optima illius; ingressi contaminastis terram meam, & hereditatem meam posuistis in abominationem.* Et paulò pòst, *Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi. Si mutauit gens Deos suos; & certè ipsi non sunt Dij, Populus verò meus mutauit gloriam suam*, quæ in veri Dei cognitione cultúque consistit, *in idolum* cuius nulla vtilitas. Itaque *obstupescite cœli super* tanta dementia populi mei, *& portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

X. *Zelus idem se minis prodit.* Est idem Dominus minarum largissimus in zelo suo, vti vsuuenit mãsuetis, qui cunctanter & inuitè pœnas exigunt pro acceptis iniuriis. Minis pleni sunt prophetarum libri. Ipséque Moses vir longè mitissimus

Leui. 26. Deut. 28. tam multas congessit in libris Leuitici, ac Deuteronomij, vt legentes atque audientes iusto horrore concutiant. Sed cùm eæ non sufficerent, ad rem ipsam, meritásque ventum est pœnas, vt suprema populi huius calamitas, vastitas, desolatio apertè declarat: qui in hac vita vbique miser, nec cuiquam miserabilis est. Eritque in futura miserior, tanquam reprobus & abiectus à Deo. Eodem se modo gerit aduersus reliquos peccatores; qui Domini querelas, minásque contemnunt, qui ventris & gulæ voluptates pro Deo colunt, ad eos tanquam ad vltimum finem suum omnia referunt, laborem, quæstum, industriam: quæ germana idololatria est, & adulterium cum re creata commissum, in contemptũ & iniuriam Creatoris, & sponsi animarum sanctarum; qui adulteras in

Ioan. 14. 15. tartarum abiectas ita deseret, vt operi manuum suarum nunquam porrigat dexteram.

Iam verò quod ad alteram obiectionem attinet, negandum est zelotypiam perpetuum esse pusilli animi argumentum in hominibus, nedum in Deo. Feruentis potiùs amoris indicium est; nemo enim, pro re quam modicè diligit, incalescit. Et in alicuius amici causa, cùm res tulerit, non commoueri zelo, non succensere, haud obscurum indicium est deserti à nobis hominis, & abiectæ beneuolentiæ. Id apertè Dominus apud Ezechielem docet. *Et requiescet*, inquit, *indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius*, id est deseram te planè, & abiiciam curam tui, quomodo dicitur à Paulo Dominus, *dimisisse omnes gentes ingredi vias suas*. Eodem sensu apud Oseam, *Fornicabuntur*, ait, *filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt*; negátque se animaduersurum in eas, in hac scilicet vita, ea pœna quæ emendationi seruit, sed in futura, ea pœna, quæ merum supplicium est. Zelus itaque signum amoris est. Ideóque dæmon, vt notauit Origenes, qui animarum non sponsus est, sed adulter, cæteros spiritus immundos, superbiæ, inuidiæ, iracundiæ ab eis non repellit, sed aggregat, vt ibi habitantes maiorem inferant bonorum omnium vastitatem.

XI. *Zelotypia signum amoris.* Vide Orig. in 20. Exod. Ca. 16. 42. *Et contrà derelictio.* Act. 14. 15. Ca. 4. 13. 14. Loc. cit. Mat. 12. 45.

Illud quoque addiderim, eos qui aliquod scelus admittunt, non æstimare, aut dicere Deum minorem ea re, quam illi reipsa anteponunt, nimium quippe perspicua est in hoc genere veritas: sed iis similis sunt qui verbis *fatentur se nosse Deum, factis autem negant*. Itaque tanquam muta pecora, ad ventrem duntaxat ac pastum abiecti, animóque & corpore in terram incurui, cœlestium inanes viuunt, illorum solliciti, ista flocci faciunt. quod est reipsa rem creatam præferre Creatori, marito adulterum, dæmonem Deo. Quæ res iustissimam Deo zelotypiam concitant, & seuerissimè aliquando puniendam. Cùm enim nihil omnino sit quod vlla in re Deo conferri, nedum æquari aut præferri possit, maior est in hac Dei offensa peruersitas, quam si regina quæpiam, neglecto coniuge rege potentissimo atque pulcherrimo, lixis & calonibus, fœdóve è Mauris mancipio sese prostitueret.

XII. *Quî Deus rei creatæ posthabeatur.* Tit. 1. 16.

Quod ad tertiam illam attinet dubitationem, certum est, pro humano de diuinis intelligendi & loquendi modo, Dei amorem, & amicitiæ esse posse, & cupiditatis. Nam diligit homines vt filios pater, vt amicum amicus, cui bona omnia desiderat ac procurat, & omnia impedimenta commodorum eius studiosè amolitur. Ita Deus & cupit & confert homini bona plurima, diuina præsertim, & quæ naturæ modum exsuperant, gratiam inquam, & gloriam, eáque ipsius esse cupit, & vti rem eius ab eo possideri, fierique beatum. De altero vero amore liquet, eum bonis nostris non indigere, ideóque nec illa sibi concupiscere, *Deus meus es tu*, ait Dauid, *quoniam bonorum meorum non eges*. Quia tamen idem Deus est vltimus omnium finis, fieri non potest vt creatum aliquid non referatur ad ipsum proximè, vel re alia, puta homine interueniente. Quod ipsum rei creatæ bonum est, quæ ex tam insigni fine ma-

XIII. *Dei zelus ex vtroque amore.* Psal. 15. 2.

gnam sibi dignitatem acquirit: nulla in Deum perfectione ea ex re accedente.

CAPVT XI.

Quàm iusta quámque rationi consentanea sit Dei æmulatio pro sponsis suis.

I. AVTOR. *Obiectiones duæ.* NON me sanè pœnitet, mi Amor, interpellasse cursum orationis tuæ, quando tam copiosè, támque vtiliter à te satisfactum video dubitationibus meis. Itaque tua ista facilitas dat mihi animos, nisi molestus sim, aliquid à te iterum inquirendi. AMOR. Molestus esse inquirendo nullo modo potes, inquit Amor, neq; importunus; cùm huc ea maximè de causa venerimus, vt sanctis desideriis tuis faceremus satis. AVTOR. Duo igitur, inquam, rogabo libens. Primùm est, Iustúmne sit, velle Deum sine competitore diligi, cùm ipse innumerabiles amet, & amor æqualia vtrimque iura requirere videatur, Amor enim æquales inuenit, aut facit. Alterũ est an coniux à coniuge rectè singularem amorem requirat, iustéve cæteros excludat omnes, cùm plerique alij amabiliores ipso reperiri possint.

II. AMOR. *Responsio. Deum vnicè diligi debere.* Optas igitur, inquit Amor Zelotes, explicari à me rem longè clarissimam, rectè Deum vnicè ac singulariter amari velle, quasi parum tibi sit notum, Deum esse natura sua vnicè ac singulariter amabilem, cùm habeat vnus bonitatem omnem ac perfectionem, quæ in omnibus rebus
1. creatis dispersa reperitur, cùm ex eius thesauris deprompta sint omnia bona, quæ illis particulatim concessa sunt, natura, scientia, virtus, habitus,
2. facultates: quæ ea lege acceperunt omnia, vt eum diligerent, & vltro in eius obsequium vniuersa transferrent. Sic enim filij patres diligunt,
3. & subditi legitimis dominis obsequuntur: cùm cætera, quæ inferiora sunt homine eo naturali ferantur instinctu, vt illum ad istum Dei amorem excitent, & ad obsequium iuuent. Præsertim cùm hic eius amor
4. aliarum rerum amorem non impediat, modò humanus amor sit subiectus diuino, neque cum eo pugnet. Imo cætera Dominus amari desiderat in gratiam sui, vt res quæ ipsius sunt, & ab eo perquam liberaliter datæ sunt nobis. Itaque parentes nostri, principes ac prælati, non sunt Dei competitores aut æmuli, sed vicarij ac legati, qui illum repræsentant nobis, illiúsque promouent famulatum.

III. *Deum sine cuiusquam damno plures diligere.* Verum quidem est Dei amorem ad innumerabiles personas latissimè fundi, sed cùm infinitus sit, non minus amat singulos quàm vniuersos. Sic enim Sol, qui repræsentat Deum, non minùs illuminat ac calefacit tam multa hominum, atq; animantium genera, sparsa tot locis, quàm cùm olim vnus omnino Adamus erat in terris, qui vitali eius luce ac calore perfundebatur. Et tamen Sol res vna est è conditis rebus, multis

perfectionibus destituta. Quanto igitur magis Deus, cuius vnius infinita vis est, infinitos homines amore complectatur, sine vlla diminutione amoris in singulos? Itaque qui vehementiore amore feruntur in Deum, quam maximè desiderant, vt quicunque idonei sunt ad diligendum Deum, sibi societate iungantur, & intimum obtineant in Dei corde locum; persuasi nihil Dei erga ipsos beneuolentiam propterea imminutum iri, sed actum iri potiùs, vt ignis iniectione lignorum, si quo modo infinitus Dei amor augeri posset, qui vt centum millia diligat amicorum, singulos vnicè diligit.

IV. *Non item homines.*

Non eadem est humani cordis ratio, quod cùm finitum sit, sicut & illius amor, totum ad infinitos ferri non potest: Docétque ipsa experientia, nouam cum aliquo amicitiam, plures antiquiores vel extinguere, vel ita debilitare vt languescant. Nec absurda videtur eorum opinio, qui censuerunt vulgares amicitias inter multos coalescere, & quoquo modo constare posse, veram perfectámque amicitiam, non nisi inter duos esse posse, quo fit vt omnibus fere seculis paria quædam amicorum, non ternaria vel quaternaria numerentur. Ideóque Dionysius Siciliæ tyrannus tertium se ad amicitiam Damonis & Pythiæ rogauit adscribi. Deus quoque, cùm coniuges singulari cuperet amore copulari, duorum duntaxat voluit esse matrimonium, *Erunt*, inquit, *duo in carne vna.* Parum amatur, qui vt vnus de multis diligitur. Deus igitur qui humani pectoris nouit angustias, solus ibi esse cupit, sic vt nemo ex æquo, nemo eius iniussu diligatur. Eóque pertinet propheticum illud, *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.*

Quorum amicitia fere duorum est.

Esa. 28. 20.

V. *Zelus coniugalis iustus.*

Ex his ergo quæ diximus facilè intelligi potest, diuini humaniq; amoris conditiones similes esse non posse, cùm Deus, & infinitus sit, & infinito amore dignus, homines autem parum amabiles sint, & parum amare possint, vt quorum virtus & bonitas perexiguis finibus circunscribantur.

Quod ad alteram difficultatem attinet, apparet quidem certè, eum qui solus diligi cupit, totúmque alicuius amorem possidere, oportere vicissim habere in se quidquid est amabile, quod in vnum Deum cadit. Coniuges tamen ius habent sibi vnis maritalem amorem mutuo vindicandi Cùm enim solemnis in eam rem stipulatio interuenerit, mutuóque alienum amorem repudiarint, ratio postulat vt stent promissis; ad eáque seruanda diuinis humanisque legibus adstringuntur. Neque tamen impediuntur, quin vterque parentes, cognatos, consanguineósque amare possint, cùm hic amor cum illo non pugnet. Ac ne Deus quidem amorem, honorem & cultum parentum, amicorum, coniugum, cæterorúmque necessariorum interdicit, sed conceptis potiùs verbis, legitimisque imperat. Amorem nihilominus suo non subiectum, sed cum eo pugnantem, studiosè vetat, & castigat.

CAPVT XII.

Quantum Deo sponso suo, sibique ipsi animus iniuriam inferat, cùm eum minùs diligit, quàm ratio postulat.

I. *Communis zelotypia.* HIs ita positis, explicandum videtur quantam homo iniuriam Deo sponso suo, sibique faciat, quando minus quàm par est diligit Deum. Permolestum est homini, qui puellam aliquam ambit vxorem, riuales habere, eóque molestius, quo isti fuerint præstantiores: hoc enim maiori timore angitur, ne exclusus expectatione frustretur. Fert enim natura ad amorem boni, & quidem melioris potiùs quàm deterioris. Itaque puella nobilis, forma & ætate florens, iustissimam habet excusationem, si virum animi corporisque dotibus sibi supparem, ad nuptias aureo antetulerit sepulchro. *Prodigiosa.* Sed prodigiosum est Paridem aliquem in Thersite periclitari; in Æsopo fœdissimo, fortissimum Hectorem repulsam timere; in turpi mancipio magnanimum principem; copiosum ac liberalem in sponsam, in macerato fame latrunculo, qui mox illius opes, ipsúmque mundum eius muliebrem voraturus est: hominem comem ac mansuetum in fero & agresti, qui miseram coniugem alapis cædet, nec pugnis parcet aut calcibus, virgis denique fustibúsque malè mulctabit. Quæ tam insana mulier fingi potest, quæ sciens prudénsque in huiusmodi coniugio deliberandum putet?

II. *Conuenit Deo erga animas.* Eadem est in Dei causa, pro anima ratione vtente, quam sibi eligit in sponsam, zelotypia. Quicunque enim aut mortalium aut immortalium cum eo de præstantia contenderit, certissimum est inferiorem fore. Necessarium enim est illum à Deo esse productum, nihilque in bonis habere posse, nisi quod à suo acceperit conditore, qui eadem ipsa quæ dedit, habet infinitis partibus potiora. Cùm ergo se nihilominus contemptum videt à sponsa sua inconsultissima, in alicuius hominis, aut cuiusuis alterius rei creatæ gratiam, nonne iustissima zelotypia commoueri debet? nónne huiusmodi illam exprobratione lacessere? Quid agis infelix anima? quid quæris dementissima? quid moliris? Num ille, quem tu mihi æquare cogitas ac præferre, mecum pulchritudine, diuitiis, nobilitate, sapientia, amabilitate certare potest? num ille amantior tuì, aut in te liberalior? Nónne sole sum illustrior, luna pulchrior, regibus omnibus ditior, omnibus Imperatoribus augustior, angelis omnibus hominibúsque sapientior, mille beatorum vitis amabilior?

III. *Earum cacitas.* Num ille te diligit ardentius eo, qui te cùm honoris sui, commodorũ ac vitæ ipsius iactura dilexit, & quidem per atrocissima probrosissimáq; supplicia? Num quis est in te liberalior eo, qui post tibi conditam, traditámque totam hanc, quam cernis, rerum vniuersitatem, promissósq; thesauros

ſauros illos ſempiternos, ſeipſum tibi modis omnibus tradidit, ac profudit? Cæcum quidem dicebant amorem, ſed in hac electione rectiùs dixerint inſanum corybantem. Quod enim maius fingi poteſt emotæ mentis argumentum, quam animam alioqui rationis cōpotem, Dei loco æmulum accipere aut riualem, non Seraphinum aliquem, aut vnum de ſeptem illis principibus primis, qui throno Dei perpetuo aſſiſtunt, quanquam id foret dementiſſimæ temeritatis, ſed tartareum ipſum cacodæmonem: cui ſe dedit quicunque mortifero ſe crimine obſtringit, ſtudio commodi alicuius, aut voluptatis: ipſum, inquam, inferorum tyrannum, foris mundanæ magnificentiæ integumento perſonatum, intus autem fœdum, horribilem, execrandum, talémque cognitum, atque perſpectum, nónne id eſt aliquo veneficio de mente ac ſanitate deturbatum eſſe? quis non indigniſſimè ferat tantam indignitatem?

Deus ſummo eſt ac pleniſſimo iure princeps, pulchritudinis, potentiæ, nobilitatis immenſæ. Riualis ille improbiſſimum eſt mancipium, ab hero ſuo fugitiuum, quod improbitas ſua fœdiſſimum reddidit, atq; abſurdiſſimum. Adulter eſt qui peccatrici animæ omnia naturæ gratiæq; dona deuorat, omniáque ſupernaturalium gratiarum ornamenta, quæ illi contulerat ſponſus eius; nihil ei de ante partis reliquum facit, neque vllam acquirendi facultatem. Ad hanc tantam cladem inferendam ſociorum opera vtitur, qui tanquam lupi fame efferati, hianti ore rapiunt, ferúntq; omnia, illúdq; exululát, *exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Pſal. 136. 7. Cùm oportuiſſet illius amore colliqueſcere, qui exinaniuit ſemetipſum in gratiā eius, & cùm diues eſſet, vt eam locupletaret, vltro factꝰ eſt pauper: qui ei meritorū ſuorū theſauros in ſacramentis apperuit, atq; effudit, non corpori vel animæ, non vitæ, non ſanguini, non diuinitati parcens.

IV. Antitheſis Dei & riualis eius.

Obſtupeſcite igitur cœli ſuper tam horribili peruerſitate, ac perturbatione rerū ſuper infelici amore principis huius, & ſtupida cæcitate ſpōſæ huius; quæ illi non exęquet, ſed præferat adulterū, qui eam perpetuis cōſcientiæ aculeis fodicet, qui faciem dilaniet, genas alapis cædat, pugnis pectus cōtundat, fuſtibus omnia membra debilitet, id eſt terroribus quatiat damnationis æternæ. Qui inuidiæ veneno, qui inſatiabili honorum ac commodorum vitæ huius cupiditate, qui crudeli vlciſcendi deſiderio viſcera eius diuellat atque dilaceret: qui illam compellat vitam trahere infelicem in ſeditione perpetua furioſarum perturbationum, odiis, litibus, inimicitiis, diſſenſionibus & querelis.

V. Qua mala hic anima afferat.

Iſtum, inquam, illi præferat, cuius vnius ope ac præſidio viuere poteſt *& ſedere in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta;* in ſuauitate ſpiritus, in dulcedine charitatis, in conſolationis lacrymis, in vmbra protectionis eius, in complexu dexteræ, & in oſculis oris eius. Illi Eſa. 32. 18. præferat, qui eam nutrit de rore cœli, & de pinguedine terræ, qui facit ei *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemia defœcatæ.* Ca. 25. 6. Qui quaſi mater amabilis, eum portat ad vbera, & ſuper

VI. Qua bona ſponſus legitimus.

genua sua illi blanditur. Estne hoc mediocre veneficium animæ fascinatæ, quæ in talem commutationem cõsentiat? nónne hæc insania est mulieris profligati pudoris, ac phrenitide laborantis? An in tragicis theatris aliquando par isti celebratus est furor? Aut quis vnquam audiuit amantissimum sponsum in amando tam infelicem? aut minùs tanta contumelia & repulsa dignum, aut maiori, si ita loqui fas est, commiseratione prosequendum? Nulla est oratio, quæ tantam tanti principis iniuriam verbis æquare possit.

VII. *Continuatio eiusdem antithesis.* Verùm adulter ille carne vtitur, quasi lena in perniciem animæ, & mundo tanquam lenone callido; quorum interuentu atque opera, stultæ isti modicum mellis in virgæ summitate præbet, qua mox illam acerbè cædit, & quasi alterum Ionatham, efficit mortis ream. (1. Reg. 14. 27.) Malum illi dat vt Adamo, sed simul ei furatur inæstimabiles innocentiæ opes: vt qui dat infantulo malum, vt dum eius aspectu tenetur & gustu, impunè illi auferat preciosa monilia, quibus ornatus est. Similis est furunculis istis, futuræ sortis statum prænunciantibus, qui dum verba dant fatuis, eis crumenam taciti auferunt; similis Absaloni, qui Amnonem fratrem vino primùm, atque epulis obruit, deinde ferro crudeliter confodit. Sic & caro animam sororem suam, variis illectam blandiciis, in fraudem, miserámq; seruitutem trahit; dum illi manu inferni tortoris ceruices frangat, vt nuper Scotorum reginæ, Angliæ regina, perfida & crudelis Elisabeth.

VIII. *Mirabilis Dei bonitas in sponsam vitiosam.* E contrario Deus ægrotanti famulo medicamentum, ad breue tempus molestum præbet, sed in reliquã vitam fructuosum: filij castigat ineptias, cui deinde opulentum patrimonium relinquit, sponsam delinquentem arguit, cui mox largitur cor suum. Et illa insipiẽs mauult in Nosocomio computrescere, quàm medicũ ebibere pharmacum: mauult ignaua mendicitate ac nequitia sordescere, séq; in prædam illi barbaro tradere, quàm à parente ac spõso suo argui suauiter & castigari. Sed is nihilominus cùm turpẽ illã ac pedicosam à se abiicere posset ac repudiare, & amorẽ in odiũ capitale conuertere, amicè de illa, ac blandè conqueritur, ad reditum inuitat, tanta lenitate verborũ, vt corda saxea mollire possint, ac frangere. (Ierem 3. 1. 2. 3.)

IX. *Conclusio.* O inæstimabilẽ bonitatem! ô sponsum omni amore dignissimũ! quàm fœlix est illa anima, quæ te summo ac fidelissimo amore complectitur: cui antiquius est mori millies, quàm non solùm fidem fallere peccato mortifero, sed deliberato etiam veniali cõtristare. Fidelis sponsa, quæ dæmonem riualem tuum, & mundum seruum eius detestatur ac despuit, qui mundi fastum, superbiam, vanitatem conculcat, qui pellacem hanc carnem ac vafram egregiè domat, & Pauli exemplo redigit in seruitutem. Certo enim sperare potest castissimum illum fidelissimúmq; sponsum, eductum è Libano, gloria & honore coronaturum, & in thalamum immortalium deliciarum immenso cum gaudio introducturum.

Finis Libri decimi-quarti.



LIBER DECIMVS-QVINTVS.

De Vigilantia Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio vndecimi filij Charitatis, cui nomen Amor Vigilans.



HVNC habuit finem Amoris Zelotæ disputatio. Cui cùm summissè gratias egissem pro suscepto mei causa labore, ad matrem Charitatem, cæterósque Amores germanos suos regressus est. Ego autem quamprimùm conieci oculos in fratrem ipsius, qui eum pone sequebatur, cui nomen Amor Vigilans. Cuius quasi tessera militaris erat illa Spōsæ vox in Canticis, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hoc enim volebat esse sponso dilectissimo vigilantiæ suæ argumentū, vt quæ continentur excubaret, expectans illius aduentum. Quòd si necessitas corporis somnum exigeret, somno perquam leui ac volucri conniuebat, animo vigilante, atque intento ad excipiendam sponsi vocem, qui dies noctésque insomnis manet, atque inquies, de sponsa sua perpetuò cogitans, quam vult inuenire vigilantem, cum accensa ad manum lampade.

I. AVTOR. *Transitio ad nouum argumentum.*

Ca. 5. 2.

Breuiore tunica erat succinctus, ex raso serico densiore candidi coloris. Ea persperſa erat oculis, quales in pauonis cauda cernuntur, cui nomen inditum erat Vigilantia. Pendulum ex ceruice gestabat horologium, rotis instructum ac cymbalo, æneóque suscitabulo, quod perstrependo illas imitabatur voces *hæc est hora vestra.* Corpore gracili erat ac tenui, vultúque subpallido, vigiliarum argumento; neque enim producto ad altam lucem somno pinguescere studebat. In ora tunicæ scriptum erat opere plumario, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.* Sceptrum ferebat manu, quod in summo apice oculum habebat apertum, qualis erat Ieremiæ *virga vigilans.* Eum modici victus esse aiunt, singulisque euigilare noctibus ad Deo fundendas preces, illiúsque laudes silente mundo celebrandas. Peculiari porro familiari-

II. *Descriptio Amoris vigilantis.*

Psal. 120 4

Ier. 1. 11.

tate vtebatur fratris sui, cui à diligentia inditum est nomen.

III. *Capita dicendorum.* In explicanda porro hac Amoris proprietate, eandem cum fratribus methodum obseruabit. Eam enim ostendet Charitatis sobolem esse certissimam; idque amici Dei omnes verissimum esse, verbis factisque docuerunt, suóque nos Christique Domini exemplo ad vigilantiam incitarunt; quam ne amici quidem eorum, quæ vulgus numerat in bonis, in iis vel perquirendis vel conseruandis in se desiderari passi sunt, vt nunc ostensuri sumus: quò ea quæ de Vigilantia diuini Amoris dicenda sunt certiora fiant atque illustriora, quod eius vigilantia in plerisque Dei famulis lenta ac somniculosa videatur, vt & ipsi euigilent in quærendis altissimis bonis, exemplo eorum, qui tam attentè, támque studiosè inferiora sequuntur.

CAPVT II.

Vigilantiæ mundani amoris breuis explicatio.

I. *Fabula velleris aurei.* ANTIQVI Philosophi, ac Poëtæ in primis, qui perspicuæ rerum veritati nouam speciem inducere, delectationis causa studuerunt, eámque allegoriis, ænigmatibus, & fabularum velo, quasi in theatro reddere personatam, scribunt apud Scythas in regione Colchorum, non longè à mari Caspio extitisse vellus aureum, quod ibi Phrixus quidam reliquerat,

----- *quem per freta tristia tutum*
Aurea lanigero vellere vexit ouis.

Δράκοντα θ' ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας Σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄϋπνος ὢν Κτείνασα. Κύων ἐν φάτνῃ.

Id vellus insomnis draco seruabat, variis caudæ suæ spiris circumuolutum. Illius comparandi causa Argonautæ duce Iasone Colchicam expeditionem suscepere, & opera Medeæ, voti compotes facti sunt. Itaque illa apud poëtam,

Draconem, inquit, *qui auream amplectens pellem*
Spiris multiplicibus seruabat insomnis,
Occidi.

Illi vtique, sub hoc fabulæ inuolucro, docere voluerunt, insomnem esse diuitiarum amorem, eásque illum arctè complecti, ac conseruare, sic vt neq; illis vtatur ipse, neq; alios vti patiatur, vt canis ad præsepe, qui neq; hordeo ibi vescitur, neque equum fame debilitatum eo vesci permittit.

II. *Explicatur, μῆδος consilium ἰάω sano, inde Medea & Iason.* Auaritiam rectè dixeris crudelem draconem, cuius dentes sparsi per agros, armatas acies ad prælium paratas procreant,

-----*satis immanis dentibus hydri,*
Galeisque, densisque virum seges horruit hastis.

Nimirum rixas serit in domibus, in curia lites, seditiones in ciuitate, acies ad cædem instructas in campis. Necesse est Medeam, id est salubre consilium, superando draconi adesse, & animæ ab hac aurea

febri laboranti sanandæ, vigilanter opem ferre. Idem significatum apparet aureis illis malis, quæ beata illa in horto Hesperidum arbor ferebat. Sed horto custodiendo peruigil dies noctésque excubias agebat draco, quem Hercules interfecit, optatósque fructus attulit Euristæo, *& pomorum aureorum.*

Abstulit arboribus precium, nemorique laborem Lucā.
Alcides, passúsque inopes sine pondere ramos,
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

Recentiores qui Atlanticum oceanum latè decurrunt, Hesperidum hortos putant esse Insulas ad caput quod viride appellant, versus æquinoctium, qui insigni amœnitate celebrantur; eas auarus draco seruabat, non nisi Herculeo animo superandus.

Anacreontem Lyricum Poëtam ferunt, à Samio tyranno Polycrate, quinque talenta dono accepisse, quæ cura ingens seruandi, rectéque insumendi consecuta est, tam acris, vt duas noctes insomnes Poëta ille traduceret. Eam ergo sollicitudinem cùm moleste ferret, sua Polycrati talenta restituit, negans se quietem suam quinque talentis venundaturum. Inconsultè profectò suas in fluuium aquas Poëta retulit, quæ siti multorum inopum sedandæ valuissent. III. *Auaritiæ insomnis.* Max. ser. 16. Ælian. Herod. l. 3.

Non minus vigilem amorem corporum, centenis Argi oculis repræsentarunt, quibus Io dudum puella, posteà vacca immotis palpebris seruabatur. Quinquageni interdiu, totidem noctu alternis vigilabant, vt vigilandi subleuaretur labor; sed penitus sopitum Mercurius iussu Iouis interfecit. Apparet hos fabularum architectos docere voluisse, in pugna rationis & voluptatis, tandem à ratione stare victoriam, quæ fastidium inuehat, odiúmque sordidæ voluptatis. Id bonum Sophocles deuexæ tribuebat ætati, cùm diceret libenter se isthinc, tanquam à Domino agresti ac furioso profugisse. Sed diuinæ gratiæ potiùs, libertas à tam dira seruitute, tribuenda est. Nam Sapientis etiam Salomonis, cùm iam senex esset, cor deprauatum est per mulieres, vt Scriptura testatur. Agrestem porrò ac furiosam seruitutem eorum vita testatur, qui insanis acti cupiditatibus noctes diésque cursitant, minore quiete, quàm in ergastulo mancipia, aut remiges in triremi, semper in excubiis, in insidiis, in diurnis nocturnisque competitorum rixis, querelis, ac cædibus. Sed Deo aliquando miserante hanc sobriorum ebrietatem, & non mente captorum furorem, stulta hæc vigilantia, in sanctas vigilias commutatur, vbi malè perdita dudum adolescentia, iuuentúsque deploratur. IV. *Argi oculi voluptati seruiunt.* 3. Reg. 11. 4.

Quid aleatores memorem? qui totas noctes inconniuentibus oculis in ludo ponunt, tum dies solidos partim in cibo & potu, partim in somno traducunt, quasi apud Antipodas viuerent, quibus nox est cum reliquo mundo est dies. Hi ergo dum præpostera lege cæterorum vigilant dormiúntque, labori vacant & quieti; nónne satis huius amoris vigilantiam demonstrant? Simúlque illius se loci fore aliquando ciues indicant, *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* V. *Vigiles aleatores.* Iob 10. 22.

Et ambitiosi. Quid ambitiosi? nónne insomnes ipsi quoque noctes traducunt, dum meditantur inania? Spes fallaces, fauorem principum, amicorum gratiam, potentiam cognatorum, & expeditas ad ingentes opes, & dominationem vias. Milites, qui gloriæ atque opibus inhiant, nónne vigilias frequentant, siue vt improuidos deprehendant, siue vt ne deprehendantur incauti. Literati homines benè mane somnum excutiunt, & cum Demosthene dolent, si quando opificum antelucana industria victi fuerint. *4. Tusc.* Nauclerus studio indefesso modò gnomonem ventorum indicem, modò hydrographicam tabulam intuetur, & circino flexus reflexúsque nauigationis dimetitur. Pastores in agris cum canibus suis, obseruant vigilias super greges suos, ne qua lupus aut vrsus, aut alia fera inuadat in ouile, ouésque disperdat ac mactet. *Eccl. 42. 9.* *Filia patris abscondita est vigilia, & sollicitudo eius aufert somnum, ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur*, vt ait Sapiens.

VI. *Causa naturalis somni, ac vigiliæ.* Et vniuersè loquendo quicumque ad rem aliquam vehementer afficitur, vigilanter inquirit, vsurpátque rationes & vias eius adipiscendæ ac perfruendæ. Cuius rei idonea ratio non habet difficilem inquisitionem, aut explicatum. Contingit enim somnus stomacho sursum vapores fumosos emittente, qui in cerebri frigore densati, caput degrauant. Iidem in ascensu ac descensu, vias in sensu communi obstruunt atque obstipant, quibus spiritus animales ad omnia organa sensuum excurrunt, vt muneribus fungantur suis, sicque animal somno opprimitur, atque obdormiscit. Vehemens autem ille affectus, quem dicebam, instar habet ignis consumentis vapores illos, & hoc ipso soporem impedientis, aut quamprimùm excutientis. Denique quibuscunque aut ab ætate, aut ab ægritudine, aut ab ipsa corporis constitutione cerebro est admodum sicco, noctes facilè traducit insomnes; & contrà, quibus cerebrum abundat humore, vt pueris, & phlegmaticis, ij perfacilè perdiúque sopiuntur.

VII. *Plerisque in rebus.* Multa etiam aut modica mentis applicatio ad rem aliquam facilè discutit, conciliátve somnum. Defatigatis enim, silentibus, otiosis, & cura solutis, præsertim in tenebris, facilè somnus obrepit; cantus quoque suauitas inuitat ad somnum: quia tunc remissius applicatur animus ad functiones suas, ideò permodicus vapor sufficit ad obstruenda sensuum foramina, & sentiendi vias, inducendúmque somnum. Cùm autem mens instat operi vehementius, sensus ipsi multos spiritus auxilio euocant, quorum opera vapores discutiuntur, & somnus. Constat porrò moderato somno nutriri animalia atque pinguescere, vigiliis autem immodicis maciem contrahi, & corporis imbecillitatem: itaque facilè somno indulgent corporum suorum amatores, & vt illa mollius habeant, in altam lucem dormiunt, & antelucanos excitatores oderunt. *Amor an somnolentus.* Neque propterea rectè dixerimus amorem somnolentum. Vigilãtia enim amoris in absentia spectatur obiecti, siue illius boni, ad quod acquirendum

fertur: & in cuius mox adeptione acquiescit. Itaque illi somni amatores, loca & tempora studiosè ac vigilanter inquirunt, quibus somno indulgere possint, vt viribus integris, firmáque valetudine, qua se beatos putant, perfruantur.

CAPVT III.

Vigilantem Amorem filium esse Charitatis, Diuinúmque Amorem homines reddere vigilantes.

HÆc habui, quæ vniuersè de Amoris vigilantia, paucis præluderem disputationi tuæ. Et sanè accuratè atque vigilanter, ait Amor vigilans, ex eáque facilè colligi potest vigilantem esse charitatem, amorémque diuinum. Siue enim Charitas in Deum primaria intentione feratur, siue secundaria in proximum, semper cælestis est eius origo, vbi nullus est somno locus: filia Dei est, quem neque dormire, neque dormitare profitetur Propheta regius. Soror est Angelorum, quos Propheta Daniel meritò Vigiles vocat. Stant enim perpetuò expediti, ad trisagium illud diuinæ maiestati noctes diésque concinendum, vt Ioannes in sua Apocalypsi testatur; aut quia in hominum custodia & gubernatione continenter excubant, vt Raphaëlis exemplo perspicuè intellectum est; quanquam & iis quoque puniendis inuigilare, Nabuchodonosoris tragœdia demonstrat; aut iis in locum quietis transferendis, quod officij genus, non vnus Lazarus mendicus expertus est. Peruigilare quoque necesse est eos, qui orbes illos cœlestes, supra subtúsque terræ globum, continenter versant: quò illud pertinere potest, *Concentum cœli quis dormire facit*? nulla est enim eorum quasi perpetuò concinentium quies, aut Angelorum eos indefatigabili motione cientium.

[Margin: I. Vigilem esse Charitatem AVTOR AMOR. VIGIL. — vt patet in Angelis. Psal. 108.4. — c.4.10.14. 20. — Dan.4.10. &c. — Iob.38.37.]

Charitas aduersus Deum & proximum, qua abundant Angeli, omnes has ab eis functiones elicit continuatos, & quantum in ipsis est, nũquam interrupto labore. Eandem quoque vim Charitas habet in terris, peregrino licet in loco; pérque solam stat terrestris naturæ infirmitatem, quò minùs perpetuò vigil, suam nunquam intermittat actionem. Cùm autem sublata fuerit ista imbecillitas, *& mortale hoc induerit immortalitatem*, nunquam à diuinis laudibus in cœlo cessabit, nunquam ab admiratione maiestatis, beneficentiæ, & actione gratiarum: quod perpetuum opus est, quod ibi nunc à sanctis animabus exercetur, expectantibus vt à resurrectione toti continenter in diuinas laudes, & perpetem contemplationem effundantur. Quin nec Charitas in proximum ibi otiosa est, aut dormitat; sciunt enim quibus necessitatibus mortales vrgeantur, quot & quanta vitæ & salutis adeant dis-

[Margin: II. Quos sancti imitantur. — 1.Cor.15.53.]

crimina ; quantisque auxiliis opus habeant, siue dum adhuc peregrinantur in terris, siue dum exutæ corporibus, in expiatoriis locis perpurgantur.

III. *Cuiusmodi sit in cœlo somnus.* AVTOR. D.Th. lect. 3 in c. 11. Ioan. & lect. 3. in 13. ad Rom. AMOR. VIG.

Ista tu quidem rectissimè, inquam, sed tamen nónne dormitionem quandam agnoscis in cœlo? Nam ea se Dauid aliquando fruiturum sperabat, cùm diceret, *In pace, in idipsum dormiam & requiescam.* Quasi diceret. Per me licet vt in sinu gaudeant mundi amatores, in magno vini, olei, frumenti numero, magna auri copia & argenti, ego in singulari spe, in qua firmasti me, acquiescam, fore vt in cœlesti domicilio dormiam, & requiescam. Accipio sanè ista omnia, inquit Amor vigilans, atque assentior contemplationem beatam somnum dici posse, quod in ea vera, perfecta, & immutabilis contingat corporum atque animorũ quies, & oblectatio, quæ suauissimo somno non malè respõdet. Negari tamen non potest somnum illum esse perpetuam, neque vnquam intermittentem, aut interpellatam actionem, sed dulciorem atque amabiliorem quam quæuis huius vitæ quies. Ita ludibundi in placido flumine quiescunt pisces, & aues in aëre, dum opere omni solutæ volitant. Ita & oculi dum in contemplatione pulcherrimi obiecti acquiescunt, aut aures gratissimo concentu demulcentur. Fateor mihi cumulatè satisfactum, inquam.

AVTOR. AMOR.

IV. *Miseria somni vitæ huius.* Rom. 7. 24.

Ego verò, vt pertexam quod exorsus sum, inquit Amor, minimè dubito viros sanctos, vigilantem erga Deum & proximum exercere charitatem, quantum conditio mortalitatis humanæ permittit, & cum Paulo Apostolo ingemiscere, dum à corporis huius necessitatibus liberentur: nec leui tristitia afficiuntur, quòd tot horas quotidie somno impendere, aut perdere potiùs cogantur, vsu rationis, sicut muta pecora, ac libertatis expertes; quo ipso tempore nihil licet gerere aut procurare negotij, quod cœlo sit vsui: cùmque toties spiritum ducant & reddant, dolent se momentis singulis Deum spirare non posse, aut suspiriis ad eum aspirare, sed in lectis iacere, quasi mortuos, nec tamen à fœdis spectrorum imaginibus, aut terroribus liberos; obiectos cœli terræque, atque omnium elementorum, & animalium iniuriis, defensionis omnis ac remedij, instar defunctorum expertes. Itaque tantam iacturam deplorantes pleræque religiosæ animæ vbique terrarum, nõ modicam noctis ac somni partem in diuinis laudibus consumunt, post maiorem ac meliorem diei partem, in eodem Dei cultu, atque famulatu collocatam.

V. *Nocturnæ Ecclesiæ preces, ac vigiliæ.*

Neque ignotum est nocturnas preces, quæ olim in Ecclesiis vbique celebrabantur, Psalmis hymnisque concinendis, sacris item literis, & Patrũ homiliis, sanctorum quoque Confessorum ac Martyrum historiis in compendium redactis, vt suis quæque diebus occurrerent perlegendis, totas noctes occupare solitas, nonnulla tamen quiete semel iterúmque interiecta, ad aliquam erga terrena corpora indulgentiam, vt commodius spiritui famularentur. Hinc tria quæ dicuntur nocturna matutinarum

narum precum, profecta sunt, eisque subiectæ laudes, vt quatuor noctis vigilias quasi sacri Deo milites celebrarent. Persuasum quippe erat religioso illi populo, non minùs vigilandũ esse in famulatu Imperatoris cœli, quàm principum, quorum militiæ ascripti essent. Idipsum erat, cum quadam modificatione, atque indulgentia æmulari sacros Angelorum hymnos & Cantica, quæ illi perpetuò concinunt, & eorundem choris ascriptas, sanctorum animas imitari, quæ sacrosanctæ Triadi, quæ electorum principi Iesu Christo, quæ beatissimæ Deiparæ, quæ singulis nouorum cœli ciuium triumphis, suam fœlicitatem, sua gaudia, immortalésque victorias gratulantur. *Angelicis suppares.*

CAPVT IV.

Singularis quorundam sanctorum vigilantia in sacris literis celebrata.

PLACET Vigilantiæ diuini amoris exempla nonnulla persequi singulatim. Propheta regius omnium virtutum exempla non obscura suggerit, nec minora de ea, quam habemus in manibus. Nam illum summo mane ad preces euigilare, testis est illa confessio. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, animæ quippe suæ ad Deum anhelantis sitim sedare cupiebat, *Sitiuit*, inquit, *in te anima mea*. Nec anima solùm, sed ipsa quoque caro peruigil arescebat. Eius quippe corpus quamuis malè habitum in desertis locis, inuiis ac siticulosis, precibus non secus vacabat, ac si fuisset in sanctuario. Benè manè inceptabat preces, sed vigilantia eum ad orationem crebro iterandam suauissimè trahebat, Septies enim quotidie laudem Domino dicebat, super iudicia iustitiæ eius. Nec minus propterea bonam noctis partem ducebat in precibus, eo maximè tempore, quo rebus exercebatur aduersis. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* orabat quippe noctes diésque cum lachrymis, quæ illi erant instar panis. Denique media nocte surgebat ad confitendum Domino: & ad eandem vigilantiam reliquos verbo exemplóque inuitabat. *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.*

I. *Vigilantia Dauidis.*
Psal. 62. 1.
Ps. 118. 164.
76. 3.
41. 4.
118. 62.
133. 2.

Quanta fuit Mosis vigilantia, qui ter quadragenos dies, totidémque noctes in monte Sina insomnis impastúsque transegit, dum multis cum lacrymis, populo sibi credito, à Deo veniam exorat & pacem, & semel atque iterum, ad eundem populum docendum & gubernandum, leges. Non affirmat Scriptura somno abstinuisse Prophetam. Sed qui Dei munere cibi lege solutus erat, quidni esset & somni? Samuel cùm videret Saülem à Domino regno abdicatũ, noctes diésque clamabat ad Dominum, si quo modo illi veniam impetraret, perseuerauitque, donec à

II. *Mosis.*
Vide an. m. 2544. num. 627.
Samuelis.
1. Reg. 15.

Domino ipso iussus est abstinere. *Vsquequo*, inquit, *tu leges Saül, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Israël.* Quid Esaias? *Anima mea*, inquit, *desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Iuditha noctes exigebat in precibus, & Tobias in mortuis sepeliendis. Grata Deo fuit peruigil vtriusque Charitas. Nam illius operâ mirabilia fecit, & in huius gratiam non minùs admiranda. Ieremias noctu atque interdiu pro venia populo impetranda supplex erat diuino Numini, adeò vt à precibus cessare iuberetur, neque obsistere vltionem paranti. Idem fuit Danielis studium orando, ieiunando, vigilando, omniúmque seruorum Dei, qui eos sunt consecuti.

Esaia. c.26.9. Iuditha. Tobia.

Danielis. Ier.8.16. & c.9.1. Dan.9.3.4. &c.

III. *Pauli Apostoli.* 2.Cor.11.27 2.Cor.6.4.

S. Apostolus Paulus scribens ad Corinthios, fatetur seruisse se Domino, & pro eius Ecclesia desudasse, *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate*; & Christianos ad imitationem patientiæ suæ, vigilantiæ, fortitudinis, cæterarúmque virtutum, quarum longum texit indicem, exhortatur. Sed audiamus eiusdem vigilantiæ ac sollicitudinis exemplum singulare. Conuocatis enim maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ. *Vos scitis*, inquit, *à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis.* Et infrà, *Propter quod vigilate*, inquit, *memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cùm lacrymis monens vnumquemque vestrûm.*

Act.20.17.

CAPVT V.

Alia vigilantis Amoris exempla, ex historia Ecclesiastica petita.

I. *Dæmones hostes vigilantiæ.*

IMMVNDI spiritus, capitales humani generis inimici, libenter homines ad comessationes, ad crapulam, ad intempestiua conuiuia, ad ignauum otium, ad productiores somnos inuitant, experientia docti, se eadem opera ad plurima illos scelera impulsuros. Quæ causa fuit Ecclesiæ sanctæ, filios suos verbis Petri Apostoli quotidie commonendi, vt sobrij sint & vigilent, certique pugnæ, ad excipiendum hostem se comparent, qui *tanquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret.* Abbas Serenus apud Cassianum, ait dæmones olim in desertis locis vsque adeò sæuire solitos, vt pauci omnino solitariam aduersus eos congressionem, & pugnam periclitari auderent, quin & cœnobitas audebat inuadere, & apertè diuexare; adeò vt nunquam toti cœnobio liceret obdormiscere, sed alternatim pars vigilaret in precibus, dum altera quieti se daret, pro quibus cæteri in excubiis essent contra infestissimos dæmones. Donec crucis virtute fulgurante, & solitudines peruadente, dæ-

Coll.7.c.1. & 23. *quæ & vincuntur.*

monum furor multum cœpit hebescere, Deo, in nouorum athletarum gratiam, habenis adductioribus illos continente.

II. *Vigilantia S. Palæmonis.* S. Palæmon, vt est in vita Pachomij, meditationes ac preces ad mediam vsque noctem producebat, aliquando etiam vsque ad lucem, quod Pachomius ipse, tum discipulus eius ac tyro, animosè æmulabatur: cúmque eum somnus vrgeret, arenæ cumulos ex vno loco in alium transferebat; itáque paulatim dominabatur in somnum. Deinde quindecim ipsos annos ita vixit, vt somnum non caperet, nisi in scabello, media in cella sedens, nullámque in partem innitens. Aliquando cum somno luctabatur orans, & brachiis ad multas horas expansis, æquè immotus, ac si defixus esset in cruce. Cùm autem tantillo tempore quo dormitabat, impuris cogitationibus vexaretur, Deum exorauit vt ad certum tempus somno penitus abstineret, vt contra dæmonum conatus dies noctésque luctari posset: quòd cùm faceret, Deum peruigil orabat vt eius voluntas adimpleretur.

S. Pachomij. cap. 6. c. 14. & 15. c. 20. Ruf. l. 3. n. 35.

III. *S. Sereni.* S. Serenus abbas mirabilem consecutus est corporis animique puritatem, adeò vt ab omnibus carnis aculeis esset prorsus immunis: idque erat consecutus, dies noctésque in preces intentus, somno cibóque plurimũ abstinens feruore singulari, vt continentiæ donum diuinitus obtineret. Cúmque se voti compotem factum sentiret, magis magisque eam virtutem adamauit, & in ieiuniis, vigiliis, precibúsque perseuerans, Angeliq; sui præsidio, omnis motionis corporeæ, perinde ac infantulus aliquis, factus est expers. Refert Palladius Thebanum quendam Dorotheum annos sexaginta ita in spelunca transegisse, sex vnciis panis, paucisque oleribus contentum, vt cùm totum diem labori manum esset intentus, nunquam pedes suos, ad commodius quiescendum extenderet, aut vt se in palea ad quiescendum componeret; sed in sella sedentem, palmásque texentem somnus opprimebat: cui cùm ille non cederet, etiam comedentem ita somnus vrgebat, vt buccella panis ex ore laberetur.

S. Dorothei. In Laus. c. 2

IV. *S. Arsenij.* Plerisque sanctis viris solemne fuit, vt noctes integras, nixi genibus, & ad orientem conuersi solem, in oratione ponerent, nec loco mouerentur, donec sol rursum exoriens, suos in eorum faciem radios spargeret, non sine querela, quod distractionibus, quas lux afferebat, liberior cum Deo communicatio impediretur. In eo numero fuit magnus Arsenius, qui eam exercitationem diebus maximè sabbati vsurpabat, se ad Dominici diei communionem præparãs: cæteris diebus ita somni parcus erat, vt naturæ necessitatem expugnasse videretur. Vnam enim horam ad sõnum, religioso satis esse arbitrabatur, somnúmque vocabat famulũ molestum & importunum, qui vltro ingereret sese, & vim afferret Domino suo.

V. *S Onuphrij.* S. Onuphrius nullũ habebat destinatum quieti locum, sed vastam Eremũ meditabundus obibat, ibique figebat gradum, vbi nox hominem oppressisset; quam tamen noctem vigilia magis quàm somnus occupabat,

S. Ioannis anachoretæ. Pallad c. 60 & 61. Ruffi. l. 2. c. 16. Illud quippe Dauidicum obseruabat, *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Anachoreta quidam nomine Ioannes, sub initia solitariæ exercitationis suæ, tres totos annos perseuerauit orans, stánsque in decliui rupis vnius, nec dormiuit amplius, quàm status ille corporis permittebat. Tanto autem facilius somnum vincebat, quanto erat cibi abstinentior, cuius vix tota hebdomada recordabatur: die autem Dominico, vnico pane Eucharistico fruebatur, quem illi sacerdos afferebat. Cæterùm pedes illius computruerunt propter immobilem triennij in terra situm, quo expleto adfuit illi Angelus, qui curatum sapientia imbuit atque doctrina, monuitque vt Dei iussu ad alios docendos proficisceretur.

VI. *S. Hieronymi.* Ad Eustochium. S. Hieronymus, cuius orationem, alio loco atque occasione vsurpatam, iterare non piget, contra carnis insultus, vigiliis quoque pugnabat. *Horrebant*, inquit, *sacco membra deformia, & squalida cutis situ Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo ossa vix cohærentia collidebam.* Et mox. *Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas.* O generosos Christi athletas, qui omnes imbecillis naturæ propensiones infringere, atque habere in potestate conabantur, & præ metu, ne illi vltra necessitatem indulgerent (quàm seuerè, aut malignè potiùs definiebant) citra illam admodum subsistebant, vsque adeò suis ipsi commodis corporibúsque inimici erant.

VII. *Conclusio.* Quid ergo nunc faciamus hominibus, qui eandem cum ipsis beatitudinem præstolantur, quique grauioribus fere nominibus obstricti sunt Deo, propter plurium peccatorum veniam diuinitus acceptam, quibus tam graue est nocturnas precum stationes obire, quid dico nocturnas? ne matutinæ quidem somnum excutere satis queunt, post septenas horas quieti datas. Proh quàm languidus, quàm somnolentus, quàm pene emortuus est multorum Dei seruorum amor! quàm pudenda, quàm exprobrabilis est isthæc ignauia!

CAPVT VI.

Diuinum Seruatoris amorem fuisse vigilantem.

I. *Transitio ad vigilantiam Seruatoris.* AVTOR. PERGRATVM mihi erit Seruatoris nunc vigilantiam à te in medium adduci, quod ille maximè propositus sit in exemplũ omnibus Christianis, quamcunque tandem vitæ rationem in Ecclesia Catholica, vbiuis gentium consectentur; singularis eñim fuit prudentia, tam in cæteris rebus, quàm in vigilantia Incarnatæ Sapientiæ, cum Anachoretarum, aliorúmque Sanctorum vigiliæ, longè ferantur vlte-

rius, quàm multi religiosi viri, nedùm communis Christianorum vita ferre possit. Rectè tu quidem ista mones, inquit Amor vigilans. Rectum tamen etiam est animaduertere, quonam vsq; diuinus amor & gratia humanam imbecillitatem prouehere possint: & agnitis heroicis sanctorum facinoribus atque victoriis, perquam summissè de virtute nostra, humilitérque sentire, vt exprobrationem in die iudicij vitare liceat, quòd tam pauca simus conati, quibus cum Dei gratia tanto plura facere licuisset. AMOR VIGIL.

II. *Quæ in deserto continua fuit.*

Etsi autem vitæ ratio Christi Domini consultò communis fuit, ipsis nihilominus Anachoretis, & solitudinum incolis, non solùm solitariæ vitæ dedit exemplum, illis quadraginta diebus, quibus ab omnium hominum consuetudine, conuictúque secretus, solum Deum, eiúsque sanctos angelos habuit familiares: sed anachoretici quoque ieiunij atque vigiliarum. Illos enim quadraginta dies ita cibi potúsque transegit expertes, ac si statua quæpiam foret, sensus expers & vitæ. Quod ipsum de somno dicendum videtur; Is enim datus est homini, cæterísque animantibus ad reparandas naturæ vires, acceptúmque cibum in singula membra distribuendum, quæ natiui caloris actione debilitantur, atque flaccescunt. At toto illo tempore, actione caloris suspensa diuinitus, nihil imminuebantur vires: in cuius rei signum scriptum est *postea esuriisse*, postquam scilicet toto illo tempore sine fame vixisset. Interea verò accuratissimè exercere cœpit, quod postea docuit, *Oportere semper orare, & non deficere.* Et rursum, *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Luc. 18. 1. Ca. 21. 36.

III. *Dedit exemplum vigilandi ad orandum.*

Et quamuis nihil illi necesse esset, aut vigilare ad orandum, aut à turbis secedere; nec noctem potiùs, quàm lucem orationi destinare, quod diuinitati perpetuo præsens esset, atque adeò coniunctior quàm anima corpori: nihilominus sæpenumero vigilabat, & secedebat ad fundendas patri preces, aliáque agebat non pauca, non sibi, sed ad suorum institutionem & exemplum. Quod ipsemet in pedum ablutione testatus est. *Exemplum dedi vobis*, inquit, *vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quoniam verò exempla potiora sunt verbis, hominibus ad virtutem excitandis, ideo Seruator multo plus operæ temporísque in agendo posuit, quàm in docendo; tribus enim fere annis docuit, at tribus & triginta præbuit exempla virtutum. Ioan. 13. 15.

IV. *Commendat vigilātiam.*

Si ergo toties præsentibus futurísq; discipulis vigilantiam commendauit, si toties attendere, vigilare, sollicitos esse docuit, aduentui Domini præstolando, quantam ipsum credimus adhibuisse vigilantiam in salute mortalium procuranda? Quodam in loco, *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Alibi, quoque eandem docet vigilantiam, exemplo parabolico virginum fatuarū, quæ, priusquam eas somnus occuparet, non prouiderāt ne deesset oleum Luc. 12. 35. Matt. 25. 3. 4. 5. *Docétque parabolis.*

lampadibus ſuis, & in reditu, clauſa iam ianua, triſtiſſimam illam vocem audierunt, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Et potuerunt quidem miſellæ flere deinceps calamitatem ſuam, non etiam illi remedium aliquod adhibere. Itaque concludens magnus magiſter, *Vigilate*, inquit, *quia neſcitis diem neque horam.* Alio etiam loco ſeruum illum beatum prædicat, *quem Dominus inuenerit vigilantem*, *Amen dico vobis*, inquit, *quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Improbum autem ac vecordem *diuidet*, corpus ab animo ſeparando, *partémque eius*, animam ſcilicet, dum ſupremum iudicium expectatur: ponet cum hypocritis, vbi perpetuus *erit fletus, ac ſtridor dentium.*

Matth. 24. 42. 46.

Luc. 12. 46.

V. *Et exemplis.* Matth. 24. 37. & ſeqq.

Et ne fortè quiſpiam malè ſanus in exemplis parabolicis tergiuerſetur: profert idem Seruator exemplum eorum, qui in diebus Noë, imminente diluuio ad ſancti viri admonitiones obſurdeſcebant, non ſecus, ac ſi ſomno ſepulti iacerent, conuiuiis vacabant ac nuptiis, aliáque omnia faciebant ac curabant, vſque in diem, quo Noë intrauit in arcam, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & fontes abyſſi magnæ recluſi, & omnes diluuio periere. Præmonet quoque idem euenturum, ſub ſecundum eius aduentum, nec homines illo exemplo, aliiſque caſtigatos fore cautiores; mira profectò ſocordia, ac ſtupore mortalium, in re præſertim tanti momenti, támque incerti temporis: cùm pater familias, qui ignorat qua hora fur venturus ſit, totas noctes vigilet, nec ſinat à nocturno graſſatore perfodi domum ſuam. *Ideo & vos*, inquit, quorum tanta res agitur, *eſtote parati, quia qua neſcitis hora filius hominis veniet.*

VI. *Iterata vigilandi præcepta.* Mar. 13. 33.

Apud Marcum autem vide vt hanc vigilantiam vrgeat; *Videte, vigilate & orate. Neſcitis enim quando tempus ſit*, aut finis veſtri, aut mundi totius, in quo vtroque veniet ad vos Dominus veſter, vt ponat rationem cum ſeruis ſuis. Itaque res habet, ſicut cùm homo peregrè proficiſcitur, & relinquit domum ſuam in manibus famulorum ſuorum, ſuo cuique opere commiſſo, & ianitori præcepit vt vigilet, qui eſt inſtar œconomi, qui cæteros continet in officio. Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat, *ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane*, id eſt quatuor vigiliarum aliqua, *ne cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem dico vobis, omnibus dico, vigilate.* Habemus ergo hoc Domini præceptum, datum, iteratum, inculcatum, omnibus pene Euangeliorum paginis. Vſque adeò perſpectam habebat hominum ignauiam, & ſomnolentum, in rebus grauiſſimis, ac ſalutem æternam ſpectantibus, torporem.

Mar. 13. 37.

VII. *Noctibus orando peruigilat.* Ca. 6. 12. 13.

Vigilantiæ porro ſuæ quæ dedit exempla? S. Lucas teſtatur Dominum electurum duodecim Apoſtolos, aſcendiſſe in montem, ibique totam noctem in oratione poſuiſſe; id autem crebro factitare ſolitum ſignificat Euangeliſta, cùm non ait, & pernoctauit in oratione, *ſed erat pernoctans in oratione Dei.* Nimirum cùm erat in Galilæa, montem, qui erat iuxta mare Tiberiadis, vt Marcus ſignificat, ad noctur-

Ca 3. 7. 13.

nam orationem frequentabat, ſicut cùm eſſet in Iudæa Oliueti montem creber adibat. Nam, vt monet Ioannes, in peruigilio mortis ſuæ montem Oliuetanum, ex conſuetudine adiuit cum diſcipulis ſuis. Lucas etiam clariùs. *Erat autem diebus docens in templo, noctibus autem exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.* non quietis vtique cauſa; Lazarum enim & ſorores adiiſſet in vicina Bethania, ſed ad orandum; indéque bene manè redibat in templum, quo populus ad eum audiendum confluebat, vt Ioannes & Lucas ſcripto prodidere. ca. 18. 1. ca. 21. 37. Ioan. 8. 1. 2. Luc. 21. 37. 38.

VIII. *Maximè in Oliuetano monte.*

Ibi noctem tranſegerat in precibus, cùm diluculo iterum venit in templum: quò illum Scribæ & Phariſæi adierunt, adducentes mulierem in adulterio deprehenſam. In monte ſolus orauerat, ad quartam vſque noctis vigiliam: cùm venit ad Diſcipulos ſuos, qui fluctibus in mari medio ventiſque iactabantur, quos cùm adiiſſet, ambulans ſicco veſtigio ſuper mare, ſedauit nutu tempeſtatem. Vides egregium vigilantiæ vſum in Seruatore. Sed ea multo admirabilior fuit, illa ipſa nocte, quam vltimam mortalis egit in terris; in qua mitiſſimus ac vigilantiſſimus Dominus, non parum indigens erat quietis, ad colligendum aliquid roboris, ad perpetiendos reliquæ noctis, & diei conſequentis acerbiſſimos dolores. Vigilare tamen maluit & feruida ad Deum oratione roborari, ad quam etiam inuitauit Apoſtolos, quàm tantillo ſomno recreari. Ergo illis dormitantibus ipſe preces fundit ad patrem, tanti plenas feruoris, vt in ſanguineum ſudorem, & ſummam luctantis animæ contentionem terminarentur. Itaque ſi ſemel eum reperimus dormientem, ad probandam diſcipulorum fiduciam, ad incitandam noſtram vigilantiam illum vbique inuenimus vigilantem. Sed doceamus quoque, ſi poſſumus, Ioan. 8. Matt. 14. 23. Matt. 26. 38. 40. Matt. 8. 24.

CAPVT VII.

Diuinum Amorem ipſum quoque Deum reddere vigilantem.

I. AVTOR. *Deum non vigilare.*

ID ſane perſuadere, inquam, vulgò difficile videatur, cùm eiuſdem ſit dormire ac vigilare; & ſomnus ſit animaliū proprius. Et Seruator quidem dormire potuit ſicut & vigilare, potum ſumere, cibúmq; ſicut reuera ſumpſit: angeli autem, vt in aſſumptis corporibus cibum capere ſimulent, aut ſomnum, neutrum certè capiunt. Sunt enim hæ vitales animantium actiones, quæ niſi ab animantibus exerceri non poſſunt. Itaq; Raphaël angelus Tobiæ dicere non dubitauit, *Videbar quidem vobiſ-* ca. 12. 19.

cum manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Nec verior erat illius somnus, aut vigilia. Oportet tamen, mi Amor, te vigilantiam in Deo demonstrare, si originem tuam persuasurus es esse diuinam.

II. *Propriè loquendo.* Quæ mens igitur fuit Prophetæ regij, ait Amor Vigilans, in amica illa querela Deum excitantis, & euigilare cupientis ad ferendam sibi opem? Psal. 43. 23. *Exurge quare obdormis, Domine, exurge & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ.* Et Psal. 77. 65. alio loco Propheta idem *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* verùm alibi populum consolatione Ps. 120. 4. confirmans, *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.* Metaphoricum vtique somnum Deo tribuit, sicut & vigilantiam. Qua loquendi formula docere voluit Propheta, Deum amorem erga populum suum dissimulare, quando illum vexari permittit, séque perinde gerit erga illum, ac si somno consopitus esset. Alias patefacit amorem suum, cùm eum studiosè tuetur ac protegit, sicut qui excubias agit ad tutandam arcem aliquam, ab hoste acriter oppugnatam.

III. *Quæ sit Dei vigilia.* Dei amorem esse peruigilem, est Deum perpetuo intentum esse saluti nostræ atque profectui, perpetuo intueri nos, perpetuo cogitare de nobis: omnibus actionibus nostris, verbis, cogitationibus, sine vlla intermissione, adesse præsentissimum. Hoc admodũ mirum est, fateor; nec minus tamen verum. Si enim Deus cogitat aliquando de nobis, quod Psal. 8. 5. mirabatur Dauid cùm diceret, *Domine quid est homo, quod memor es eius?* ídque requirit amantissimi patris erga filios suos prouidentia; si cogitat, inquam, aliquando, perpetuò cogitat; nihil enim in Deo mutabile est, perpetuo actu est, nec posset per vices, atque alternatim cogitare de nobis, sine mutatione; fieret enim de cogitante non cogitans, & vice versa: itémque de cognoscente non cognoscens; cogitatio enim & cognitio vnum idémque sunt in Deo. Quòd si aliquo tempore non videret, aut non cogitaret opera hominum, posset illa ignorare, & moneri ab aliquo, ne quod bonum opus esset mercedis expers, aut malum animaduersionis, quæ sunt in summa Dei perfectione absurdissima.

IV. *Quæ sint hominum ex ea commoda.* Vide autem nunc quæ sint huic tantæ vigilantiæ consentanea; tam intentæ, atque indefessæ cogitationi de nobis. Si Deus perpetuò de me cogitat, num æquum est me aliquando illius obliuisci? nónne persuasum mihi esse debet, eum me illis affari verbis, quibus olim Catarinam Senensem, *Cogita de me, & ego cogitabo de te;* sollicita esto pro honore & cultu meo, ego curam geram salutis tuæ. Rursum, si Deus perpetuo de me cogitat, suámque mihi per superiores meos patefacit voluntatem, quorsum sim de me ipso sollicitus? Et iterum, Si Deus perpetuò me intuetur, & firmat super me oculos suos, quanto cum sensu, ac veneratione astare debeo diuinæ præsentiæ? quomodo facta, dicta, cogitata componere, eo ad singula vigilanter attendente, expendente, diiudicante?

cante? Si quid patior, nónne eo conſcio patior, qui diligit me? nónne ipſe videt, & actu cogitat dolorem meum, & ad infirmitatem meam, & auxilium gratiæ ſuæ, vim permiſſæ aut immiſſæ tentationis attemperat?

Deus ſingulariter attentus atque intentus eſt peculiari bono tuo, non omiſſa propterea reliqua mundi gubernatione; infinita quippe prouidentia ipſius abundè ſufficit ad omnia, nec minùs in rem vnius occupatus eſt, quàm multorum millium; nec minùs accuratè vniuerſas res creatas contemplatur quàm ſingulas, neque perfectiùs continenti ſucceſſione, quàm ſimul. Nihil ergo cauſæ eſt cur aditum ad ipſum differamus in craſtinum, aut horam captemus precibus opportunam, Ei ſemper eſt otium, & quo nos cúmque tempore ad eum contulerimus, de rebus noſtris cogitantem offendemus; aderimus loco ac tempori congruenter. Si cui certò conſtaret optimatem aliquem, regi valde gratioſum, aut regem ipſum quotidie horæ dimidium aut quadrantem ponere in eius negotiis agendis, commodiſque promouendis, nónne ille ſe beatum putaret? Quæ eſt igitur hominis felicitas, qui Deum opt. max. habet ſingulis horis momentiſque cogitantem de ipſo, eiúſque negotiis inuigilantem? V. *Aliæ vtilitates.*

Hæc atque his ſimilia ſunt ea commoda, quæ ab hac diuina vigilantia expectare poſſumus. Quæ tamen interdum videtur interrumpi; quando ſapientiſſima illa prouidentia, amicorũ ſuorum, quaſi ſomno captus, ſurda præterit aure preces, commodius aliquid moliens, quàm id quod rogatur; aut rem in tempus opportunius differens. Eadem prouidentia dormitare videtur interdum aduerſus improbos, dum eos multa cum patientia ac longanimitate tolerat, & tacitus fert iniurias ſibi irrogatas, perinde ac ſi dormiret, nec eas videret, audiret, aduerteret. Nam qui dormiunt, non attendunt ſi quis eos derideat, ſi quis increpet, ſi quis cladem minetur; non mouentur ſi quis eorum veſtes, aut ſupellectilem furto auferat, ſi quis infeſtos ignes tecto inferat, ſi quis amicos violet, domeſticos, neceſſarios, parentes, non magis quàm ſi centum millibus abeſſet, aut in æneam ſtatuam conuerſus eſſet. Ita Dominus ſimulat ſomnum, non reſpicit infenſus ſuper iniqua agentes, *& tacet deuorante impio iuſtiorem ſe.* VI. *Videtur aliquando bonis, Maliſque dormitare.* Haba. 1.13

E contrario Deus vigilare dicitur aut euigilare, cum bonis benefacit, aut præter opinionem in nocentes animaduertit; vigilare enim Domini ad vtrumque pertinet. Sic enim apud Ieremiam loquitur, *Sicut vigilaui ſuper eos vt euellerem & demolirer, & diſſiparem, & diſperderem, & affligerem; ſic vigilabo ſuper eos vt ædificem, & plantẽ, ait Dominus.* Prout videlicet aut pœnitẽtiam egerint, aut perſeuerauerint in peccatis. Cúmq; virgam vigilantem oſtendiſſet Prophetæ, dixit ſe vigilaturum ſuper verbo ſuo, vt faceret illud, ſuper caſtigatione ſcilicet aut proſperitate promiſſa. Et rurſum, cùm reliquiæ Iudaici populi Ægyptum, repugnãte Domino, cogitarent, *Ecce ego,* inquit, *vigilabo ſuper eos in malum, & non in bonum.* VII. *Et euigilare vtriſque.* Ierem. 31.28 Ca. 1.11.12. Ca. 44.27.

VIII. *Vigilantia in puniendo.* Plurimùm tamen in animaduersione vigilia Domini vsurpatur. Itaque cùm Deus ostendere voluit Nabuchodonosori diuinam vltionem
Dan. 4. 10. capiti eius imminentem, vigilem is Dei angelum vidit, ad eam exequen-
20. dam paratum; à quo & regno pulsus, & ad bestias damnatus est in se-
Thr. 1. 14. ptennium. Ita Ierusalem lamentatur vigilasse iugum iniquitatum suarum, id est pœnam peccatis suis debitam incubuisse in se, suúmque ca-
Dan. 9. 14. put ad terram vsque instar iugi degrauasse. Ita Daniel & Baruch aiunt
Baruch. 2. 9. Deum vigilasse super malitia Iudæorum, & adduxisse eam super eos; iustè videlicet puniuisse, nec pœnam, quasi nondum euigilantem, lon-
Esa. 42. 14. gius distulisse. Consentaneè illis apud Esaiam minis. *Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.*

IX. AVTOR AMOR. *Ad amorem quoque pertinet.* Sed cuiusmodi est hic amor, inquam, ad pœnas & animaduersionem vigil? Iustissimus, inquit Amor Vigilans, maximéque laudabilis. Nisi fortè Pater filium non diligit, cùm eum arguit & castigat. Cui enim illud Salomonis & Apostoli est inauditum, *Fili mi noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim*
Apoc. 3. 19. *diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Nón-
Prou. 3. 11. ne satius est patrem ita se gerere, quàm si filius, paternæ correctionis
Hebr. 12. 5. expers, incidat in triumuirum capitalem, à quo agatur in crucem? Sic Deus Nabuchodonosorem in hac vita castigauit, quia paternos oculos in eum coniecerat, vt ne in æternum periret. Quod & aliis plerisque vsu venire cernimus, quos non permittit Dominus impune peccare, & ad finem vsque genio indulgere, ne cogatur in eos animaduertere supplicio sempiterno. Eius itaque somnus ac vigilia æquè signa sunt bonitatis eius, & amoris in homines sui. Nec aliter ille mundi oculus oritur & occidit, quiescit & euigilat, lumen tenebrásque dispensat, in vtilitatem omnium viuentium.

CAPVT VIII.

Adhortatio ad vigilantiam.

I. *Vigilantia est omnibus necessaria.* QVOD *vobis dico*, aiebat Seruator, *omnibus dico, vigilate*; atque adeo euigilate ex somno culpæ: *omnes* enim *peccauerunt*, *& egent gloria Dei*, vt ait Apostolus, id est misericordia, qua Deus in peccato-
Marc. 13. 37. ris conuersione glorificetur. *Quinque erant virgines prudentes, & toti-*
Rom. 3. 23. *dem fatuæ*, & de vtrisque æquè dicitur, *dormitauerunt omnes, & dor-*
Mat. 25. 2. 5. *mierunt.* Nemo est qui non se vltro somni negligentiæ, & peccati fateatur reum, quique non dicat cum Dauide, si se ipse ac Deum probè
Psal. 129. 3. nouit. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Paulus
1. Cor. 11. 27 se *in vigiliis multis* ac laboribus Deo fatetur esse famulatum. In eorum tamen se numerum refert, qui negligentius Deo seruierunt. *Hora est,*

inquit, *iam nos de somno surgere.* Quid ergo sentiant ac dicant ij, quorum nullum pene est opus, in quod non aliquis negligentiæ somnus obrepat? Rom.13.11.

II. *Præsertim prælatis.*

Præsules igitur alloquitur, ac pastores animarũ. *Tempus est*, inquit, vos *de somno surgere*, non enim ignoratis dum dormirent homines inimicum hominem superseminasse zizania: Doctoribus videlicet, & Episcopis, qui Ecclesiæ vigiles sunt, & agri ipsius excubitores, dormiẽtibus, dæmon superseminauit hæreses, cum quibus Christianam rempublicam omnia crimina inundarunt. Nónne Apostoli ipsi obiurgantem habuerunt magistrum, quod tempore tentationibus obnoxio, quamuis intempesta nocte dormirent? Spiritus Domini Prælatos omnes in vnius persona compellans ait. *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant.* & mox, *Pœnitentiam age, si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Et Paulus inclamat Episcopis & senioribus Ecclesiæ, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm. Apoc.3.1.2. Act.20.28.

III. *Concionatoribus.*

Alloquitur diuini Verbi præcones in persona Timothei, *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.* Lauta enim conuiuia somnum inducunt, hominésque parum idoneos reddunt ad aliorum torporẽ excutiendum. Sapientis igitur consilium exequatur. Cor suum tradat ad vigilandũ diluculo, ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecetur. Additq; mox, *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ*, & videlicet auditores suos participes reddet plenitudinis suæ; ne sit tanquam *æs sonans, aut cymbalum tinniens*, & instar Scribarum & Pharisæorum, dicat, & non faciat. 2. Tim.4.5. Eccli.39.6.

IV. *Optimatibus & magistratibus.*

Excitat optimates & magistratus, monétque ne ambitionis fumo consopiantur, ne Ecclesiam opprimant, pro qua defendenda gladium portant; ne lites aut inimicitias foueant, suum vt cuique ius tribuant, memores fore aliquando, vt Deus sedeat in cœtu iudicum, alto è throno sublimis, dum ipsi in exigua sella, aut humi nixi genibus, nudo capite, supplicésque iudicabuntur. Pergit monere cæteros idem Apostolus.

Mercatoribus.

Euigilate, inquit, mercatores, redimite tempus, quoniam dies mali sunt, comparate vobis beatitudinem; adest enim opportunum isti negotiationi tempus, ne vos lucri cupiditas reddat incautos; sed tanta vigilantia transite per ista temporalia, vt non amittatis æterna.

V. *Diuitibus.*

Euigilate diuites, & recordamini viros diuitiarũ, quibus scilicet diuitiæ dominabantur, dormisse somnum suum, & serius euigilantes nihil inuenisse in manibus suis. *Diues cùm dormierit*, ait Iob, *nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Ne obliuiscamini, per Deũ immortalẽ, Psal.75.6. Iob.27.19.

vos rem facturos miraculo proximam, aut planè miraculum, vt signifi-
cat haud obscurè Seruator, si salutem vestram, per medias negotio-
rum atque impedimentorum turbas expedire possitis. Quæ est enim ob-
secro illorum verborum sententia? *Apud homines hoc impossibile est,*
Cā. 4. 24. *apud Deum autem omnia possibilia sunt*, qui scilicet eam vobis mentem
dabit, vt peccata vestra misericordiæ, & beneficentiæ operibus redi-
matis; vt autor olim fuit Nabuchodonosori Daniel, in magnum eius
bonum.

VI. *Pauperibus.* Euigilate pauperes, quia pauperes Dominus diligit, & prædicat bea-
tos, & inuitissimus perdit; quin etiam eos statim ab ortu suo visione
angelorum dignatus est, & optatissimo nuncio nati Seruatoris mundi.
Sed isti pauperes *pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodien-
tes vigilias noctis super gregem suum.* Vigilate vos quoque, & viuite in
timore Dei; ab omni rei alienæ attrectatione, aut cupiditate abstinete,
Luc. 21. 19. & *in patientia vestra possidebitis animas vestras.*

VII. *Iustis.* Euigilate iusti, nam bonus Tobias, quamuis ex bonorum operum
Tob. 2. 10. defatigatione dormiret, visum amisit, & Eutychus, bonus opinor ado-
Act. 20. 9. lescens, cùm sederet in fenestra, & mergeretur somno graui, disputante
Gen. 9. 22. diu Paulo, *cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.* Bo-
nus Patriarcha Noë dormiebat, cùm à filio Chamo irrisus est, cuius sce-
Psal. 62. 2. leris pœna in totam propagata est posteritatem. Vigilate potiùs in pre-
& 101. 8. & cibus cum Dauide, anticipent vigilias oculi vestri, meditamini no-
76. 5. 7. cte cum corde vestro, & exercemini. Quin & hunc ipsum Aposto-
lum omnes ad euigilandum exhortantem imitamini, qui viuebat *in*
2. Cor. 11. 27. *labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nu-
ditate.*

VIII. *Iniustisque.* Euigilate denique peccatores, nam quorum summa sunt pericula
maximè vigilare decet. Mementote Regis Saülis, qui dormiens sum-
1. Reg 24. 5. num adiit vitæ discrimen; & planè perierat, nisi mitissimum ac religio-
sissimum sortitus fuisset inimicum. Holofernes in Assyriorum exercitu
Iudith. 13. Iud. 4. 20. imperator, somno vinóque sepultus à vigilante Iuditha capite truncatus
est. Sisara quoque Chananæorum dux dormiebat, cùm animosa Iahel
clauo tabernaculi defixit caput eius in terram, qui *soporem morti conso-
cians defecit, & mortuus est.* Qui se negligentiæ somno permittit, homo
nihili est. Nam, vt ait Plato, κοιμώμενος οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος. Nemo som-
niculosus vlla re dignus est.

CAPVT IX.

Quædam incitamenta mortalibus ad diuinum in se amorem ab inertiæ somno excitandum.

NIsi diuinus amor in maxima parte mortalium pigritiæ veterno sopitus esset, ac pene iaceret emortuus, nihil opus esset calcaribus, aut stimulis ad eos excitandos ab eo stupore, ac frigore, quo constricti retinentur. Sed cùm res eorum tam misero in statu sit, quærenda sunt incitamenta, quibus torpor iste languidæ voluntatis aut excutiatur penitus, aut certè minuatur. Verùm nihil opus est huiusmodi argumenta inuestigare, in promptu sunt, si quæ à nobis dicta sunt hactenus expendantur. Nam si inanitatis rerum humanarum sectatores, tam vigiles sunt in iis conquirendis, conseruandis, amplificandis, vt serpentibus Epidauriis, aut Argis centoculis nihil cedant, quæ vigilantia deberet esse studiosiorum veræ germanæque felicitatis? qui illud sanctissimi Pontificis Leonis non ignorent, *Non dormientibus prouenit regnum cœlorum, nec otio ac desidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur.* Diceres istos existimare, laborem suum pluris esse, quàm felicitatem illam. I. *Necessaria incitamenta.* *Peti possunt à mundanorum vigilãtia.*

Si Græcus ille orator, vt dicebam, sibi ipsi indignabatur, si quãdo opificum antelucana industria victus fuisset. Si imperator Themistocles nocturnus ciuitatem obambulabat impatiens somni, quòd eum Miltiadis trophæa somnum capere non sinerent. Si Aristoteles obdormiuit cum pila ænea in manu, qua in peluim decidente somno ad studium excitaretur, quid facere par esset melioris Philosophiæ studiosos, præstantioris gloriæ ac trophæorum candidatos? Nihil admodum intererat istos vanitatis seruos, & mancipia idolorum in altam lucem stertere. Dormientes enim nihil perpetrabant mali, in vigilia carni fere, mundo, Sathanæ seruiebant, qui eis miserias intulere sempiternas: cum vigilantia famulorum Dei, eorum merita in singula momenta multiplicet, & immensum gloriæ pondus acquirat. II. *Puta Demosthenis, Themistoclis, & aliorum.* Tusc. 4.

Sed vide, inquam mi Amor, ne non iustissima sit hæc querela tua. Nã pro singulis viris, quos ab historia mutuaris, recordare quàm multæ sint toto orbe Christiano familiæ religiosorum virorum atque fœminarum, quarum pleræque multis iam non dicam annis, sed seculis, mediis noctibus euigilant, spreto frigore & cubili surgunt, templum adeunt, multis horis preces decantant Deo. Sed tu ipse potiùs, ait Amor, repete memoria quam multi toto orbe terrarum lucris, honoribus, voluptatibus noctes diésque insomnes inhiant, quos ex vetere historia mendicare nihil est necesse, cum huiusmodi exemplis plena sint omnia, atque in oculos vltro continenter incurrant. Et quod magis deplorandum est, illi III. *Maximéque religiosorum* AVTOR. AMOR.

ipsi qui Deo nocte vigilant, quanta sæpè cum negligentia, mollicie animi, corporis languore vigilant, vt plerumque astantes Angeli oscitantem hanc & dormitantem orationem, aut misereantur, aut indignentur. Vt nisi cum optimo Deo res illis sit, supplicium eis sit pro mercede formidandum.

IV. *Et ipsius Christi Domini.* Fateor equidem nunc quoque non deesse Dei famulos sexus vtriusq;, in sacris hisce officiis vigilantissimos, quos cæteri, sicut priscos illos, meritò imitentur, qui lumbos præcincti, lucernas ardētes gestant manibus, expectantes Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cùm pulsauerit, confestim aperiant ei, & simul introeant in gaudium Domini sui. Quis porrò pudor est dormitare nos in salutis nostræ operibus, cùm nō ignoremus Seruatorem, diurnos labores, nocturnis vigiliis precibúsque copulasse? Quis ferat ducem exercitus sudore madentem, milite oscitāte ac semisomno? Verus Israël tota nocte cum Angelo luctatur, vt nobis obtineat benedictionem, iubétque Angelos suos custodias agere, & castrametari *in circuitu timentium eum*, quomodo non accusamus, & abiicimus ignauiam istam somnolentam, & tædium bonorum operum? quomodo ad euocantem Dominum non vigilanter accurrimus, vt suauissima eius consuetudine perfruamur? Psal. 33, 8.

CAPVT X.

Vigilantis Amoris de hominum somnolento torpore querela.

AMOR VIGILANS.

I. *Querela petita à mundana vigilantia.* INFOELIX *tota quicunque quiescere nocte Sustinet*, patitúrque hunc vitæ humanæ latrunculum, magnam temporis partem suffurari, quo ingentia in futuram vitam bona comparare liceret. Quàm apertè ostendit hæc somnolentia, diuinam in multis languere Charitatem. Si postridie endituri sunt peregrinationem aliquam, à secunda noctis vigilia lecti tædet & noctis: si stat diebus æstuosis in aurora frigido cœlo inambulare, maturissimè expergiscuntur; ad nocturnas autem, atque antelucanas preces, caput à ceruicali amoueri non potest; vsque adeò terrenæ res gratæ sunt atque domesticæ, cælestes autem, graues ac peregrinæ. Sed illucescet aliquando illa dies, in qua Dominus minimè dormitabit examinandis actionibus vestris, sed singulas scrutabitur in lucernis, & somniculosum hunc amorem, indignum vigilantia sua, castigabit, cum illa fortasse voce, qua fatuæ virgines à nuptiali domo exclusæ sunt. Soph. 1, 12.

Quæcunque videtis in terris, auditis, experimini, ab ignauiæ somno excitare vos possunt, eo tamen oppressi iacetis. Si ignis illapsus fuerit in tectum, aut in supellectilem, illicò euigilatis, & ad illum restinguendum accurritis; nónne videtis bellorum ciuilium incendia tot prouinciis iam dudum exarsisse, & Christianum orbem latè populari? Ambitio, Hæresis, Impietas, tres incendiarij sunt, qui armati facibus, vbique incendia miscent? Frigore sæuiente vix obdormiscunt homines, & facilè euigilant: pridem incensa Christianorum Charitas refrixit, & nisi in paucis foueretur, ac viueret, omnia glacies occuparet, nec tamen excitamur. Si quem dormientem pulsaueris illico somnum excusseris; quæcumque damna, iacturæ, calamitates, fames, eluuiones, pestilentiæ populos diuexant, totidem sunt flagellorum ictus diuinitus impacti; quotus quisque est qui propterea euigilet? II. *Causa euigilandi accommodata somno spirituali. Ignis. Frigus. Percussio.*

Fumus, qui meatus respirationis obstruit, somnum abrumpit; infamia peccatorum fumus est, qui latè spargitur, meritóque pudore obstruere debeat ora peccatorum; dormiunt illi tamen in vtramque aurem. Clamor, aut vehemens sonus peregrinantem animum reducit ad aures, cæteràsque portas sensuum, somnúmque dispellit; Concionatores Dei iussu clamant, & quasi tubæ exaltant vocem suam, & populo tum scelera eorum, tum Numinis iras denunciant, si fortè euigilare velit, priusquam vltima illa tuba illam intonet vocem, *Surgite mortui, venite ad iudicium.* An surdior erit rupibus, quæ clamoribus respondent, clangorique tubarum? Curæ, sollicitudines, operosa negotia, somnum obrepere non sinunt, aut illapsum facilè dissipant. Quæ maiora negotia mortalibus contingant, quam per huius vitæ nundinas, bona æterna lucrari, euadere supplicia sempiterna? III. *Fumus. Sonus. Curæ & negotia.*

Si quis de fama, de fortunis omnibus, de vita ipsa periclitetur, somnum non capit, si maximè velit, aut citò expergiscitur, vt matutino suscitabulo non sit opus. Innumera pericula mortales, grauissimáque circunstant, innumeri hostes in perniciem eorum dies noctésque excubant, quorum perniciosissimi cœlum nobis eripere moliuntur, & tamen cura vacui, quasi discriminis omnis expertes, dormitamus? Si tibi voraginem immensam discedens terra patefecerit, in cuius fundo serpentes, viperæ, dracones stabulentur: tu autem ad extremam illius oram, vix extremo pede, in terra lutulenta, lubricáque hæreas, manúque iuncum teneas, qui ad singula momenta radicitus euellatur, num possis in tanto, támque certo salutis discrimine dormitare? Quid ergo? nónne toto corpore, animóque immines infernæ illi voragini, plenæ dæmonibus, capitalibus humani generis inimicis, quos sanguinis eius sitis excruciat, quorum fauces ad vorandas animas horrendùm patent; vita autem tua valetudine ista nititur, quæ assiduè carpitur ac IV. *Pericula.*

libatur; & manus spei longioris vitæ, quæ continenter euellitur adhæresc-scit; quomodo ergo non dicam ridere, sed de somno, cibóve cogitare potes?

V. *Somni diuturnitas.* Denique somnus ipsa sua diuturnitate finitur, ipsique glires, vt tota hyeme dormiant, verè euigilant; cur ergo non expergisceris peccator infœlix, quem totam pene vitam somnia somnique tenuerunt? Si ergo ignis, frigus, fumus, si percussiones, negotia, si pericula ingentia, si longitudo quietis non excitat peccatorem, ecquis eũ excitare poterit, nisi tu *Oratio ad Christum.* Seruator misericors, iniectis flãmis ardentis Charitatis tuæ, quæ te de sinu patris eduxit & adduxit in terras, vt in iis excitares diuinũ ignem beneficiis tuis, quasi totidẽ cremiolis sulphuratis: aut illo frigore, quod in patibulo carnem tuam gelu adstrinxit & sanguinem. Adhibe efficacitatem precum illarum, quæ sanguineo sudori, mortiferæque luctæ coniunctæ, ascenderunt ad thronum Dei, sicut fumus thuris accensi. Adhibe illa cruenta verbera, quæ lacerarunt sacrosanctum corpus tuum: illósque malleorum ictus, quibus filij membra, & matris viscera tundebantur: Ingere clamores admonitionum atque instinctuum tuorum, quos etiam surdi exaudire possint, quique insonent, *hora est iam nos de somno surgere*: Insere curam magnitudinis negotiorum illorum, quæ tecum transigenda sunt nobis, in transitu vitæ huius, cuius locus, hora, modus incerta sunt nobis. Immitte timorem summi illius discriminis, incurrendæ maledictionis æternæ: vt dum suprema illa hora inuenti fuerimus vigiles, obdormiamus morte iustorũ, expectantes dum beatorum somno irretiamur, & in contemplatione diuini vultus, omnibus expediti molestiis, conquiescamus.

Decimi-quinti Libri finis.

LIBER



LIBER DECIMVS-SEXTVS, ET VLTIMVS.

De Comitate Diuini Amoris.

CAPVT I.

Descriptio duodecimi filij Charitatis, cui nomen Amor Officiosus & Comis.



ITA perorauit Amor Vigilans, & fine querelæ suæ imposito modicè secessit, siue vt succedenti fratri locum daret, siue vt gemeret, super ignauo, atque ingrato sopore mortalium; cùm Charitas postremo filiorum suorum innuit vt assurgeret, locúmque acciperet ad dicendum, & totum huius legationis negotium absoluēdum. Nomen illi Officiosi Amoris dedit mater; quem vt conspexi attentius, reuocauit mihi in mentem, *Iuuenem illum splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum*, quem iunior Tobias, cum iussu parentis viæ ducem quæreret, peropportunè offendit. Nec erat fortassis admodum Seruatori dissimilis, cùm is decimum octauum annum ageret, & præcinctus ea tunica, qua illum induerat mater sua, vel in officina expeditus erat ad laborem, cum Sanctissimo Iosepho subeundum, vel domi ad deferendum obsequiosissimum Matri famulatum. I. *Transitio.* AVTOR. Tob. 5.

Hîc porrò noster Iuuenis gratam vultu præferebat hilaritatem, & in vitæ consuetudine festiuam elegantiam & comitatem; nihilque erat in incessu, aut motu corporis non decorum. Lætus agendi vigor emicabat ex oculis, flaua erat cæsaries, plurimúsque residebat in ore lepos. Elogium gestabat manu in hæc verba descriptum. *Non veni ministrari, sed ministrare.* Et reuera in eius pallio, acupicta erat historia Christi abluentis Apostolorum pedes; vbi grata erat oculis species Petri Domino resistentis, ne is erga se tam officiosè gereret sese: & vicissim II. *Descriptio Officiosi Amoris.* Gal. 5. 13.

Christi serio cum discipulo contendentis, vt id officij ille pateretur. In ora pallij hæc Apostoli verba opere plumario legebantur, *Per Charitatem Spiritus seruite inuicem.* Ipse se omnium fratrum vltimum ac minimum, pro sua animi demissione reputabat; itáque omnium vltimus dicere voluit; ratus comitatem, sine interiore summissione mentis, qualis vulgò frequentatur, germanam esse simulationem.

III. *Propositio dicendorum.* Docebit autem, quantum ex præcedentium eius fratrum oratione licet assequi coniectura, diuinum Amorem Officiosum esse & comem, simúlque aptum ad prouocandos homines ad omne officij genus & comitatis, quo Dei gloria & animarum salus promoueri possit. Ostendet Deum ipsum, & sanctos, & in primis Sanctum Sanctorum Christum Dominum ostendisse mundo, suum erga Deum, proximúmque amorem, sincera comitate abundasse, nihilque habuisse simulatum aut duplex; quod vitium in mundanis officiis, & comitate solet esse maximum. De qua principiò nobis dicendum est aliquid, vt ex opposito mundi amore, officiosa Charitas illustrior fiat.

CAPVT II.

Amorem vniuersè officiosum esse, & comem.

I. *Platonis de Amoris officio testimonium.* ANTIQVI Philosophi non ignorarunt amorem vniuersè sumptum officiosum esse, idque scripto haud obscurè prodiderunt. Plato enim in Symposio, ait Amorem apud superos agere hominum interpretem; & quasi nauclerum, hominum votis, desideriis, ac sacrificiis in cœlum transportandis, & Deorum muneribus ad eos vicissim deferendis: agere verò, nulla vi aut necessitate compulsum, sed officio adductum, liberáque voluntate. Nam, vt ait idem Philosophus, famuli omnes Amoris, instar sunt voluntariorum militum, qui operam suam vltro militiæ dedidere. Amor enim voluntatis primus est actus, eámque moderatur ac regit, & sicut voluntas vim externam pati non potest, sed eam tantùm, quam sibi ipsamet intulerit, sic & amor liberis excurrit habenis, quo se cumque conuerterit.

II. *Probatio ab experientia.* Quotidiana quoque experientia docet, hominem non solùm æquo, sed libenti etiam animo pro amicis occupari; imò & magnam animo capere voluptatem, quod eis operam suam possit impendere: neque vllum quantumuis laborem, præ animi iucunditate sentire. Vides, circa personarum amorem, quàm suaui cum sensu dilecta sponsa, pro sponso, parentes pro suauissimis liberis, liberi pro parentibus operam nauent? Fidelis seruus hero beneuolo, qui eius fidei sua omnia credidit, vt Pu-

tiphar olim Iosepho, quàm ei promptè, quàm libenter, quàm fideliter noctes diésque famulatur? Viden' vt eat, redeat, visitet, moneat, prouideat, instet operi, parcat heri sumptibus, maiore cura diligentiáque, quàm si suum ipse negotium gereret. Clarissima res est, & sacris testata literis in Iacobo Patriarcha, qui quatuordecim ipsos annos Labano in gratiam Rachelis, fideliter officiosé que seruiuit: eóque officiosior fuit eius amor in Rachelem, quod is exhibitum homini duro ac moroso famulatum mitigauit, reddiditque tolerabilem.

Facit hic amor, cùm verus est ac syncerus, vt amici mutuis inter se officiis iucundissimè certent, séque felices putent cum rebus ipsis beneuolentiam suam probare possunt; & captandis occasionibus ita excubant, vt cùm se obtulerint, eas in lucro ponant. Sin autem parum certus est amor ac solidus, copiosè quidem atque eleganter officia famulatúsque, cum multa verborum comitate deferuntur, sed rarum est vt res vltra verba procedat; nisi cùm amor non amici vtilitatem quærit, sed propriam ac suam. Huc pertinet illud Poëtæ: III. *In amore personarum.* Ouid.

Etsi nullus erit puluis, tamen excute nullum;
Quælibet officio causa sit apta tuo.

Vt scilicet prompta vsurpatio officij minimè necessarij, argumentum sit officiosissimæ, si quando res ita ferret, atque obsequentissimæ voluntatis.

Videmus aulicos hasce omnes officiosæ vrbanitatis leges accuratè didicisse, atque vsurpare quotidie aduersus principes suos, vt se in eorum gratiam magis magisque insinuent, & quæ inde pendent, opes & copias, honores, imperia, autoritatem consequantur. Hæc eos magnis cum sumptibus in aula detinent, vltra trimestre legitimæ operæ, longè à familia, cognatis, atque amicis, multis expertes commodis, quibus perfruerentur domi. Ibi multis obsequia deferunt, quorum opera indigent, vt quod studiosè sequuntur, feliciter assequantur: multa tacent, multa loquuntur, multa simulant atque dissimulant, sed quàm candidè ac syncerè, ille nouit, qui nouit omnia. Aulicus quidam harum ineptiarum non imperitus, aiebat eum in aula sæpenumero alteri aperire caput, cui vellet obtruncatum caput, nec raro illum venerationem, magna corporis inflexione homini exhibere, quem vellet, etiam cum graui damno suo, funeratum. Ita ibi fuco, simulatione, odio, æmulatione plena sunt omnia. Huc spectant illa omnia vrbanitatis officia, quæ Absalon exhibebat Israëlitis, ad regem negotiorum causa venientibus, quibus populi animos, ad impiam defectionem à legitimo principe, eodémque parente suo, pertentabat. IV. *Officiosus aulicorum amor.* 1.Reg.15.2.3.&c.

Honoris amor, compendij & prædarum, militem reddit officiosum, postulandis à duce, subeundisque muneribus, quæ longè ab eius V. *Militum.*

Tironum. sensibus abhorrent. Sperata ex mercatura, cæterisque artibus quæstuosis vtilitas, libertatis auidam iuuentutem, reddit mercatoribus, atque opificibus obsequentem. Reddit & lectiorem adolescentiam mitem præceptoribus atque tractabilem scientiæ amor, & eorum commodorum, quæ scientiam honorario comitatu cingunt. *Ciuium.* Amor quietæ ac securæ vitæ ciues reddit magistratibus obsequentes, vt vigilias obeant, vt in præsidio ac statione pernoctent, vt in armis & sago portas custodiant, in toga vel vrbano pallio adeant ciuicam domum, sententiæ dicendæ, vel pecuniæ in publicam rem contribuendæ causa. *Ægrorum.* Amor denique incolumitatis, ac salutis, permolestam sæpè ab ægris elicit obedientiam, adeò vt illius causa membris se truncari patiantur, ferrúmque & ignem in alta vlcera immergi sinant, vt valetudinem recuperent, vitámque fugientem retineant.

VI. *Cur amor sit officiosus.* Itaque non dubio experimento liquet Amorem vniuersè officiosum esse atque tractabilem: cuius rei non vna causa est. Principiò, qui diligit mutuo diligi cupit, amamus autem natura duce eos à quibus verbo factóve honoramur; qui ergo commodi sunt nobis, qui officiosi & comes, honorant nos vtique reuerentérque tractant; quod eò gratius est, quò illi honestiore loco fuerint, vel dignitate maiore, atque amicitiam quam quærunt facilè obtinent. Præterea qui amat, vt minus fortasse facilis ingenij sit, fit tamen aduersus amicum officiosus & comis. Qui enim seipsum vero amico dare cupit, perlibentem operam suam in eius gratiam offert, adhibétque; quod est vrbanum atque officiosum esse. Id si ex animo fit, vt amico bene sit, comitas ex amore beneuolentiæ proficiscitur; sin autem nostram spectamus vtilitatem, ex amore cupiditatis officiosa ista verba, factáque nascuntur. Nec plura addiderim. Nunc tu nobis, mi Amor, aliquid tuæ Comitatis atque humanitatis imperties.

CAPVT III.

Obsequium & comitatem diuino in primis Amori conuenire.

AMOR OFFICIOSVS.

I. *Exordium Officiosi Amoris.* NEQVE tamen pauca à te dicta sunt, ait Officiosus Amor, ex quibus intelligi possit hanc vitæ sermonisque comitatem sobolem esse diuinæ Charitatis. Neque enim diuinus amor ab amoris natura alienus esse potest, ab eóque non dissimiles funduntur proprietates. Cæterùm quæ à me expectari possunt, non semel fortassis à fratribus

meis diuersa occasione tacta sunt prius. Nam & argumenta ipsa non parum inter se congruunt, & eadem actio ad plures potest pertinere virtutes, nec malè, vt accommodentur singulis, iterari: in primisque Seruatoris actiones, quibus omnium virtutum absolutio continetur. Itaque si qua forte repetitio in oratione nostra contigerit, æqui bonique consules, eámque aut obliuioni tribues, aut necessitati argumenti, aut ipsius rei, quæ inculcari mereatur, dignitati. Nihil est, inquam, quod reformides. Neque enim tam fastidiosi sumus; nec alioqui sterile videtur, quod est in manibus argumentum. AVTOR.

II. *Diuinus officiosor est humano.*

Dicamus igitur, ait Amor, & illum quo Deus suos prosequitur amorem, & illum quo eum prosequuntur homines, officiosum esse ac comem, etiam supra mundanum amorem. Illius enim pura est & defœcata ab omni simulatione comitas; huius autem, quod tute demonstrasti, fere commentitia est & adumbrata, & proprij emolumenti fæcibus inquinatur: vixque aliò denique mortalium officia referuntur, nisi fortè patrum in filios, aut filiorum in parentes. Quanquam quæ officia patres in filios conferunt, quos alteros seipsos censent, sibi ipsis conferre videntur, vt alio quoque dictum est loco: quando in ipsis viuere quodammodo perseuerant, & in eis honorem suum cultúmque perpetuant. Neque enim in eos naturam solùm, sed nomina, officia, fortunas, scientiam quoque, si possint, industriámque transmittunt.

III. *Atque synacerior.*

Mutua verorum amicorum beneuolentia, quæ in vera nititur solidáque virtute, diuináque in primis charitate, verè officiosa est; eorum familiaritas, comitas, officia mutua eò spectant, vt vtrique in dies meliores fiant, & in supremi Numinis amore perficiant. Hic idem amor nobiles animas à mundana libertate abductas, diuinæ mancipat seruituti, & fictam comitatem, in veram animi summissionem commutat. Idem vitæ licentiam valere iubet, eique perpetuam iudicij arbitriique obedientiam subrogat, qua Deo, in persona præpositi, officiosè famuletur, proprio iudicio, ac voluntate generosè abdicatis. Itaque tota eorum vita diuina quædam seruitus est, omnes actiones officiosa obsequia, vnicè dilecto sponso exhibita; titulus autem gloriosissimus, idémque verissimus, vt serui audiant præpotentis Dei.

Quod experientia probatur.

VI. *Religiorum officiosa obsequia.*

Sed eorum officia atque obsequia bipertitò, si placet, distinguamus; quædam enim sunt, quæ ex regulæ & votorum obligatione suscipiuntur, quæ officiosa opera vocemus licet, alia obligatione carent, & ex amoris abundantia suscipiuntur vltro, quæ officia gratiosa dicere possumus, & supererogationis opera vulgò dicuntur. Pleræque ipsorum familiæ non expectant dum illucescat, vt diuinarum laudum officia persoluant, sed anticipant cum Dauide vigilias, & abrupto somno mediis noctibus exurgunt, & multas horas, in psalmis, hymnis & canticis, cum dilecto suo colloquuntur, & quidem sæpe tanto cum animi sensu, vt neque tempus, quo membra somnus arctior dulciórque complecti so- Psal. 76.5.

let, eorum pietatem ſoluat in ſomnum, neque quantalibet frigorum vis feruidiorem refrigeret charitatem. Omni autem illo nocturnæ pietatis ac religionis munere perfuncti, in ſtramineum torum languentia membra proiiciunt, ad vicinam auroram, qua Eccleſiam repetunt Dominum ſalutaturi, illique omnia incœptantis diei opera conſecraturi: cæteris deinde horis, vſque ad veſperam, ſtatis precibus, ſolemnibúſque perfunguntur, præter pia mentis exercitia, & Miſſæ ſacrificium. Itaque officioſa hæc officioſi Amoris opera, dies noctéſque permetiuntur.

V. *In rebus debitis.* Annumeretur hiſce officiis, quòd quadragenaria ieiunia omnes quotannis, cum reliquo fideli populo ſemel obeunt, ſed ea non pauci ſecundùm ac tertiùm iterant; quidam vix ad tertiam anni partem ieiunia ſoluunt. Quidam ab eſu carnium funditus abſtinent. Alij ab omnibus præterea cibis, quibus in verno ieiunio vti non licet. Permulti linteorum induſiorum vſum perpetuò ignorant, & aſperiorem pannum carni nudæ applicant, quem tamen algentibus tibiis, pedibúſque negant. Plurimi oſtiatim, mendicato in diem cibo victitant; alij viuunt ad eandem mendicitatem parati. Quidam ferociores ſpiritus, carnis afflictatione domant; alij carnis contumaciam laborioſa mentis contentione comprimunt, rudibus oppidatim catechiſmo imbuẽdis, populis è ſuperiore loco docendis, aut iuuentute ex æquo inſtituenda: infidelibus atque hæreticis reuincendis, pœnitentibus reconciliandis, conſilio dirigendis imprudentibus, afflictis conſolatione reficiendis, viſendis iuuandiſque languentibus, & carcere detentis; cæteriſque miſericordiæ operibus adminiſtrandis. Denique ferenda Domini cruce, atque inſignibus, *per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris,* vt ait Apoſtolus, *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces; in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* 2. Cor. 6. 7. 8.

VI. *Et quæ ſine obligatione fiunt.* Iam verò gratioſa quæ dixi officia, & ſanctæ apud Deum vrbanitatis, plurima quotidie ſuggerit Ingenioſus Amor, vel blandiendo puero Ieſu, vel laboranti auxilium, vel patienti commiſerationem offerendo. Quoties eum ad altare ſepoſitum adeunt, ſalutant, inuiſunt; inopiam illi ſuam, amicorum, neceſſariorum, parentum ex animo repræſentant; emiſſa pridem vota, piáque deſideria innouant: ei bonitatem, ſapientiam, pulchritudinem, dignitatem, cæteráque diuina attributa gratulantur; de acceptis beneficiis communibus ac ſingularibus gratias agunt immortales; de vocatione præſertim religioſa, qua vna innumerabilia dona continentur. Quoties eius imagines, aut viuas in ipſius vicariis & adminiſtris; aut adumbratas in picturis reuerentur, nónne totidem ſunt officioſæ vrbanitatis actiones, hero delatæ in amicorum perſona, & archetypo in exemplo? Amicus in menſa, optima quæque apponit amico; non defuerunt viri principes, qui fere optimum ferculum Deo, in perſona pauperum offerrent; aut in eius gratiam intactum

relinquerent, quod palato maximè arridebat. Et quia inurbanum est prius cum famulo agere de rebus suis, quam cum præsente Domino, hic quem dicimus officiosus amator, violati officij se reum putabit, si os aperuerit ad loquendum, quin prius respexerit præsentem Deum, vt ab eo tacitè loquendi facultatem postulet, & gratiam, ne quid inter loquendum delinquat.

Infinitus sim, si excurram longius, in hac experientia declaranda, tam in persona eorum, qui Deo se votis emissis consecrarunt, quàm aliorum, qui mundo affixi, vanitati nihilominus nuncium remisere, & domi religiosè viuendo, multis subinde officiis diuinam sibi gratiam promerentur; in recta procuratione atque educatione familiæ, in leuanda pauperum, præsertim voluntariorum inopia, in templis & sacramentis frequenter obeundis, ægris & carcere detentis inuisendis, peregrinis hospitio accipiendis, Dei offensa pro viribus impedienda, & eius cultu atque honore promouendo. Facit enim officiosus amor, vt ipsi primùm Deo perquam libenter seruiant, deinde alios quoscumque possunt, ad Deo seruiendum adducant: quem norunt dignum, cui cœlum omne terráque famuletur. Quid mirum amantem tali amico actiones omnes suas offerre, qui se ipsum iam dudum illi consecrauit: vt rectè illud iterare possit, *Hæc tibi dat, qui se iam dedit ante tibi.*

VII. *Religiosa secularium officia.*

CAPVT IV.

Exempla officiosi amoris quorundam seruorum Dei.

COLLIGERE liceret hoc loco actiones omnes, quæ ex virtutis præscripto seculis omnibus, à viris fœminisque sanctitate præstantibus, editæ sunt toto orbe terrarum: fuerunt enim omnes officia quædam, aut obsequia diuinæ præstita maiestati, vel in eius gratiam impensa mortalibus. Pauca quædam exempli causa duntaxat attingam, quæ magis ad institutum facere videbuntur. Nemo dubitare iure potest essetne officiosus amor Apostolorum, & nominatim Pauli, qui præ cæteris Doctoris gentium sortitus est nomen. Eo quippe impulsore vniuersum terrarum orbem percursarunt, Christiq; mãdata tanquam cursores nuncij, quoquo gentium detulerunt, omnium saluti seruientes; & quidem cum summis periculis, immensis laboribus & ærumnis, quæ crudeli fere supplicio terminabantur. Sed Paulum vnum multorum instar audiamus. *Cùm essem*, inquit, *liber ex omnibus, omnium me seruum feci vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, iis qui sub lege sunt, tanquam sub lege essem, cùm ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem.* Et mox, *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.*

I. *Officiosus S. Pauli amor.*

1. Cor. 9. 19.

II. *Et bonorum prælatorum.* Gal. 5. 13. Iure itaque præscribere poterat Christianis, vt quamuis in libertatem euangelicam vocati essent, sibi inuicem nihilominus per charitatem spiritus inseruirent, cùm perpetua præberet ipsemet exempla huius officiosæ charitatis. Et alibi in persona prælatorum, *Nos autem*, inquit, *seruos vestros per Iesum.* Itaque optimi quique præpositi, atque antistites, suorum se subditorum seruos in Domino dicunt, & cùm res tulerit exhibent, corporibus animisque nutriendis, in viam virtutis dirigendis, docendis, corrigendis, protegendis, pace cum Deo, & inter ipsos resarcienda, déque omnibus studiosè prouidendo, quæ quoquo modo pertinent ad eorum salutem. Adeo vt magnus ille Ioannes patriarcha, cognomento Eleemosynarius, pauperes omnes vocaret dominos suos, se autem ipsorum procuratorem.

III. *Vt S. Augustini.* Quoties magnus Augustinus seruum se appellat sibi commissi populi, subditos autem, clericos præsertim, non solùm fratres, sed etiam Dominos? & scribens ad Vitalem quendam Carthaginensem, non modò seruum se Iesu Christi vocat, sed seruum etiam seruorum eius. Ille autem *Magni Gregorij.* verè Magnus Gregorius, primus summorum Pontificum titulum serui seruorum Dei vsurpauit, studio fortassis aduersandi Ioanni Patriarchæ Constantinopolitano, eiúsque superbiæ obterendæ, qui œcumenici titulum ambitiosè vsurpabat. Et quemadmodum Romani Pontifices, inde à Magno Gregorio, titulum serui seruorum Dei ex animi summissione retinuere, ita superbi illius Patriarchæ successores, quamuis sub impotenti dominatione Turcarum, Oecumenici titulum conseruant, superbia impudenti mendacio cumulata: sed & schismate obstinatissimo, quod tyrannus ille, crudeli simul & inutili animaduersione, castigat, accipitque pro meritis. At bonus ille Pontifex abiiciens se, & seruum nominans seruorum Dei, titulúmque sibi debitum repudians, exaltatus est cum successoribus suis, humili veneratione regum omnium & principum, qui Christum Dominum agnoscunt & colunt.

IV. *Iuxta doctrinam Euangelicam.* Nimirũ altè demiserat in pectus illam Seruatoris interrogationẽ, *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* & boni pastoris imaginem, ab exemplo modestiæ Redemptoris expressam, animóque depictam gerens, illum esse arbitrabatur, qui seruum se reipsa crederet, eleuatum tamen, vt è superiore dignitatis loco melius 1. Petr. 5. 3. suorum conseruorum infirmitatem agnosceret, eique studiosè prospiceret, non dominando in cleris, sed forma factus gregis ex animo. Norat Mat. 20. 26. & illud alterum principis pastorum mandatum. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus*, exemplo nimirum filij hominis, *qui non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis;* Hom. 35. qui supremus est, & difficillimus officiosi amoris gradus. Quo loco S. Chrysostomus, aut alius potiùs apud eum Scriptor, obseruat mundi principes arbitrari, se in excelso dignitatis loco esse constitutos, vt tenuioribus

bus dominentur, vt eos sibi subiiciant, spolient, eorúmque saginentur bonis; denique vt vitas eorum pro sua gloria atque vtilitate profundant. At Ecclesiæ principes ad eam dignitatem euehuntur, vt minorum vtilitati seruiant, & quæ à communi Domino acceperunt, in eos distribuant atque dispensent, propria vt commoda negligant, subditorum procurent, denique animam suam ponant pro ouibus suis.

Boni porro pastores, aliique sancti, suum in Deum amorem officiosum esse, non verbis solùm, sed factis ipsis egregiè prodidere. Nemo adeò est in Historia Ecclesiastica peregrinus, cui nouum sit, aut inauditum mirabile facinus Nolani Episcopi Paulini, eiúsque nobilissima atque officiosissima, & dudum à Liberali amore celebrata seruitus, qui de potente Domino factus est pauper Episcopus, & de bono prælato ex ima plebe hortulanus, vt viduæ filium in Africa seruum redimeret. Nec minus nota, minúsve stupenda est, ideóque strictim iteranda Romani Alexij in Senatoria domo, in parentum oculis, ac dilectissimæ coniugis despicata seruitus, & officiosa patientia, qua, cum seruorum suorum peruicaci petulantia, totos septemdecim certauit annos; quæ ad extremum vsque spiritum minimè perseuerasset, nisi hanc omnem patientiam, ingratúmque famulatum, officiosus Dei amor imperasset, viréśque ad perseuerandum in tam acerbo famulatu subministrasset. Non admodum ab his diuersa de S. Ioanne Calybita memorantur. Infinitus autem numerus est virorum ac mulierum, qui se nosocomiis, xenodochiis, orphanotrophiis in totam vitam consecrarunt, & in iis locis officiosam charitatem, erga Deum & Christum Dominum, in persona pauperum, nunc quoque hilariter, ac diligenter exercent.

V. Vt S. Paulini.

S. Alexij.

S. Ioan. Calybitæ.

Vix ausim cogitatione, nedum oratione persequi illa vrbanitatis officia, quæ virgo Deipara, eiúsque sponsus sanctissimus Iosephus, recens incarnato Verbo præstitere; omnem enim superant dicendi, aut cogitandi facultatem. Illud tamen attende, quomodo virgo illa beatissima, in ipso aditu mysterij huius, ancillam se Domini vocauit, vt se illi non solùm offerret in matrem, sed in officiosissimam famulam atque fidelissimam. Iosephus autem, qui se diuinitus electum sciebat, vt filij custos esset ac matris, vt itinerum dux & comes, vt vtrique de tecto, de victu, de vestitúque prouideret, quanto putamus amore & gaudio, & hæc ipsa, & alia innumera pupillo suo, sponsæque amantissimæ præstitisse? quóque ista vultu animóque acciperet ab vtroque diuinus puer? Sed hæc paulo pluribus aliquanto pòst. Nunc illud, si placet, inquiramus.

VI. Virginis Matris, & S. Iosephi.

CAPVT V.

Vtrum officiosus Amor in Deo locum habere possit.

I. AVTOR. *Deus verè Dominus.* Exod. 3. 15.

VIDEATVR sanè, inquã, isthæc affectio in Deo reperiri non posse; sũmus enim Dominus est, summúsque Princeps, hoc est nomen eius, hæc proprietas, vt qui superiorem habet neminem, cui officiosa obsequia præstare possit. Cùm enim Moses pro Domino ad Pharaonem, & populum Hebræum legatione fungeretur, déque ipso quæreret, quod esset eius nomen. *Sic*, inquit, *dices ad eos. Dominus Deus patrum vestrorum misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum.* Id nomen Moses & Prophetæ tertio quoque verbo inculcant. Dominus Deus vester, ait idem Legislator alio loco, ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium. *Dominus est*, aiebat Heli, *quod bonum est in oculis suis faciat.* Vtique Dominus, qui summo cum imperio præest rebus omnibus, quæ natura constant, cuius clientes sunt, quidquid vsquam est hominum, aut angelorum, & *sub eo curuantur qui portant orbem*, vt ait S. Iob.

Deut. 10. 1. Reg. 3. 18. Ca. 9. 13.

II. *Nec eius maiestati videtur conuenire officiosa comitas.* 1. Paral. 29. 10. 11.

Quomodo quæso sit officiosus amor illius maiestatis, de qua hæc est sancti regis Dauidis oratio. *Benedictus es Domine Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum. Tua est, Domine, magnificentia & potentia, & gloria atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cœlo sunt & in terra tua sunt, tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium.* Quibus verbis S. Propheta geminũ in Deo dominatũ innuit; vnum iurisdictionis, quæ est suprema potestas, atque independens gubernandi subditos; id est imperandi pro arbitratu, cum obligatione subditorum ad obtemperandum, prohibendi quod minus placet, permittendi quod vult illis esse liberũ, puniendi peccata, & rectè facta munerandi. Alter est proprietatis: ius enim summum habet de quaque re, tanquam de re sua, pro arbitrio disponendi. Quod illi ius titulo creationis & conseruationis conuenit, itémque redemptionis & vltimi finis. Tantus denique est, vt abiicere se ac demittere non possit; neque enim augeri vel minui potest infinita diuinitas. Citius globi illi cœlestes inflectant se, ac demittant in terram, vt humanis iussionibus obtemperent. Quî ergo fieri potest, vt tanta se maiestas inflectat ad obsequia, quæ postulat officiosus amor? Nónne id summam inuehat in rerum naturam perturbationem?

III. *Quomodo conueniant.*

Rectè tu quidem hæc omnia, inquit officiosus Amor, si quis officia vel obsequia ad viuum resecare velit. Sed ea nos paulo latiùs accipimus hoc loco, vt dignationis ac benignitatis sint, non necessitatis aut iuris. Deus enim opt. max. pro singulari bonitate sua, vltro se aliquando ad

ſubditorum voluntatem componit, & quod eis gratum fore intelligit, ſponte anteuertit; quod qui faciat, nemo dubitet officiosè agere, vt dominum; non vt famulum officiosè parere. Ita & reges in gratiam ſubditorum officioſi ſunt, cùm comiter in eorum arbitrium concedunt; quod nihil de eorum libertate, nihil de poteſtate, vel autoritate diminuit, ſed auget potiùs amorem; quoniam huiuſmodi voluntatis ad alienam conformatio, ſingularis clementiæ, comitatis, & amoris eſt index, qui natura ſua valet ad alterum amorem procreandum.

Licet hæc quoque diuina officia ad concurſum primæ cauſæ cum ſecundis accommodare, ad harum enim cauſarum arbitrium, illa concurſum & auxilium, natura ſua in vtramuis partem liberum ac ſolutum, ad ſecundæ nutum attemperat. Nam exempli cauſa, Deus homini dedit ambulandi facultatem; & ad progrediendum vim continenter ſuggerit ac vigorem, idque tam officiosè, vt eo nihil omnino repugnante, homo pro arbitrio vtatur illa vi, quando, quomodóve libuerit. Idémque valet in gratia, quam ſufficientem vocant, quæ præuenit, adeſt, comitatur; quæ liberum expectat voluntatis conſenſum, & præſto eſt ad illius nutum, ad vltimam vſque vitæ periodum. Quæ ſi homo in alterius gratiam faciat, officioſiſſimus profectò ſit, & gratificandi amico ſtudioſiſſimus. Quidni fateamur idipſum in Deo, qui id ex veriſſimo faciat aduerſus homines amore, quorum adiuuat infirmitatem, vt mercedem diuinæ viſionis promereri poſſint. IV. *Dei cum cauſis ſecundis concurſus.*

CAPVT VI.

Dei Amorem aduerſus homines quàm officioſiſſimum eſſe.

SED hæc paulo vberius, ſi placet, explicemus. Placet verò vehementer, inquam, ſunt enim ad officioſum in Deum amorem incitandum vtiliſſima, & parum intellecta pleriſque. Ad eam ergo cognitionem, ait Amor, gradum facere conuenit, conſideratione rerum, quæ in quotidiano vſu noſtro verſantur. Quem ergo rectè vocare poſſumus Amicum officioſum & comem? Illum opinor, qui occupationes pro amico nullas recuſat; captat potiùs opportunitatem omnem agendi aliquid, quod in eius rem cedat; qui nunquam aliis diſtinetur negotiis, aut ea excuſat, ne amico vacet; qui nulli parcit induſtriæ, nullis ſumptibus, nulli gratiæ; non liberis, non famulis, non amicis, vt amico gratificetur. Talis fortaſſe fuit Ioſephus erga Putipharem, móxque erga Pharaonem regem, & Iacobum Patriarcham parentem ſenem: talis amantiſſimorum inter ſe coniugum, & ingenuorum filiorum aduerſus optimos parentes, aut parentum erga filium vnicum, quos perpetuis inter ſe officiis muneribúſque certare compertum eſt. I. AMOR. OFFIC. AVTOR. *Deſcriptio amici officioſi.*

II. *Accommodatur ad Deum.* Magnus ille mundi molitor Deus non satis habuit hanc rerum vniuersitatem, in vsum hominum officiosè producere, ipsisque rebus illas ingenerare opportunitates, & propensiones, quæ in rem eorum variè conferunt, denique omnium rerum creatarum in eos transferre dominatum. Non satis habuit, inquam, hac ratione, quasi familiæ suæ interuentu, homini famulari. Ipse se illi impendere voluit, & loquenti, cogitanti, operāti adesse perpetuo; atq; adeò cunctis rerum creatarum actionibus, motibus, propensionibus, quæ illo cessante, cessarent vniuersa.

III. *Paratum cooperari.* Itaque diuinam maiestatem contemplari possumus, quasi attentam, & dispicientem qua in re, loquendo, agendo, cogitando, eius opera vti velimus, vt eodem puncto temporis ipse nobiscum operetur, aut si cuiuspiam creatæ rei opera vti placeat, agat cum ea ipse quoque, vsibúsque nostris reddat idoneam: neque id ad breue aliquod spatium temporis, sed à primo instanti humani ortus, ad omnium seculorum æternitatem, sine vlla vel momēti vnius intercapedine. Quis seruus, quis amicus, quis parens, aut quis omnino tam necessarius, se vnquam tam officiosum præstitit hero, amico, filio, omnique ratione coniunctissimo? Quin etiam in hac concursione generali tam effusè officiosus est, vt ne ea quidem officia aspernetur, quæ propter humilitatem aut fœditatem, ipsi quoque viles seruuli refugiunt.

IV. *Omnibus agentibus bonis malisque* Sed est etiam aliquid magis admirandum in hoc officioso concursu: quod eum Dominus humanæ libertati permittit, vt alterutram in partem illo vtatur. Neque enim malè vsuro denegat commune illud auxilium, ne qua ex parte officiat libertati, si alteram tantùm in partem illius vsum permittat, sed in vtramque concedit, quamuis maxima pars hominum illo ad omne peccatorum genus abutatur. Qua in re admirabilis planè primæ causæ bonitas cernitur, quæ operam suam non negat linguæ, execrandis eam vocibus inuadenti, oculis adulteria machinantibus, manibus patrantibus cædem, suggerit calorem cordi ira & odio æstuanti, & phantasmata menti proditionem meditanti, in grauissimum reipub. Christianæ damnum. Eodem ipso tempore infelicem illam animam cōseruat, ne in suum illud nihilum recidat; intellectus & voluntatis prauis actionibus adest, quarum omnium facultatem vim ac conatum, negato concursu frustrari posset, & inimicum inania meditātem serio deridere.

V. *Quod videtur ad eius iniuriā pertinere.* Commiseratione tangimur aduersus puerulum, patri vsque adeò obsequētem, vt illius iussu etiam virgas colligat quibus cædatur; quomodo non etiam commiseratione afficimur aduersus Deum, membra mouentem quibus afficiatur iniuria? Quomodo non excutit lacrymas illa apud Esaiam querela, *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis?* (Ca. 43. 24.) Etsi enim Deus actionis deformitatem non magis participat, quàm ignis, quo incendiarius vtitur ad perdendam inimici domum, aut ensis quo perpetratur hominis cædes, in quæ instrumenta culpa cadere non potest. Dei tamen conditio, peccatis hominū, vt Propheta

loquitur, inseruientis, videtur commiseratione digna. Vir enim clarus & honoratus iniuriam non paruam sibi illatam putabit, si quis eius inscientis opera vtatur ad nequitiam. Et tamen nullum est facinus, nulla nequitia, nullum crimen, ad quod homo sceleratus, rebus à Deo creatis, ipsóque earum autore Deo non abutatur. Quod scelus indignius est Deo, quàm si aliqui de fæce plebis, regis ipsius opera & manu in purgandis cloacis abuterentur. Vilis enim actio culpam natura sua non habet; at nihil est vicinius culpæ ea, quæ illam sustentat, actione, cui adhæret, & cui diuina opera implicatur, ne vel humana libertas, vel ordo diuinæ prouidentiæ perturbetur.

Indignum est improbos rebus à Deo creatis ad peccandum abuti, igne ad exurendos sanctos Dei Martyres, vndis & funibus ad eos suffocandos, saxis ad conterendos, terra ad viuos obruendos, gladiis ad dissecandos, feris ac belluis ad dilacerandos ac deuorandos. Nec minor videtur improbitas ingenio vti ad excogitanda, voluntate ad imperanda, eloquentia ad persuadenda, viribus ad perficienda sacrilegia, furta, adulteria, proditiones, defectiones, cædes, hæresésque sacrilegas. Quanto enim res est pulchrior, nobilior, atque præstantior, tanto maiore damno ac scelere violatur: quis autem dubitet hominem rebus omnibus præstare, quæ sub sensum cadunt? Ad supremum igitur malitiæ gradum pertinet ipsam adhibere diuinitatem, ad omnia maleficia designanda atque perpetranda. VI. *Id declaratur vberius.*

Hic ego, Deum immortalem! mi-Amor, quantorum criminum rei sumus, qui toties opera diuina, præsentique auxilio abutimur ad peccandum. Nam si semel duntaxat hoc flagitium admitteremus, dissimulandum fortasse videretur; nunc autem, infelices, eadem quotidie, atque in horas singulas peccamus. O quàm mitis, quàm patiens, quàm officiosus est amor tuus, Domine, qui rebus tam indignis maiestate tua, operam continentem nauas. Num ego deinceps ausim defugere actionem aliquam, quamuis humilem & abiectam, quæ peccati sit expers, & referatur ad gloriam tuam? Simúlque promereri possim, vt te aliquando, istis corporis animique facultatibus iuncto ac cohærente, diuinis actionibus ad immortalem felicitatem perfungamur. Hic ego ad Officiosum Amorem conuersus, VII. *Quàm id dolendum sit nobis.* AVTOR.

CAPVT VII.

Illustre exemplum ac singulare comitatis diuini Amoris aduersus Hebræos.

ITA concludis opinor, inquam, naturalem illum Dei concursum, & quasi famulatum, quo vt omnia agentia naturalia vtantur, solus ho- I. *Transitio ad*

exemplum singulare. mo abutitur, quod tu iure accusas & plangis. Tu autem, inquit Amor, noli existimare, hanc qua de agimus seruitutem, minoris esse faciẽdam, quod naturalis sit, & cum omnibus agentibus communis. Neque enim maternus in filium amor ideò vilior est, quòd ex electione non est, sed natiuus; nec bonum fit ex liberali communicatione deterius, sed melius multò, atque laudabilius. Et Deus, vt supra dictum est, eodẽ amore infinito, & singulos complectitur, & vniuersos. Quanquã noluit Dominus deesse nobis officiosi amoris exempla singularia, in illum vnum populum Hebræum, quem sibi ex omnibus nationibus elegerat in populum, in quem omnes amantissimæ comitatis sinus effunderet.

AVTOR. AMOR.

II. *Officiosa comitas Dei in Hebræos.* Hoc vt familiarius intelligatur, vide quo se modo gerat plena pietatis mater, in filium vnicum, grauiter ægrum, & alioqui molliter atque indulgenter educatũ, quique nunc fastidit omnem ex morbo cibũ. Quàm multas mater illa vias comminiscitur, vt appetitum irritet, vincátq; fastidium ægrotantis, vt nullis vigiliis, sumptibus, laboribúsque parcit, vt monet, vt obsecrat, vt exhilarat, vt nihil intentatũ relinquit, quod suggerit Amor officiosus & comis. Nunc repeto memoria quibus officiis atque obsequiis Deus, in desertis Arabiæ locis, certauit cum Israëlitis, electo tunc ex omnibus gentibus populo, & præ omnibus dilecto, eodẽque non solùm ægro ac fastidioso, sed querulo ac seditioso, sed peruicaci, & in Moysem & Aaronem rebelli, atque adeò in ipsum Deum: propteréaque suppliciis ac plagis, non molli tractatione, deliciisve digno.

III. *Cùm aliis in rebus.* Nam præterquam quod ab omnibus eum calamitatibus reddidit immunem, quæ reliquæ Ægypto horribilem intulere vastitatem; præter apertos maris siccatósq; fluctus, sic vt populus vniuersus sicco vestigio transmitteret, dum vniuersus Ægyptiorum exercitus, cum curribus & equis hauriebatur vndis; præter nubes, & columnas ignis, & Angelos in vasta & inuia solitudine, quasi signiferos & itinerũ duces, præter hæc, inquam, omnia, aliáque non pauca officiosissimæ Charitatis argumenta, quotidianum illis cibum parauit. Manna omnibus retro seculis inauditum, cibum Angelorum manibus præparatum, *Angelorum esca*, inquit Sapiens, *nutriuisti populum tuum*. Cibum lautissimum, *& omne delectamentum in se habentem*, vt eadem Scriptura loquitur, id est qui delectationem maximã afferre possit, vel omne delectationis genus, vt mox dicemus. Cibum pro quo acquirendo nec terra proscindenda, nec spargendum semen, nec purganda seges, neque metenda; non molendum triticũ, non subigenda farina, non coquendus panis, sed colligendus duntaxat: neque ex longinquo aut arduo loco petendus, sed in circuitu castrorum suorum accipiendus, *præstitisti eis sine labore*. Nec sub meridiani solis ardoribus parcè, sed affatim tepido aëre, albescente cœlo colligendus; neque in vnum alterúmve diem, sed in annos quadraginta, ad ingressum Chananitidis, quando terræ frugibus vesci potuerunt.

Tum maximè in beneficio manna. Sap. 16. 20.

Vide an. m. 2544. n. 290 & 2584. n. 89.

IV. Cæterùm illud omnem superat admirationem, Deique amorem of-

ficiosissimum prodit, quod isti vni cibo, *omnis saporis suauitatem* dederit, id est cuiuscunque cibi suauissimi saporem & gustum, perdicis, leporis, anatis, phasiani, apri, cerui, gallinæ indicæ, capi, arietis, hœdi, capreæ, piscium quoque, & fructuum generis cuiusque. Vnde autem tam noua, tam insolens, tam extraordinaria comitas? Audi eundem Sapientem, *Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Ostendunt hæc verba mirabilem Dei dulcedinem atque comitatem; itaque ea paulò accuratiùs inspiciamus. Manna vocat Dei substantiam, quia diuino imperio & voluntate subsistebat, Deique populum quasi legitimus cibus, alebat & sustentabat. Erat hæc quasi particula quædam fortunarum diuinarum, vnde quotidianam illi decerpebat annonam, & honorario Angelorum suorum ministerio, distribuebat vniuersis. *Et variis eius saporibus.* *Ex libro Sapientiæ.*

V. Plerique legunt, *substantiam tuam & dulcedinem tuam ostendebas,* id est potentiam, sapientiam, bonitatem, quæ sunt substantia ipsa, & natura diuina, & non quædam, vt in hominibus, qualitates. Ostendebas, inquam, in his quotidianis epulis, quas tot hominum millibus instruebas, dulcedinem substantiæ, ac naturæ tuæ; vel, ostendebas fructum, qui ex diuinæ naturæ possessione capitur, instar omnium bonorum esse posse, cùm efficeres, vt cibus vnus corruptioni obnoxius, instar omnium ciborum esse posset. Vel, hac quasi periclitatione quadam, ostendebas qualis futura esset comitas tua in Eucharistico cibo, qui & substantiam tuam contineret, & eam cum tuis communicaret conuiuis. Denique tuam ostendebas dulcedinem, qui tantam mortalium multitudinem, cibo prædulci ac delicato, quique omnium ciborum gustum repræsentaret, quotidie reficeres. *Is locus accuratius expenditur.*

VI. Quibus porrò hanc tantam ostendebas comitatem, atque dulcedinem? vtique Israëlitis, quos vnos tum filios habebas, atque vnicam in terra familiam. Simul & coniecturam præbebas, qualis esses aliquando futurus in eos, qui tam suaui atque amico filiorum nomine digni essent, cùm talem te erga istos ostenderes, qui fere improborum seruorum nomen promerebantur; qui in Ægyptia seruitute nati eductique, nihil nisi pœnæ metu agebant, & seruili more modóque, nihil à Deo, nisi cum obmurmurationibus & querelis obtinebant. Quin & manna ipsum, de quo agimus, non obtinuerunt precibus, sed per iurgia & seditiones extorserunt. Turba enim seditiosorum collecta, Moysem & Aaronem ferociter adierunt. Et cur, inquiunt, *eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti.* Itaque digniores erant qui acerbissima fame perirent, quàm vt eis panis Angelicus de cœlo, Domino indulgente, deplueret. *Israëlitæ indigni nomine filiorum.* Exod. 16. 3. 4.

VII. Ita duodecies in querelas, & seditiones effusi sunt in deserto, & vt

Qui erant ingenio serui li. ingenium seruile agnoscas, de cibariis fere rixabantur; itáque gula punita est, *Adhuc* enim, vt ait Dauid, *esca eorum erant in ore ipsorum, & ira*
Psal. 77.30. *Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* Vide num fuerint aliquando importuni flagitatores diuinæ legis; nullum vnquam de ea verbum fecerunt, ac ne cogitarunt quidem. Brutum ingenium ac seruile legis impatiens est, nisi terrore dominante. Itaque cùm lata est lex densis è nubibus fulgura coruscabant, remugiebant tonitrua, tubarum clangores personabant, horrificæ voces perstrepebant vndique, & mortis metu percellebant vniuersos. Diffractis porrò tabulis, ecquis, in tanta multitudine mortalium, de illis instaurandis vocem vllam misit? quis ingemuit in tanta iactura? Illud potiùs ab istis
Num. 21.5. manduconibus auditum est, *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Hordeaceo illis pane opus erat, aut furfureo, quo mancipia vescuntur, & canes. Quantam ergo comitatem atque dulcedinem expectare debent liberi ab illo patrefamilias, à quo seruitia tam amicè tractantur?

VIII. *Deus seruū agit apud eos.*

Pergit Sapiens, *& deseruiens vniuscuiusque voluntati.* Quis est iste deseruiens? Deus opt. max. Quiuis alius potiùs deseruiat, quàm is qui solus audit in cœlo terráque quotidie, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, & princeps regum terræ.* Non ait, voluntati suorum se accommodans, in eorum arbitrium concedens, vt superiores solent agendo cum subditis, sed *deseruiens* quod officium est subditorum in principem. Hoc ipsum sensisse videtur Apostolus, cùm ait Deum, per quadraginta annorum tempus, *mores eorum sustinuisse in deserto.* Famulorum est tolerare ac sustinere Dominorum mores, quamuis discoli
1. Pet. 2.18. fuerint, vt princeps Apostolorum monet, sed hoc loco officiosus amor rem in contrarium vertit.

IX. *Quàm id mirum sit.* c.16.24.

Creatura, inquit Sapiens, *tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos.* Neque id sanè admodum mirum; in eum siquidem finem condita est, vt deseruiret factori suo, eiúsque gloria est tanto principi deseruire. At factorem ipsum operi manuum suarum deseruire, eique dicere, ita faciam, quia ita tibi placet, id verò superat omnem admirationem. Hæc comitas est, quàm nunquam beatæ illæ mentes expertæ sunt in cœlo. Quis ergo deinceps admirabitur quorundam regum ac reginarum famulatum in nosocomiis, cùm ibi Christo in pauperum persona deseruiant, illius oraculi memores, *quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis*: cùm infinita illa maiestas, seditioso isti populo, peruicaci, & idolorum cultori, quasi ad mensam accumbenti, pro cuiusque voluntate deseruiat.

X. *Et in tanta multitudine* AVTOR. AMOR. c.10.12.13. &c.

At vide, inquam, mi Amor, ne non careat superlatione hæc Sapientis oratio. Imò actio ipsa, inquit Officiosus Amor, superlatione plena est. Repete memoria quod apud Iosue scriptum est, de sole ad illius ducis non preces, sed imperium in cœli medio subsistente, *Obediente Domino*, ait Scriptura, *voci hominis, & pugnante pro Israel.* Ita sanè, sed Iosue iustus

iuſtus erat, iſti autem magna ex parte ſeditioſi ac rebelles: ille vnus erat, iſti innumerabiles, & tamen ſcriptum eſt, *deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati.* Occurrit ergo aliud hoc loco prodigium. Erant enim in hoc populo facilè ſexcenta millia bellatorum, mulierum autem, puerorum & ſenum haud dubiè duplo plura, vt promiſcuam famulorum multitudinem, quæ ſe migrantibus Iſraëlitis addixerat miſſam faciam; nec vnus erat omnium, ſed proprius & ſuus pene ſingulorum appetitus.

Vide ergo, officioſiſſime Domine, quàm multos tibi heros, quibus deſeruires, amor ſuggeſſerit, cùm tamen ex vnigenito tuo conſtet, non poſſe quemquam duobus dominis ſeruire. Oportebat itaque te obſequium tuum attemperare ad puerorum delicias, ad mulierum molliciam, virorum curioſitatem, guloſorum faſtidium intolerandum, qui mercedis, aut gratiarum actionis loco, cùm lautiſſimè acciperentur, lances & gabatas cum cibis, in faciem miniſtrantis intorquerent, illud immurmurantes, *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Et vt maiorem in modum Moſi gubernatori ac procuratori ſuo, aut ipſi potiùs deſeruienti Deo ſtomachum mouerent, diuino cibo Ægypti porros, & cepas, & allia impudenter præferebant. *Recordamur*, aiebant, *piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* Itáne verò gratis, ô maſtigiæ? ecquid obliti eſtis verberum, quæ nunc diſſimulat pudor, quibus ab Ægyptiis labori veſtro ſatis fiebat?

XI. *Hominum ingratiſſimorum.*

Num. 21. 5.

Num. 11. 5.

Ego certè apud ipſum lego Moſem, ſcriptorem in primis fidelem, *Flagellatique ſunt, qui præerant operibus filiorũ Iſrael, ab exactoribus Pharaonis, & vociferati ſunt ad Pharaonem dicentes: Cur ita agis contra ſeruos tuos? Palea non datur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: En famuli tui flagellis cædimur, & iniuſtè agitur contra populum tuum.* Vbi ergo eſt iſtud *comedebamus gratis?* Num benè vobis erat, cùm vociferabamini propter opera, & aſcendit clamor veſter ad Deum ab operibus? Sed eſto ſanè, gratis comederitis piſces, quos Nilus aut mare deferebat, aut eiiciebat ad littus, gratis allia, & porros, atque cucumeres, agite, quanti nunc emitis Angelorum cibum? quod illi vectigal perſoluitis, cuius opera neque veſtimenta veſtra deteruntur, neque valetudo vlla infirmitate tentatur? O ingratiſſimum hominum, aut potiùs pecudum genus! O bonitatem, & comitatem tali hero dignam, meliorique ſeruitio!

XII. *Eorum murmur, & calumnia.*

Exod. 5. 14. &c.

Exod. 2. 23.

Quibus aſpiciendi erant oculis, qui diuinæ mannæ apparatum ita abiiciebant, vt ei porros & allia, cepáſque præferre non dubitarent? quam obiurgationem merebatur tam inepta, tam inurbana ruſticitas? nónne meritò audiant, ſimiles habent labra lactucas? aut, porci quoque cœnum liliis præferunt & roſis. Si huiuſmodi comparatio ab amore religioſæ paupertatis profecta eſſet, à generali rerum humanarum contemptu, aut ſingulari epularum fuga, vtique ferenda videretur.

XIII. *Ruſticique mores.*

At isti eam comparationem instituebant, ab ingenita mentis peruersitate, ab obtrectandi in Deum, Mosémque licentia, ab consueto diuinorum bonorum contemptu. Quo ergo amore Deo fuit opus, vt fastidio & gustui nationis insulsæ, ingratæ, ac peruersæ deseruire posset, & mores eius sustinere præposteros? vtique officiosissimo, ac planè diuino.

XIV. *Deus non vni necessitati seruit.* Sed illud quoque in hoc officioso Dei amore considerandum est, quod non ait Sapiens Deum vniuscuiusque necessitati deseruisse: etsi non modicus, aut leuis fuisset ille famulatus, in tanta multitudine populi, quamuis alioqui natura paucis contenta sit; neque appetitui cuiusque, qui difficilis & fastidiosus esse solet in multis, in plerisque etiam insatiabilis. Neque ait Deum se ad singulorum petitionem accommodasse: etsi lingua satis est ad petendum libera & soluta; sed deseruisse voluntati, quæ multo latius patet. Permulta enim sub voluntatem cadunt, quæ pudor postulare prohibeat. Non exiguum aiunt esse negotium mulieris vnius satisfacere cupiditati, hîc aderant plus quàm quingenta millia fœminarum, Dei nihilominus officiosus amor vniuscuiusque voluntati deseruiebat.

XV. *Mutatio mannæ qualis.* Μετεκιρνᾶτο. Postremò concludit Sapiens, manna, ad quod quisque volebat, fuisse conuersum, siue transtemperatum; quod ad gustum videlicet & saporem, fortassis etiam quod ad nutritionem in stomacho. Neque est vlla ratione credibile, manna reipsa in quoduis cibi genus, pro cuiusuis arbitrio fuisse commutatum. Quomodo enim carnes postulassent, si reuera manna fuisset in quaslibet carnes, pro cuiusque voluntate conuersum? Adeóque etiam permultum est, vt tam varius gustus probis esset, improbisque communis. Plerique enim viri graues, non sine causa sentiunt hanc fuisse bonorum prærogatiuam. Alij malunt hanc Dei liberalitatem omnibus fuisse communem, sicut alia Dei in deserto beneficia, vt coturnicum, vt aquæ de petra manantis, vt Angelicæ deductionis, atque prouidentiæ. Quòd tantò magis officiosissimum tanti principis amorem in suos, & comitatem amplificat.

Vide an. m. 2544. n. 304 & seqq.

CAPVT VIII.

Alia quædam officiosi Dei Amoris exempla, erga singulares quosdam amicos suos.

I. *Exemplum Iosue.* SATIS opinor diu mensis accubuimus Hebræorum: Nunc alia quædam eiusdem officiosi Amoris exempla persequamur, priusquam eundem in filij Dei mensa, Christianóque conuiuio perpendamus. Ma-

gnum itaque officiosi amoris argumentum colligi poteſt ex ipſo loquendi agendiq; modo, quo ſanctos olim viros eſſe vſos ſacræ literæ teſtantur; ſiue dũ cum Deo ipſo agerent, ſiue cum rebus creatis ad aliquid à Deo impetrandum, ac propemodum exigendum: non enim famulos agunt aut deprecatores: ſed Dominos potiùs ac magiſtros. Id paulò antè de Ioſue Hebræorum imperatore attigimus, cuius hæc plena fuit autoritatis oratio. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Ai-lon.* Dictum, factum. *Steterunt* enim *Sol & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Et mox, *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.* Deinde additur verbum illud mirabile officioſi amoris, *Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael*, non ait exaudiente Domino, vel acquieſcente, ſed obediente, non enim petitio præceſſerat, ſed mandatum. ca. 7. 10. c. 10. 12.

Vide quanta cum autoritate ac fiducia Iobus & Dauid Dominum alloquantur: familiarem diceres eos compellare, non Dominum. *Exurge*, ait Dauid, *quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopia noſtra, & tribulationis noſtra.* Eodémque filo cætera pertexit. Vnde Eliæ tanta fiducia, Deum vt teſtem aſſumat, tribus annis neque rorem de cœlo fore neque pluuiam; ac ne iis quidem elapſis, *Niſi*, inquit, *iuxta verba oris mei.* Niſi quod ei certo conſtaret, Dominum voluntatem timentium ſe officioſè facturum. Inde & illud minimè irritum imperium. *Si homo Dei ſum deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον. Idémque ſecundò contigit, contigiſſet & tertiò, niſi tertius quinquagenarius veniam humili oratione obtinuiſſet. II. *Dauidis & Elia.* Pſ. 43. 23. 24. 3. Reg. 17. 1. 4. Reg. 1. 10.

Vnde procedebat querela illa mirabilis eiuſdem Prophetæ, in gratiam mulieris viduæ, quæ illum hoſpitio acceperat? vtique ex ſingulari fiducia, quã officioſus amor Domini ſui ipſi ſuggerebat. *Clamauit* enim *ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Quis ita virum principem, optimatem, magiſtratum paulò honoratiorem, niſi fortè deſipiat, alloquatur: aut ſit illi certè intima neceſſitudine ac familiaritate coniunctus. Is enim non ſolùm in bonam partem amici querelam accipit, ſed ei ſatisfacit quàm primùm poteſt. Quod ab ipſo quoque Domino obſeruatum eſt. Cùm enim addidiſſet Elias, *Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.* Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit, Domino Prophetæ fidem ac ſanctitatem, & mulieris hoſpitalitatem officioſè munerante. Ex eadem fiducia in officioſiſſimum Dei amorem proficiſcebantur illæ irriſiones, Prophetæ inſultantis in ſacrificulos Baal; & crebrius iteratæ profuſiones aquarum ſuper ligna, & holocauſtum Domino præparatum. Nam & dæmones, ne bouem pſeudoprophetarum incenderent, tacita ad Deum oratione compeſcuit; & viciſſim à Deo III. *Rurſum Elia in Deum fiducia.* 3. Reg. 17. 20.

tam feruidum impetrauit ignem, qui voraret holocaustum, qui ligna consumeret, qui lapides, & terræ puluerem, & aquas in aquæductu, circunquaque lamberet.

IV. *Itémque Esaia.* Esa.7.11. 4.Reg.20.9 Quid Esaias? Nónne præstanti fiducia, officioso Dei amore, ac promptissima erga se voluntate nitebatur, cùm ad edendum prodigium se obtulit, qualecumque Achaz rex impius ausus esset optare? *Siue in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Aut cùm Ezechiæ regi dedit optionem, mallétne vmbram in solari horologio progredi decem lineis, aut decem gradibus retrorsum reuerti, sole videlicet tanto spacio in orientem retroacto, aut cursu pari interuallo præcipitato in occidentem. Et ne quis dicat has esse prærogatiuas magnis Prophetis concessas, nónne Seruator ipse fidem suam obligauit fore, vt hæc faciat quicunque habuerit fidem Dei, *& dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei.* Deo se paratum exhibente ad mutandam naturam elementorum, & inferioris huius mundi ordinem, ad imperium hominis firma fide præstantis. (Mar.11.23.)

V. *Conclusio.* Si quis hîc non videt quàm officiosus sit diuinus amor, oculis profectò caret; si quis videt, & non admiratur, iudicio parum valet. Si quis vice versa eum toto corde non diligit, nec cupit ei quàm officiosissimè famulari, & corde, & iudicio, & oculis caret. Diligimus enim, & memori mente retinemus, si quis in nos aliquid officij contulerit; nec eum diligamus mundi principem, qui toto vitæ nostræ tempore, arbitrio nostro, voluntatique deseruiat? nec interioribus eius motionibus acquiescemus, quæ sunt totidem eius desideria & petitiones, quas comiter offert voluntati nostræ, non ausus pro potestate imperare: veritus, vt humano more loquamur, cum pudore suo, & cum nostra iactura, repulsam. Vtra maior est, Domine, aut bonitas tua, aut humana malitia? verecundus, humilis, & obsequij plenus amor tuus, aut tepida hominum, ingrata, & superba negligentia? vtique bonitas tua, & officiosus amor tuus, nullis vsquam limitibus, terminisve definitus.

CAPVT IX.

Effusa Comitas Diuini Amoris aduersus homines.

I. *Mercatores officiosi.* MERCATOR venditionis, & colligendæ suis ex mercibus pecuniæ vehementer appetens, perquàm officiosus esse solet in explicanda magna vi mercium, diuersi coloris, bonitatis, & precij, diuersis etiam ex locis exportatarum, si qua fortassis emptori placeat; eadémque opera, sua illũ diligentia incitat ad emendum; verentem ne parũ decorè tantum obsequium irritum reddat. Idem faciunt imaginum propolæ

varietate mirabili: idem qui libros, qui pharmaca, qui cibos fructúsve, qui aurea gemmeáve ornamenta diuendunt. Ita dæmon diuersis illecebris honorum, voluptatum, commodorum homines capere satagit, quæ sunt totidem hami ac lina piscatoria, totidem laquei ac retia, totidem rami visco illiti ad capiendam prædam. Ambitiosis vitreas quasdam ampullas destinat, alias auaris, & his diuersas ventri & gulæ deditis; alias inuidis & iracundis, & istarum laguncularum aliæ iuuenibus, aliæ destinatæ sunt grandæuis; quædam mulieribus, quædam offeruntur viris, neque eædem profanis hominibus & religiosis, laicis clericisque congruunt, vt aliquando S. Macario per visum ostensum est. Denique miris se modis omnium captui dæmon accommodat, & fit omnibus omnia, vt si possit, perdat vniuersos. *Itémq; malus dæmon.* L. 5. de vit. patr. n. 61. ex Ruffino.

Vice versa Dominus Deus, cuius infinitior est bonitas, industria & zelus animarum, quam dæmonis malitia, calliditas, & studium perdendarum, omnes perscrutatur rationes & vias, quibus se in beneuolentiam nostram insinuet, vt sibi aditum in cor nostrum aperiat, mentem in studium virtutis inflectat, & operam suam humanæ coniungat, ad eius quærendam ac promouendam salutem: quod est officiosissimi amoris argumentum. Non enim expeditus est duntaxat ad agendum, quocunque tempore illius opera vti voluerimus, sed expectat etiam, desiderat, postulátque consensum nostrum; obseruat captátque occasiones iuuandi nos, & salutis nostræ promouendæ. Nunc enim adhibet exempla terrifica eorum, quos insignes calamitates perculerunt, quæ æquè poterant in caput nostrum incumbere: nunc vehementi nos nouissimorum cogitatione perturbat, mox cœlesti luminis radio allicit animum, vt diuina sapiat, terrena contemnat. Addit aliquando bonorũ iacturam, ægritudinẽ, casu adita, & diuinitus vitata pericula: sæpe concionibus, aut piorum librorum lectione aut bonorum consuetudine permouet; quæ sunt omnia singularia beneficia, quibus is præuenitur ad gratiam atque disponitur. II. *Multóque magis Deus.*

Contemplare igitur, Christiane, Dominum tuum, ad ianuam cordis tui stantem, pulsantem, & opperientem ingressum, eundémque tam mitem ac facilem, vt licet possit omnia, nolit tamen ingredi sine tuo consensu, nec tibi, nisi te volente, benefacere; quod famuli potiùs videatur esse, quàm domini. Nos autem vsque adeo male sani sumus, vt eum multos sæpe annos, & omnino quandiu libitum fuerit, vt dominus seruum, expectare cogamus: quin etiam, quod est longè deterrimum, atque improbissimum, sæpe admissum, sæpiùs excludamus. Ipse autem tanta licet affectus contumelia, iram cohibet ad reconciliationem paratus & reditum, cum maiore bonorum spiritualium comitatu. O sancte Dauid, nonne hæc tua fuit olim oratio? *Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Pudet dicere conuertendum locutionis modum, dicendúmque, oculos Domini in manibus esse seruorum suorum, donec misereantur ipsius. III. *Qui stat ad cordis ostiũ.*

IV. *Præuenit hominē gratia, & agentem comitatur.* Rom. 8. 28.

Vbi porrò serio & constanter tam officioso Dei amori dedit manus, qui cum eo tam scienter támque opportunè conflixit, vt omnino cesserit: quàm comiter ac suauiter idem amor ad vlteriora progressus est, vt omnem mouit lapidem, vt adhibuit omnia, quæ ad eius salutem promouendam valent. Quoniam, vt ait Apostolus, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Offert obiecta intellectui, simúlque voluntatem excitat, vt nunc actum sancti amoris eliciat, nunc timoris diuini. Modo spei, fiduciæ, demissionis animi; patientiæ, obedientiæ, castitatis, reliquarúmque virtutum, ad quos etiam atque etiam iterandos actus non frustra inuitat, vt datæ iam gratiæ, earúmque virtutum habitus augeantur, & cumulus meritorum accrescat in terris, cui gloria respondebit in cœlis.

V. *Dátque perseuerantiam*

Quid dicemus de præpotente ista gratia, quæ continenter excitat ad vrgenda bene cœpta, & constanter ad finem vsque perseuerandum, ne volucres illæ harpyiæ bonum semen de cordibus auferant; ne retro aspiciamus, & frangamur animis, cùm tentationum tempestas in nos incubuerit. Spiritalibus potiùs armis succincti pugnemus, & magnis itineribus properemus ad locum mercedis, ad propositum brauium, ad circumactam metam, ad curriculi finem, ad immortalem gloriæ coronam. Deus meus, quid quæso tua interest mortalium salus, quòd tanta cura, támque continenti labore illis adsis, ne quà forte fugitiui elabantur? quid emolumenti afferemus tibi? Propositum, inquit, habeo lucrifacere amorem tuum, vbi agnoueris, & æstimaris pro dignitate, quot ego illum officiis quotidie beneficiísque promerear: studeo audire gratiarum actiones, in quas tum prorumpes, cùm accubueris ad mensam meam, vbi ministrante me immortalibus deliciis perfruere.

VI. *Petitio officiosi amoris.*

O amantissime Domine, mirabilis vtique est isthæc oratio tua, index propensioris beneuolentiæ in homines tuæ, vt vel te Dominum, vel illos seruos videaris oblitus; sed verba tua rebus ipsis factísque vincuntur, quibus doces, *quàm bene conueniant* apud te, *& in vna sede morentur Maiestas & amor.* Itaque per hunc ipsum officiosissimum amorem tuum obtestor, ne amicis tuis vnquam contingat, vt debitum tibi famulatum, officiúmque defugiant; quando tu supra debitum omne, supráque decorum, officiis eos obruis, atque benefactis: fac vt debitum tibi cultum quantum poterunt, seruitiúmque promoueant; quando tu tam officiosè ades, atque obsequeris eorum voluntati, fac vt tota vita eorum dicta, facta, cogitata, totidem officia grata tibi acceptáque sint, vt studiosè obseruent occasiones inseruiendi proximis ob amorem tui; vt mandata tua non ducant oneri, sed honori, eáque ex animo complectantur, cæterósque demereri studeant, vt ea ipsi quoque omni studio, curáque complectantur.

CAPVT X.

Christi Domini amorem officiosum fuisse, & primùm in natiuitate sua.

PERFVNCTVS es sanè diligenter, mi amantissime Domine, expositione officiosæ beneuolentiæ diuini Numinis aduersus homines, nunc de ipsius Christi Domini officiosa charitate dicendum videtur. Æqua est postulatio tua, inquit Amor, mihique necessaria, qui iam obligarim promissione fidem meam, ad id quod ex me quæris, cùm de conuiuio Iudæis exhibito agerem, quod non sex mensibus, vt Assueri, sed annis quadraginta detinuit conuiuas. Liberalis Amor germanus meus dudum exposuit, vt filius Dei assumpta humanitate, hominum se addixerit seruituti; Verùm aliquid nobis quoque de eodem argumento, pro instituto, dicendum est, si modò diuinæ sapientiæ placuerit mentem nostram illustrare, vt miracula nonnulla seruitutis huius agnoscamus, & diuinam in cordibus nostris excitare flāmam, quæ vbi in venis penitus ac medullis insederit, facilem reddat tam officiosi amoris imitationem.

I. AVTOR. Transitio. Ca. 8. 1. Li. 8. ca. 26. & 17.

Quicunque aliquam veri Numinis cognitionem habent; facilè profitentur eum regem regum esse, ac Dominum dominantium, eique in cœlo terráque omnium rerum creatarum deberi famulatum. Sed illud quoque sine dubitatione fatendum est, illi à principio malè in cœlo terráque fuisse seruitum; adeò vt primo Angelo, primóque homini iure ac meritò dicere potuerit, *A seculo confregisti iugum, rupisti vincula mea, & dixisti, Non seruiam.* At Dei filius zelo paterni honoris incitatus, Itáne verò ait, Lucifer, tuo ac rerum omnium creatarum principi non seruies? non te clientem supremæ maiestatis agnosces? imo cum summo pudore tuo, ac dedecore agnosces, eique seruies. Ages enim iussu nostro carnificem omnium reproborum: & cum illis æterno incendio conflagrabis. Deo tuo seruies, eiúsque famulis, qui subinde reddent irritos conatus tuos, & de te gloriosissimè triumphabunt; seruies, cùm liuor tuus in eorum perniciem coniuratus, maioris gloriæ illis segetem ministrabit. Seruies denique, factus tantæ animaduersionis exemplum, quantam meritò vniuersus orbis obstupescat.

II. Angeli in Deum inofficiosi. Ier. 2. 20.

Infelicem quoque Adamum superbia occupauit, diuinam affectauit boni & mali scientiam, & dum Luciferi consiliis acquiescit, diuinum mādatum violauit, confregit impositi præcepti iugum, rupit gratiæ & charitatis vincula, quibus Deo erat adstrictus; rupit iustitiæ innatæ vinculum, quod sensum rationi obtemperantem reddebat; rupit vinculum, quo animu scorpori alligatus erat, & in mortis iura concessit; rupit, magnáque ex parte perdidit ius, quod diuinitus in omnes acceperat animan-

III. Sicut & Adamus ipse.

tes; & reipsa cum primo illo desertore dixit, *non seruiam*. Imo verò seruies tu quoque, ait Dominus, sed oppressus inopia, cæterisque ærumnis, dum te mors penitus affligat, & in antiquum redigat puluerem: seruies & improbissimo veteratori, & bestiarum instar cupiditatibus tuis, & supra bestias, rerum omnium egestati.

IV. *Dei filius satisfacere cupit.* Inde conuersus ad Patrem, Ergo Angelus & homo, qui soli poterant dignum Deo exhibere famulatum, ab officio suo, suadente superbia discesserunt, & debitum neglexere famulatum: iugum eis perquàm suaue imposueras, & onus leue, quod non excussere solùm, sed confregere. Statuo igitur, inquit, hoc seruitutis erga te munus explere. Minimè verò fili, ait pater, seruire non est tuum, qui natus es rex, & omnium rerum creatarum Dominus, & æqualis parenti: nulla est æqualis in æqualem auctoritas; seruus minor est Domino suo. Induam ergo me præuaricatoris Adami vestimento, vt tibi seruire possim, & pro accepta iniuria satisfacere. Dirupta vincula colligabo, fractum integrato iugum, eóque in humeros meos, cum immensa peccatorum sarcina imposito, eam præcipitem agam in profundum maris.

V. *Réque ipsa satisfacit, factus homo.* Psal. 87.16. Annuente patre, stat filius promissis, eáque laboriosè ac diligenter exoluit, vt cum Dauide meritò diceret; *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Atque adeò à prima infantia, vsque ad extremam ætatem viri pauperis conditionem explesti, duram omnino atque difficilem. Ascendisti in theatrum vitæ huius forma serui accepta, *& habitu inuentus vt homo*, quibus initiis, reliqua vita pertexta est congruenter. Quæ omnia cùm syncerus patris amor, & humanæ salutis expresserint, dubita si potes an Seruatoris amor cognomen officiosi mereatur. Sed inspiciamus rem ipsam paulo distinctius, & ab eius orsi natiuitate & præsepio, ad eius mortem crucémque progrediamur, mira vtique officiosæ seruitutis inueniemus argumenta.

VI. *Ab ipsa natiuitate seruum agit.* Psal. 115.16. Vbi quæso eniti solent ancillæ pauperculæ? in cubiculo ornato, an in olido stabulo? vbi reclinatur fœtus puerperæ? in cunis eburneis, an in vili præsepio? in molli ne culcitra, an in fœno & palea? preciosisne pannis obuoluitur & fasciis, an vilibus ac detritis? Dic ergo maturè magno parenti, ô infantule, *O Domine*, hîc ego natus sum, atque ita acceptus ab hominib⁹, *quia ego seruus tuus, ergo seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Qui sunt quos pastores inuisunt infantulos? virorum principum, an vernaculos? Quibus domesticis heri character in corpore imprimitur? nónne seruulis, & quidem fugitiuis? quæ personæ modica pecunia redimuntur? nónne seruiles? Serui, vt liberaliter cum illis agatur, accepta libertate emittuntur domo, quoniam, vt ait Seruator, *seruus non manet in domo in æternum*; id filiorum est, hæredum paternorum bonorum. De cæteris auditur ab hera illa vox, *Eiice ancillam & filium eius.* Hic filius Dei, & beatissimæ virginis, quasi altera Agar cum Ismaële filio, non domo solùm, sed tota regione pelluntur; ni faciant, mors imminet infantulo,

Et serui more tractatur. Ioan. 8.35. Gen. 21.10.

& parenti

& parenti orbitas, & desolatio. Ergo solum noctu trepidi vertunt, & exilium occupant in regionem longinquam, *Nunquid seruus est Israël, aut vernaculus*, vt hunc in modum tractetur? Christus verus est Israël præualens Deo, qui diuinam naturam ita in sua humanitate deiecit, vt verè dicatur, Deum in lucem editum, labores hominum causa tota vita subiisse, vsque ad seruile supplicium. Ierem. 2. 14

CAPVT XI.

Seruatoris amorem in eius vita & morte officiosum extitisse.

I. *Christi famulatus domesticus.*

VTIQVE Seruatoris amor tota vita officiosus fuit. Quid enim sibi vult illud, *Et erat subditus illis?* Quis subditus? Iesus, filius vnicus præpotentis Dei. Quibus? Iosepho lignario fabro nutritio suo, & Mariæ coniugi eius. Amplectitur id verbum omnem Seruatoris triginta annorum famulatum. Scio hunc ipsum locum alia occasione tactum fuisse, sed dignus est qui secundùm iteretur, ac tertiùm. Vidésne vt famulum agat? Neque enim nobiles adolescentes, aut filij virorum principum vili subiiciuntur opifici, aut vxori eius, sed pueri de fœce vrbanæ plebis, aut paganæ. O humanissime Iosephe, ô mater integerrima, nullam rationem habebitis tyronis istius in exigendo famulatu? Nullus vt arbitror satis æstimare possit, quoties parentes inter & filium, de opere quopiam domestico, officiosè comitérque certatum est. Exploratum vobis erat vestrum ipsi iure ac merito deberi famulatum, & omnia penitus officia, quæ ingeniosus amor excogitare posset. Ipse contrà, qui vltro serui formam acceperat, decorum seruari erga se, ac planè seruire cupiebat.

II. *Matri exhibitus ac Tutori.*

Felices angeli, qui suauissimam illam, planéque mirabilem contentionem spectare potuistis, filij charitate, cum matris demissione certante, & vicissim humilitate filij cum amore materno, mutuámque venerationem duorum cœli ac terræ principum. Certamen dirimebat, opinor, animi materna summissio, quæ sæpenumero suum illud opportunè iterabat, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Statimque victor diuinus puer, quæcumque poterat vel domi, vel in officina officia exercere, omnia alacer obibat & expeditus. Aquam propinquo ex fonte, ignem aut vas aliquod mutuum ex vicinis perurbanè pérque iucundè petebat, cædua ligni segmina ad ignem colligebat, verrebat domi; sternebat lectulum suum, nisi quando mater id officij occupabat. Tignariam amussim rubricatam hinc tutor, inde puer ipse tenebat, tignúmque dissecandum notabant: sed quàm crebro, quámque beneuolo parentis vtriusque coniectu oculorum, qui hæc quotidiana diuini Verbi prodigia, magis magísque quotidie demirabantur: vixque oculis crede-

bant suis, filium Dei ad hæc famulorum ministeria tam libenter descendisse. Nónne hæc omnia certissima sunt argumenta officiosi amoris, quem quærimus, atque famularis?

III. *In peregrinatione Hierosolymitana.* Admodum probabile est Hierosolymitanam peregrinationem, quam duodecimo Christi anno contigisse constat, quotannis fuisse non à Iosepho solùm, sed à reliqua familia religiosè obitam. Diuina enim lege cautum non semel ac perscriptum est, vt omnis virilis sexus ter in anno coram Domino appareret, in solennitatibus videlicet Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. (Exod. 23. 17. & 34. 24.) Adfuisse quoque virginem rationi consentaneum est, siue vt ne sola domi sine custode relinqueretur, siue vt ne longius à carissimis sibi capitibus abesset. Cúmque Nazaretho Hierosolymam iter trium fere dierum esset, credibile est Iosephum sponsæ & puero, dum fuit infirmior, de iumento aliquo prouidisse. Deinde factus adolescens, vtrique parenti diligenter tanquam famulus aderat, laborémque itineris leuabat, loquens de regno Dei. Matri in primis in iumentum ascendenti, rursúmque descendenti præsto erat, eiúsque in stabulo curam gerebat. Vtrumque denique parentem enixè rogabat, ne suo labori parcerent.

IV. *An tempore prædicationis.* Transeamus ad supremam Seruatoris vitam, quoniam diuina prouidentia factum est vt sancti Euangelistæ integram pene triginta annorum historiam silentio mirabili præterint. Sed nihil fortasse in tribus illis quatuórve annis reperiemus, quod ad rem nostram faciat. Tunc enim Doctorem egit, & Apostolos, discipulósq; collegit, tunc turbas populorũ, in montibus locisque campestribus, in maris littore, desertisque locis, in oppidis & pagis, & templo ipso cum auctoritate ac potestate docebat, nec more modóque Scribarum & Pharisæorum, sed quasi Euangelicæ legis autor, & promulgator. Aduenerat tunc tempus illud, quo mare & venti obediebant ei, & liquentes vndæ, solidas se præbuere calcanti; quo dæmones ex mortalium corporibus, illius imperio turmatim deturbabantur, ægritudines cuiuscumque generis, non tactu solùm aut nutu, sed solo potentissimæ voluntatis assensu, puncto temporis fugiebant; quo denique plerique mortalium illi vltro famulari gaudebant.

V. *Et quatenus.* Non desunt tamen eo ipso tempore officiosi amoris exempla, vel in eo quod omnium se captui accommodabat, vt omnes lucrifaceret Deo, & à peccatis abduceret; & præter vitæ sanctitatem, omnes adhibebat illecebras, vt illos ad se traheret, prodigia, beneficia, dicendi vim singularem, doctrinæ absolutissimam perfectionem, suauissimam vitæ consuetudinem, publicorum scelerum reprehensionem, cæterásque rationes & vias, quas illi diuina sapientia suggerebat. (L. 10. c. 10. n. 4. L. 14. c. 9. n. 1.) Placet id singulari quodam exemplo docere, etsi id superius vsurpatum est, cùm de Amoris sollicitudine ac zelo ageretur. Neque enim Dominus in eo se minus officiosum exhibuit & comem, quàm sollicito animarum zelo præditum.

VI. Vide igitur certamen officiosissimi mitissimique amoris Christi Do-

mini, aduersus ingratissimam perfidiosissimámque obstinationem Iudæ proditoris. Difficillimum est longéque molestissimum comitatem ac mansuetudinem exhibere inimico, non ad externam duntaxat speciem, vt olim Ioab Amasæ, id enim quotidianum est in aula Principum; sed syncerè prorsus, atque ex animo; & quidem illi inimico, qui alioqui sceleratus sit & tibi capitalem pestem, perniciémque moliatur. Id enim est vim maximam inferre naturæ, quæ bonos, amicos, benefactores amore prosequitur. Quid ergo egit comis atque officiosus Christi amor, non erga Scribas tantùm, ac Pharisæos palam inimicos, sed aduersus domesticum atque intestinum hostem Iudam proditorem, illo ipso tempore quo proditionem animo, manibúsque versabat. Dulcedinem adhibuit & seueritatem; cum illius contumacia verbis, operibúsque certauit, omniáque officia boni ac fidelis amici, in gratiam inimici huius impendit. *Maximéque aduersus Iudam.*

VII. *Et quidem multipliciter.*

Officiosus fuit cùm ostendit omnem eius machinationem cognitam sibi esse, penitúsque perspectam, vt is re adhuc integra, si vellet, ab instituto scelere resiliret. Officiosus item iniiciendo in eius animum terrore, æterni supplicij. *Væ homini illi*, & *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Officiosus retinendo nihilominus illo domestico ac conuictore: & abiiciendo se ad illius pedes abluendos, quos molitio detestandæ proditionis inquinarat. Officiosus in non recusanda illi communione recens instituti mirabilis sacramenti, ne illum coram fratribus aperiret. O amantissime Iesu! quæ est ista miseria, vt ab initio instituti diuini huius conuiuij tui, statim adesset, qui te in sacrilegum, ac sceleratum pectus inferret, præludens iis, qui te sæpe deinceps, iniuria non dissimili, sub hisce panis & vini typis afficerent. Luc. 22. 22. Mat. 14. 21. 1. 2. 3. 4. 5.

VIII.

Officiosus in amica illa salutatione, & monitione beneuola, *Amice ad quid venisti*, nec repudiauit oris contactum, qui se totum paulo antè in stomachum eius infuderat, rursum hominem peramanter admonens sceleris, quod admittebat; *Iuda osculo filium hominis tradis?* Denique non leue fuit aut contemnendum illud amoris officium, quo illum, cum cætera turba satellitum, resupinum deiecit in terram: si quo modo illum ad saniorem mentem reuocaret. O amantissime atque officiosissime Seruator, quid officij, gratiæ, beneuolentiæ conferre quis potuit difficillimis amici temporibus, quòd tu non contuleris in capitalem inimicum? Quid quæso charitatis, aut officij prætermissurus es erga electos tuos, qui tam multa dixeris, feceris, passus sis, in salutem reprobi, ac pereuntis inimici? Quomodo in peccatorum conuersione desudare atque elaborare debeo, ignarus an eos ad gloriam destinaris, qui videam quantum operæ posueris, vt illum iuuares, quem non dubitabas esse periturum? 6. *Alia in Iudam Christi officia.* Mat. 26. 50. 7. Luc. 22. 48.

CAPVT XII.

Comitas Seruatoris in epulo Eucharistico ratione conuiuarum.

AMOR OFFICIOSVS.

I. *Comitas in cōuiuiis maximè cernitur.* SI qua in re honesti atque honorati viri, vrbani videri cupiunt & comes, & accusationem ineptæ parcitatis & sordium defugere, id profectò tum maximè cupiunt, cùm insignes viros ac nobiles conuiuio accipiunt, quósque amore simul ac veneratione prosequuntur. Hoc videlicet Martham olim perturbabat, reddebátque sollicitam, etsi eos habebat hospites, qui conuiuiis minimè ducerentur, sed vni potiùs necessitati seruirent. Memoria tenes esse me tibi conuiuij debitorem, huiusmodi debita non facilè excidunt: in eóque merito me sollicitudo tenet, vt humanitus loquar, ne fallam expectationem tuam: præsertim cùm neque annonæ penuriam excusare, neque conditorem, instructorémque conuiuij parcitatis accusare possim. Quin potiùs, quo maior fuit Magistri liberalitas, hoc mihi magis, quasi imperito œconomo, insipientiæ nomen formidandum est.

II. *Latet in Eucharistia.* Id porro videndum est nobis, num in suo conuiuio, cuius olim manna typus fuit, suæ illius comitatis Dominus videatur oblitus, si modò eam nobis ipse gratiam impertiri dignabitur, vt aliqua ex parte agnoscamus officiosa obsequia, quæ ipse in his diuinis epulis vsurpauit, & vulgo insipientium occultauit. Atque hinc quidem rationi consentaneum est credere Seruatorem non minùs se officiosum & comem in hoc suo conuiuio, quàm in veteris mannæ largitione præstare voluisse. Primùm quidem quia summū hoc mysterium instituebatur in lege gratiæ, ab autore gratiæ, in argumentum summæ beneuolentiæ in populum Christianum, præ omnibus Patriarchis & Prophetis. Deinde quia necesse est figuras & typos cedere veritati, vmbras corpori, & ipsa rerum accidentia subsistentibus naturis.

III. *Et difficiliter eruitur.* Alia ex parte ingenuè fatendum est minùs esse in homine intelligentiæ ad ea peruestiganda, ac patefacienda, quod multo minùs sit illi commercij cum animo, rebúsque cœlestibus ac diuinis, qualis est sacra Eucharistia, quàm cum corpore, & rebus quæ sub sensus cadunt, quale fuit Manna Hebræorum. Accedit quod is qui, assumpta humanitate mortalium, factus est Deus absconditus, vt testatur Esaias, multo in hoc sacramento factus est occultior ac tectior. In stabulo enim Bethlehemitico, sicut & in cruce latebat sola deitas, hic autem ipsa quoq; latet humanitas: siue vt vtraq; credēda Christianorum exerceatur fides, & meritū augeatur; siue vt vitetur horror ille naturalis, quē esus humanæ carnis afferret,

Ca. 45. 15.

aut sanguinis potus, si in propria & vulgari forma sumerentur, quæ olim Capharnaitis fuit offensionis occasio, cùm nondum intellectum esset, quam rationem initura esset diuina sapientia, vt se humano captui accommodaret.

Officiosa porrò comitas, qua suauissimus instructor conuiuij huius est vsus, partim ex conditione conuiuarum agnoscitur, partim ex eo cibo, qui in eo ministratur & sumitur. Quod ad prius illud attinet, ordo quem diuina prouidentia in operibus gratiæ naturæque constituit, proportionem quandam exigit, formam inter materiámque subiectam. Ignis glaciei aut lapidi, ac ne ligno quidem viridi adhærescit, sed arido. Id si aliter accidat in prodigiis numeratur, vt in Ægypto contigisse locuples testis est Sapiens. Scientia in statuam humanam infundi non potest, ac neque in corpus humanum, sed in animam, non infantuli, sed ratione vtentis. Gratia diuina non cuiusuis animum inhabitat, sed iusti hominis, fide, spe, charitate ornati. Talis enim Regina, sine honorifico suo comitatu, non procedit. Gloria verò animam gratia decoratam postulat, & carnem miseræ huius mortalitatis expertem.

IV. *Duplici ex capite declaranda.*

Proportio inter materiam & formam. Sap. 16. 22.

Cibus quoque proportionem cum eo qui nutritur exposcit; neque enim omnium animantium in cœlo, terra, vel aqua viuentium eadem esca est. Quin etiam inter homines alius est mendicorum, alius artificum aut mercatorum cibus. Non eadem est optimatum mensa, quæ regum aut virorum principum. At cibus Eucharisticus cùm sit regius cibus, atque adeò idoneus, *ad præbendas delicias regibus*, quod de pane Aseris dixit olim Iacobus Patriarcha, Seruator tamen ad conuiuium suum, regia magnificentia & comitate, omne mortalium genus inuitat. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et alibi in quadam parabola, haud obscurè significat velle se pauperes, debiles, cæcos & claudos in triclinium suum introduci: eum enim in finem seruum suum demittit in plateas & vicos ciuitatis, atque adeò in vias agrorum, & sepes, vt illos conuocet, deducat, intrare compellat, iubeátque in mensa regia considere. Id ne cui fortè videatur absurdum, intelligendum est vocari quidem ab officioso Domino *malos & bonos*, ad nuptias, vult enim omnes homines saluos fieri, sed vult improbos omnem à se abdicare malitiam. Itaque in ipso ingressu dat omnibus vestem nuptialem, qua si postea caruerint, aut eam fœdè contaminarint, illis continget vt, ligatis manibus & pedibus, mittantur in tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dentium. Itaque pro sua bonitate supplet Seruator, quæ ad proportionem illam requiruntur. Ad illud autem epulum vnica dispositio est diuina gratia, non opes & copiæ, non nobilitas aut pulchritudo, non vires aut scientiæ, cæteráque id genus. Gratia enim illa instar est omnium: mendicos vertit in reges, vt paratas sibi delicias degustent: Reges qui regere ac frenum iniicere didicerint cupiditatibus corporis, & rationi obtemperare.

V. *Et inter cibum & eum qui nutritur.*

Gen. 49. 20.

Matt. 11. 28. Luc. 14. 21.

VI. *Qui Deus vocet omnes ad conuiuiũ suum.* Matt. 22. 9. 10. 13.

VII. *Etiam imperfectos.* Illud autem officiosam hanc comitatem vehementer exaggerat, quod Seruator illo suo conuiuio accipit homines vulgari virtute præditos, adeóque admodum imperfectos, quos pauperes illi collecti viatim repræsentant. Nam si illos duntaxat conuiuas acciperet, qui Angelica corporis animique mundicia præstarent, qui charitate Seraphica, qui demissione animi, qualis fuit in beatissima Virgine præditi essent, omni denique forent virtutum genere locupletes, minor esset admiratio. Si tale ac tantum Dei beneficium, post accuratum quinquaginta aut sexaginta annorum famulatum, hominibus conferretur, esset nihilominus beneficium singulare. Qualis est igitur ista gratia, quanta comitas Seruatoris, qui diuinum hoc conuiuiū quotidianum esse patiatur, habeátq; tam multos quotidie conuiuas, qui permodica ad hasce epulas fide, feruore, deuotione feruntur. Si quis amicos ad cœnam vocet, eos cibi appetentiam secum afferre lætatur; fiunt enim cibi ipsa esurie palato gratiores: contra verò nihil hospiti contingit ingratius, quàm si hospites suos videat oculos ad abacum, ad imagines, signáve, cum quodam cibi fastidio circumferre.

VIII. *Ac negligentes.* Quàm multos habet Seruator subditos ac clientes, qui, pro pudor! ad cœnam magnam vocati, varias prætexant excusationes, quasi ad laboriosum aliquod opus, molestúmque vocarentur, aut eis vectigalis quæpiam opera sine vllo fructu operæ præstanda foret: quàm multos conuiuas, stomacho porris, & cepis, & alliis, cæterisque mundi vanitatibus referto, vix vt de diuino cibo cogitent, sed oculos animósque huc illúcque circumferant, ornatum aræ, imagines viuas mortuásque circumspiciant: quàm multos, qui non nisi post multos menses, animum pane cœlesti quoquo modo reficiant, aut festa Paschalia præstolentur: ac ne tunc quidem fortasse ad diuinas epulas accederent, nisi sermones hominum, aut censuras Ecclesiæ reformidarent. O bone Seruator, quàm parum fœliciter tibi cessit conuiuium tuum, & tanta comitas tua! Quàm dolendum est homines in optimatum conuiuiis ita esse attentos, ne quid improuidè peccent, in diuino autem ineptias admittere innumerabiles.

IX. *Improbos quoque tolerat.* Atque vtinam nihil in eo deterius contingeret. Ad illa enim conuiuia nullus adire audeat inquinata facie, aut manibus lutulentis: huc non pauci veniunt, nondum profani conuiuij crapula satis exhalata, aut corpore animóque adhuc incesta libidine fœtente. Humanissime Iesu,

Luc. 22. 21. quàm sæpè dicere possis, *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* O improbissime Iuda, quàm multos habes socios, qui amicos simulent foris, cùm sint intus capitales inimici. Quàm multi te, diuinam mensam sacrilegio polluentem, perfidiosè imitantur: & ad tartarum infelici laqueo præcipitantem sequentur. Quadraginta annis sustinuit Domi-

Act. 13. 18. nus Hebræorum mores in deserto, neque destitit illos cœlesti pane satiare. Quibus tamen iurauit in ira sua, non ingressuros in requiem suam,

promissam Chananitidem. Sustinet Christus plurimorum Christianorum deprauatos mores, qui Hebræorum improbitati ac nequitiæ fortasse non multùm cedant, & sedecim pene seculis sustinet, quorum plerique eo iam cibo funditus sunt priuati, quibus iurauit Dominus in ira sua fore, vt non introeant in requiem suam, terram in beata immortalitate viuentium.

CAPVT XIII.

Comitas Seruatoris in conuiuio suo, ratione cibi ipsius, & variorum saporum eius.

NVNC si videtur ad cibum ipsum, varióſque eius gustus gradum faciamus: vt hîc quoque officiosum Christi Domini amorem agnoscamus. Qui dissectos in mensa cibos distribuit conuiuis, gustum cuiusque sequitur, si quidem eum nouit; sin minus, vt quemque nouit honoratiorem, ita illi optima quæque offert, itáque deinceps, quandiu superat quod detur. Infundebat olim Dominus mannæ omnem saporem corporeæ suauitatis, vt paulò antè dicebamus, vt sese ad desideria populi terrena sapientis accommodaret. Nunc autem in mensa sua, qua cum Christianis, quos spiritalia & diuina sapere vult, epulatur, vni cibo Eucharistico spiritalem omnem saporē ingenerat. Et multiplicem quidem ciborum varietatem homines requirunt, vt diuerso illorum sapore fruātur, vnum aliquē quæsituri duntaxat, si in illo vno sapores omnes degustare possent. Multo igitur æquius est Deū causam vniuersalē, generalibus instrumentis vti, quorum singula instar habeant plurimorum. Docet quippe Philosophia, vt quodque agens perfectius est, ita paucioribus vti rationibus & viis ad propositum sibi finem obtinendum.

I. *Mos conuiuiorum accommodatus Eucharistiæ.*

Arist. 2. de cœlo.

Videamus ergo paulò distinctius, nec inanis erit ista diligentia, qua ratione diuini huius conuiuij magister officiosus extitit, diuersis saporibus huic pani vitæ inserendis, industria sua diuerso conuiuarū gustui accōmodata. Quibusdam placet subacidus sapor pœnitentiæ, & acerbus culparum admissarum dolor, à quibus Dauidicū illud libenter vsurpatur, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* neque est sapor, qui spiritali eorum palato magis arrideat; magisve prosit. Hinc enim efflorescit sanctum odium sui, quod pestiferū sui amorem, omnium noxarum fontem paulatim exsiccat. Hinc existit ac fouetur animi demissio, qua propriæ excellentiæ appetitus, proprij amoris primogenitus, debellatur atque succiditur. Hinc egregium satisfaciendi diuinæ iustitiæ desiderium, cui se agnoscunt vehementer obligatos: satisfaciendi autem crebris corporis afflictationibus, ieiuniis,

II. *De gustu subacido contritionis.*

Ps. 41. 4.

vigiliis, cæterisque pœnitentiæ operibus congerendis, vt sic altera proprij amoris soboles, carnis cupiditas edometur.

III. *Et eius commoda.* Hinc generosus atque exaggeratus terrenorum contemptus, quibus patefactus est aditus ad peccandum, & obstructa cœli ianua; & voluntariæ paupertatis amor, qui ea dispergit largitúrque pauperibus, in perniciem auaritiæ, & cupiditatis quæ dicitur oculorum, quam tertiam mundi pestem in lucem edidit Amor sui. Qui ergo tam vtiliũ fructuum sunt appetentes, arborem amant, ex qua illi proficiscuntur; Spiritum videlicet contritionis, eam vbique perquirunt, fouéntque sedulo, vt perpetuò tam vtiles fructus ferat. Atqui diuinus hic panis hunc animæ palato saporem inspergit, si quod est aliud in tota Christiana religione mysterium. Infœlix enim peccator, qui ad diuinam accessurus est mensam, hanc apud se querelam meritò instituet.

IV. *Contritionis sensus in Eucharistia.* Quid? egóne verissimus ille prodigus, atque inconsultissimus adolescens, qui porcorum siliquas vix promeritus sum, ad honoratissimam Domini mei mensam admittar, vt ibi vituli saginati particeps fiam? Ego, cui non iniuria bufones & serpentes tribuerentur in cibum, & in potum fel & absýnthium, Angelorum hic, & reliquorum beatorum pane vescar, & nectareum immortalitatis potum hauriam? Ego, qui lixas inter & calones, in gurgustio esurire debeo, & cibarium affectare panem, hic in deliciosa Sanctorũ mensa Dei filiis annumerer? Ego, qui in cœnosa voluptatum lacuna, tanquã sus lutulenta sæpè volutatus, omnia vestimenta mea inquinaui, ipsámque innocentiæ stolam, mihi in baptismo redditam, dilaceraui, introducar nihilominus ad triclinium regium, non secus ac si omnium pulcherrima veste nuptiali essem indutus. Ego, qui toties principem meum, me ad escam regiam comiter inuitantem, audire contempsi, villas & iuga boum prætexens, ideóque nunc à ianua excludi mereor, & audire horrificum illud *nescio vos*: cum bona tamen gratia & gratulatione recipiar, ipséque mihi Dominus veniat obuiam, vt mutuis fruamur amplexibus.

V. *Et sui ipsius odium.* Miserum me! nónne iure ad omnium me pedes proculcandus abiiciam? nónne pudore perfundar, & improbam cæcitatem detester? nónne iustissimis in me sæuiam pœnis, & vltro vlciscar iniurias Domini mei? Nónne legitimum est, quoniam corpus hoc animam meam & quidem heram eius & dominam, turpiter ac contumeliosè vexauit: vt nunc vicissim animus, ea vtens autoritate, quam Deus illi ac natura dederunt, corpus vt seruum improbum, vt fugitiuum mancipium, vt subditum seditiosum accipiat? Præsertim cùm, post præteritam illam temeritatem, & anteactæ vitæ maculas, nunc quoque subinde infestos, instar apri dentes exerat, aut more vitiosi muli calcitret, aut effrenem agat equũ ac solutum. Hoc ergo modo preciosus hic cibus est accommodatus eorum gustui, qui austerum amant saporem, & dolori de culpis suis libenter indulgent.

CAPVT

CAPVT XIV.

De sapore dulcedinis, & consolationis Eucharistici panis.

INTER omnes sapores animantium gustui accommodatos, si qua fiat inter eos contentio, dulcedo plurimorum iudicio facilè palmam feret: in primisque, vt Philosophi disputant, nutritioni seruit. Videamus igitur an panis Eucharisticus idoneus sit dulcedini consolationis instillandæ, quando illa optanda videtur in primis, atque necessaria, vt religiosæ animæ à terrenis consolationibus, cœlesti affluente dulcedine, faciliùs abducantur. Illa est, quæ insulsas reddit atque insipidas carnis delicias, ludos, choreas, fabulas, epulas, munera, cæteráſque illecebras voluptatum. Illa est, quæ in aduersa omnia, quæ nos vndecunque circunstant, mel superfundit & saccarum: neque omnino tolerabiles esse viderentur, siue animaduersionis, siue probationis & meriti causa in nos irruant, nisi hoc mel de petra illum amarorem temperaret. Hoc est saccarum, quo molestæ ærumnarum vitæ huius pilulæ insperguntur; aut conditi saccaro grumuli, quibus sapor medicæ potionis abstergitur, aut lenitur. Hæc sunt condimenta, quæ dat nobis Dominus in curriculo vitæ huius, ne deficiamus in via. Hic denique comis est ac iucundus Principis contuitus aut sermo, quo aulici, mercedem aliquam diuturni famulatus expectantis, tædium mitigatur. I. *Dulcedo cœlestis cibi.*

Quis autem sermo par esse queat explicandæ dulcedini consolationum, quæ cælestem hanc comitantur escam: cuius proprium est esse spiritalem animi refectionem, quæ eam reficit ac roborat, instar exquisitissimi, ac vitam instaurantis cibi; simúlque omnes animi facultates tanta lætitia perfundit, vt in corpus ipsum redundet. Præsentia, & possessio obiecti delectabilis, certissima delectationis causa est. At obiectorum delectabilium Deus opt. max. principem locum tenet: tum illa Verbi diuini humanitas sacrosancta, ambóque hoc diuino pane continentur. Ingens ergo prodigium fuerit, conuiuas in hoc epulo suauissimis consolationibus non abundare. Testes earum appello multas piorum animas, tenero liquidæ voluptatis sensu diffluentes, quam, in huius receptione ferculi, vberes lacrymæ confirmabant. Nihil est necesse mortuos ex libris excitare testes, viuos licet audire quotidie, ac spectare; non in cœnobiis tantùm, sed in media populi frequentia, vbi nihilominus religiosissimè viuunt, & in delectationis argumentum, sæpius quot hebdomadis ad sacram mensam, vt ceruus ad fontes aquarum, cupidè accurrunt, atque euolant. II. *Eiúsque rei causa.* *Cõfirmatur experientia.*

Si quis tamen illius generis testes requirit, legat, si placet, vitam Beati Aloisij à Gonzagua; in ea reperiet quanto aduersus diuinum hoc III. *Exemplisq;*

Sanctorum Aloysij. Sacramentum pietatis sensu moueretur. Ea pietas tam singularis erat, itáque peruulgata domesticis, vt visum fuerit post mortem eum in genua procumbentem, & Eucharistiam suppliciter adorantem depingere. Tam pius autem erga Sacramentum animus ex singulari ac prædulci gustu nascebatur, quem in eo recipiendo percipiebat: eos verò gustus hòc illi Dominus liberalius largiebatur, quò studiosius in cordis sui animique mundiciem incumbebat, maiúsque adhibebat studium, vt ad sacras epulas quàm paratissimus accederet. Totam enim hebdomadam in certa quædam pietatis exercitia distribuerat, quæ sanctum communicandi studium acuerent, ac fouerent. Ad sacrum altare sæpius quotidie, dilectum suum salutaturus, ventitabat: pridie autem communionis, nullus ei nisi de hoc mysterio sermo erat, & quidem eo cum feruore animi, vt sacerdotes illius colloquium vehementer ambirent, vt maiore ipsi cum pietate, ac veneratione celebrarent. A communione verò ita colligebat se, támque attentè cum præsente Domino versabatur, vt cœlesti gaudio delibutus, diu in angulo quopiam maneret immotus, neque inde nisi ægrè discederet.

IV. *Stanislai Kostca.* Qua putemus abundasse dulcedine Beatum atque illustrem Polonicæ nobilitatis adolescentem, Stanislaum Kostcam, cùm suprema ægritudine decumbenti apparuit B. Barbara, duorum Angelorum septa comitatu, qui perillustri gloria sacrum illi viaticum deferebant, Deo incensis eius desideriis, votisque acquiescente, quod ille de manibus eorum, sūma vtrimq; veneratione recepit. Nihilominus exaggeratus est morbus, vt alteri eximio prodigio, & singulari B. Virginis, eiúsque filij erga sanctissimū adolescentē comitati daretur occasio. Cùm enim extremam pene ageret animam, apparet illi Dei mater, puerulum Iesum in sinu gestans, eúmq; in lecto eius, propè ipsum peramanter deponens. Id facinus officiosissimæ Deiparæ tantus dulcissimæ consolationis sensus est consecutus, omnem vt illi morbū prorsus absterserit. Neque eo contenta beneficio Dei parens, adiecit aliud; abiens quippe monuit vt se ad filij sui societatem aggregaret. Non leuis hic subest admirationis causa, quî factum fuerit, vt isti iuueni animam in pectore gaudij magnitudo non oppresserit; sed autore vitæ præsente, eius inimica mors propius accedere non est ausa. Denique cùm ad Augustam Vindelicorum iter haberet, templum subiit hæreticorum, quod Catholicorum esse arbitrabatur. Re cognita ingemuit se spe recipiendæ Eucharistiæ esse frustratum; verùm Angelo mox illi sacram synaxim deferente, multo sua factus est expectatione fœlicior.

V. *Alia dulcedinis huius testimonia.* Suauissimis hisce gaudiis testimonio sunt admirationes, veneratione lætitiáque delibutæ, & frequentes mentis à corpore aberrationes, quæ sine excellenti quadam delectatione esse non possunt, cùm suauiter ad se rapiant omnes corporis sensus, atque facultates: sicut ex corporis vo-

luptates ſunt omnium maximæ, quæ ad tempus aliquod vſum rationis abſorbent. Quòd ſi aliquos repentina lætitia ſic oppreſſos eſſe conſtat, vt ſubitò vita defungerentur, minimè à ratione alienum eſt, haſce abreptæ mentis alienationes, quæ ſunt aliquot horarum, aut dierum quaſi mortes, ab excellenti mentis voluptate proficiſci: quales ſæpenumero fuerunt S. Bernardi, Sanctæ Tereſæ à Ieſu, S. Catharinæ Senenſis, S. Ignatij à Loyola, aliorúmque multorum. Bernardi certè fuit carmen illud, *Tunc amplexus, tunc oſcula, quæ vincunt mellis pocula, quàm fœlix Ieſu copula, ſed in his parua morula.* *Extaſes.*

VI. *Et ardentia piorum deſideria.* Non exiguum etiam eſt harum conſolationum argumentum, deſiderium illud, quod paulò antè attigi, & fames quorundam pietate præſtantium, quibus longum eſt expectare dominicum diem ad communicandum ſanctiſſimo Sacramento, inſerendus eſt etiam eiuſdem inſtitutionis dies. Diuinæ quippe conſuetudinis mellita voluptate allecti, in odorem cœleſtium vnguentorum currunt, & mirabilem diuini panis eſuriem ſentiunt, ac fatentur; vt mirabilis illa Catharina Senenſis, quæ illam eſuriem ſentiens, confeſſarium ſuum ad celebrandum vrgebat, vt eſuriem ſuam diuino cibo temperaret: præſertim cùm ſtomachus eius alium cibum ferre non poſſet, ex quo ambroſiam illam, ex vulnere pectoris amantiſſimi ſponſi hauſerat. A quo ſubinde illud audiebat, *Pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Cant. 4.11.

VII. *Gemitus negligentium.* AVTOR. Hic ego, miſerum me, diuine Amor, cui delicias iſtas iampridem quotidianas eſſe oporteret, quæ ne præcipuis quidem ſolennitatibus contingunt. O mitiſſime Ieſu, officioſiſſime conuiuator, vtere ſuauiſſima illa violentia tua, qua miſeros ac mendicos, ad triclinium tuum intrare compellebas, vt fruerentur delicijs menſæ tuæ. Meritò ingemiſco, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Amicorum, inquam, ac famulorum tuorum, tibi magno cùm feruore ſeruientium, qui in ſtadio perfectionis iter accelerant, qui in odorem panis ac vini tui currunt, ac propemodum volant; ego tardus ſum, vis neceſſaria eſt, trahe me poſt te, & ſi opus eſt Patrem quoque tuum trahere, adhibeat ille quoque vim præcipuæ efficacitatis, quæ ſocordiam iſtam aliquando vincat.

VIII. *Monitio negligentibus vtilis.* Minimè mala ſunt iſta deſideria, inquit Officioſus Amor, ſed oportet ea exigi ad normam diuinæ voluntatis: iúſque eſt ſeruitia cibario pane eſſe contenta, aut eo quem herus dederit, qui non ſemper ſecundarius eſt, & vt maximè furfuraceus eſſet, is in huius duntaxat vitæ curſum vſui erit, vtique non diuturnum. Et quis nouit an ſpirituales deliciæ iſti infirmitati occaſiones eſſent malè tollendi cornua, & perdendi quantulumcumque partum eſſet? Neque inauditum eſt tibi, hiſce deliciis perfectionem vitæ, aut ſanctitatem non contineri.

AVTOR. Non eſt id quidem, inquam, inauditum; ſed illud tamen exiſtimo, magnum in eis momentum ſitum eſſe, vt heroici virtutum actus, qui perfectorum ſunt, generoſè exerceantur. Sunt & tyronum aliquando, ait

AMOR. Amor, quamuis ex habitu non agant. Cæterùm quiſquis prauas animi appetitiones ſtudioſiùs edomuerit, ex amore dilecti ſui, & illum myrrhæ faſciculum amplexus fuerit, vt ei gratificetur, non dubitet officioſiſſimum Seruatorem non paſſurum, ſe à ſeruulis ſuis officiis, aut comitate vinci.

CAPVT XV.

De auſteriore ſapore coërcendorum animi motuum, & demiſſionis mentis incitandæ.

OFFICIOSVS AMOR.

I. *Auſterus mortificationis ſapor.*

HOc manna legis Euangelicæ, idoneum eſt reficiendo nouis ſemper ſaporibus mentis noſtræ palato, acuendáque appetitione cibi huius. Nam præter acidulum guſtum doloris de peccatis, & dulcem conſolationum ſaporem, auſterum quoque myrrhæ & mortificationis guſtatum ſuggerit, & oleagineum commiſerationis, zeli quoque & feruoris acrimoniam, prudentiæ ſalem, cæteróſque myſticos ſapores, qui vtiliter deſiderari poſſunt. Quiſquis igitur edomandæ propriæ voluntatis & iudicij ſtudioſus eſt, qua virtute demiſſio animi, obedientia, adoratio, cultúſque omnis interior contineri poteſt, earum virtutum peculiarem ſenſum facilè in hoc conuiuio reperiet. Earum enim exempla præclariſſima edidit in eo Seruator.

II. *In Euchariſtia Seruatoris humilitas.*

Verbum Dei, idem cum Patre Deus, eiuſdémque cum Patre autoritatis atque maieſtatis, ſummiſſæ mentis virtutem quam adamarat, exercere non poterat. Itaque factus homo ampliſſimum campum inuenit, excolendæ deiectionis, obedientiæ, patientiæ, & his affinium virtutum cæterarum. Sed ea exercitatio extra huius vitæ cancellos pertinere non poterat. Earum enim commentatio, tractatióque virtutum in cœlo, alterius cuiuſdam modi eſt, nec parum à mortali diſtat. Cùm ergo Seruator paulò pòſt ingreſſurus eſſet in gloriam ſuam, mirabile conuiuij huius excogitauit inuentum, vt ſe coram Deo quotidie abiiceret, & pene in nihilum ſacrificando redigeret, typis, ſiue ſpeciebus ſubinde conſumptis. Sed parum eſt deiicere ſe coram Deo: quis enim id, niſi fortè Lucifer aliquis, recuſare audeat?

III. *Et obediẽtia exhibita ſacerdoti.*

Itaque Seruator ipſe, cuius ſumma ſemper fuit animi demiſſio, atque obedientia, non ſatis habuit eas coram Deo exercere virtutes: ſed quantáuis ſit maieſtate ſublimis, rationem inuenit ſubiiciendi ſe ſa-

cerdoti, quamuis misero ac peccatori. Cùm enim isti visum fuerit consecrationis verba proferre, præsto adest filius Dei, vt species panis & vini illico subeat,& eorum naturam conuertat in propriam & suam. Si ille postremam differat vocem, differt Seruator ingressum, si intentionem sacrificandi sacrilegè deponat, Seruator cum contumelia repellitur, nec adesse potest: idémque contingit si materia fuerit illegitima. Si reuera consecrat, tradit se Dominus Iesus in eius manus, fitque planè arbitrij eius, vt sacramentum ipsius, vel eleuet adorandum, vel deponat, vt palam & in luce videatur,aut in tenebris inclusum delitescat, vt frangatur, vt misceatur,vt manducetur,vt consumatur, vt nusquam appareat. Cui ergo non sapiat humilis obedientia, cuius tam illustre in nobilissimo filio Dei cernat exemplum?

IV. *Et mortificatio in stomacho sordido iacentis.*

Quid dicam amplius? num quid amplius in hoc genere aut mirabilius dici potest, præter id quod alio quoque loco dictum est; & vt dicatur sæpius, semper habet iustissimam admirationem. Vnicus Dei filius Angelorum Dominus, hominum gloria, princeps omnium electorum, humanum pectus ac stomachum subire non recusat, locum sordibus sæpe inquinatum ac fœtentem, pituita sputisque abundantem, quæ stomachum vel ipsa cogitatione moueant: locum cæteris omnibus fœdiorem, quæ sordes, quas in ea conieceris, retinent, cùm stomachus cibos optimos magna ex parte conuertat in sordes. Et nihilominus princeps iste pulcherrimus maiestate sua indignum non putat, in huiusmodi sterquilinium sentinámq; descendere,ibiq; moras trahere, dum species consumantur. Num id videtur mitius horrorem cum natura pugnantem opprimere, quàm saniem exugere, ex diro carcinomate manantem? quod S. Catharina Senensis, quod sancti Ignatius, Xaueriúsque fecerunt. Neque enim magno discrimine differunt admittere in se putredinem, aut se in putredinem immittere.

V. AVTOR. *An gloriosum sit ad hoc conuiuiū vocari.* Esther. 9. AMOR.

Verùm age, mi Amor, inquam, in conuiuio tam magnifico, nónne datur hominibus gloriæ & propriæ existimationis argumentum. Repete memoria, si placet, superbum illum Amanum hostem Mardochæi, qui in secundis rebus suis numerabat, quod ad regium Hesteris conuiuium vocatus esset. Memini quidem, inquit Amor, sed vicissim recordare eum honoris causa non fuisse inuitatum, sed vt ibi apud regem, superba illius crudelitas accusata, pœnas grauissimas daret. Sed illud quoque meminisse par est, Reginam ipsam magni honoris loco duxisse, quod rex ad ipsam conuiuandi causa veniret. Et Iacobi filij in Ægypto non leui fuerunt timore perculsi, quod ad prandium cum prorege sumendum inuitati essent, etsi nullius se criminis arbitrabantur reos. Nec vlla subest homini materia vanitatis, quod ad diuinas vocetur epulas; quòd tanta illi gratia non ex merito, sed ex diuina miseratione contingat. Gloriosè potiùs illius magnificentiam, ac bonitatem extollat, qui eum ad se vocat, vt eius necessitatibus occurrat. Admiretur quoque

quod videat putridum in Angelorum mensa cadauer. Aut rustici certè hominis personam induat, qui ingenti obrueretur pudore, si in medio virorum principum in regia mensa accumbere iuberetur.

CAPVT XVI.

De commiserationis gustu ex sacra Eucharistia elicito.

I. *Commiseratio ab externis sordibus.* Ca. 13.

DE amaro pœnitentiæ gustu nihil est quod videatur addendum iis quæ paulò antè de contritione dicebamus: aliquid ergo de commiserationis sapore dicamus. Etsi enim Seruator in semetipso beatissimus est, omnibúsque bonis circumfluit, & nullis est incommodis obnoxius; in speciebus tamen ipsis quibus tanquam indumentis obuoluitur, crebris afficitur iniuriis, quæ piorum commiserationem prouocant. Posse autem aliquem non in persona tantùm sua, sed in rebus etiam suis, puta vestimentis, violari, & ratio ipsa docet, & olim Tarentini experientia didicerunt, cum L. Posthumij Romanorum Legati vestem lotio procaciter aspersissent. (An.m.3772. q.5.) Est ergo quod religiosæ mentes commiseratione moueantur, dum vident nobilissimum Dei filium in ista specierum rubra veste vel candida, in stomachi quasi cloacam demitti, eiúsque sordibus circumfundi. Fuisti tu quidem olim, patientissime Iesu, hospitio acceptus in stabulo sordido, at palea certè, vel fœnum quod tibi collegit substrauitque nutritius pater, munda erant: lintea & panni, quibus te bona Mater inuoluit, vt vilia essent, sordida certè non erant. Quomodo ergo nunc patienter ferre potes, vt in cœnum corrupti ac fœtentis stomachi deiiciaris, ibique subsistas totus, dum species consumantur.

II. *Et impiorũ iniuriis.*

Sed alia tibi quoque sub hac typorum veste contingunt, quæ tibi longè ingratiora sunt, & maiore sunt commiseratione digna: quod scilicet rursum in manus peccatorum tradaris. Vir aliquis illustris mallet media in platea, fallante vestigio in cœnum prolabi, ac pallium sericum fœdè conspurcare, quàm aliqua verbi factive affici contumelia, qua illius honor, & gloria cruentaretur. Ita Seruator minus ægrè fert quod sordibus, præsertim sine culpa, contaminetur foris, nec tanta propterea videtur commiseratione dignus, quàm cùm incidit in proditorias inimicorum manus, qui se, vt olim Iudas, amicos osculo simulant, cùm sint capitales inimici: aut cùm ignominiosè accipitur à successoribus Scribarum, Pharisæorum, & profanorum militum Pilati. Iudæorum inquam, & hæreticorum, Ethnicorum, Mahumetanorum, Atheorum, Magorum, & id genus infidelium: qui eum toties subsannarunt, execrandis vocibus appellarunt, pedibus conculcarunt, gladiis & sicis per-

foderunt, abiecerunt pecoribus, & execrandis dæmonum veneficiis, incredibili ſacrilegio adhibuerunt.

Domine meus, & Deus meus! quomodo non repentino ſudore perfundor præ animi angore; quomodo non ſoluentur in commiſerationis lacrymas oculi mei, & cor meum, quomodo doloris acerbitate non diſrumpitur pectus meum, dum te agnoſco in tam horribili ſtatu conſtitutum, & tam indignis tractari modis, in glorioſo licet corpore animóque, in ea humanitate, quæ ab ipſa diuinitate diuelli diſiungique non poteſt. Accido, mi Domine, ſupplex ad pedes tuos, & ſupplicem adorationem lacrymis miſerationis conſocio, diuinum in te adoro Numen, quamuis profanis impiorum ac barbarorum manibus iactatum, vt te olim virgo Deipara, in manibus ſicariorum adorabat, atque carnificum: immortaléſque ago gratias, quòd in gratiam dilectorum tuorum, tantis iniuriis, probris, ac contumeliis obnoxius eſſe non dubitaris. Adoro te in cœnoſis ſtomachi tenebris, vbi neminem habes hominem, qui tecum verſetur, quo cum ſermones conferre queas; imo deſertus es ab omnibus, ſicut pridie mortis tuæ, & pene quàm primùm excedis ab oculis, abis ab hominum memoria. Nemo ſordes iſtas auertit, nemo expurgat, ſed quiſque certatim cibum ingerit ac potum. Pro qua tam officioſa charitate, gratias tibi agant omnes amici, ac clientes tui in omnem æternitatem.

III. Commiſerationis affectus.

CAPVT XVII.

De acuto ſapore zeli ac feruoris, qui in Chriſti epulo deguſtatur.

INVENIRI quoque poteſt in hoc exquiſitiſſimo cibo guſtus acer, & quaſi aculeatus feruoris ac zeli, ſi quis reuocet in mentem inſtitutum à Domino, inſtructúmq; conuiuium feruida charitate incitato, quo ipſo tempore permiſit Seruator, zelo honoris huic cibo debiti, Satanam Iudam inuadere proditorem, cùm primùm profanus diuinam bucellam non dubitauit accipere. Deinceps quoque Dominus idem multa edidit prodigia, ad honorem, & veritatem ſacramenti huius vindicandam, & impudens hæreticorum os verberandum, blaſphema contra ipſum garrulitate oblatrantium. Et vbi putas hauſiſſe feruorem ſuum tot inſignes viros, ad religioſum huius ſacramenti cultum, tot ſuppeditandis pretioſiſſimis ex auro & argento vaſis, calicibus, alabaſtris, tabernaculis, ſacriſque pixidibus; tot periſtromatis & aulæis, tot ſacerdotalibus trabeis, & pallis immenſi pretij, tot dalmaticis palliis, & veſtiariis ſacri altaris ornamentis, tot lampadibus, ardentibúſque facibus, tot hymnis & canticis ad cohoneſtandum atque celebrandum diuinam hoſtiam, quibus animus religioſa pietate fouetur, corda exhilarantur, oculi grato fulgore, aures cantus ſuauitate mulcentur.

I. Zelus Seruatoris pro hoc Sacramento.

II. *Qui homines ad illud honorãdum excitat.*

Quid memorem tot honestissima sodalitia, peculiari honori ac cultui diuinæ huius Eucharistiæ destinata? quid tot conciones atque exhortationes ex æquo & superiore loco haberi solitas? tot orationes ac poëmata, de magni huius mysterij argumento? Quid in peculiares curiarum, & generales totius populi supplicationes excurram, in quarum magnifico apparatu nihil prætermittitur, quod ab ingenio, & industria, quod ab arte & opibus expeti aut expectari potest: præsertim ex quo hæretici satanico spiritu impulsi, contra hoc magnificentiæ diuinæ conuiuium, corda sua furore, linguas maledictis, frontem impudentia, manus audacissima temeritate obarmarunt. Hæc est illustris antiperistasis, quæ nunc regnat in plerisque prouinciis hæreseon peste contaminatis, vbi consciẽtiæ quæ dicitur libertas ex æquo permissa est, vbi veri Catholici magis magisque animantur in dies, ad Dominum suum in sacramento venerandum: eóque magis, quo cernunt illum ab incredulis, à sacrilegis illis atque blasphemis impudentiùs violari.

III. *Diuersis rationibus.*

Immortales tibi gratias libenter ago, Deus meus, quòd tristes seruorum tuorum commiserationis lacrymas abstergere dignatus es, superfusa lætitia ab honore, qui tibi à viris amplissimis atque ornatissimis exhibetur; feruore sæpe tanto, vt in solennioribus supplicationibus, feriæ præsertim quintæ maioris hebdomadæ, aduocati, consiliarij, præsides, aliique viri nobiles ac dynastæ, principes item ac monarchæ: illustri quoque loco matronæ, ac fœminæ principes, neglecta sexus atque educationis mollicie, circumlatum per vicos sacramentum, animosa veneratione comitentur: in quibus non desunt qui nudis incedant pedibus, qui sacco & cilicio induantur, qui se flagellis cædant ac cruentent: passimque omnes cereos accensos ferunt in manibus, iuxta illud, *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, argumento fidei non mortuæ erga venerabile Sacramentum, & honoris quem summo suo regi debent, deferre desiderant; siue vt anteactæ vitæ delictorum honorariam multam luant. Hunc totum honorem ac satisfactionem tibi gratulor Deus meus, rogóque impensius, vt tam laudabilem in populo tuo zelum, vnà cum frequentatione huius compendij mirabilium tuorum in dies fouere, atque amplificare digneris.

CAPVT XVIII.

Incitamentum memoris animi, propter officiosum Seruatoris amorem in conuiuio Eucharistico.

I. *Oportere vicissim officiosum esse erga Dominum.*

VEREOR ne patientia vestra & ingenio videar abuti, si persequendis istis huius mannæ saporibus latiùs diducam orationem meam.

meam. Satis ergo fuerit ex dictis colligere eum, qui hosce gustus, alióſque in hunc ſuum cibum, ex mera bonitate immiſcuit, vt ſe piæ vniuſcuiuſque voluntati accommodaret, mirificè comem atque officioſum eſſe; & promereri viciſſim, vt officiis cum ipſo, quoad poſſumus, officiosè certemus, omnibúſque propter ipſum fiamus omnia, vt omnes ipſi lucrifaciamus, & in ſancto eius amore creſcamus. An tam ingratus erit vllus & inurbanus, vt ei pœnitentiæ materiam præbeat, quod officiis cum hominibus officiosè certarit; vtque veterem illam querelam iterare cogat, *Ego dixi in vacuum laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam,* omnémque comitatem, atque induſtriam *conſumpſi.* Nihil penſi habent ingratiſſimi ſerui, quod à Domino beneficiis obruantur. Eſa. 49. 4.

II. *Metu ingratitudinis.*

Qui ſerio mundi legibus ac vanitati ſeruiunt, magna ſe contumelia affici putant, ſi ingrati audiant. Itaque id probrum vt effugiant, bene de ſe meritis conuiuiis accipiunt, muneribus honorant, ſi quid gratia, opibus, autoritate valent, id totum per ſe ſuóſque liberaliter impendunt: præſertim ſi is qui gratiam anteuertit, vir ſit, qui multùm & prodeſſe & obeſſe poſſit. Qui igitur non ſunt neſcij quis ſit is, à quo maximis beneficiis occupati ſunt, & iis beneficiis, quæ duriſſima pectora mollire poſſint, an ferent vt is dicere poſſit, ſe mutis pecoribus beneficia contuliſſe? imo ab ipſis pecoribus reddenda gratia ſuperari, quæ medicis ſuis, ac benefactoribus, omnis feritatis oblita, ſtudiosè famulantur. Notus eſt Andronici Leo, & S. Geraſimi in prato ſpiritali, & Pardalis apud Plinium. Nónne euigilandum eſt homini, vt æs ſuum alienum aut diſſoluat, ſi quo modo fieri poſſit, aut aliqua ex parte præſtandis officiis nonnullam faciat de ſumma deceſſionem? Prat. ſp. c. 107.

III. AVTOR. AMOR. *Parabola inſignis cuiuſdā amici.*

Sed quibus officiis, mi amor? Quibus, ait Amor, dubitas? an oblitus es amorem ingenioſum eſſe? Is ſi apud nos ſedem fixerit, facilè inueniet vnde deuincire poſſit amantem. Quid ageremus, aut quomodo vellemus acceptum apud nos virum inſignem, de nobis noſtriſque præclarè meritum, ac merentem in dies? cuius domus, annona, ſupellex, cellæ vinariæ ac frumentariæ nobis amiciſq; noſtris perpetuò pateant: qui difficillimis temporibus nobis affuerit, & præſenti ignominioſæ mortis periculo nos eripuerit. Quo te quæſo modo gereres aduerſus talem virum? quæ par eius meritis eſſe poſſet oratio tua? vt in eius laudes opportunè atque importunè erumperes? vt ferres rumuſculos, ab improbis in illum iactatos? Si quod tempus vel locus exiſteret, in quo bene de eo mereri poſſes, num ex ignauia occaſionem miſſam faceres, & non potiùs omnibus negotiis tuis id officium anteferres? Quod ſi quando contingeret, vt abſente te is domum tuam adiret, & ab vxore aut filiis ei recuſaretur hoſpitium; quo tandem animo ferres domeſticam iniuriam? nónne neceſſarios quoſque domo pelleres, vt conſtaret omnibus, quàm acerba tibi eſſet amico illata iniuria?

IV. Facile eſt hanc ad rem noſtram accommodare ſimilitudinem. Serua-

Applicatur præsenti negotio. tor mundi illo insigni viro repræsentatur, cuius bonitas ac liberalitas insignibus homines beneficiis continenter obruit, præ amicitiæ ipsorum desiderio; ab eo quippe vita & sanitas, opes & copiæ, vires & industriæ, virtus & scientia, merita, gaudium, consolatio iugiter manant; vt enim hæc dona non largitur omnibus, ita poterat nos iisdē priuare, & iam ante concessis spoliare. Ipse est cuius apothecæ & thesauri perpetuò patent, hoc ipso quod vineis nostris agrisque benedicit, neque iis aut imbres deesse patitur aut solem, eorum enim ipse iustus ac legitimus est Domiminus, cæteri vsum fructum eorum habent. Ipse est cuius famuli famulæque, id est creatæ res omnes videntur captare opportunitatem benè merendi de nobis, & nostra commoda promouendi.

V. *Quid debeatur Seruatori.* Ipse est qui veterum peccatorum nostrorum debita dissoluit, suppliciisque exemit sempiternis; qui faucibus tartarei monstri eripuit, & luctuosa morte sua, aditum ad æterna gaudia patefecit. Quid ergo faciamus isti tam comi, tam officioso, tam liberali Domino? Vtique par est non minori nos cura tangi, vt ne in eum ingrati planè simus, quàm olim vterque Tobias, aduersus Angelum Raphaëlem. Quibus illi verbis agamus gratias, aut quæ oratio tantis obligationibus faciat satis? Quid libentius, quàm ipsius laudes lingua tua eloquatur? quis peierabit aliquando, quis execrandis vocibus Numen appetet, quin intimis sensibus afficiare? Cùm autem tibi fuerit exploratum, gratum illi esse quòd ægros inuisas, quòd pauperibus opem feras, quòd carcere detentos redimas, aliáque id genus opera misericordiæ exerceas, num cunctandum putabis? nónne hoc summum credes ac maximum esse negotiorū tuorū?

Coloss. 1. 14.

Tob. 12. 1. 2. &c.

VI. *Alia debita.* Si te moneat, vt in sacris eum locis inuisas, diuino adsis officio, & in precibus cum ipso colloquaris, aut eum in diuini verbi præcone audias, num occupationes, & temporis angustias excusabis? Si hospitium apud te, vel prandium accipere velit, an eum tertium mensem, aut annum etiam expectare iubebis? an à domesticis insulsè atque inurbanè patieris excludi foras? Et tamen non desunt, qui nolint familiam suam crebrius diuino participare conuiuio, ne nimium religiosi fiant. O homines insanos, qui terrena & humana sapiant, diuina non sapiant: qui credere videantur hòc eis tolerabilius ingratis esse licere, quò maior est Deus, & beneficia eius maiora, atque crebriora. Si Dominus fuisset suorum in homines beneficiorum parcior, pluris ea fortasse fecissent: gratior quippe est in fame, aut annonæ caritate misericordia, quàm in abundantia.

VII. *Conclusio cum deprecatione.* At Dominus maluit in largiendo videre, quid eius maiestatem ac bonitatem dare deceret, quàm quid hominum humilitatem, ingratósque mores deceret accipere. Ciuitatem nescio cui Alexander dedisse fertur, ne munus parum Alexandro dignum videretur. Sed adde quoque hanc gratiam, ô liberalissime atque officiosissime Seruator, quoniam, vt ait Iacobus Apostolus, *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est*, vt famuli saltem tui, ingrati animi maculam sum-

Ca. 1. 17.

mo studio fugiant ac detestentur, ipsisque placeat continentia beneficia continenti gratiarum actione remetiri: tibique officiosè seruire in omnibus, quæ gloriam tuam & amorem promouere possunt: vt ea piorum officiorum exercitatione, quotidiana gratiæ & amoris tui incrementa capiant, cuius opera possint perpetuo in tuo amore viuere, & aliquando ex eodem amore mori.

CAPVT XIX.

Compendiaria gratiarum actio diuini erga homines Amoris, ex duodecim Charitatis proprietatibus, quasi totidem eius filiis elicita.

AVTOR.

HVNC in modum Officiosus Amor finem imposuit orationi suæ, simúlque se ad fratres suos, matrémque recepit. Cuius ego sermonem excipiens, & matri gratias acturus & filiis, sic orsus sum. Nunc denique tempus est, nobilissima Heroina, vt ad te, filiósque omnes tuos diuino genere natos, orationem duplici de causa conuertam. Principiò gratiæ mihi agendæ sunt immortales sigillatim singulis, & omnibus vniuersè, qui muneribus vestris dignissimè perfuncti, mortales, nósque ipsos in primis, præceptis egregiis, documentisque instituistis. Deinde vero ingenuè profitẽdum est neminem esse tam mente captum, qui non videat, ac penè digito tangat, præpotentem Deum, qui te elegit in sponsam, innumera præbuisse argumenta diuini amoris sui, propter quem tantum amorem hominum meretur & angelorum, quantum vtrorumque mens & voluntas capere potest. I. *Generalis conclusio totius operis.*

Argumenta, inquam, Amoris dulcissimi, qui pectus amantissimi Seruatoris tam copiosa dulcedine repleuit, infuditque tanta copia, vt omnis dolorum, probrorum, & contumeliarum eius amaritudo dulcesceret, vt fel & absynthium in saccarũ & mella conuerteretur, quæ in sanctorum Martyrum & Confessorum tormenta redundarent. II. *Deus probauit amoris sui dulcedinem.*

Argumenta Ingeniosi Amoris, qui æternæ Dei Sapientiæ, hominum amore captæ mirabilia inuenta suggessit, vt vicissim ab ipsis diligeretur, quoniam exploratum habebat, planéque perspectum, in eo amore positam esse eorum felicitatem, & sine eo æternùm miseros fore. *Industriam.*

Argumenta fortissimi, patientissimique Amoris ac prorsus indomiti: quem omnes tentationum ac rerum aduersarum procellæ euertere atq; affligere nequiuerunt; quæcumque in ipsum, ab ipso primo in mundum ingressu, vsque ad egressum per acerbissimam mortem crucis irruerunt. III. *Fortitudinem, & patientiam.*

Amoris qui se omnibus doloribus, probris & contumeliis impenetrabilem exhibuit; sic vt neque atrox illa animi tristitia, quæ par erat inferendæ morti, nec toto corpore manans cruentus sudor, in terrámque decurrens, neque crudelissima diuerberatio, neque ignominiosus in prætorio, & in cruce nuditatis pudor, neque generalis ille omnium membrorum dolor, quando, emotis distrahendo suis ex locis ossibus, impletum est illud, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*: neque postremo horribilis illa patris derelictio, quam verba illa testantur, *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me*, fortitudinem amoris eius & patientiæ potuerint expugnare.

Psal. 21.

IV. *Liberalitatem.*

Probauit & liberalitatem, atque adeò profusionem amoris sui aduersus hominem, quando in gratiam eius creauit omnia, quæ sub aspectum cadunt, omnésque cœli diuitias effudit super caput eius: quando cœlites ipsos aulicos, illi duces dedit, gubernatores, custodes, & quasi præsidiarios milites: sic vt nihil haberet Dominus in bonis suis, quod homini liberalissimè non largiretur. Ergo quasi nihil haberet vltra, quod homini daret, persuasit illi Amor ille diuinus, vt seipsum innumerabiles in vsus homini daret, in pretium redemptionis eius, in exemplum humanarum actionum, in doctorem ignorantiæ nostræ, medicum infirmitatis, paupertatis thesaurum, controuersiæ patronum, hostium debellatorem, generis gloriam & decus, pignus felicitatis æternæ. Quid dicam amplius? Daret se in subsidium imbecillitatis nostræ, facem tenebrarum nostrarum, vitæ iudicem, animæ delicias, cordis incendium, spei fundamentum, expletionem desideriorum, fontem inexhaustum omnium bonorum nostrorum, & omnis miseriæ ac molestiæ liberationem. Daret se denique, vt vna cum melle alueum apiarium, cum fructibus arborem, cum riuulis scaturginem & fontem; fortunas cum persona, &, vt omnia verbo complectar, vt cum rebus creatis Creatorem ipsum possideremus.

V. *Mansuetudinem.*

Mansuetudinem probauit ac placabilitatem, cùm tam sæpe, támque grauiter offensus ab hominibus, dum hîc viuunt, semper est paratus ad pacem, & quasi opus haberet hominibus, pacem vltro petit, ac prior: imo, ô rem commiseratione dignam! stat ad ostium humani cordis & pulsat, expectans si quando ei aperire libuerit, & audire iustissimas eius querelas, quod se domo sua videat, pro re nihili, iniustissimè pulsum, & in illas cogatur voces prorumpere, *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te, responde mihi.*

Mich. 6.6.

Sollicitudinem.

Probauit sollicitum amorem, qui tanta cura prouidit nobis, ne quid deesset necessarium ad salutem; & ne quà forte rueremus in interitum, omnes nobis pereundi vias obstruxit, præter improbam voluntatem, quam tamen ipsam studet quotidie reddere meliorem: in eúmque finem se illi præbet mirum in modum amabilem, vt qui probè nouit talem esse voluntatem, qualis est res, quæ ab illa diligitur.

Probauit amorem vnientem, vi cuius intimè nobiſcum eſt, non ratione infinitæ immenſitatis duntaxat, ſed amantiſſimæ bonitatis, quæ numerat delicias ſuas, eſſe cum filiis hominum. Itaque videtur ferre non poſſe moras temporis illius, quo in gloria intimè illabetur in animam noſtram, omnéſque facultates eius, & in glorioſi corporis oſcula, atque amplexum ruet; ſed in hac quoque vita, præmaturè dilectiſſima capita mirifico illapſu ſibi copulat, quo ſenſus abſorbentur omnes, fitque in vita mortali vnio, æmula cæleſtis & immortalis, præter illam, quæ gratia & charitate perficitur. Amorem vnientem atque extrema copulantem, quo ad naturam humanam Verbo intimè copulandam adductus eſt, vt fieret frater noſter, vt nobiſcum viueret ac verſaretur, & regnum quodammodo cœleſte diuideret, iuxta illud Apoſtoli, *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Denique, vt coniunctionem omittam, quæ clauorum interuentu in cruce facta eſt, vt admirabilem illam coniunctionem faceret, quæ in diuina Euchariſtia quotidie celebratur. VI. *Vnionem.*

Laborioſum probauit amorem, & fatigationis inſolentem, quo perpetuò agit, non in producendis duntaxat ac conſeruandis nobis, ſed rebus quoque cæteris, quæ ad nos, tanquam ad finem ſuum, inſtitutione principis cauſæ referuntur. Itaque tanquam prima cauſa omnibus rerum creatarum actionibus interuenit, quæ vbique factæ ſunt, & in omnem æternitatem fient. Ab eodem laboris amante amore perfectum eſt, vt Dei filius, in aſſumpta humanitate, tot itinerum moleſtias laboréſque, totis tribus ac triginta annis ſuſciperet atque exantlaret, vt laborioſo ſudore difflueret conquirendis, colligendiſque ouibus ſuis, variis ex cauſis, caſibúſque diſſipatis; aut extrahendis potiùs ex faucibus tartareorum luporum ac draconum; ſed ita, vt vitam propriam oppigneraret ac profunderet, vt earum ſalutem alioqui perditam extricaret. VII. *Laborioſam actionem.*

Probauit diligentem ac feruidum, qui maturiſſimè cœperit corpus ſuum, animúmque ſaluti noſtræ impẽdere, nec priùs deſierit, quàm ſanctiſſimam animam ſanguinémque vniuerſum cum cruciatu profunderet: aut potiùs non priùs deſinet feruidus ille amor, quàm ſolis ille curſus conquieſcat. Qui cùm intenſis deſideriis æſtuaret mortis acerbiſſimæ, pro mortalibus ad vitam excitandis, oppetendæ, curſum vitæ quam habebat in poteſtate, vix dimidiatum traduxit, vt citiùs & illi viuerent, & ipſe mereretur. Liceat etiam illum appellare feruorem, cùm quaſi duriſſima corporis animique contentione calefactus, veſtes omnes in prætorio Pilati, & in Caluario monte depoſuit; cùm illi ſitis ita accenſa eſt, vt acetum guſtaret, & vinum cum felle miſtum: cum ſanguineo totius corporis ſudore manauit, tanquam in ſuprema animam agentis lucta; expiraſſétque profectò, niſi feruor idem vires ad reliqua certamina ſuffeciſſet. VIII. *Diligentiam & feruorem.*

Probauit Amorem vigilantem, ac continenter ad hominum ſalutem intentum; itáque intentum, vt nunquam mentem ab ea cogitatio- IX. *Vigilantiam*

ne auocaret, neque oculos à miserorum conspectu; Dauidicum illud
Psal. 31.8. iterando; *Firmabo super te oculos meos.* Idque non à primo duntaxat ortu, vel conceptu nostro, sed ab omni retro æternitate. Postquam autem factus est homo, pernoctauit in oratione Dei, nostrúmque agens apud parentem aduocatum, ne causa caderemus, quam fortissimi aduersarij impugnabant, & in qua de capite ac fortunis, de corporibus agebatur animisque.

X. *Zelotypiam.* Argumenta dedit amoris zelo accensi, qui cùm se totum, quadam beneuolentiæ profusione dederit nobis, vult nos vicissim totos, integrósque possidere. Cúmq; perfidiam illam indignissimè ferat, qua hostes suos, nostrósque perduelles sibi debiti amoris videt esse riuales, quotidianam adhibet industriam, vt nos sibi variis alliciat, obligétque beneficiis; certisque subinde experimentis malitiam aperiat perfidiámque æmulorum suorum, vt solus corda nostra possideat. Sed heu! sæpè ac nimium sæpè frustra. Neque tamen propterea amorem suum in odium immortale, in iustissimas sempiternásque inimicitias commutat, sed in commiserationem stultitiæ nostræ ac querelas: & pene illacrymans nos ad se reuocat, vt mundi, carnis, & dæmonis reliquias aucupetur. Cuius cor tam durum, cuius animus tam immitis esse potest, qui ad illa Domini verba
Ierem. 3.1. non molliatur. *Vulgò dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Et paulò pòst. *Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quale autem est illud, quod adiungis Deus meus? *Numquid irasceris in perpetuum, aut perseuerabis in finem?* in ira videlicet ista contra me.

XI. *Officiosam comitatem.* Postremò argumenta dedit officiosi erga nos amoris, dum nullam prætermittit occasionem benè merendi de nobis, & quidem modis omnibus, quos rectè petere, aut desiderare possemus, quantumuis mo-
Marc. 11. 24 rosi, ac difficiles simus. Extat enim illud oraculum, *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Ipse est, qui in omnem est intentus opportunitatem vt gratiam ac vocationem suam, libertati nostræ voluntatis accommodet, quantauis illa inconstantia, & volubilitate moueatur. Qui suscepta cura accipiendi nos mensa sua, & diuino pane nutriendi, omnes illi gustus ac sapores infudit, quos fastidiosissimi conuiuæ, aut ægrorum morositas desiderare posset. Iusti enim, ac peccatores, qui resipiscere velint, facilè inuenient, quo hilariter, iucundéque nutriantur.

CAPVT XX.

Hominis aduersus Deum obligatio debiti amoris dissoluendi.

FATEAMVR igitur magnum illum ac diuinum Amatorem omnia hæc nobis, aliáque multa suppeditasse argumenta amoris in nos sui; illúdque etiam, quod his consequens est, admittamus, nisi eum vicissim summo amore prosequamur, nullam esse apud Canibales, nullam apud Mameluchos atque Antropophagos barbariem, quæ feritati nostræ possit æquari. Illi enim cùm magna ex parte vsum rationis amiserint, nulláque illis aliquando lux diuinitatis affulserit, nihil de illa cogitant, sed mutuis se dentibus vulneribúsque concidunt. Nonnulla tamen excusatione tegi possunt, quam barbara illa suggerit ignorantia. Nos autem nullam possumus prætexere excusationem, quibus talia tantáque diuini amoris incitamenta suppetunt, quæ nos ad Deum proximúmque diligendum compellunt: quin supra feras omnis humanitatis expertes, quas beneficiis mansuefactas non ignoramus, naturam exuisse dicamur. I. *Alioqui summè ingratus fuerit.*

Sed parum est fortasse vincere immanitate feras, si dæmones ipsos, qui vlulant in imo tartaro, ingrati animi vitio superamus: qui illis amoris inuitamentis, quibus abundamus, perpetuò caruerunt. Num Deus in eorum gratiam cœlum aut terram & elementa produxit? Quando tam varias in aëre volucres, in vndis pisces, in terræ visceribus auri, argentique, & cæterorum metallorum fodinas, in superficie innumera pecudum, arborum, & frugum genera procreauit, num Angelorum, nedum dæmonum, vsum aliquem vel oblectationem respexit; aut lapsorum in culpam miseratione aliqua tactus est? Quin potiùs eorum defectionis, & superbiæ vltor acerrimus, nullo redemptore concesso, sempiternis pœnis addixit vniuersos. Hominem autem peccatorem sic dilexit, vt, ne is periret, filium suum vnicum daret. Ex cuius meritis ac laboribus nullum illi fructum perceperunt; at hominum peccata, si quid ipsi elaborare studeant, funditus deleri possunt. II. *Etiam supra dæmones ipsos.*

Si ergo vnum ob crimen, idémque primum, tanta multitudo nobilissimarum mentium merito damnata est, & suppliciis grauissimis implicata; *Quanto deteriora putatis*, inquit Paulus, *mereri supplicia, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Sed illud quoque, per eiusdem filij Dei gratiam, præ illis palmare habemus, quòd illi neque vltra resipiscere possunt, si velint, neque volunt, si possint, quorum neutrum negatum est nobis: qui arma deponimus, qui veniam postulamus cum cæterarum culparum, III. *Obligatio amandi.*

tum ingrati animi in illo amando, cui amorem debemus infinitum; propter eáque perpetuò ingrati victuri sumus, atque morituri: & perpetuum soluendo amorem, maioris perpetuò futuri debitores.

IV. *Quæ dissolui nequit.* Sed quomodo tantum æs alienum dissoluere possumus, nisi versuram facturi ad te confugiamus, ô increate Spiritus, Patris Amor & Filij: & à te accipiamus, vt de tuo pernumeremus tibi. Nec enim nisi de thesauris tuis nomina nostra dissolui possunt: gratia opus est, quæ non ab extremo terrarum aduehitur, sed delabitur è terra viuentium; purissimum aurum est atque probatissimum, cuius vena omnibus hisce terrenis est eminentior. Hisce opibus reple nostra pectora, neque prius nos euoca ad reddendam rationem apud te, ante tribunal tuum, quàm impleueris arcam nostram, nósque reddideris liberalitate tua locupletes: quòd vbi te miserante contigerit, tantò magis erimus in ære tuo; nec aliud sperari à nobis, aut à te expectari potest.

V. *Licet alibi possit.* Nam in cæteris quidem amicitiis, vnius amori mutuus alterius amor par esse potest: fierique vicissim potest totius debiti liberatio, si res non aurificis statera, sed populari trutina ponderetur. At in ea quæ Deum inter & hominem contracta est, id contingere omnino non potest, vt tanto illum amore prosequamur, quanto illa maiestas ac bonitas infinita digna est, aut quantum nos illi, pro ingentibus suis in nos promeritis, debemus. Accedit quòd quanto plus nobis gratiæ tuæ, & Charitatis ad te diligendum, fueris elargitus, nam sine ea nihil omnino in hoc genere possumus, tanto magis nostra crescet obligatio. Quòd si ausim merita Seruatoris vsurpare pro meis, nónne illa nihilominus magis Dei sunt quàm hominis? nónne ex ingenti misericordia & gratia eius mea sunt, non ex rigida æstimatione iuris? O Deus meus, neque possum, neque volo à debito amoris tui liberari, sed eò magis magisque implicari, nulla vt vi, aut arte ista obligatio, nexúsque dissolui possit. Hæc erit ingens mihi felicitas, si cum soluendo non fuerim, addicar æternùm seruituti tuæ.

CAPVT XXI.

Feruida oratio ad obtinendam à Deo Diuini Amoris abundantiam.

I. *Gemitus de amoris huius tenuitate.* AMANTISSIME Seruator, audio Apostolum tuum dicentem ac denunciantem Corinthiis, atque adeò omnibus Christianis: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema: exsecrationi videlicet obnoxius, & communionis Sanctorum expers. At minimè controuersum est inter sapientes, parum pro nihilo reputari. Quid inde

inde consequens est, Deus immortalis, nisi vt cuius tantillus est amor, vt meritissimo pudori sit, atque exprobratione dignus, proximè absit ab anathemate? Fateor equidem, perparum amoris istius, ingētem esse thesaurum, minimúmque gratiæ gradum sexcenta peccata delere posse. Fatendū est nihilominus, modicum esse omnino modicum. Quis ergo istū hominem ab anathematis periculo liberabit, nisi tu, infelicitatis eius commiseratione tactus, ei abundantiam diuini amoris tui largiaris?

Nemo ignorat gemmam paruulam in huius viæ ac vitæ concursionibus, impeditisque negotiis, non ægrè perire posse: aquæ vitalis guttam, æstu cupiditatis obsessam, facilè exsiccari, scintillam ignis diuini, vento vanitatis, qui domum vndique perflat, extingui. Num patieris, ô liberalissime, atq; officiosissime Seruator, hominem istum tā multa de amore tuo dixisse, scripsisse, disseruisse, non alio fructu, quàm quod ora siccarit, fatigarit dexteram, caput concalefecerit, & canalis, aut cotis duntaxat vice functus sit; anima interim arida, vacua, ieiuna remanēte? Præsertim cùm nullam aliam pactus sit, aut præstoletur laboris sui mercedem, præter lautam aliquam & copiosam amoris tui portionem: non ignarus hāc te vnam dare amantissimis tuis in hac vita mercedem. Nō est tuum operas tuo addictas famulatui expectatione frustrari; qui id facinus grandi animaduersione castigas. Quin potiùs vt ditissimus es, ita & in remunerando labore largissimus: quod in centuplo voluntariis pauperibus promisso, experientia demonstrat in dies. II. *Post multam circa illum operam.*

Itaque ne illi obsecro dixeris, omnia in cœlo persolutum iri; aut mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentē datum iri in sinū eius. Prout enim hic fueris amoris & gratiæ tuæ liberalis aut parcus, ita isthic futurus es gloriæ amplior restrictiórve distributor. Habet id quoq; persuasum, si gloria tua, quāta quāta est, posset ab amore diuelli, hunc illa fore potiorem satius enim est, saltem in hac vita, diligere te quàm cognoscere, quia hic diligeris sicuti es, non autem ita cognosceris. Vide itaque, Domine, quid agere statueris; ipsi enim certum ac deliberatum est, quantouis pretio, non exiguam amoris tui vim obtinere, aut vita ipsa in eius procuratione defungi. Nec sine causa sperat desideria sua non fore irrita. Quis enim est aut cælitum aut mortalium, cui non iucundum sit, non solùm amari, sed etiam vehementer amari? III. *Eius copia etiam in hac vita expetenda.*

Ea spe fretus nullum finem facturus est, quandiu futurus est in viuis, importunis tecum precibus per se, pérque amicos, & sanctos tuos postulandi amorem istum, aut de eius tenuitate expostulandi. Eò referri vult omnes actiones suas, id vnum à te petere precibus suis, nihil aliud cor suum noctes diésque spirare, nihil aliud animum mente versare. Nec iniuria; credit enim, id si adeptus fuerit, omnia se esse consecutum, & sine eo, in cæterarum rerum quantacumque copia, pauperem fore. Ego autem, ô amantissime Seruator, habeo quod plangā apud te, atque adeò non de te, sed de meipso querar apud te, qui solus potes & audire, & oc- IV. *Iteratus gemitus.*

currere questibus meis de me. Quidquid enim habeo, quidquid video, audio, cogito, quidquid mihi fit obuium exprobrat mihi permodicũ esse amorem in te meum. Quæ accusatio cùm verissima sit atque grauissima, ingemisco, ac de me queror, quod ea de causa præ animi dolore non defungar, sed viuam, & eiusdem criminis reus plurimos annos perseuerem.

V. *Et oratio.* O Deus meus, zelator iurium tuorum, quomodo ferre potest iustitia tua etiam in domesticis tuis tantam peruersitatem! Si verum est, vt est profectò verissimum, quantumcumque diligere te parum esse, aut potiùs nihil, si ratio habeatur bonitatis, atque amabilitatis tuæ; si ergo multum diligere parum est, quo tandem numero permodicus amor censendus erit? si tamen vel permodicus ille amor reperiatur in nobis. Nónne debeo cum illo Poëta dicere:

---si denique cogis,
Me sine amore tuo viuere, coge mori.

Non ita dixerim. Quid enim mortuo fieret, si sine amore tuo mori contingeret? Oportet igitur vt illum obtineam, dicámne velis nolis? Potest enim aliquis diligi nolens, & qui amantis aspernetur amorem. Non ita dixerim, absit à me isthæc linguæ licentia, nemo enim potest diligere te nisi volentem, atque adeò contribuentem de tuo, & cordibus nostris inserentem, vnde diligaris à nobis.

VI. *Pro eodem amore impetrando.* Quid quòd id vnum tibi ipsi maximè cordi est: qui è cœlo veneris ignem missurus in terram, nec aliud habeas antiquius, quàm vt ardeat, ac vehementius accendatur. Præuenisti nos amore tuo, dum adhuc essemus inimici tui, nec esset inter nos mutua beneuolentia, sed apud te solitaria: nec cessasti vnquam benè mereri de nobis, vt nos alliceres, ac prouocares ad amorem tui; dedisti etiam mirabile præceptum diligendi tui? Ecquid præcepto fuit opus? quis enim abstinere possit, nisi fortè belluarum instar ratione careat, aut eas etiam, quæ stolidiores sunt, stupore vincat, illúdque meritò audiat, *comparatus est iumentis insipientibus, & similis*, imò & inferior, *factus est illis.*

VII. *Quæ bona velimus Deo.* Si ergo nunquam cessauit erga me beneficentia tua, num cessare debet erga te saltem beneuolentia mea? Non quòd tibi velle possim bonum aliquod quo careas, omnibus enim circumfluis, debeo tamen gaudere vehementer, tibique totis ex visceribus gratulari, quòd talis, tantúsq; sis, quod tanta potentia, sapientia, bonitate, cæteráque omni, quæ fingi animo queat, absolutione præstes, nulla vt fieri possint accessione maiores. *Gratulando ei de suis bonis.* Gratulor itaque tibi, mi rex, maiestatem, ac potentiam istam tantam, quantam nemo præter vnum te possit comprehendere: istam sapientiam singularem in gubernatione ac prouidentia maioris minorisque mundi, in tempore & in æternitate, quod est infinitæ admirationis argumentum. Volo exultare gaudio, quòd Deum ac Dominum habeam tanta bonitate præditum, tanta lenitate parentem, tanta

æquitate iudicem: quòd sim in subditis ac clientibus tuis, & apud te rationem reddere debeam villicationis meæ; denique quòd à te spes mea tota pendeat electionis æternæ. Spero enim me ad illum pertinere pusillum gregem, cui placitum fuit æterno patri dare felicitatem æternam. Luc. 12. 32.

CAPVT XXII.

Postulatio eiusdem amoris, iuxta sex priores illius proprietates.

CONCEDE mihi, ô amantissime Domine, meritò dulcissimi amoris tui, dulcem amorem ac suauem, qualis est sponsæ in sponsum dilectissimum, aut probi filij in optimum parentem: amorem tenerum, qui minima quæque sentiat, ac vitet, quibus tantilla offensio incurri possit: amorem maternum erga fratres, proximósque omnes, vt eius ope altissima pax vigeat inter nos, suauissimáque concordia. Non nego fructum me esse immaturum atque syluestrem; condiri me necesse est in saccaro & melle amoris tui, ne quem exacerbem imprudens, ne cui stomachum moueam, iratos potiùs morum suauitate leniam, afflictos consoler, atque corroborem. Non quæro terram, sed amorem lacte & melle manantem, quo omnia aduersa dulcescant, quæ in tristi hoc exilio toleranda sunt nobis; ne ea defugiam, sed tui gratia exquiram potiùs, atque animosè complectar. I. *Postulatio dulcis amoris, per eius effectus.*

Concede quoque, ô diuina Sapientia, meritò ingeniosi amoris tui, amorem sapientem, atque industrium, qui te in omnibus rebus & in te vno res omnes inquirere, inuenire, atque amare possit. Res forma præstantes nos in pulchritudinis tuæ admirationem adducant; res magnæ admoneant magnitudinis tuæ, diuturnæ æternitatis: viri nobiles, diuites, ac potentes, nobilitatis, diuitiarum, ac potentiæ tuæ: docti sapientiæ, probi bonitatis, improbi iustitiæ, miseri viscerum misericordiæ tuæ. Insere cordi nostro amorem illum, qui facilè excogitet, facilésque reddat rationes & vias promouendi amoris atque honoris tui; qui omnibus se locis, temporibus, negotiisque prodat; qui diabolica fraude deceptas animas prudenter ab eius laqueis extricare possit. II. *Ingeniosi item.*

Sed quoniam, ô magnanime princeps, non æquè cognitione indigemus ac viribus, in tanta imbecillitate nostra. Neque enim ignoramus pleraque tibi esse periucunda in quibus exequendis languemus; tolerandi quoque constantiam scimus tibi acceptissimam fore, animis tamen in patiendo debilitamur ac frangimur; largire igitur nobis amorem fortem atque constantem, qui omnes possit calcare difficultates, quas ambitio, voluptas, auaritia, viam virtutis ingressis obiiciunt. O fortissime princeps, quàm diu patieris in nobis tam ingratam molliciẽ animi; III. *Fortis & patientis.*

atque laxitatem, vt cùm te videamus amore nostri durissimum probrosæ mortis adisse certamen, amor nihilominus noster tā ignauus sit, vt cū in oculis tuis pauca verba prosternant. Nónne par esset nos à conspectu Domini latebras petere, si quomodo eum latere possemus, & insigni pudore suffundi: si fortè, *Hic pudor incendat vires, non conscia virtus:* aut superbiam certè nostram ad vltima mundi præcipitet.

IV. *Et liberalis eodem modo.* Largire quoque nobis ô magnificentissime rex, per regiam illam liberalitatem ac magnificentiam amoris tui, amorem liberalem, vt eius ope tantum capiam voluptatis, ex eo quòd cum Petro cymbam & retia mea reliquerim, nihilque mihi reliquum fecerim propter te, quantum alius ob amorem sui, in multarum opum ac copiarum possessione delectaretur: vt eo monente non minùs studiosè inquiram quotidie atque obseruem, si qua fortè re carere possim ob amorem tui, vt ea me abdicem, eámque liberaliter offeram tibi, quàm mundi sectatores in lucra sunt continenter intenti, quibus ardentem habendi cupiditatem exsaturent: vt eo inuitante iucundè abiiciam, atque animosè repudiem non necessarias sensuum oblectationes, curiosam sciendi cupiditatem, proprij iudicij, propriæque voluntatis amorem: vt his semel gladio mortificationis amputatis, quoties malè pullulabunt, toties succisæ tibi in sacrificium offerantur. Reuera enim crebro malè pullulant, siue quia viua remanet imo in corde radix istarum cupiditatum: siue quia tibi in vsum quotidiani sacrificij, quando meliora non suppetunt, relinquuntur: interimque hortus cordis mei, sublatis herbis hisce noxiis, tibi in hortum deliciarum conuertatur.

V. *Mansueti quoque.* Hanc quoque à te gratiam, ô mitissime Fili Dauid, si placet, accipiam, merito māsuetissimi amoris tui atque placabilitatis, nulla vt ira, odium, liuor, mentis alienatio in corde nostro resideat, quoniam hæ pestes sunt diuini amoris, quem constat sine amore proximi obtineri nōn posse. Da mihi hanc, aduersus eos maximè à quibus fortassis offensus fuerim, mansuetudinem, vt qui te tam placabilem expertus sum in causa mea, debitisque tam multis, ne eundem te postmodum experiar, quem seruus ille parabolicus: qui post grauem obiurgationem domini sui, traditus est tortoribus, & coniectus in carcerem, donec vniuersum debitum, ad nouissimum vsque quadrantem persolueret. (Matt. 18. 33.)

VI. *Atque solliciti.* Obtineam à te, ô Pater, hunc enim mihi titulum acquisiuit Vnigenitus tuus, vt meritò paternæ sollicitudinis tuæ, vndique animam meam sollicitè circunspiciam, quando tantam tu illius sollicitudinem geris; vt consequar studiosum amorem obtinendi ea bona, quæ nobis idem filius tuus, sanguinis ac vitæ suæ pretio, comparauit; nec demens, ius mihi ad eadē bona acquisitū, stultè dissipem, atque pessumdem. Sit mihi hic ipse amor matutinus admonitor, qui in aurem sollicitus insusurret. Quid hodie officij persoluturus es dilecto tuo? vespere autem sit quæsitor accuratus, qui præstita singulis horis officia diligenter examinet. Obtineam

à te amorem sollicitum, quo ad redhibendas tibi animas exciter, quas dæmonum præstigiæ, carnis deliciæ, mundi vanitas irretitas tenent; quandoquidem non ignotamus velle te, vt eas per vicos & plateas studiosè quæramus, & in domum tuam, dum ea repleatur, intrare compellamus. Luc. 14. 23.

CAPVT XXIII.

Petitio diuini Amoris iuxta sex posteriores eiusdem proprietates.

INSTITVTIONE tua edoctus sum, Deus meus, & ipsa experientia confirmatus, creata omnia, quæ hîc amore complectimur, sensim in fastidium verti; Quæso igitur à te, per vnientem illum amorem tuũ, qui te tot rationibus ac viis, vinculisq; coniunxit nobis, vt meam cum rebus creatis prehensionem inutilem laxes, penitúsque dissoluas, méq; tibi vni copules, atq; coniungas. Alas enim, quibus ad te volare cupio, visco terrenæ delectationis oblinũt, meúmq; ad te volatũ impediũt; illa in phantasiam illabitur, hæc occupat affectũ, vna oculos, altera aures capit; vna manibus laqueos iniicit, pedibus altera, & cordi vniuersæ. Dirumpe, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis; vota scilicet offeram idonea ad me vinciendum, atque obligandum tibi: obligãt enim, neque possunt nisi morte dissolui. Et quoniam fieri nequit, quin propter immensitatem tuam intimè sis in nobis, ne permittas vt aliqua nos à te abstrahat violenta ac sinistra tentatio. I. *Petitio amoris vnientis.* Psa. 115. 17.

Actuose artifex, cuius continens operatio beatissimæ quieti suæ fraudi esse non potest, obsecro te per amorem illum laboriosum sine molestia, perpetuò agentem, & nunquam inquietum, qui te tamen semper in terris tenuit occupatum, effice meum infatigabilem, & laboris pro tua gloria semper appetentem. Cessatio sit mihi supplicium, & quietis instar operatio. Nullum sit misericordiæ aut charitatis opus, quod ego pro facultate non excolam. Et quando manus opus remittent, tum maximè mens mea in te occupetur, qui nunquam tuam cum Patre remittis actionem. Est enim tua illa vox. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* II. *Actuose.* Ioan. 5. 17.

Quando effeceris, ô feruens amator, promptum ac diligentem amorem meum, itáq; æstuosum, vt amorem exsiccet carnis & sanguinis, & dulces ab oculis pro sudore lacrymas eliciat; qui terrena corpus grauitate spoliet, animum omni proprietatis affectu, qui me ad asperum perfectionis montem adrepentem deferat, qui ad te, vt lapis ad centrum, toto impetu feratur, sicut ignis cæteris elementis sponte superfertur. Ad amandum quippe te, non deliberatione ad aggrediendum, sed impetu III. *Feruidi ac diligentis.*

opus est ad exequendum. Hæc enim fuit mens tua, qui baptismi gratiam dedisti, lucem aspicere inceptantibus; siue quia sordibus originis inquinatos diu ferre non poteras, sed gratos tibi efficere iucundósque properabas: siue vt quàm primum charitatis actus elicere possemus; eámque gratiam voluisti esse in nobis habitum permanentem, vt quotiescumque liberet, prorumpere possemus in actus amoris tui.

IV. *Vigilantis.* O si mihi contingat amor, qui nunquam obdormiat, sed me siue dormientem, siue vigilantem semper apud te constituat, vigilans de te cogitem, de te dormiendo somniem, mea te phantasia efficaciter repræsentet, dies vt tecum noctésque colloquar. Quidquid nutrimenti in corpus ingessero, à te nominatim ad me missa per seruos tuos munera cogitem, nullæ vt cogitationes ascendant in cor meum, quæ non conforment amabilem imaginem liberalitatis tuæ & amoris, qui multo est ad benefaciendum vigilantior, quàm fuit olim ad puniendum ea virga, quam Ieremiæ Prophetæ per visum ostendisti. *Ca. 1. 11. 12.*

V. *Zelotis.* O cœli terræque princeps, amabilior omnibus, quæ cœlo, terráque continentur, illam mihi concede gratiam, nullus vt cuiuscumque rei extra te amor sit mihi antiquior tuo, aut cum eo de principatu contendat, sed ei cæteri amores famulentur omnes, eius mandata demisso vultu excipiant, & ad eius prostrati pedes exequantur. Vtinam sancto zelo æmuler nonnullos, quos video maiorem in modum à te dilectos, non ægrè ferens eorum felicitatem, sed miseriam atque ignauam paupertatem meam, cùm per me stet in primis, quo minus tibi sim multo gratior; vt qui tanto eis ætate præcurram, priúsque multo fuerim stadium religiosæ vitæ ingressus, neque pauciora nactus sim incitamenta progrediendi in amore tuo, & beneficia in me tua exaggerandi.

VI. *Et officiosæ comitatis.* Denique, ô potentissime mundi imperator, qui non dubitasti famulis tuis officiosa charitate seruire, da mihi merito charitatis illius officiosum amorem, vt quasi spiritalis quidam Proteus in mille me figuras formásque conuertam, vt totidem tibi rationibus inseruiam, fiámque omnibus omnia, vt omnes lucrifaciam tibi. Nemo sit omnino tam difficilis, tam morosus, tam denique intractabilis, siue superior, siue inferior, aut æqualis, quo cum pacificè suauitérque non consuescam: vt dum me ad eorum arbitrium fingo, atque accommodo, ipsi se vicissim ad tuam voluntatem componant. Sed miserum me, qui in eorum fortasse sum numero, quos variis officiis allicere oportet ad obsequendum voluntati tuæ, quam mihi patefaciunt vicarij tui, si quando ea cum propria voluntate, proprióque amore pugnauerit.

CAPVT XXIV. & VLT.

Querela aduersus Amorem proprium, in gratiam diuini Amoris.

ET vnde mihi ista peruersitas, nisi ex peruerso amore mei, qui sæuam in me dominationem habet, qui hostiliter insurgit in tuum, Deus meus? vt hic illo impellente vacillat! nec satis consistit pedibus, nisi nouum à te præsidium de cœlo veniat, vt ne planè corruat, in dedecus ac damnum meum. Num passurus es, ô gaudium cordis mei, vt improbus hic calo, nobilissimum equitem Amorem diuinum indignum in modum accipiat? annon potiùs huic militi tuo vires adiicies, vt sternat humi aduersarium suum, afflictúmque pro arbitrio conculcet? nullus vnquam bellator ope tua dignior fuit, nullus pro meliore causa in campo stetit. I. *Amoris proprij vis tyrannica.*

Memento quæso, dulcissime Iesu, illum pro quo certamus amorem, esse domesticum tuum, imo & filium in cœlo natum, iussúque tuo peregrinati in terris, vbi tu eum reliquisti hospitem, cùm cœlum repetiisti. Ibi ille in dies mille iniurias, contumeliásque accipit, generi suo minimè congruentes. Est qui eum manè inuitet ad se, & vespere, pro re nihili illum extrudat foras. II. *Aduersus diuinum amorem.*

Alij operam omnem nauant, vt illi aditum ad se præcludant, collecta inimicorum illius numerosa manu, quam armat, regitque Amor sui: & quasi fortis armatus custodit atrium suum. Ecquid inde expectandum est, præter acerbam, atque ignominiosam cladem, nisi tu fortior superuenias, vincas eum, obiectas moles perrumpas, armis spolies, catenis vincias, quas in manum tradas Amoris tui. *A multis impugnatũ.* Luc. 11. 2. 2.

Alij eum apud se conseruant, nec abire permittunt: sed ita retinent, vt sexcentis nihilominus molestiis eum afficiant, adeò vt ipsum vitæ istius valde tædeat. Quoties ille vehementer agit atque sollicitè cum Domino domus, vt in sui, tuique gratiam aliquid agat, ad quod hic obsurdescit: aurem tamen illico aperit molliciei animi, quæ ad delicias propensa est, nec illi satis conuenit cum Amore diuino. Quàm multa ei promissa quotidie fiunt, sine vlla promissi constantia aut fide? quàm multa suscipiuntur in eius gratiam, quæ intermissa languescunt, vt difficilis & molestæ litis instrumenta. Nonne quicunque huiusmodi sumus, sancta eius consuetudine indigni sumus? satísque nobis esse debet, si ancillam eius humilitatem apud nos retineamus? Sed tu, Domine, si nihil daturus es nobis, nisi quod promeriti fuerimus, quanto sæpius tibi ad verbera, quàm ad præmia veniendum erit? III. *Ab aliis negligenter habitum.*

Adde quod non est præter consuetudinem tuam, & regiam liberalitatem largiri immerentibus amorem tuum: necesse est te priorem ad IV. *Deus homines præuenit amorē suo.*

pacem occurrere, amicitiámque conciliandam. Neque enim alioqui beata Magdalena, aut Petrus, aut olim peccatores alij, nunc in amicis tuis numerarentur. Eadémque est eorum ratio, qui quotidie in sacramento penitentiæ à morte reuocantur ad vitam; vbi licet peccatoris oculi in totidem fontes lacrymarum verterentur, gratia nihilominus ei daretur gratis, nec parum lacrymis illis daretur, si propter eas Dominus admissa peccata condonaret, sine vllo alio dono, vti solent homines, cum hominibus reconciliantur. At tu tanto melior atque magnificentior, & peccata remittis, & gratiam tuam insuper, amoréque largiris.

V. *Petitio directionis eius.*

Hunc igitur Amorem ego quoq; pœnitens ac peccator obtinere desidero, speróque deinceps eum apud me officiosius habitum iri: scio enim quidquid illius gratia fecero, te factum tibi ipsi putaturum. Nolo itaq; abire mihi vllum diem, in quo non illum mihi certo quopiam officio demerear. Cupio planè, ac statuo nunc quoque, quantum ferre potest humana imbecillitas, nullum ab ore verbum, nullam ex corde cogitationem, nullum ex manibus opus consultò proditurum, cuius hic sanctus Amor non sit moderator ac rector, & quod ad fouendam, augendámque cum Domino eius amicitiam ac familiaritatem, non feratur. Si orare instituero, ad orandum incitet me amor tuus, & suggerat, quæ mihi, aliísque impetranda sunt. Si cibus aut potus sumendus, si labori danda opera, aut indulgendum quieti, si legendum aut scribendum, si docendum discendúmve, aut quiduis aliud operis agendum, suadente amore tuo suscipiatur, eodémque comite perficiatur, ipse sit, toto huius vitæ curriculo, actionis merces ac finis.

VI. *Felicitas eorũ qui eum semper apud se retinuerunt.*

Quàm multi nunc mortales, etiam inter Christianos viuunt, qui deploranda calamitate, à primo Dominicæ resurrectionis die ad vertentem annum vix aliquid egerint dixerintve, quod acceptum sit Deo, lingua, corde, manibus per lethiferum crimen, mundi, carnis ac dæmonis tyrannide occupatis. Nónne vicissim optandum est vt famuli tui nihil dicant, faciant, meditentur, quod in charitate, atque adeò ex charitate non fiat, quod non promoueat gloriam tuam. Multos credo habes inter dilectissimos tuos, qui tota vita sua ipsis 30. 40. aut 50. annis in culpam mortiferam non inciderint, sed sanctum amorem tuum semper apud se fouerint. O sortem felicem, ipsísque beatarum mentium felicitati comparandam! Qui miseria sua ab hoc numero excluduntur, nunc certè, quando te melius agnoscere cœperunt, nihil dicere, nihil facere, aut cogitare studeant, quod non placeat tibi.

VII. *Desiderium moriẽdi pro Domino, vt Martyres.*

Cúmque tempus illud aduenerit, quod à te ab omni retro æternitate definitum est, quo vitæ huius periodus terminanda est, hoc addes, si placet, cæteris beneficiis tuis, vt tui causa morte defungar. Scio hoc esse singulare beneficium, quod sub meritum non cadat; extremam enim perseuerantiam includit. Si tamen in æterno illo concilio constitutum est, vt

vitam

vitam tua in causa ponam, millies benedicta sit tam optabilis prouidentia tua, eique omnes cœli terræque ciues, meo nomine gratias agant, & quamuis præclarè mihi cognita sit infirmitas mea; intelligo tamen quantum charitatis feruorem martyrum tuorum animis infundas, vt intrepidi in medio acerbissimorum cruciatuum, immotique consistant, vt feras in se prouocent, vt lentos ignes, vt diuturna tormenta lacessant, alacritate & constantia tanta, quantam adeptio felicitatis æternæ promeretur.

Quod si aliud in eodem illo concilio statutum est, ô pater, sponte ac libens paternæ voluntati acquiesco, & ea priuari gratia, quanta quanta est, æquo animo ac libenti fero. Neque enim aliud velle cupio, quod tempus spectet aut æternitatem, hanc futurámve vitam, quàm quod tuæ benè placitum est voluntati; aliúdque omne desiderium à me abdico, atque repudio; nisi fortè illud quieta morte decedenti contingat, quod optabat magnus quidam famulus tuus, vt amore amoris tui moriar, quando tu ipse, amore amoris mei, dignatus es mori. VIII. *Aut certè in Domino.*

Finis Libri decimi-sexti, & vltimi.

Laus Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto Sanctissimæque Deiparæ.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM HVIVS operis de Amore Dei.

A.

B.

C.

D.

F.

Fun-

L.

in vinum

Q.

R.


T.

V.

Vnio

FINIS.





Iacobi Saliani Soc.
Iesu de amore Dei
Libri Sedecim